CÆREMONIALE
EPISCOPORUM
IN DUOS LIBROS DISTRIBUTUM.

CLEMENTIS VIII. ET INNOCENTII X.

AUCTORITATE RECOGNITUM.

A BENEDICTO XIII.

IN MULTIS CORRECTUM.

Nunc vero primum Commentariis illuſtratum.

AD SANCTISSIMUM PATREM

BENEDICTUM XIV.
PONTIFICEM MAXIMUM.


TOMUS II.

Enarrationem Libri II. comprehendens, in qua varii ſacri Canones, Romani antiqui Ordines, particularium Eccleſiarum vetera, ac nova Cæremonialia, itemque innumera pene ſacrarum Congregationum Decreta citantur, adjunctis Legibus, & Inſtitutis Cæremonialibus Regnantis Papæ juſſu nuper Romæ editis pro Provinciarum Præſidibus, Gubernatoribus Prælatis, & Apoſtolicis Vice-Legatis, cum Figuris æneis &c.

CUM INDICE RERUM LOCUPLETISSIMO.

CURA ET STUDIO

JOSEPHI CATALANI PRESBYTERI.



ROMÆ, MDCCXLIV.

Typis Antonii de Rubeis apud Pantheon in via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.



Cce alterum, Lector benevole, noſtrorum Commentariorum Tomum in Librum alterum Cæremonialis Epiſcoporum a Benedicto XIII. Pontifice Maximo denuo recogniti, atque emendati, eodem, quo primus, anno ſi non omnibus numeris abſolutum, ſumma certe celeritate typis commiſſum, ut qui ſcilicet meo non parcit ingenio, parcat vel tempori. Forte in pluribus lapſus ſum, nec inficior; explicare quippe debui res obſcuras, plenaſque difficultatum, quarum nonnullas in Præloquio Tomi 1. innui. Cum autem ſæpiſſime in hoc Opere occurrerit, refellere abuſus, jam non deerunt, qui eoſdem veluti laudabiles conſuetudines propugnantes, mihi multos alios, quos non patravi, errores appingent, quod ea ſcilicet, quæ ego ſcripſi, privatis ſuis opinionibus adverſantur. Verum quid ego unquam docui, quod ſuffultum non fuerit Conſtitutionibus Summorum Pontificum, Conciliorum Canonibus, auctoritate Patrum, Sacrarum S. R. E. Congregationum Decretis, Cæremonialium, ac Miſſalium Rubricis, doctiorum Scriptorum teſtimoniis, atque probata Eccleſiarum inſignium praxi, & præſertim Romanæ omnium Matris, atque Magiſtræ? Laudavi non ſemel varios aliquorum locorum uſus antiquos, recentioreſque, & Codices Rituales, ſed eo ſolum conſilio, ut vel Ritus a noſtro Cæremoniali præſcriptos magis magiſque dilucidarem, vel ne ſacræ antiquitatis notitia penitus ignoraretur; ingenue enim fateor, teſtiſque eſt Deus, me ſicuti nec odio ductum aliquos carpſiſſe uſus, ita nec alios commendaſſe, ad captandam eorum benevolentiam, qui plurimum pollent; omnia autem ſolo ſinceritatis affectu exaraſſe, & amore veritatis, ut Chriſtianum, & Sacrum hominem decet. Scribant alii, ut volunt, & ad ſeculi hujus voluptatem, cujus ſapientia, ut ait S. Gregorius Magnus, Pontifex Maximus (*a*), *eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera ſunt, falſa demonſtrare*. Ceterum ſiquid ego vel in minimo erravi, ſupremo Apoſtolicæ Sedis judicio ſubmitto, paratus, in omnibus, ea qua par eſt reverentia, atque humilitate, eidem parere, & corrigere omnino, quod ipſa a me in hoc, & aliis Operibus meis corrigendum cenſuerit. Quod ſiquis etiam nullius auctoritatis me in pluribus lapſum noverit, velitque iccirco errata mea emendare, agam & illi gratias, præſertim ſi amore veritatis hanc provinciam aggrediatur, non obtrectandi vitio. Inhumanum enim eſſet, & a Chriſtiana charitate alienum, ſugillandis aliorum laboribus, atque Operibus irridendis, ingenii, doctrinæque laudem aucupari, eorumque lapſus potius perſcrutari, atque omnium oculis exponere, quam operam ad indagandam veritatem impendere, ad difficultates ſolvendas, atque ad ea explicanda, quæ alii præ ſui ingenii tenuitate aſſequi minime potuere. Utinam omnes prophetent, Rituſque Eccleſiaſticos, quos ego, ut potui, conatus ſum enarrare, magis magiſque illuſtrent; ſcio namque id, quod ante nos alii ſcitiſſime docuere (*b*), ut nefarium nempe in primis habendum eſt, ex alienarum lucubrationum inſectatione, ac depreſſione, creſcere velle, aditumque ſibi ad hominum famam captandam munire; ita cum publici commodi cauſa id poſtulet, nemini vitio verti debere, rem ab aliis tractatam retractare, ac velut ſub incudem revocare. Nimis enim profecto ſibi arrogaret, qui contumelia ſe affici cenſeret, ſi quis alius, vel quæ ipſe ſcripſerit, emendare, ac perpolire, vel etiam eidem materiæ, ſi id e re Literaria fore videatur, ſecundam manum admoliri audeat, modo illæ duæ teterrimæ peſtes arceantur, livor, & obtrectandi vitium. Sed nec eſt, quod hujuſmodi obtrectantium metu ab edendis Operibus ſuis retardari quis poſſit; notum enim omnibus eſt, omni ævo calumniatores vel adverſus clariſſimos Viros non defuiſſe. Gratulandum nobis, quod eo feliciſſimo tempore ſcribere contigerit, quo univerſam Eccleſiam regit

(*a*) Lib. x. Moralium Cap. xvi. in Cap. xii. Libri Job. (*b*) Jacobus Billius in Præfatione ad Opera S. Gregorii Nazianzeni.

Digitized by Google

BENEDICTUS XIV.

PONTIFEX MAXIMUS
MECOENATUM OMNIUM PRINCEPS
PIETATE ET OMNIGENA ERUDITIONE
NULLI SECUNDUS
DE CHRISTIANA ET LITERARIA REPUBLICA
OPTIME MERITUS
DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE VINDEX
BONIS STUDIIS ADDICTORUM AMATOR EGREGIUS
NON VERBO SED OPERE ET VERITATE
REBUS FELICITER GESTIS
LIBRIS EDITIS
AC LEGIBUS PROMULGATIS
MULTIS NOMINIBUS CELEBRANDUS
SED EO POTISSIMUM
QUOD HAC TEMPESTATE
INTER PRAESULES QUOS SUA IPSE SPONTE ELEGIT
PLURES
VEL CONSTANTISSIME RENUENTES
VEL SUMME RELUCTANTES
INVENERIT.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sacri Palati Apoſt.

Ferdinandus M. de Rubeis Archiepiſc. Tarſen. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſt. Magiſter.

CÆ-

Digitized by Google

CÆREMONIALIS EPISCOPORUM LIBER II.

CAP. I.

Episcopus in crastinum Missam solemnem celebraturus, pridie Vesperas solemnes ipse peragat. Qui sunt dies, quibus ab Episcopo Vesperarum solemnia sunt peragenda. Quo ordine ad Ecclesiam procedat. Quo loci Episcopi, & Canonici parentur, & quibus paramentis induantur. Ritus incipiendi Vesperas, & præintonandi Antipbonas, & sedendi ad Psalmos. Capitulum a quo, ubi, & quo ordine cantandum. Hymnus, & Antipbona Cantici a quo præintonentur. Incensum quomodo ministrandum. Quo ordine ad incensandum Altare Episcopus procedat, & ab eo redeat. Quomodo, & a quo Episcopus incensetur. Quomodo item reliqui. Oratio quomodo dicenda. Quo ritu benedictio danda. Si Cardinalis præsens est, vel Metropolitanus urbaniter benedictionem ab Episcopo dandam remittat. Paramenta quando, & quo loci deponenda.

§. I.

Sacræ Solemnitates regulariter a primis Vesperis initium sumunt. Explicatis igitur in superiori Libro his, quæ ad divina Officia in Ecclesia præparanda pertinent, consequens est, ut de ipsis Vesperis nunc loquamur.

COMMENTARIUS.

I. 

Uemadmodum & cæteræ divini Officii Horæ, ita & Vesperæ antiquissimæ sunt in Ecclesia, habitæque semper tanquam omnium diei horarum maxime solemnes, & respondebant Vespertino Sacrificio, quod Deus ab Hebræis fieri volebat. Offerebant enim hi thus ardens, atque ea de causa thus ardens ad Vesperas circumfertur, quemadmodum & ad Laudes, quæ Matutino Hebræorum Sacrificio respondent, uti notat Grancolas in suo Commentario historico ad Breviarium Romanum Cap. XXXVIII. Sed audiamus ea de re S. Isidorum Episcopum Hispalensem, qui Lib. I. *De Officiis Ecclesiasticis*, ita inquit: *Vespertinum diurni finis Officium diurnæ & alternæ lucis occasus est, cujus ex veteri Testamento solemnis est celebratio. Denique hoc tempore veterum Sacrificia offerri adolerique Altario aromata, & thus mos erat; cujus rei testis est Hymnidicus ille Regio, & Sacerdotali functus officio, dicens*, scilicet in Psalmo CXL. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine, elevatio manuum mearum Sacrificium Vespertinum.*

II. Teste eodem sancto Doctore loco citato, *in novo Testamento eo tempore Dominus & Salvator cœnantibus Apostolis mysterium sui Corporis, & Sanguinis initio tradidit, ut tempus ipsum Sacrificii Vesperarum ostenderet seculi*: proinde ait in honorem, ac memoriam tantorum Sacramentorum his temporibus decere, *nos adesse Dei conspectibus, & personare in ejus cultibus, orationum nostrarum illi Sacrificium offerentes, atque in ejus laudibus pariter exultantes*. Subdit tum etiam mox, Vesper nominari *a sydere, quod Vesper vocatur, & decidente sole exoritur*. Porro vocabantur olim Vesperæ, *Lucernarium*, sive *Officium*

Digitized by Google

ficium lucernarum, eo quod desinente die, & accensis lampadibus, decantarentur. Edicit autem Concilium I. Toletanum anni CD. Can. IX. ut nonnisi in majore Civitatis Ecclesia celebrarentur, aut si in Oppidis, non tamen nisi præsente vel Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono: *Lucernarium vero nisi in Ecclesia non legatur; aut si legitur in Villa, præsente Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono, legatur*. Recte admodum in hunc Canonem notat Thomassinus Parte I. *Disciplinæ*, Libro II. Cap. LXXIII. Num. XVI. non privatam, & domesticam Horarum Canonicarum recitationem in eo interdici, sed eam quæ solemni pompa, & alternis Choris peragebatur.

III. Omissis aliis, quæ observari in recitatum Canonem possent, notandum illud, tria olim in Vesperis consuevisse distingui, Lucernarium nempe, Vesperas ipsas, & Sonum. Ita enim Vespertinum Officium Emeritensis Synodus anni DCLXVI. Can. II. explicare videtur, quum ita inquit: *Oportet, ut sicut in aliis Ecclesiis Vespertino tempore post lumen oblatum, prius dicitur Vespertinum, quam Sonum, ita & a nobis custodiatur in Ecclesiis nostris*. Erat itaque Lucernarium solemnis illa lampadum ad Vesperas ipsas accendendarum cæremonia cum Oratione aliqua, ut usitatum etiamnunc nobis est in Sabbato Paschæ. Tum decantabantur Vesperæ. Deinde vero diebus Festis, & Paschali tempore alta voce recitabatur Sonus, qui, uti ostendit ex Mozarabico Missali Garsias, unicus Psalmus erat, *Venite exultemus*.

IV. Sunt qui aliter Canonem ipsum explicant, uti inter alios Auctor Delectus Actorum Ecclesiæ universalis in sua ad eundem Canonem Nota; verum quicquid de varia ejus Canonis interpretatione sit, constat ex vetusto Apostolicarum Constitutionum Scriptore, ex sancto Basilio, S. Joanne Chrysostomo, S. Hieronymo, S. Augustino, aliisque Patribus, quos recenset Durantus Lib. III. *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Capite XI. & Grancolas loco citato, Christianos olim Vespere orasse, Psalmosque decantavisse, qui ideo *Psalmi lucernales* dicebantur; preces vero istas occasionem dedisse origini officii Vespertini, quod procedente tempore publicum, & solemne effectum est. Plerique pro nocturno illud habent, ut Cassianus, a quo *Lucernaris hora* dicitur, quia valde sero recitabatur, itemque Socrates Lib. II. Cap. XV. ubi illud *Lucernæ accensionem* vocat, ob cereos, & lampades, quæ accendebantur.

V. Erat præterea mos, ut cum lampades ipsæ accenderentur, nonnullæ preces fierent, uti superius innuimus, constatque ex Officio Mozarabico, in quo Vesperæ incipiunt ab Oratione, quæ in luminum accensione recitatur, diciturque, *lumen offerre*. Recitatur autem, *Kyrie, Christe, Kyrie, Pater noster*. Deinde: *In nomine Domini nostri Jesu Christi lumen cum pace*, Amen; *hoc est lumen oblatum*, R. *Deo gratias*. Eadem ista Oratio, dum lumina ad Officium Vespertinum accenduntur, facienda legitur in quodam Hymno Prudentii, qui male inscriptus fuit, *Ad incensum cerei Paschalis*, nullo enim modo pro cereo Paschali, sed pro Vespertino Officio deservit, quo silice percussa ignis excitabatur ad cereos accendendos, idque quotidie Vespere fieri solèbat, hodieque idem fit, cum Cereus Paschalis accenditur, qui ut lumen præberet, sub Paschalis noctis tempus accendebatur.

VI. Illa autem antiqua est in Ecclesia consuetudo a Lege Mosis exorta inchoandi solemnia, & remissionem a laboribus sub Vesperam diei præeuntis, ut testis est S. Augustinus, sive alius ejus nomine, Sermone CCLI. de tempore, sic dicens: *Observemus diem Dominicam Fratres, & sanctificemus illam, sicut antiquis præceptum est de Sabbato, dicente Legislatore*: Et Vespere usque ad Vesperam celebrabitis Sabbata vestra. *Videamus, ne otium nostrum vanum sit, sed a Vespera diei Sabbati usque ad Vesperam diei Dominici, sequestrati a rurali opere, & ab omni negotio, soli divino cultui vacemus*. Adeo est is antiquus Ritus, ut priorum conditi Orbis dierum Moses ipse a Vespertino tempore initium sumserit, ubi ita scripsit Cap. I. Geneseos: *Factum est Vespere, & mane dies unus*. David quoque ad eundem ritum alludit, quum de suis precibus, divinisque laudibus ita inquit in Psalmo LIV. *Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam*.

VII. Meminit S. Ambrosius Missæ tunc peractæ, videlicet Sacri, quod in pervigiliis cum iisdem Vespertinis precationibus fiebat, solemnia inchoando: *Indictum est jejunium*, inquit in Psalmum CXVIII. *cave, ne negligas. Et sitis fames quotidianum cogit ad prandium, ut intemperantia declinet jejunium, tamen cælesti magis te servato convivio. Differ aliquantulum, non longe est finis diei. Imo plerique sunt hujusmodi dies, ut statim meridianis horis veniendum ad Ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio. Tunc utique paratus adsiste, ut accipias tibi munimentum, ut Corpus edas Domini Jesu, in quo remissio peccatorum est*. Et paulo post: *Admonet etiam Sacrificium vespertinum, ut nunquam Christum obliviscaris*. Autumat Thomassinus Lib. III. *De dierum Festorum celebratione*, Cap. V. Num. IV. loqui Ambrosium de hybernis diebus, quum ait, *statim post meridiem veniendum ad Ecclesiam*, ut Vespertinæ preces, & Sacrificium pariter Vespertinum vocatum cum iisdem celebraretur, quemadmodum etiamnum Sabbato sancto usuvenit in Ecclesia Latina. Patet ergo, Vespertinas hujusmodi preces præuntis diei initium extitisse Dominicorum dierum, & aliorum solemnium, quorum pervigilia colebantur.

VIII. Concilium Matisconense, quod celebratum est anno DLXXXV. Can. I. censet quidem pertinere ad diem Dominicum noctem, quæ illum antevertit, colendum propterea vigilando, & orando: *Noctem quoque ipsam, quæ nos insperatæ luci inaccessibili reddidit, spiritualibus exigamus excubiis; nec dormiamus in ea, quemadmodum dormitant, qui nomine tenus Christiani esse noscuntur; sed oremus, & vigilemus operibus sacris, ut digni habeamur in regno hæredes*

Digitized by Google

redes fieri Salvatoris. Idem conſtituit Capitulare Aquiſgranenſe anno DCCLXXXIX. ubi in lucem revocatur Canon Concilii Laodiceni, quo a Veſpera uſque in Veſperam coli jubetur Dominicos dies: *Item in eodem Concilio præcipitur*, nempe Laodiceno, *ut a Veſpera uſque in Veſperam dies Dominica ſervetur*. Ita quoque Francfordienſis Synodus anni DCCXCIV. Can. XXI. *Ut dies Dominica a Veſpera uſque in Veſperam ſervetur*.

IX. Ediſſerit hæc ſane clarius Forojulienſis Synodus anni DCCLXXXXI. a Paulino Aquileenſi Patriarcha habita, Can. XIII. ubi agens de initio Celebritatis Dominicæ ita inquit: *Diem autem Dominicum inchoante noctis initio, ideſt, Veſpere Sabbati, quæ in prima luceſcit Sabbati, quando ſignum inſonuerit, vel Hora eſt ad Veſpertinum celebrandum Officium, ſed Dominici diei, cum omni reverentia, & honorifica religione venerari omnibus mandamus Chriſtianis*. Sed & poſt annum Chriſti Milleſimum viguiſſe eundem ritum ſacrorum Cœtuum Sabbato, & ſequenti nocte, docet Synodus Covacenſis celebrata in Hiſpaniis anno ML. *Sexto titulo admonemus, ut omnes Chriſtiani die Sabbati adveſperaſcente ad Eccleſiam concurrant, & Dominica Matutinas, Miſſas, omnes Horas audiant, opus ſervile non exerceant &c.* Tandem ut alios omittam Canones, in Cap. I. *De Feriis*, ita mandat Gregorius IX. Pontifex Maximus, qui floruit circa medium Seculum XIII. *Omnes dies Dominicos, a Veſpera in Veſperam cum omni veneratione decernimus obſervari &c.*

X. Plura alia in eandem diſciplinam laudatus Thomaſſinus notat, aitque tandem, Seculo Chriſti XI. ac XII. Feſtos dies ſub Matutinum eorumdem dierum tempus celebrari cœpiſſe, quod Veſpertinæ preces diei præcedentis citius celebrentur, & vigiliæ ſublatæ ſint. Verum quicquid ſit de remiſſione illa ab opere ſervili, quæ pluribus ab hinc ſeculis diebus Dominicis, Feſtiſque diebus a media nocte incipit, & deſinit uſque ad mediam noctem ipſorum dierum Feſtorum, celebrantur hodieque Veſperarum ſolemnia die præeunte juxta Rubricas Breviarii Romani, de quibus fuſe agunt Gavantus, Guyetus, & noviſſime inter alios eruditiſſimus Cajetanus Meratus Clericus Regularis.

§. II.

Si ergo Epiſcopus erit ſolemniter Miſſam ſequenti die celebraturus, Veſperæ ſolemnius peraguntur, quam ſi non eſſet celebraturus. Quod præcipue in his vigiliis obſervari ſolet, videlicet, Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumtionis Beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, Dedicationis Eccleſiæ, Sancti Titularis Eccleſiæ, & Patroni Civitatis.

§. III.

Secundæ Veſperæ poterunt etiam per Epiſcopum eadem ſolemnitate celebrari, ſaltem in Dominica Reſurrectionis, & in die Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac in Feſto Sancti Titularis Eccleſiæ, & Sancti Patroni Civitatis.

COMMENTARIUS.

I. TRadit Amalarius duo ſe, cum adoleſcens eſſet, animadvertiſſe cum moribus noſtris communia. I. primas Feſtorum Veſperas magis ſolemnes fuiſſe, quam ſecundas, atque Antiphonas, & Pſalmos proprios recitatos fuiſſe, in ſecundis vero Veſperis Feriæ proprios. II. populum frequentiorem primis Veſperis adfuiſſe, atque plures cereos, quam in ſecundis accenſos fuiſſe. Unde diſcimus, quod obſervat Grancolas in Breviarium Romanum, Capite XXXVIII. ad ſecundas Veſperas Feſtum jam olim elapſum fuiſſe, neque eas amplius ad Feſtum pertinere veteres exiſtimaſſe. Docet vero Radulphus de Rivo Decanus Tongrenſis Propoſitione X. Fratres Minores morem ad ſecundas Feſtorum Veſperas, Pſalmum, *Dixit Dominus &c.* alioſque Dominicæ Pſalmos recitandi invexiſſe, poſtremo tantum immutato, qui proprius Feſti eſt; in Gallia vero ſolemnioribus Feſtis, quinque Pſalmos, quorum initium eſt, *Laudate*, recitatos fuiſſe, atque in Germania tandem Feriæ Pſalmos fuiſſe dictos.

II. Verum quicquid ſit de antiqua diſtributione Pſalmorum in Veſperis, quod ſpectat Paragraphos noſtros, notandum omnino hic eſt, quod docet Craſſus Libro II. Cap. V. ubi agens de Veſperis per Epiſcopum in die Feſto, aut in Vigilia celebrandis, hæc habet: *Sacra Capella Palatii Apoſtolici ſervat, ut pro unoquoque Feſto ſolemni, ſive Vigiliam habeat, ſive non, unicas celebret Veſperas ſolemnes, ſive Papa præſente, ſive abſente, ac tam in Feſto ſolemni, & ſolemniſſimo, quam ſimplici, & ſimpliciſſimo, dummodo illud Feſtum habeat ſolemnem celebrationem Veſperarum præcedentium, ut eſt in his Vigiliis, videlicet, Omnium Sanctorum, Nativitatis Chriſti, Circumciſionis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, Corporis Chriſti, Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumtionis Virginis Mariæ, & ſolemnitatis principalis eorum Sanctorum, quorum*

Digitized by Google

rum nomine Ecclesia intitulatur, & non in aliarum Vigiliarum solemnitatibus præcedentes Vesperæ Pontificales celebrantur regulariter. Hactenus ille, qui etiam mox subdit, alibi aliter, atque aliter servari ex consuetudine, idest, quod in Vigilia, & etiam in die Festi agantur Vesperæ ipsæ Pontificales propter populi frequentiam.

III. Puto equidem, in celebrandis Vesperis, sicuti & in aliis multis functionibus Pontificalibus, attendi debere antiquas atque laudabiles Ecclesiarum Cathedralium consuetudines, & Provincialium Conciliorum Decreta omnino esse servanda. Hinc enim S. Carolus in Concilio Provinciali IV. Mediolanensi, Cap. *De his quæ pertinent ad Missæ Sacrificium, & ad divina Officia*, inter alia statuit, ut, quo studiosius sua solicitudine, sanctissimaque pietatis exemplis, Fidelium animos, atque mentes ad Religionis Christianæ officia Episcopi inflamment, hoc etiam pro pastoralis officii munere curent, ut quibus diebus Missarum solemnia in Basilica Cathedrali concelebrant, *iisdem, quod antiqui instituti, consuetudinisque fuit, & Vesperarum officium, & Matutinum solemni ritu ipsi obeant.* Quinam autem sint isti dies, quibus, & Missæ Sacrificium, & Vesperarum officium solemni cæremoniarum ritu ab Episcopis celebrari debent, memoratum S. Caroli Concilium loco citato edicit. Ubi præter dies in nostro §. II. enumeratos, recensentur dies Circumcisionis Domini, Feria quinta in Coena Domini, dies natalis S. Joannis Baptistæ, dies omnium Sanctorum, & alii *pro consuetudine suæ Ecclesiæ.*

IV. Statuit præterea idem Sanctissimus Præsul in Concilio Provinciali VI. Mediolanensi, Cap. *Quæ ad divina Officia pertinent*, ut solemnes non modo Missæ, sed & Vesperæ, aliaque divina Officia, quæ ab Episcopo ritu Pontificali solemniter celebrabuntur, quo populus frequentior conveniat, tum in Basilica Cathedrali, tum in Ecclesiis Collegiatis, & Parochialibus item Civitatis, Festo proxime præcedenti denuncientur, eamque ob causam in Calendarium anniversarium referantur, ut ordine descriptæ sunt in Concilio Provinciali quarto. Curare tandem debere Episcopum, ut Principes ipsi, & Magistratus, qui gubernationi præsunt, solemnibus per annum diebus, & in quibus potissimum humanæ Redemtionis mysteria peraguntur, ad Cathedralem Ecclesiam conveniant, & non modo Episcopali Missæ Sacrificio, quod solemni ritu fit, sed & divinis etiam Vesperarum Officiis intersint, ab eodem S. Carolo in Concilio Provinciali III. Mediolanensi, Cap. *De Festorum dierum cultu*, sancitum est.

V. Unum restat quod omitti nullatenus debet, esse scilicet in arbitrio Episcopi etiam aliis diebus præter illos in duobus Paragraphis nostris recensitos, primas, & secundas Vesperas celebrare; estque is usus complurium Ecclesiarum.

§. IV.

Postquam ergo Episcopus ad Ecclesiam pervenerit, Orationemque ante Sanctissimum Sacramentum, & Altare majus fecerit, ordine superius in Cap. XV. §. V. Libro I. narrato: quo tempore Canonici sument paramenta, scilicet Amictum super Cottam, aut Rocchettum, & alia; paratisque omnibus Canonicis Amictibus, & sacris paramentis juxta normam in eodem Cap. §. VI. traditam, ipse Episcopus pauxillum sedet in sua Sede; deinde surgens deponet Cappam, capietque sacra indumenta ordine sumta ex Altari ab Acolythis, & Ministris, videlicet, primo Amictum, quem in medio, ubi est parva Crux, osculatur; deinde Albam, tum Cingulum, mox Crucem pectoralem, & Stolam a collo pendentem, quas similiter osculatur in medio; deinde Pluviale cum pectorali in conjunctura illius, & sedens Mitram pretiosam, ac annulum: quibus omnibus paramentis induitur per Diaconos assistentes paratos præter annulum, qui imponitur ei per Presbyterum assistentem. Interim, si adest Organum in Ecclesia, pulsatur.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam quæ in hoc §. præscripta sunt, explicata jam fuerint superius aliis locis in hoc eodem §. notatis, referam nihilominus locum Paridis Crassi, qui Lib. II. Cap. V. de iis quæ præparari debent pro Vesperis ritu Pontificali celebrandis hæc habet: *Pro Vesperis solemnibus omnia parabuntur quoad omnem ornatum Tribunæ, & earum celebrationem, & numerum ministrorum, ac paramenta, & ornatum, ac vestimentum eorum, sicut pro Missa dictum fuit, præter abacum, qui nunquam pro Vesperis paratur, & præter paramenta Celebraturi, quæ non eadem erant, & quæ sine lectione Psalmorum, & Orationum induuntur.* In Vesperis ait paramenta sola pro Episcopo celebraturo super medio Altaris locari ordine præposteto, videlicet, annulum, Mitram pretiosam, Pluviale, Stolam, Crucem pectoralem, Cingulum, Albam, sive Camisum, & Amictum, & non alia; nam his dumtaxat uti inquit Episcopum quemque etiam S. R. E. Cardinalem Vesperas celebraturum.

II. His itaque super Altari præparatis, postquam Episcopus ad Ecclesiam accesserit, ibique de

Digitized by Google

de more oraverit ante. Sanctiſſimum Sacramentum, & Altare majus, genuflexus ſcilicet ſuper genuflexorio, pulvinaribus, & tapete inſtructo, (quo tempore Canonici capient paramenta, ſcilicet, Amictum ſuper Cottam, aut Rocchettum, & alia juxta regulam ſupra in §. VI. Libri I. explicatam) accedit Epiſcopus ad Sedem ſuam, ibique paululum ſedet; tum ſurgens depoſita Cappa, capiet paramenta ſumta ex Altari ab Acolythis, & Miniſtris, qui ea acceperunt a Cæremoniario ſtante ad Altare prope medium ejus a parte Epiſtolæ, primo Amictum, quem in medio, ubi eſt Crux, oſculatur; deinde Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, quem etiam oſculatur, poſtea Stolam, quam ſimiliter oſculatur in medio; tum Pluviale cum pectorali, quod etiam alio nomine appellatur *Formalium*, eſtque gemma, ſeu aurea lamina gemmata poſita in fibula Pluvialis Epiſcopalis, quo indutus ſedens Mitram pretioſam, & annulum ſumit.

III. Paramentis hiſce ex Rubrica noſtri hujus §. induitur Epiſcopus *per Diaconos aſſiſtentes paratos, præter annulum, qui imponitur ei per Presbyterum aſſiſtentem*. Notandum vero hic eſt, quod licet ex II. Libro noſtri Cæremonialis tradat Bauldryus in ſuo Manuali Parte V. Cap. I. Num. IV. nempe ubi Epiſcopus paramentis induitur per Diaconos aſſiſtentes paratos Amictibus, & Dalmaticis ſuper Cottam, aut Rocchettum, debere digniorem ex iis oſculari Crucem Amictus, itemque Crucem pectoralem, & Crucem Stolæ, antequam ea Epiſcopo præbeat, Presbyterum vero Aſſiſtentem Pluviali indutum debere cum debitis oſculis annulum digito ejuſdem Epiſcopi imponere, non deſunt tamen qui eam opinionem improbant; putarem equidem, poſſe oſcula ipſa memoratis Miniſtris permitti, ſed non eo in loco ubi oſculari debet Epiſcopus. Ceterum licet Acolythorum, aliorumque inferiorum Miniſtrorum munus ſit ex Altari deferre paramenta ad Epiſcopum, ubi tamen adeſſet conſuetudo, ut Dignitates, & Canonici Mitram, & id genus alia geſtent, ſervari illa omnino debet, ſicut etiam ſi conſuetudo adeſſet, quod Dignitas, ſeu Canonicus geſtet Baculum ante Epiſcopum in quibuſdam ſolemnitatibus, juxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis in Lamacen. die V. Julii MDCIII. apud Barboſam in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XXXIV. Num. XX. & apud Meratum in Additionibus ad Gavantum, & in Indice Decretorum, ubi etiam recenſet aliud ejuſdem Sacræ Rituum Congregationis Decretum die decimaquarta Novembris anni MDCLXXVI. editum.

IV. Tandem non modo dum Epiſcopus interim paramentis induitur, pulſandum eſſe Organum, ſi ſcilicet in Eccleſia adſit, (nonnullæ enim antiqui ritus tenaciſſimæ illud non admiſerunt) verum etiam quotieſcumque ſolemniter ipſe celebraturus, aut Miſſæ per alium celebrandæ in Feſtis ſolemnioribus interfuturus, Eccleſiam ingreditur, aut re divina peracta diſcedit, jam ſupra edixit Rubrica §. III. Lib. I. Cap. XXVIII. ubi nos plura adnotavimus. Porro quod de Presbytero aſſiſtente ait loco citato Craſſus, nempe in Veſperis *congruentius eſſe, ſi ipſe non Pluviali, ne videatur eſſe in habitu æqualis Domino ſuo, ſed Planeta ſuper Cotta ſimpliciter indutus ſerviat*; eſt contra præſcriptum noſtri Cæremonialis, uti videre eſt Lib. I. Cap. VII. §. I. ubi ait, Epiſcopo Officium in Veſperis facturo, ipſum Presbyterum aſſiſtentem debere ſimul cum aliis Canonicis capere paramenta, *videlicet Amictum ſuper Rocchetto, aut Cotta, & ſuper eo Pluviale tempori congruum, ſine tamen formalio ad pectus*. Non ergo Presbyter aſſiſtens Pluviali ſine formalio indutus, videbitur eſſe in habitu æqualis Epiſcopo, qui Pluviali ſplendidiori uti debet, & cum formalio ad pectus. Sed ſi ob eam rationem, ne videatur ſcilicet eſſe æqualis Epiſcopo celebranti Veſperas, Pluviali uti Presbyter aſſiſtens non debet, fruſtra idem Craſſus ait, quod *omnes Canonici cum Pluvialibus a principio Veſperarum uſque ad finem ſemper induti ſint*. Si ergo vel ex Craſſi ſententia, ſolemniter celebrante Epiſcopo, Canonici Pluvialibus induti Pontificali functioni aſſiſtunt, mirum plane memorato Auctori videri nullatenus debet, quod Presbyter aſſiſtens Pluviali indutus ſit ſine formalio, ſeu pectorali.

V. Illud quidem ſcitiſſime admonet Craſſus citato Lib. II. Cap. IX. quod neque Cardinalis, neque Epiſcopus, neque alius Celebrans unquam, ſive Prælatus, ſive non Prælatus ſit, deponere debet Pluviale pro Veſperis celebrandis, ſi illud primo indutus ſemel fuit, niſi Veſperis in totum finitis, ſicut nec Celebrans Miſſam deponit Planetam, niſi Miſſa finita. Refellit is Auctor contrarium uſum Eccleſiæ Bononienſis, additque mox etiam, quod nec Canonici, nec Manſionarii, nec aliqui, qui ſemel ab initio rei divinæ paramenta ſumſerint, unquam debent illa deponere, niſi re finita. Et hæc quidem regula generalis, quæ ſuas aliquando patitur exceptiones; notum enim eſt, Diaconum, & Subdiaconum in Adventu, & Quadrageſima Planetas plicatas deponere, quas initio rei divinæ ſumſerant. Sed de his plura ſuo loco inferius; videri tamen interim poſſunt quæ in Rubricas Miſſalis Romani ſcribunt Gavantus, Quartus, & noviſſime in Additionibus, & Notis ad ipſum Gavantum eruditus amicus noſter Cajetanus Meratus.

VI. Notandus denique hic ille eſt abuſus a nobis jam alias reprehenſus, quorundam præſertim Regularium, qui ad celebrandas Veſperas ſolemnes accedunt quidem magna cum pompa ad Altare, & Pluviali induti, quod tamen vix primo Pſalmo incepto deponunt, ſumturi poſtea illud, cum erunt cantaturi Capitulum. Videas alios primo incepto ad Veſperas Pſalmo ab Altari diſcedere, ad ipſumque tandem reverti ad intonandum Capitulum. Eſt plane & is abuſus penitus eliminandus; nam alias non modo Epiſcopus, ſed & ipſe Pontifex Maximus, ſolemni, & Pontificali ritu in ſacris celebritatibus Veſperas celebrantes nullo modo ab Altari diſcedunt, niſi Veſperis omnino finitis. Sed longum eſſet varios ea in re hic Regularium quorundam abuſus notare.

§. V.


Digitized by Google

§. V.

Cum Epiſcopus ſic paratus paululum ſederit, ſurgit, depoſita Mitra, ſurgentibus omnibus; verſus ad Altare dicit ſecreto, *Pater noſter &c.* & *Ave Maria &c.* integre; & tenens ſiniſtram manum infra pectus, dextera aperta facit ſibi Crucis ſignum a fronte ad pectus, cantans intelligibili voce, *Deus in adjutorium meum intende.* Et pro unoquoque verbo tangit manu, primo frontem, deinde pectus, mox humerum ſiniſtrum, ultimo dexterum, & in fine jungit manus ante pectus.

§. VI.

Cum Chorus cantat Verſiculum, *Gloria Patri &c.* Epiſcopus, & omnes caput inclinant verſus Crucem ſuper Altari uſque ad Verſiculum, *Sicut erat &c.*



COMMENTARIUS.

I. COrrigenda eſt hujus Commentarii initio Figura, in qua Epiſcopus, qui ſe pro inchoandis Veſperis ſignat, debet eſſe ſine Mitra, prout quidem eſt, ſed ſiniſtra manus ejus debet eſſe pectori admota. Canonici quoque, qui inſpiciuntur Cappis induti, debent eſſe parati juxta ritum jam alias explicatum, quia ſcilicet agitur de Veſperis ſolemnibus, Epiſcopo in craſtinum celebraturo. Quantum autem ad noſtrum §. v. ſpectat, Oratio Dominica ſemper divino Officio inſerta fuit; eſt enim ea nobis a Chriſto tradita, atque ab illo, ut eam recitemus, nobis præceptum, ideoque fas non erat in publicis precibus eam omitti, uti ſcite obſervat Grancolas in Breviarium Romanum Cap. xxv. Hinc jure ac merito Concilium Toletanum IV. anni DCXXXIII. Can. x. eos redarguit, qui Dominicis diebus Orationem ipſam non recitant, adducitque teſtimonia S. Cypriani, S. Hilarii, & Sancti Auguſtini, quibus comprobare vult, eam quotidie eſſe recitandam, moremque illum adeo neceſſarium reputat, ut Sacerdotibus & Clericis exauctorationem minitetur, qui in Officio, ſeu publico, ſeu privato quotidie eam recitare neglexerint: *Quiſquis Sacerdotum, vel ſubjacentium Clericorum hanc orationem Dominicam quotidie aut in publico, aut in privato Officio præterierit, propter ſuperbiam judicatus, ordinis ſui honore mulctetur.* Teſte Auguſtino, ſoli Pelagiani hujus Orationis uſum refugiebant, quia ſcilicet ſe juſtos exiſtimantes, nulla ſe debita contraxiſſe dicebant, quæ dimiſſione, ſeu venia indigerent.

II. Longe ante Concilium IV. Toletanum Synodus Gerundenſis habita anno DXVII. Can. x. juſſe-

Digitized by Google

jusserat, Episcopum quotidie Orationem Dominicam post Matutinum, & Vesperas alta voce recitare: *Ita nobis placuit, ut omnibus diebus post Matutinas, & Vespertinas, Oratio Dominica a Sacerdote proferatur*. Statuit & in sua Regula S. Benedictus, Cap. XIII. ut Oratio ipsa Dominica in fine Matutinarum, & Vesperarum alte a Priore pronuncietur: *Plane agenda Matutina, vel Vespertina non transeat aliquando nisi in ultimo ordine Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur a Priore*. Testatur tandem Joannes Diaconus in Libro, *De Ecclesia Lateranensi*, Cap. VII. juxta Apostolorum institutionem omnibus retro seculis in ipsa Ecclesia servatam, Orationis, vel Collectæ loco, ad Officii finem Orationem Dominicam recitatam fuisse: *Hæc reservans Apostolicam institutionem nonnisi Dominica in Officiis utitur Oratione: quoniam aliæ Orationes postea sunt superadditæ; & congruum est, atque conveniens, ut prima, & summa omnium aliarum Ecclesiarum, primam, & summam omnium aliarum Orationem frequentet; & quæ Salvatoris vocabulo consecrata est, Salvatoris orationem, quam Discipulos suos orare docuit, præ ceteris præcipuam semper habeat*. Sane de Orationis Dominicæ Officio divino inserendæ necessitate idem dici potest, quod S. Cregorius Lib. VII. Epistola LXIV. de Missa agens scribebat, parum decere, ut in Sacrificio preces a Viris doctis compositæ recitentur, illa vero, quam Christus ipse Dominus noster composuit, omittatur.

III. Quamvis autem antiquus sit ritus recitandæ in Officio divino Orationis Dominicæ, nullum tamen extat antiquitatis monumentum, quod Orationem ipsam ante Officium recitandam significet. Monachi enim primum id usurparunt, & quidem Cistercienses, uti ex eorum Consuetudinibus liquet, Cap. LXVIII. ubi præscribitur, ut *dimisso Officii signo faciant solitam Orationem super misericordias, idest*, Pater noster, & Credo in Deum, *antequam Versum*, Deus in adjutorium, *decantent*. Bursfeldenses nocturnis vigiliis ter quidem Orationem Dominicam, totidemque salutationem Angelicam præmittunt, itaut post primam Orationem, salutationem Angelicam Præses Chori subdat: *Pater de Cælis Deus miserere nobis*; post secundam: *Fili Redemtor mundi Deus miserere nobis*; post tertiam: *Spiritus sancte, Deus miserere nobis*: in prima precatione fronti, in secunda ori, in tertia vero pectori signum Crucis pollice dextræ manus imprimentes; idque nudis capitibus, prostrato, vel saltem habita temporis ratione, incurvato corpore. Idem præstabant in Gallia Casalini Monachi Benedictini, qui etiam aliam Antiphonam, & Orationem adjungebant, uti videre est apud eruditum Martenium Lib. I. *De antiquis Monachorum Ritibus*, Cap. II. Num. XXXII.

IV. Eodem teste Auctore loco citato, Numero XXXIII. nullum ejus ritus apud antiquiores extat vestigium. Circa initium Seculi X. Notkerum Balbulum Monachum S. Galli Officium Horæ Nonæ dicturum nullis præmissis precibus ait Martenius incipere a Versiculo, *Deus in adjutorium &c.* in antiquis quoque Cassinensium Consuetudinibus sub Oderisio Abbate, hoc est, sub finem Seculi XI. manu exaratis, nullam precum præmittendarum mentionem fieri, sed neque apud Udalricum in antiquis Cluniacensium Consuetudinibus circa idem tempus collectis. Puto equidem cum prædicto Auctore, huic institutioni locum præbuisse triplicem illam Orationem, quam Altaria circumeuntes Monachi ante singulas Horas Canonicas effundebant. Quicquid sit, S. Pius Papa V. Orationem ipsam Dominicam, atque etiam salutationem Angelicam ante singulas Horas in Romano Breviario primus omnium recitari jussit, sicut etiam Apostolorum Symbolum ad initium Matutini, ut testatur Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. XXV. Ex præscripto nostri ejusdem §. v. salutatio Angelica recitanda est *integre*, cum illo scilicet additamento, *Sancta Maria Mater Dei &c.* quod quidem recentis est instituti, quodque minime reperitur ante annum MDVIII. tunc enim usurpari cœptum est, *Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus, Amen*; addiderunt-que postea Franciscani, *nunc & in hora mortis nostræ*; atque ita in Breviaria anni MDXV. legitur, eaque de causa Cardinalis sanctæ Crucis, qui Franciscanus fuerat, Breviario suo inseruit. Memoratus tandem S. Pius V. Angelicam ipsam salutationem cum eo additamento recitandam Romano Breviario inseri voluit.

V. Quantum ad Orationem Dominicam jam olim inter multos dubitatum est, quomodo in principio, non modo Vesperarum, sed & aliarum Horarum, ac inter eadem Officia tam festiva, quam ferialia, vel pro defunctis, quæ publice cantantur, pronuntiari debet Versus scilicet iste, *Pater noster*, quod est principium ipsius Dominicæ Orationis, alte ne, an tacite? Testatur autem Crassus Lib. II. Cap. VII. vidisse ipsum diversos diversa sentientes, ideoque ait, *regulare esse, ut nunquam alte pronuntiemus hæc duo verba, videlicet*, Pater noster, *nisi dumtaxat, quando in fine ejusdem Orationis debebimus alte pronuntiare verba illa, videlicet*, Et ne nos inducas in tentationem, *quo dicendi modo utimur in Officio pro Defunctis, & ante Absolutiones in Matutinis, & in precibus ferialibus Primæ, ac Completorii, tunc enim alte, ideſt, ea voce, qua sumus pronuntiari versum*, Et ne nos, *eadem pronuntiamus*, Pater noster, *qui tunc tanquam versiculi sunt alte pronuntiandi; dum vero non est alte pronuntiandus versus*, Et ne nos, *tunc, & eo solo casu principium, & reliquus totus progressus orationis prædictæ*, Pater noster, *tacite, & secrete pronuntiari debet, ut in principio Matutinarum, & Vesperarum, dum ipsam Dominicam Orationem Dominicam cælestis favoris promerendi gratia præfamur*.

VI. Multa addiscimus ex recitato testimonio Crassi, ac duo præsertim. Primum est, nullam ab ipso fieri mentionem recitandæ Angelicæ salutationis una cum Oratione Dominica initio Horarum, quia scilicet, uti superius dictum est, salu-

Digitized by Google

ſalutationis Angelicæ recitatio initio Horarum poſt Orationem Dominicam recentioris eſt inſtituti, & a S. Pio V. primum ordinata. Alterum vero eſt, duo illa prima verba Dominicæ Orationis, nempe, *Pater noſter*, Craſſi ævo ab aliquibus dici conſueviſſe, *alte*, ab aliis, *ſecreto*. Verum poſtquam hic §. noſter *ſecreto* eſſe illa pronuncianda edixit, abuſus videri debet quod in aliquibus Eccleſiis alta voce pronuncientur; neque enim vel minutiſſimæ Cæremoniæ ſpernendæ ſunt, nam uti ſcitiſſime docet Vir Clariſſimus Petrus Morettus in celebri Epiſtolari Diſceptatione, *De ritu variandi chorale indumentum*, §. LXVII. *periculoſum eſt, & initium graviorum errorum modicas Cæremonias contemnere*: Qui ſpernit modica paulatim decidit, *ait Spiritus veritatis Cap.* XIX. *Eccleſiaſtici, Verſu* I. Id quod etiam probat inſigni S. Auguſtini loco Libro IV. *De Doctrina Chriſtiana*, Cap. XVIII. ubi poſt recitatam illam Chriſti ſententiam ex Euangelio Lucæ Cap. XVI. *Qui in minimo fidelis eſt, & in magno fidelis eſt*, ita ſtatim ſubjicit: *Quod ergo minimum eſt, minimum eſt, ſed in minimo fidelem eſſe, magnum eſt.*

VII. Sed explicemus reliqua, quæ in noſtro hoc §. præſcripta ſunt. Mandat, ut poſtquam Epiſcopus, depoſita Mitra, ſurgentibus omnibus, verſus ad Altare ſtans ſecreto dixit, *Pater noſter &c.* & *Ave Maria &c.* integre; tum tenens ſiniſtram manum infra pectus, dextera aperta faciat ſibi Crucis ſignum a fronte ad pectus, cantans intelligibili voce, *Deus in adjutorium meum intende*. Ut ab hoc verſu Horæ Canonicæ inchoentur, primus omnium in ſua Regula ſtatuit S. Benedictus, ad veterum ſcilicet Monachorum exemplum, quorum meminit Caſſianus Collatione II. apud quem Abbas Paphnutius jubet, ut ſingulis momentis, atque in omnibus vitæ actibus brevem hanc Pſalmi LXIX. Orationem recitent. Quare S. Benedictus id ſingulis divini Officii Horis uſurpavit, atque ab eo ritum ipſum univerſalis Eccleſia recepit, uti notat Martenius Lib. I. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. VII. Numero XV. Porro Pſalmus ipſe, *Deus in adjutorium meum intende &c.* totus olim recitabatur, uti liquet ex Concilio Aquiſgranenſi, & ex aliis priſcis monumentis. Poſtea vero primus tantum Verſiculus cum *Gloria Patri &c.* ſervatus eſt, quod ad Pſalmi finem dicebatur cum *Alleluja*; quemadmodum etiam ad Miſſæ Introitum, ad Offertorium, atque ad Communionem Verſiculus tantum Pſalmi ſervatus eſt, qui olim & totus recitabatur.

VIII. Plura de ipſo Verſiculo, *Deus in adjutorium &c.* præmittendo Horis Canonicis tradit Bonartius Lib. I. *De Horis Canonicis*, Cap. XXX. Juxta Abulenſem in Cap. X. Numerorum, Verſu XXXV. & alios, originem ſumſit hæc verba præmittendi conſuetudo ex iis memorati Numerorum Capitis verbis: *Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te a facie tua.* Qua precandi formula petebat Moyſes, ut Deus, qui cum Arca, & caſtris Hebræorum antea quodammodo quieverat, exurgeret ad iter aperiendum, & vicinos hoſtes ſua ope diſpergendos. Verba Abulenſis ſunt hæc: *Ex illis verbis inolevit in Eccleſia conſuetudo, quæ jam pro lege ſuſcepta eſt, ſcilicet, ut in principiis Canonicarum Horarum dicatur*: Deus in adjutorium meum intende &c. *in quo petimus, ut Deus ſurgat ad adjuvandum nos, ſicut Moſes petebat in principio cujuslibet profectionis caſtrorum, ut Deus ſurgeret ad diſſipandum hoſtes.* Quidquid ſit, potuit Eccleſia reſpexiſſe ad Orationem Moſis; ſed conſtat, primordia ſuarum precum ſumſiſſe ipſam ab initio Pſalmi LXIX. eo enim Verſiculo debite, & magno affectu pronunciato terreri fugarique Dæmones, qui perturbare nituntur Orationem, certum eſt, & plura exempla docent. Refert Thomas Cantipratenſis in Vita S. Lutgardis apud Surium die XVI. Junii, quod cum Pſalmos ipſa non intelligeret, tamen cum verſum, *Deus in adjutorium*, & alios quoſdam inter pſallendum ruminaret, videbat Dæmones cum horrore refugere, & a malis ſuggerendis ceſſare.

IX. Ad ſignum Crucis quod attinet, jam omni ævo Chriſtiani, ut teſtatur Tertullianus in Libro, *De corona militis*, Cap. III. & alibi, cum alicujus, vel parvi momenti opus inciperent, Crucis ſigno utebantur: *Ad omnem progreſſum*, inquit, *atque promotum; ad omnem aditum, & exitum; ad veſtitum, calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia; quacumque nos converſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus*. Quod ipſum & alii Græci, Latinique Patres tum fieri ſolere teſtificando, tum ad faciendum hortando confirmant, uti videre eſt apud doctiſſimum Petavium Lib. XV. *De incarnatione*, Cap. X. Sane conſtat ex laudato Tertulliani loco ſignum Crucis olim fronti imprimi conſueviſſe; id quod etiam & alii Patres teſtantur, inter quos S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis, ait, quod cum Dæmonibus aſſidue luctans, *provolutus genibus, Crucem ſignavit in fronte*. Conſueviſſe etiam Chriſtianos cordi etiam Crucis figuram imprimere, teſtatur Prudentius Hymno VI. Cathemerinon, ſic dicens:

Fac cum vocante ſomno
Caſtum petis cubile,
Frontem, locumque cordis
Crucis figura ſignet.

X. Viget & hodie is ritus in multis etiam functionibus Eccleſiaſticis, præſertim dum legitur Euangelium; ſolemus tunc enim ex veteri Eccleſiæ inſtituto, non modo frontem, & pectus, verum etiam & os Crucis figura ſignare. Sed ut noſtrum ritum nunc explicemus, mandat quidem Rubrica hujus §. v. ut nimirum, ubi Epiſcopus dicit, *Deus in adjutorium meum intende*, faciat ſibi ſignum Crucis, manu ſcilicet dextera a fronte ad pectus, & ad utrumque humerum, tangens ſcilicet pro unoquoque verbo manu ipſa, *primo frontem, deinde pectus, mox humerum ſiniſtrum, ultimo dexterum*. Ubi vero Chorus cantat Verſiculum, *Gloria Patri*, ex præſcripto §. VI. Epiſcopus, & omnes, caput inclinant verſus Crucem ſuper Altari, uſque ad Verſiculum, *Sicut erat &c.* Plura in hunc Verſiculum notat memoratus

Digitized by Google

ratus Bonartius loco citato, & inter alios Ceccoperius, Parte I. *Lucubrationum Canonicalium*, Lib. II. Tit. V. ubi in confirmationem ejus, quod in noſtro §. præſcribitur de inclinatione facienda ad Verſum, *Gloria Patri &c.* ait animam cujuſdam Religioſi pœnas Purgatorii in Choro luiſſe, ex eo ſolum, quod ibi dum Horæ Canonicæ recitarentur, ad ipſum Verſiculum, *Gloria Patri*, caput non inclinaverit.

XI. Quam gratum ſit ſanctiſſimæ Triadi in ejus honorem ad prædictum Verſum caput deprimere, & quantum ei diſpliceat id negligere, late recenſet in ſuo Speculo diſciplinæ S. Bonaventura Parte I. Cap. XV. Hinc Epiſcopus in actu Viſitationis Collegiatarum inquirere debet, an Canonici ad ipſum Verſum caput denudent, uti docet poſt varios Auctores ſuperius a nobis laudatus Ceccoperius citato loco, Num. XX. ubi etiam tradit, Joannem Papam XXII. caput ad verba, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritu Sancto*, inclinantibus triginta dies Indulgentiæ conceſſiſſe. In Concilio Baſileenſi Seſſione XXI. tametſi Clerici ſedentes pſallere ſinantur, jubentur tamen ad Verſum, *Gloria Patri*, ſurgere, & ad Jeſu nomen inclinari. Ceterum in Regula S. Fructuoſi Bracarenſis Epiſcopi, Cap. III. humi ſe ſternere debere Clericos, dum dicitur, *Gloria Patri*, ſtatutum eſt: *Ad omnium Pſalmorum finem*, Gloriam cantantes, *Deo proſternentur.*

§. VII.

Interim Cæremoniarius ducit Subdiaconum, vel alium, ad quem de Eccleſiæ conſuetudine ſpectat intimare Antiphonas in habitu, in quo reperitur ante Epiſcopum, factis debitis reverentiis Altari, & Epiſcopo, cui dicto per Chorum Verſiculo, *Sicut erat &c.* & *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine &c.* Subdiaconus præintonat primam Antiphonam; & donec per Epiſcopum non fuerit præintonatio repetita, Cæremoniarius, & Subdiaconus præintonator expectant ibi ſtantes. Ea autem repetita intelligibili voce, ſive ex Libro, ſive memoriter, prout magis Epiſcopo placuerit, factis iterum debitis reverentiis Epiſcopo, & Altari, ad ſua loca redeunt. Epiſcopus vero ſic perſtat, donec expleta per Chorum Antiphona, inceptus fuerit Pſalmus; tunc ſedet accepta Mitra leviori, ſi placeat, & omnes pariter ſedent.

COMMENTARIUS.

I. UBi Chorus cantat Verſiculum illum, *Sicut erat &c.* ex præſcrito hujus §. Cæremoniarius ducit Subdiaconum, vel alium, ad quem de Eccleſiæ conſuetudine ſpectat intimare Antiphonas, in habitu, in quo reperitur, ante Epiſcopum, factis debitis reverentiis Altari, & Epiſcopo; cui, dicto per Chorum præfato Verſiculo, *Sicut erat &c.* & *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine*, Subdiaconus præintonat primam Antiphonam; nec inde diſcedit, ſicut nec ipſe Cæremoniarius, niſi per ipſum Epiſcopum præintonatio fuerit repetita. Antiphona autem voce intelligibili repetita, ſive ex Libro, ſive memoriter, prout magis Epiſcopo placuerit, exhibitis iterum ipſi Epiſcopo, & Altari reverentiis, ambo ad ſua loca recedunt. Stabit autem Epiſcopus nudo capite, donec expleta per Chorum Antiphona, inceptus fuerit Pſalmus; tunc enim ſedebit ſumta Mitra leviori ſi placet, ſedebuntque tunc pariter alii etiam Miniſtri inferiores ad gradus Altaris, ſeu Solii Epiſcopi, vel prope parietem in ſedibus inferioribus, ſi ſit conſuetudo, ut ſedeant, juxta ſententiam Bauldryii Parte V. ubi ſecundum Librum noſtri Cæremonialis deſcribit, Cap. I. Num. VI.

II. Ritus in noſtro hoc §. præſcriptus deſumtus eſt ex Cæremoniali Pontificiæ Capellæ, uti videre eſt apud Auguſtinum Patricium Lib. II. Sectione I. Cap. IX. ubi agit de Veſperis Vigiliæ Nativitatis Chriſti, ſummo Pontifice in craſtinum celebraturo. Hæc ejus verba: *Finito*, Gloria Patri, *a Cantoribus*, *Subdiaconus cantaturus poſtero die Epiſtolam, ſtans ante Pontificem ante gradus inferiores Sedis Pontificalis, facta prius ei reverentia, præintonat ſubmiſſa voce Papæ Antiphonam, & ea præintonata, expectat ſtans, quouſque Papa Antiphonam ipſam intonaverit. Tunc accedunt duo Epiſcopi aſſiſtentes cum Libro, & lumine, & prior Epiſcoporum Cardinalium etiam aſſiſtens accipit Librum, & capite ſuo ipſum tenens Pontifici apponit, juvante eum ſeniore ex duobus Epiſcopis aſſiſtentibus, & juniorem candelam ardentem tenente. Pontifex incipit Antiphonam, quam Cantores proſequuntur uſque ad finem. Qua per Pontificem intonata, Subdiaconus cum Cæremoniario facit reverentiam Papæ, & ad ſua loca revertuntur.* Eſſe hunc antiquum Ritum Pontificiæ Capellæ, docet non uno in loco ſui Romani Ordinis XV. Petrus Amelius, qui etiam tradit debere Subdiaconum *ſtando*, *capite inclinato*, *ſubmiſſa voce* intimare Antiphonam.

III. Quamquam vel ex ritu Capellæ Papalis Subdiaconus præintonet Antiphonam Papæ, alius tamen fuit Ritus inſignis Eccleſiæ Bononienſis; nam teſte Paride Craſſo Lib. II. Cap. IX. ad Capellanum ſpectat intimare Antiphonas, qui etiam, ut idem Auctor inquit, *aſſociatus ab alio coæquali, & Cæremoniario præcedente, accedit ad Celebrantem, cui, cantu per Chorum uſque ad*, Amen, *finito*, ſcilicet Verſiculi, *Gloria Patri &c.*

Digitized by Google

uti ſuperius dictum eſt, *& non prius, factaque eidem prius reverentia, intimat Antiphonam primam, qua intimata, non facit reverentiam, neque inde ſe movet, ſed expectat, quoad per Cardinalem ex Libro, vel ſine Libro, ut placet, Antiphona reſumta fuerit, tum facit reverentiam, & inde vadit &c.* Conſona hæc ſunt noſtro §. ſicut & illa, quæ mox ſubjicit, dicens, debere Celebrantem, tunc ſtare, donec finita per Chorum Antiphona fuerit, eaque dicta, & inchoato Pſalmo, *ſedere cum Mitra alba levi*.

IV. Antiphona Græce interpretatur vox reciproca, duobus ſcilicet Choris alternatim pſallentibus ordine commutato, ſive de uno ad unum, uti ex S. Iſidoro Epiſcopo Hiſpalenſi Libro VI. *Etymologiarum*, Cap. XIX. ex Alcuino, *De divinis Officiis*, Cap. *De celebratione Miſſarum*, & ex Rabano Mauro Lib. I. *De inſtitutione Clericorum*, Cap. XXXIII. docet Durantus Lib. III. *De Ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XVII. ubi etiam notat, Antiphonarum originem repetere nonnullos ab eo, quod in Iſaiæ Cap. VI. duo Seraphim clamabant alter ad alterum, & dicebant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum*. Ubi Hebræi, Auctore S. Hieronymo ſic habent: *Iſte ad iſtum, ideſt, unus ad unum invicem ſe ad laudes Domini cohortantur*. Inde memoratus S. Iſidorus Lib. I. *De officiis Eccleſiaſticis*, Cap. VII. de Antiphonis agens, ita inquit: *Antiphonas Græci primum compoſuerunt duobus Choris alternatim concinentibus, quaſi duo Seraphim, duoque Teſtamenta invicem ſibi clamantia*.

V. Teſte eodem S. Doctore, apud Latinos primus omnium S. Ambroſius Antiphonas conſtituit, Græcorum exemplum imitatus, & ex hinc in cunctis Occidentis Eccleſiis earum uſus increbuit. Idipſum teſtatur in Vita Ambroſii Paulinus: *Hoc tempore*, inquit, *primum Antiphonæ, Hymni, ac Vigiliæ in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt, cujus celebritatis devotio non ſolum in eadem Eccleſia, verum per omnes pene Occidentis Provincias manet*. Apud Græcos Antiphonarum Auctor primus creditur S. Ignatius, ſæpe ac diu congreſſus cum Apoſtolis; is enim cum viſio Angelorum ſanctam Trinitatem, Hymnis alterna vice decantatis, collaudantium objecta fuiſſet, formam illam alterna vice canendi Eccleſiæ Antiochenæ, cujus erat Epiſcopus, tradidit, quæ tandem in omnes primum Orientis Eccleſias propagata eſt, deinde vero in Eccleſias Occidentis a S. Ambroſio, uti dictum eſt.

VI. Vocantur nunc Antiphonæ ſententiæ illæ, quæ Pſalmos antecedunt, quæque etiam ab ipſis Pſalmis olim petitæ erant. Quod vel hodie ſervatur in toto fere Officio Feriali, & in Dominicis tam ad Veſperas, quam ad Matutinum, & Laudes; nefas enim antiquitus fuit aliis Antiphonis uti, quam a Sacra Scriptura petitis; quamobrem Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus adverſus illos ſcripſit, qui alias invehere volebant; moremque Monachi ipſi ſervabant, uti patet ex Regula Pauli & Stephani, Cap. XIV. *Nullus præſumat Reſponſoria, vel Antiphonas pro ſuo libito, & non ex Canonica Scriptura deſumta canere in Congregatione iſta, vel meditari, vel legere*. Vide Martenium Lib. I. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. II. Num. LIII. ubi eum locum affert, & Grancolaſſium in Breviarium Romanum, Cap. XXX. ubi multa ſcitu digna de Antiphonis ſcribit.

VII. Quod Subdiaconus præintonare Antiphonam debeat, ab antiquis ritibus Romanæ Eccleſiæ acceptum eſſe videtur. Cantores enim qui Romæ olim ſeptem erant, Chorum unum componentes, *Schola Cantorum* appellatum, quique Antiphonas præcinebant, Pſalmiſque vocis modum dabant, neque Presbyteri erant, neque Diaconi, ſed utplurimum Subdiaconi, uti ex S. Gregorio addiſcimus in Canone, *In ſancta Romana*, Diſtinctione XCII. Canebant itaque Subdiaconi Antiphonas, eorumque Cantorum Primicerius primus cantui initium dabat; alter poſt ipſum Secundarius dicebatur, atque ita porro ceteri. Archidiaconi autem erat, eos qui præcinere debebant, conſtituere. Plura de Schola Cantorum Urbis videri poſſunt apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici in antiquis Romanis Ordinibus ab eo allatis, & noviſſime apud eruditiſſimum Morettum in celebri Tractatu, *De Presbyterio*. Porro cum Antiphonas præcinere nihil aliud ſit, quam tonum edocere, annuntiabantur antiquitus iccirco illis, qui Libris carebant: *Fruſtra ſiquidem illis annuntiarentur, qui Antiphonarium oculis haberent*; uti loco citato notat Grancolas. Ex quo addiſcimus, ritui veteri conſentaneum eſſe, ſi Epiſcopus non ex Libro, ſed *memoriter* Antiphonam repetat, quam ei præintonat Subdiaconus; tametſi §. noſter arbitrio Epiſcopi relinquat Antiphonam ipſam repetere, *ſive ex Libro, ſive memoriter*.

VIII. Ut nihil tandem in hoc Commentario prætermittamus, ſolet ex antiquo ritu poſt Verſiculum, *Gloria Patri &c.* addi, *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*. Vox Hebraica eſt, *Alleluja*, quæ *Laudate Deum* ſignificat; unde ab Amalario Lib. IV. *De Officiis*, Cap. XLVIII. dicitur *ad gaudium, & laudem pertinere*. Tradit S. Gregorius Libro VII. Epiſtola LXIII. ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum, tempore ſancti Damaſi Papæ labente ſcilicet Seculo IV. S. Hieronymum juxta Hieroſolymitanæ Eccleſiæ morem *Alleluja* invexiſſe in Officium: *Nam, ut Alleluja hic diceretur, de Hieroſolymorum Eccleſia ex Beati Hieronymi traditione tempore beatæ memoriæ Damaſi Papæ traditur tractum*. Loquitur autem Gregorius de tempore poſt Paſcha, atque per anni curriculum, non vero de tempore Paſchali; tunc enim tum Romæ, tum ubique dici in Officio ſemper conſuevit, uti poſt Baronium obſervat Joannes Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Litugicarum*, Cap. VI. Num. V. Teſte S. Auguſtino in Epiſtola CXIX. Cap. XVII. non eadem hac in re erat ſuo ævo Eccleſiarum conſuetudo; quædam enim *Alleluja* non decantabant, niſi a Paſchate uſque ad Pentecoſten, aliæ vero ſæpius; conveniebant autem omnes, ut juxta antiquam traditionem, *Alleluja* toto Pentecoſtes tempore decantarent: *Ut*

Digitized by Google

Ut Alleluja, inquit, *per ſolos dies quinquaginta in Eccleſia cantetur, non uſquequaque obſervatur; nam & in aliis diebus varie cantatur alibi, atque alibi, ipſis autem diebus ubique*. Idem in Pſalmum CVI. ait: *Alleluja cantare certo tempore ſolemniter moris eſt*, ſecundum Eccleſiæ antiquam traditionem.

IX. Sancti Benedicti ætate initio tantum Quadrageſimæ dimitti *Alleluja* ſolebat, ut conſtat ex ejus Regula Cap. XV. S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus Lib. I. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. XIII. ait, in Africanis regionibus non omni tempore, ſed tantum Dominicis diebus, & quinquaginta poſt Domini Reſurrectionem *Alleluja* cantatum, in Hiſpaniis vero *ſecundum antiquam traditionem, præter dies jejuniorum, vel Quadrageſimæ, omni tempore*. Verum ex Antiphonario ſancti Gregorii conſtat, dimiſſum *Alleluja* in Dominica Septuageſimæ; ibi enim pro *Alleluja*, ponitur Tractus aliquot verſibus, & interdum integro Pſalmo conſtans; cui a trahendo hoc nomen inditum eſt, quia tractim, & graviter, notarumque, ſeu vocum prolixo decurſu cantatur; uti memoratus Bona loco citato obſervat. Scribit tandem Honorius Auguſtodunenſis Lib. IV. Cap. CXVII. Alexandrum II. Papam juſſiſſe, ut *Alleluja* in illa verba, *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*, mutaretur a Septuageſima uſque ad Paſcha. De non decantando autem *Alleluja* in Quadrageſima, legendus eſt Canon XI. Concilii IV. Toletani anni DCXXXIII. quia ſcilicet, ut Patres ibidem ajunt, Quadrageſima, *tempus eſt, non gaudii, ſed mœroris*; & quia, *tunc opus eſt fletibus, ac jejuniis inſiſtere, corpus cilicio, & cinere induere, animum mœroribus dejicere, gaudium in triſtitiam vertere, quouſque veniat tempus reſurrectionis Chriſti, quando oportet Alleluja in lætitia canere, & mœrorem in gaudium commutare*. Olim quoque Kalendis Januariis, ne Gentilium ſuperſtitiones imitari Chriſtifideles viderentur, interdictum fuiſſe cani, *Alleluja*, ex eodem Toletano Canone liquido conſtat.

§. VIII.

Pſalmi decantari debent a Choro, & ab ipſiſmet Canonicis, & Beneficiatis, aliiſque de Capitulo in tono, & cantu Gregoriano, cum gravitate, & decore, itaut eorum verba ab omnibus intelligantur; ſed Verſiculus, *Gloria Patri &c.* poterit ſolemniori vocis modulatione recitari, ad quem Epiſcopus cum Mitra, & omnes alii detectis capitibus, ſedentes, vel prout reperiuntur, ſe inclinant; & ſi placuerit, finito quolibet Pſalmo, poterit Antiphona per Organum repeti, dum tamen per aliquos Manſionarios, aut alios ad id deputatos eadem Antiphona clara voce repetatur. Et ſi aliquis adeſſet, qui cum Organo cantare vellet, nihil aliud cantet, quam ipſam Antiphonam, ut latius in Cap. XXVIII. Libri I. §. VII. & VIII. De Organo, & Organiſta &c. explicatur.

COMMENTARIUS.

I. EGimus fuſe de cantu Eccleſiaſtico ſupra Lib. I. in Commentariis ad Cap. XXVIII. Quod autem hunc §. ſpectat, concinit is quidem iis, quæ tradit Craſſus Lib. II. Cap. X. *Cantatur*, inquit, *Pſalmodia cum omni modulatione Eccleſiaſtica, & devota tam per Cantores, quam per Organiſtam, & Celebrans ad omnes concluſiones, quæ in fine ſingulorum Pſalmorum cantantur, ideſt*, Gloria Patri, *inclinato capite cum Mitra verſus Altare ſedens perſiſtat reverenter, & ſimiliter, Legatus*, ſi ſcilicet adſit, *ac alii omnes ſedentes, qui detecto capite, & magis inclinato, idem faciant. Capellani autem, qui adſtant Cardinali, non ſurgunt, ſed ſedentes detegunt caput inclinatum*. Et mox iterum: *Dum Pſalmodia recitatur, omnes ad unum Officio præſentes ſedent, excepto ſolo Cæremoniario, qui ſtans omnibus providet*. Sed hic ritus aliquibus in Eccleſiis temere negligitur, in quibus ubi divina Officia celebrantur, Magiſter etiam Cæremoniarum ſedere ſolet.

II. Si primævam Eccleſiæ ætatem ſpectemus, Clerici omnes æque ac laici toto divinorum Officiorum tempore ſtabant, pie feliciterque Chriſto Domino obſequentes, qui in Euangelio Marci, Cap. II. ait: *Cum ſtabitis ad orandum &c.* Is ritus quod a nonnullis negligeretur, merito in illos invectus eſt Tertullianus in Libro, *De oratione*, Cap. XII. hac uſus ratione: *Si quidem irreverens eſt aſſidere ſub conſpectu, contraque conſpectum ejus, quem maxime reverearis, quanto magis ſub conſpectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis adſtante, factum illud irreligioſiſſimum eſt?* Aliam hanc etiam rationem idem Auctor tradit, qua perſuadere nititur, nonniſi ſtando orandum eſſe ab homine Chriſtiano: *Ne ſcilicet ſedendo exprobremus Deo, quod nos oratio fatigaverit*. Morem ſui temporis non ſine ſpecioſa ratione narrat Amalarius Lib. IV. *De officiis*, Cap. III. ſic inquiens: *Quando cantamus Pſalmos, ſolemus ſtare, ut ex ſtatu corporis demonſtremus affectum noſtræ mentis, hoc eſt, paratos nos eſſe ad opera bona*.

III. Priſtinæ diſciplinæ tenaces Patres Concilii Aquiſgranenſis Can. CXXXI. vix debilibus baculos conceſſere, ut illis inter pſallendum inniterentur, ceteris vero omnino denegarunt: *Nec*

Digitized by Google

cum baculis, ajunt, *in Choro, exceptis debilibus, ſed religioſiſſime illis ſtandum, & pſallendum eſt. Sunt etenim quidam Clericorum, qui in ſecularibus negotiis, & diſceptationibus pene totum infatigabiliter deducunt diem, & mox ut Eccleſiam ad divinum Officium peragendum intraverint, ita fatigati videntur, ut nec orationi vacare, nec ad pſallendum ſtare queant*. Adverſus ſedentes tempore divini Officii Clericos, & Laicos zelum, & ſtilum adeo exacuit S. Petrus Damiani Seculo XI. quo ipſe floruit, ut præcipuum adverſus hujuſmodi abuſum Opuſculum ſcripſerit, quod Biſuntino Archiepiſcopo, cujus in Eccleſia illum deprehenderat, nuncupavit, præfixitque ei titulum: *Contra ſedentes tempore divini Officii*.

IV. In hoc Opuſculo, poſtquam ordinem, & diſciplinam Biſuntinæ Eccleſiæ Petrus commendavit, ipſumque præterea Archiepiſcopum Biſuntinum, quod adhuc in vivis agens, ſepulcrum ſibi parari curaſſet, ſic tandem de re noſtra cum eo loquitur: *Unum præterea torporis, ac deſidiæ ſignum in Eccleſia tua vidi, quod & tunc, prout expeditionis dictabat hora, corripui, & nunc apicibus tradere non ſuperfluum duco. Plerique ſiquidem ibi Clericorum reſident, dum vel Canonica Horarum celebrantur Officia, vel etiam ipſa Miſſarum offeruntur terribilia Sacramenta. Cujus torporis ignaviam per Galliarum partes nonnullis ineſſe etiam Monachis deprehendi: quod profecto pravæ conſuetudinis vitium, & correctione dignum, & de ſtudio militantis Eccleſiæ in his, qui incolumes ſunt, conſtat penitus eradendum*. Tum poſtquam variis ſacrarum Scripturarum locis, & nervoſis rationibus comprobavit, Clericos ſtare debere divinis Officiis celebrandis, adverſus etiam laicos divini Officii tempore ſedentes invehitur.

V. Porro ex prolixa S. Petri Damiani Oratione, cujus partem etiam deſcripſimus in Opere noſtro, *De Codice ſancti Euangelii*, Lib. II. Cap. XXIII. duo, ut ibidem notavimus, colligenda ſunt. Primum, in Italia Clericos omnes, & Laicos divinis Officiis ſtantes interfuiſſe; alioquin ſedendi conſuetudinem tanquam Gallis propriam non redarguiſſet. Alterum, apud nonnullos etiam Monachos pravam ipſam ſedendi conſuetudinem irrepſiſſe, quam vir ſanctiſſimus emendatam optabat: *Tu autem dilectiſſime*, verba ſunt ejuſdem Damiani ad ipſum Archiepiſcopum Biſuntinum, *qui in Occiduis partibus inter Sacerdotes inſignis es, ac celebris famæ, ubique, in quantum potes, & hoc ignominioſæ ſeſſionis opprobrium deſtruas, & cetera, quæ villicatui Sacerdotalis officii competunt, non ſegniter implere contende*. Monachos in Italia præſertim Caſſinenſes juxta morem a majoribus acceptum atque conſtanter ſervatum, Officium ſtando, apertoque capite recitaſſe, infirmis exceptis, terque caput inclinaſſe, cum *Gloria Patri*, ad Pſalmorum finem diceretur, teſtatur apud Paulum Diaconum Theodemarus Monaſterii Caſſinatis Abbas in Epiſtola ſua ad Theodoricum, ſic dicens: *Sicut & alia, quæ a majoribus inſtituta ſervamus, nudato, exceptis infirmis, capite ad Officium ſtamus, flectimus cervicem, quoties*, Gloria, *canitur*. In vita quoque S. Bonaventuræ legimus, eum vel ægrotantem noluiſſe muro, vel parieti inhærere, ſed erectum ſemper, & ſine capucio extitiſſe.

VI. Quantum ad Clericos, obſervat Grancolas in Breviarium Romanum Cap. XIX. quod in Concilio Baſileenſi primum Seſſione XXI. ſedentes pſallere ſinuntur, verum ad verſiculum, *Gloria Patri* ſurgere, & ad Jeſu nomen inclinari jubentur. Quidquid autem ſit de nova hac diſciplina, duo exoptarem. I. ut quemadmodum Clerici Regulares, ac alii complurium Religioſorum Ordinum Viri, ac etiam mulieres divinis Officiis ſtantes aſſiſtunt, ceteri ſaltem ſtarent, quo tempore diviniſſimæ Euchariſtiæ Sacramento publicæ venerationi expoſito, Veſperas in Choro, vel Matutinum, aliaſve Canonicas Horas canunt. II. ut quando nec id obtineri poſſit, ſaltem qui in Choro ſedent, compoſito corporis habitu ſedeant, *non crus ſuper crus tenentes, nec caput manibus regentes, vel brachia extenſa ſuper ſedilis ſpondam habentes*; ſunt enim hi abuſus minime ferendi, in eoſque merito invehuntur Sacræ Synodi, & ipſi etiam Cauſidici, inter quos Ceccoperius Parte I. Lib. II. *Lucubrationum Canonicalium*, Tit. V. Num. XII.

VII. Præter compoſitionem corporis, debent in præſcripto noſtri hujus §. Canonici, & Beneficiati, aliique de Capitulo, Pſalmos cantare *in tono, & cantu Gregoriano, cum gravitate, & decore &c.* Tenentur itaque ex vi muneris ſui memorati homines addiſcere cantum Gregorianum, uti docent Garzias, *De beneficiis*, Parte III. Cap. II. Num. CXIII. Pignatellus Tomo VIII. Conſultatione XXI. Num. VI. & Barboſa in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XIII. Num. VI. ubi etiam affert Decretum Sacræ Congregationis Concilii in Tropien. die IX. Maji anni MDCXX. quo edicitur, poſſe Epiſcopum Canonicos cogere ad cantum ipſum addiſcendum etiam per ſubtractionem fructuum, & participationis diſtributionum quotidianarum. Memoratæ Congregationis Decreta innumera pene afferri poſſent, quæ videri poſſunt in Theſauro Reſolutionum ejuſdem Congregationis Concilii. In Romana Lateranenſi Synodo Benedicti XIII. anni MDCCXXV. Tit. VI. Cap. V. inter alia cautum eſt, ut Epiſcopi *in Canonicatibus conferendis, cæteris paribus, ſemeos præferant, qui cantum callent Gregorianum; & collatione ad Sedem Apoſtolicam ſpectante, de ejuſdem cantus peritia mentio fiat in teſtimonialibus, quæ concedentur*. Ceterum mandat eadem Synodus Tit. XVI. Cap. III. ut Clerici quoque *cantum Gregorianum addiſcant*.

VIII. Neque vero ſatis eſt Clericis, ac præſertim Canonicis, & Beneficiatis, aliiſque de Capitulo, cantum ipſum addiſcere, ſed oportet, ut & cantum calleant, & bene cantent, *cum gravitate, & decore*, ut ait hic noſter §. alias enim peccarent ii, qui notabiliter male canerent, riſumque excitarent, vel perturbationem, aut faſtidium, uti notat Scarfantonius ad Ceccoperium Parte I. *Lucubrationum Canonicalium*, Lib. II. Tit. I.

Digitized by Google

Tit. 1. Num. XII. & ſeqq. ubi etiam docent, eos ab ea obligatione non eximi, quod juvenilis ſint, vel ſenilis ætatis; *quia cum ſuſceperint onus, quo convenienter fungi neſciebant, tenentur vel addiſcere ea, ſine quibus, ut par eſt, munus ſuum obire non poſſunt, vel illud dimittere*; argumento Capitis, *Niſi cum pridem* §. *Pro defectu*, *De renunciatione*. Canonis, *Non eſt putanda*, 1. Quæſtione 1. & Legis, *Idem juris*, §. 1. ff. *Ad Legem Aquiliam*. Vide Navarrum, *De Oratione*, & *Horis Canonicis*, Cap. XVI. Num. XXX. Dicitur audem habere Canonicum ſufficientem peritiam, quando per ſe juxta qualitatem ſui officii poteſt explere, quæ ſibi incumbunt, ex Decio in Cap. *Cum in cunctis*, Num. XXXIV. *De electione*, ubi ita inquit: *Sufficiens vero ſcientia dicitur ſecundum qualitatem Officii, & Beneficii*. Idipſum ibidem obſervant Hoſtienſis, Fagnanus, & alii paſſim Canonici Juris Interpretes, quibus etiam addi poſſunt qui ſacras Cæremonias enarrant.

§. IX.

Reliquæ quatuor Antiphonæ juxta debitum, & decentem ordinem, ritumque antiquum per eundem Subdiaconum, ſeu alterum, ad quem ſpectat, præintonari debent, hoc ordine, videlicet, ſecunda Diacono aſſiſtenti a dexteris Epiſcopi; tertia Presbytero aſſiſtenti; quarta primo Canonico in Choro manenti, ſive ille ſit Archidiaconus, ſive Archipresbyter, ſive Presbyter; quinta Diacono aſſiſtenti a ſiniſtris Epiſcopi.

§. X.

Eadem omnia etiam in præintonatione aliarum Antiphonarum obſervantur, quæ in prima ſervari debere dictum eſt; niſi quod erga Canonicos parcior fiet reverentia, videlicet ſola capitis inclinatione. Surgente autem Canonico, cui præintonatur Antiphona, Canonici, & omnes alii in Choro, præſentes ſurgunt; ſed quando præintonatur alicui ex aſſiſtentibus Epiſcopi, ſurgunt tantummodo alii coaſſiſtentes.

COMMENTARIUS.

I. QUo ordine, ac ritu, & per quos in Veſperis Pontificalibus intonandæ Antiphonæ ſint, jam ſupra diximus in Commentariis ad primum Librum Cap. VII. & alibi. Ergo ut ait hic §. IX. reliquæ Antiphonæ quatuor eodem modo per eundem Subdiaconum, ſive alium, pro conſuetudine Eccleſiarum, qui primam præintonavit Epiſcopo, præintonari debent, hoc ordine, videlicet, ſecunda primo Diacono aſſiſtenti a dexteris Epiſcopi; tertia Presbytero aſſiſtenti; quarta digniori Canonicorum in Choro manenti, ſive ille ſit Archidiaconus, ſive Archipresbyter, *ſive Presbyter*, ut in novo hoc Cæremoniali Benedicti XIII. majoris explicationis gratia notatur; quinta ſecundo Diacono aſſiſtenti a ſiniſtris Epiſcopi. Atque hic eſt ritus, qui ex veteri inſtituto in Pontificia Capella ſervatur; nam ut teſtatur Petrus Amelius in ſuo Romano Ordine XV. Cap. VI. poſtquam Papa intonavit primam Antiphonam in Veſperis, *ſecundam Antiphonam incipit Diaconus, qui ſtat a dexteris; tertiam incipit Epiſcopus Cardinalis, qui ſervit in officio Presbyteri; quartam incipit prior Presbyterorum Cardinalium; quintam Diaconus Cardinalis, qui ſtat a ſiniſtris, & iſte ordo obſervatur, quandocumque ſunt Veſperæ Papales.*

II. Ritum ipſum Pontificiæ Capellæ longe luculentius enarrat quidem Patricius Lib. II. Sectione 1. Cap. IX. his plane verbis: *Cantato Pſalmo, & iterata Antiphona, Subdiaconus ſurgit, & Diacono aſſiſtenti a dexteris Papæ præintonat ſecundam Antiphonam plane, quam Diaconus ipſe ſurgens depoſita Mitra intonat alte, & Cantores proſequuntur, ut prius; & dum unus ex Cardinalibus aſſiſtentibus Papæ ſurgit, ſemper etiam alii Cardinales aſſiſtentes, & Epiſcopi aſſiſtentes; ſimiliter faciunt alii Cardinales, dum unus eorum ſurgit, ſurgunt & alii omnes, & etiam omnes Prælati, qui ſunt in Capella, ſurgunt ſemper ſurgentibus Cardinalibus, aliis, non autem ſurgentibus Cardinalibus aſſiſtentibus tantum. Tertiam Antiphonam ſimiliter Subdiaconus præintonat priori Epiſcoporum Cardinalium ibidem aſſiſtenti; quartam priori Presbyterorum Cardinalium; & quintam Diacono Cardinali aſſiſtenti a ſiniſtris Pontificis.* Ita ille, ex cujus teſtimonio egregie duo hi noſtri Paragraphi illuſtrantur. Quod enim ſunt Cardinales Papæ, id Canonici ſuo Epiſcopo pene ſunt, uti non uno in loco oſtendimus ſupra.

III. Illud vero cautum eſt ex noſtro §. X. ut eædem cæremoniæ etiam in præintonatione aliarum Antiphonarum obſerventur, quas in prima ſervari debere dictum eſt; niſi quod erga Canonicos parcior fiet reverentia, videlicet ſola capitis inclinatione, cum alias Epiſcopo facienda ſit reverentia profunda, & cum inclinatione humerorum. Surgente autem Canonico, cui præintonatur Antiphona, Canonici, & alii omnes in Choro præſentes, ſurgunt; ſed quando præintonatur alicui ex aſſiſtentibus Epiſcopi, puta primo Diacono, qui ab ejus dexteris eſt, ſurgunt tantummodo alii coaſſiſtentes, juxta regulam traditam

Digitized by Google

ditam Lib. I. In quibuſdam locis, ut teſtatur Bauldryus, Parte v. ubi enarrat ſecundum Librum noſtri Cæremonialis Epiſcoporum, Cap. I. Numero IX. ſurgunt tantum Canonici de parte illius Chori, in quo eſt Canonicus, qui Antiphonam intonat; eſtque hic uſus Baſilicæ Vaticanæ.

IV. Solet paſſim a curioſis quæri, cur ex ritu antiquo, & in omnibus Cæremonialibus recepto, Antiphona ſecunda a primo aſſiſtente Diacono, tertia vero a Presbytero aſſiſtente intonetur, cum is ſit illo dignior? itemque, cur quarta a Canonico, & quinta demum a ſecundo aſſiſtente Diacono? Fateor, me plures tum Auctores, tum Viros doctos de ea quæſtione conſuluiſſe, ſed nihil plane addiſcere licuit. Dici quidem hic poſſet quod ait Juris Conſultus, non omnium, quæ a Majoribus noſtris ſtatuta ſunt, reddi poſſe rationem. Forte in intonanda Antiphona præfertur primus aſſiſtens Diaconus Presbytero aſſiſtenti, quia propior Epiſcopo adſtat, & ut omnes ordines ea Antiphonarum diſtributione honorentur; nam ubi primam intonavit Epiſcopus, qui eſt magnus Sacerdos, decet ut alteram primus ejus Miniſter aſſiſtens Diaconus canat. Sed hæ conjecturæ ſunt, & rationes quæ novis aliis difficultatibus ſunt obnoxiæ.

§. XI.

Expleta Pſalmorum, & Antiphonarum decantatione, ducitur per Cæremoniarium idem Subdiaconus, ſeu alius, cui ex conſuetudine Eccleſiarum, Capitulum cantare convenit, in Habitu, in quo reperitur, factis debitis reverentiis, ad locum, ubi decantari ſolet Epiſtola in Miſſa, qui tenens ſibimet Librum, cantabit Capitulum alta, & æquali voce, ad quod Epiſcopus cum Mitra, reliqui omnes detecto capite ſurgunt; & reſponſo per Cantores, *Deo gratias*, ducitur per Cæremoniarium aliquis Canonicus, ſeu alius, ad quem de Eccleſiæ conſuetudine ſpectat, qui præintonat Epiſcopo cum Mitra ſtanti Hymnum, & Epiſcopus ſtatim depoſita Mitra præintonationem Hymni repetit, quem Chorus proſequitur in cantu plano, vel muſicali, prout magis placuerit, dummodo verba diſtincte intelligantur; cui etiam intermiſceri Organum poterit, dum tamen verba ipſa Hymni clara voce per aliquos ad id deputatos repetantur, vel cum Organo cantentur.

COMMENTARIUS.

I. DOcet Craſſus Lib. II. Cap. VIII. quod Subdiaconus quidem ſerviens Epiſcopo in Miſſa, ad quem ſpectat cantare Epiſtolam, debet etiam Capitulum cantare in Tertiarum, & Veſperarum Horis indutus ſua Tunicella, aſſociatus a ſolo Cæremoniario tum Librum portante, & reportante, & factis reverentiis, primum Celebranti, tum Legato, ſi adeſt, inde Altari, vadit illuc, ubi Epiſtolæ cantandæ locus eſt deſignatus, & ibidem ipſe a Cæremoniario accipiens Librum, tenenſque, cantat Capitulum ipſum: quo finito, reddit Librum clauſum Cæremoniario, & ſimiliter cum eiſdem reverentiis revertitur, prout iverat, ſicut pro Epiſtola fit; niſi quod ipſe Subdiaconus cantaturus Epiſtolam portat, & reportat Librum, & niſi finito Capitulo non oſculatur manum Celebrantis, neque ipſe tunc Librum clauſum portat, neque reportat. Monet tum etiam Auctor ipſe diu in Cæremoniis Pontificiæ Capellæ verſatus, *quod celebrante Epiſcopo, nunquam pulpitum, ſive legile pro Epiſtola, nec pro Capitulo cantando haberi, nec parari debet aliquo panno, vel ornatu, niſi quando cantaretur Euangelium.*

II. Sed hoc obiter notato, eodem docente Craſſo Lib. citato, Cap. X. *Capitulum cantatur in loco Epiſtolæ per Subdiaconum Epiſtolæ paratum aſſociatum a ſolo Cæremoniario; quod dum inchoatur, ſurgit Celebrans cum Mitra, verſus, non quidem ad Altare, ſed ad Subdiaconum cantantem.* Ex præſcipto noſtri hujus §. ubi Subdiaconus cantat Capitulum, Epiſcopus quidem cum Mitra, reliqui vero omnes detecto capite ſurgunt; & reſponſo per Cantores, *Deo gratias*, ducitur per Cæremoniarium aliquis Canonicus, ſeu alius, ad quem de Eccleſiæ conſuetudine ſpectat, qui præintonat Epiſcopo cum Mitra ſtanti Hymnum, ſtatimque ille depoſita Mitra præintonationem Hymni repetit; quem deinde Chorus proſequitur in cantu plano, vel muſicali, prout magis placuerit, dummodo verba diſtincta intelligantur; cui eriam intermiſceri Organum poterit, dum tamen verba ipſa Hymni clara voce per aliquos ad id deputatos repetantur, vel cum Organo cantentur, juxta regulas ſcilicet præſcriptas ſupra Libro I. Cap. XXVIII. quod eſt de Organo, & Organiſta, & a nobis ibidem explicatas.

III. Hactenus dicta concinunt quidem ritui Pontificiæ Capellæ, in qua ad Veſperas, quæ per Papam celebrantur, teſte Petro Amelio in Ordine Romano XV. Cap. VI. *Capitulum dicit Subdiaconus: Hymnum incipit* (ideſt præintonat) *aliquis de ſenioribus Auditoribus, vel Acolythis, & ſtatim Papa eundem Hymnum reincipit: deponitur ſemper ſibi Mitra, quando cantat.* Tradit idipſum Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. IX. ubi ita inquit: *Subdiaconus exhibita prius reverentia Altari, & Papæ, ſtans in loco, ubi legitur Epiſtola*

Digitized by Google

ſtola, verſa facie ad Altare, ita tamen quod non vertat renes ad Papam, cantat Capitulum. Interim ſurgit Pontifex, & ſtat cum Mitra, alii vero omnes ſtantes ſine Mitra. Et mox enarrans ritum, qui poſt cantatum Capitulum ſervari ſolet, *Cantato Capitulo*, ait, *unus Auditorum Rotæ modo prædicto Papæ præintonat Hymnum; tunc Pontifex, Mitra depoſita, ex Libro ſibi oblato, ut ſupra, alte incipit Hymnum, quem Cantores proſequuntur, & Poncifex ſic ad finem Hymni ſtat ſine Mitra.*

IV. De Capitulis, & de Hymnis, eorumrumque uſu in divinis Officiis ut aliquid dicamus, mentionem de ipſis facit Agathenſis Synodus anni DVI. Can. xxx. dicens: *Et quia convenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus æqualiter cuſtodiri, ſtudendum eſt, ut, ſicut ubique fit, & poſt Antiphonas collectiones per ordinem ab Epiſcopis, vel Presbyteris dicantur, & Hymni Matutini, vel Veſpertini diebus omnibus decantentur, & in concluſione Matutinarum, vel Veſpertinarum Miſſarum poſt Hymnos capitella de Pſalmis dicantur.* Ita Canon, in quem plura adnotare libet cum Auctore Delectus Actorum Eccleſiæ univerſalis, ac I. quidem, jam tum præſtitutam in pluribus Eccleſiis Officiorum formam, quæ fere tota erat in Antiphonis, ſeu Pſalmis, & Canticis, Antiphonatim, ſeu alternatim cum aliquo ordine concinendis. II. Iis interpolatas fuiſſe collectiones, ſeu breves orationes, quibus gratiæ ſummatim a Deo poſcerentur. III. Additos Matutino, & Veſpertino Officiis Hymnos cum hoc diſcrimine, quod Matutinis Horis initio, Veſpertinis autem ſub finem canerentur. IV. Capitella, quæ erant pars, aut ſumma ex Prophetis, aut ex Apoſtolo, fuiſſe per Horas diſtributa. V. Totum Officium per collectas, ſeu breves Orationes finem accepiſſe. VI. Miſſas hic uſurpari pro Horis Canonicis.

V. Agit & de iiſdem Capitulis Radulphus Decanus Tongrenſis in Libro, *De Canonum obſervantia*, Propoſitione XIII. in hæc verba: *Sicut ad vigilias noctis leguntur lectiones magnæ, ita ad Laudes, & ad Veſperas, & ad quinque parvas Horas dicuntur parvæ lectiones, quas Benedictus appellat in ſua Regula lectiones communi tamen uſu ſeculari.* Præter Radulphum tradidit Durandus in ſuo Rationali Lib. v. Cap. IV. Numero XXVII. poſt Antiphonam ſequi Capitulum, *per quod fit exhortatio, ne deficiamus in via.* Sane, uti notat Guyetus in ſua Heortologia Libro III. Cap. VI. Quæſtione II. breviora eſſe debent Capitula, ſatiſque eſt, ſi duabus, tribuſve ſententiis compleantur. An vero Capitulis Veſperarum, ſi de Epiſtolis Pauli excerpta ſunt, præmittendum *Fratres*; aut, *Chariſſimi*, ſi de Epiſtolis Catholicis; reſpondet laudatus Auctor, quod uſum hunc non habebant antiqua Breviaria, nec etiamnum habet Senonenſe, adſtipulaturque S. Thomas in Officio Corporis Chriſti, ut in ipſius Opuſculo LVII. legitur. At cum Romanum Breviarium, id conſtanter retineat, exceptis dumtaxat Capitulis, *Apparuit*, & *Multifarie*, in Officio Nativitatis Domini, aliiſque paucis, laudandi præ aliis quidem ſunt uſus, qui & in hoc ſe Romano Ritui conformant.

VI. Quantum ad Himnos, Synodus I. Bracharenſis in Hiſpaniis habita anno DIII. Can. XII. iis uti vetuit, mandans, *ut extra Pſalmos, vel Canonicarum ſcripturarum novi & veteris Teſtamenti nihil poetice compoſitum in Eccleſia pſallatur, ſicut & ſancti præcipiunt Canones.* Verum hunc Canonem correxit ſeculo inſequenti Concilium Toletanum IV. anni DCXXXIII. Can. XIII. ubi poſtquam dixit, de Hymnis canendis habere nos Chriſti, & Apoſtolorum exemplum, nam & ipſe Dominus Hymnum dixiſſe perhibetur, Matthæo Euangeliſta teſtante: *Et Hymno dicto exierunt in montem Oliveti*; & Paulus Apoſtolus ad Epheſios ſcripſit dicens: *Implemini ſpiritu, loquentes vos in Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus*; ita mox ſubjicit: *Et quia nonnulli Hymni humano ſtudio in laudem Dei, neque Apoſtolorum, & Martyrum triumphos compoſiti eſſe noſcuntur, ſicut hi, quos beatiſſimi Doctores, Hilarius, atque Ambroſius, ediderunt, quos tamen quidam ſpecialiter reprobant, pro eo quod de Scripturis ſanctorum Canonum, vel Apoſtolica traditione non exiſtunt; reſpuant ergo & illum Hymnum ab hominibus compoſitum, quem quotidie publico, privatoque officio in fine omnium Pſalmorum dicimus:* Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in ſecula ſeculorum Amen. *Nam & ille Hymnus, quem nato in Carne Chriſto Angeli cecinerunt:* Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; *reliqua, quæ ibi ſequuntur, Eccleſiaſtici Doctores compoſuerunt. Ergo nec idem in Eccleſia canendus eſt, quia in Scripturarum ſanctarum libris non invenitur?*

VII. Cum eadem tandem ſit Hymnorum ratio, atque Miſſarum, Collectarum, Proſarum, & Benedictionum, quæ in Miſſa leguntur, nullumque Eccleſiaſticum Officium vix futurum, ſi omnia, quæ ex Scriptura non ſunt, amputentur, merito citato Canone XIII. Synodus ipſa Toletana concludit, reprehendendos eos non eſſe, qui Hymnos Officio inſeruerunt: *Sicut ergo Orationes, ita & Hymnos in laudem Dei compoſitos nullus veſtrum ulterius improbet.* Porro quamvis pluribus in Eccleſiis recepti antiquitus Hymni fuerint, & non modo in Hiſpania, verum etiam in Italia, ac præſertim Mediolani, Romæ nihilominus ſero Hymni cani cœpere; neque enim ullos videre eſt in antiquis Ordinibus Romanis, & ne in XI. quidem, quem Benedictus Canonicus S. Petri Guidoni de Caſtello inſcripſit tunc Cardinali, qui poſtea anno MCXLIII. fuit Pontifex Maximus, & Cœleſtinus II. appellatus; ibi enim nulla fit Hymnorum in Officiis, quæ deſcribit, mentio. Quamobrem putat Grancolas in Breviarium Romanum Cap. XXVIII. poſt duodecimum Seculum Hymnos Officio fuiſſe inſertos.

VIII. Ante hunc Auctorem jam religioſiſſimus, atque doctiſſimus venerabilis Cardinalis Thomaſius in ſuo Antiphonario Pag. 12. obſervavit, *Eccleſiam Romanam antiquitus non admiſiſſe Hymnos in divinis Officiis*; idque manifeſtum eſt tum ex

Digitized by Google

ex Amalarii ſupplemento, tum ex Romanis Ordinibus non modo Benedicti Canonici S. Petri, ſed & Cencii Camerarii, ex quibus apparet, quod jam dictum eſt, hunc morem ad Seculum XII. perſeveraſſe. Eundem ferme retinuerunt morem Eccleſiæ Lugdunenſis, & Viennenſis, in quibus nulli hactenus Hymni ad Vigilias nocturnas, & Laudes matutinas, imo nec ad Veſperas, ceteraſque Horas, præter Completorium: in quo etiam Romana Eccleſia primum ab aliquot ſeculis Hymnos admiſit, deinde alios in ſingulis Officiis, ut ſcite obſervat Mabillonius in Commentario ad Romanum Ordinem, Cap. XIX. Num. II. Objicit quidem ſibi Thomaſius Udalricum, qui Libro II. Conſuetudinum Cluniacenſium Cap. LII. mentionem facit Hymnorum Eccleſiæ Romanæ. Verum id de particularibus quibuſdam Urbis Eccleſiis Vir doctus interpretatur, tametſi S. Benedictus in Regula ſua Hymnos Ambroſianos laudat, præcipitque cantari.

IX. Quicquid ſit de ea opinione, cum potiſſima Romani Breviarii Hymnorum pars circa dimenſiones metri, & numeri leges peccaret, Urbanus Papa VIII. bonarum literarum, & præcipue Latinæ Poeſeos ſtudioſus, Hymnos ipſos emendari, atque emendatos Romano Breviario inſeri curavit anno MDCXXIX. opera uſus trium Jeſuitarum, nempe Famiani Stradæ, Tarquinii Gallucii, & Hieronymi Petruccii, qui emendationi huic præfuere, ut idem Grancolas teſtatur, qui etiam illorum emendationem probat. Non defuerunt tamen, qui de mutatione iſta conqueſti ſunt, ajentes, Hymnos ipſos, ut ad Poeſeos, & Latinæ linguæ leges exigerentur, veterem ſimplicitatem amiſiſſe, atque pietatis vim, quam undique ſpirabant, penitus fuiſſe enervatam: *Acceſſit*, ajunt, *latinitas, & receſſit pietas.* Inter alios Henricus Valeſius acerrimam cenſuram tulit de ea Hymnorum emendatione, eoſque peſſime compoſitos, atque depravatos exiſtimat. Certe S. Ambroſius de Hymnis ſuis ajebat Lib. II. in Lucam: *Negligere verba debemus, penſare Myſteria.* Et S. Gregorius Magnus dicere ſolitus erat, indignam rem eſſe, divinorum Oraculorum verba regulis Grammaticorum ſubjicere: *Indignum*, inquit, *vehementer exiſtimo, ut verba cæleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati.* Ceterum tametſi Hymni a priſcis Patribus, Hilario, Ambroſio, Prudentio, aliiſque Viris inſignibus compoſiti fuerint, canendi illi nihilominus ſunt juxta emendationem a Romano Pontifice probatam anno MDCXXIX. & a Sacra Rituum Congregatione laudatam die XVII. Martii ejuſdem anni, ut inter alios teſtatur Gavantus.

§. XII.

Si vero fuerint Hymni, *Veni Creator Spiritus*, aut, *Ave Maris ſtella*, dum Epiſcopus Hymnum intonat, omnes genuflectunt, & ſtatim ipſe quoque Epiſcopus ibi in ſuo genuflexorio ante Altare, ſi adeſt, genuflectit; ſin minus, in ſua ipſa Sede ſuper aliquo pulvino ad id parato, permanens in genuflexione uſque ad finem primi Verſus: quo finito, ſurgit, ſurgentibus omnibus, & ſtat, quouſque perficiatur Hymnus cum Verſiculo, & Reſponſorio. Tunc per Cæremoniarum ducitur idem Subdiaconus, ſeu alter, qui prius Antiphonas Pſalmorum præintonavit, cum eiſdem reverentiis ante Epiſcopum, cui ſtanti adhuc ſine Mitra, præintonat Antiphonam Cantici, *Magnificat*; qua repetita, Epiſcopus ſedet, & accipit Mitram pretioſam, & pariter omnes ſedent. Et dum cantatur per Chorum Antiphona, imponit thus in thuribulum per Acolythum Thuriferarium allatum, Presbytero aſſiſtente naviculam thuris porrigente, ſub ea forma, & verbis, quæ in Cap. XXIII. §. I. Libro I. explicatur.

§. XIII.

Interim duo Acolythi præcedunt ad Altare, elevantes hinc inde anteriorem partem ſuperioris tobaleæ, ſeu veli ſuper Altare poſiti, illamque conduplicant uſque ad medium.

COMMENTARIUS.

I. RItum §. XII. ita exponit Craſſus Libro II. Cap. X. *Si Hymnus erit*, Ave maris ſtella, *ſive*, Veni Creator Spiritus, *tunc poſtquam in eodem loco Celebrans intonavit, ibidem genuflectit ſine Mitra, & ſuper ſuum Faldiſtorium, verſa facie ad Altare, ſic permanens uſque ad finem primi verſus, genuflectentibus omnibus: quo primo verſu finito, ſurgit, ſurgentibus omnibus, & ſic ſine Mitra ſtat, verſa facie ad Altare, uſquequo finitus ſit Hymnus cum Verſiculo, & Reſponſorio ejus, tunc Antiphonam ſibi ſic ſine Mitra ſtanti intimatam, ante Canticum*, Magnificat, *reſumit; qua reſumta, mox ſedet cum Mitra pretioſa; & dum cantatur Antiphona a Choro, ante* Magnificat, *ipſe ponit incenſum, dicens, ut ſupra, non utique Diacono, ſed Aſſiſtente Presbytero naviculam, & Cæremoniario, thuribulum miniſtrantibus.* Hactenus ille.

II. Craſ-

Digitized by Google

II. Crasso adjungimus Patricium, qui Libro II. Sectione I. sui Cæremonialis Pontificiæ Capellæ, Cap. IX. ritus omnes in duobus nostris Paragraphis contentis hunc in modum enarrat: *Pontifex Mitra deposita ... alte incipit Hymnum, quem Cantores prosequuntur, & Pontifex sic ad finem Hymni stat sine Mitra; cantatur deinde a Cantoribus Versiculus, & inde Subdiaconus stans coram Pontifice intonat ei Antiphonam ad* Magnificat, *quam Pontifex stans sine Mitra ex Libro alte intonat, & Cantores prosequuntur. Interim sedet Pontifex, & accipit Mitram, & accedit Acoluthus cum thuribulo, & navicella, quam dat Episcopo Cardinali assistenti, qui eam offert Pontifici, dicens:* Benedicite Pater Sancte; *& supposito per Acoluthum thuribulo, Pontifex imponit incensum; reassumit deinde naviculam Acoluthus, & accedit ad cornu sinistrum Altaris, & ibidem expectat Pontificem.* Præclarissimo hoc testimonio egregie §. noster XII. exponitur; quod enim spectat §. XIII. sequentem, desumtus & ille est ex ritu Pontificiæ Capellæ, nam ita statim ibidem subdit Patricius: *Interim duo Auditores,* scilicet Rotæ, *accedunt ad Altare, & hinc inde elevant anteriorem partem superioris tobaleæ Altaris, & plicant usque medium, vel circa.* Sunt pene ipsissima verba, quæ in §. nostro XIII. descripta fuere.

III. Sed ut Paragraphorum nostrorum Ritus singulos enucleemus, quod genuflexionem spectat faciendam ad primum Versum Hymni, *Veni Creator Spiritus,* hæc habet Ordo XV. Romanus, Auctore Petro Amelio, Cap. XCIII. *Incepto semper,* Veni Creator Spiritus, *ante Papam per unum de Capellanis, Papa reincipit,* Veni Creator Spiritus; *quo incepto Papa descendit de Sede sua, & vadit ante Cathedram coram Altari paratam, & ibi genuflectit, & stat genibus flexis sine Mitra, quandiu cantatur primus versus Hymni per eum incœpti; primo versu finito, redit ad Sedem suam &c.* Clarius ritum ipsum exponit Patricius in suo Cæremoniali Lib. II. Sectione II. Capite XI. ita inquiens: *Consuevit etiam Pontifex Hymnum Vesperarum, videlicet,* Veni Creator Spiritus, *in Sede Solii stans detecto capite inchoare, deinde descendere ad Faldistorium, ubi postquam genuflexit, & non prius, Cantores prosequuntur Hymnum.* Et mox: *Finito primo Versu, surgit Pontifex, & assumta Mitra, redit ad Faldistorium, ubi deposita Mitra, stat usque ad finem Hymni.* Ait, alia omnia fieri more solito, additque statim: *Sed ad primum Versum Hymni Pontifex semper genuflectit hac die,* in Vesperis scilicet Pentecostes, *sive ipse incipiat, sive non.* Teste Gavanto, Auctor Hymni, *Veni Creator Spiritus,* fuit S. Ambrosius. Hymnus vero, *Ave, maris stella,* S. Bernardo a Francisco Costero tribuitur. Quidquid sit, ad utriusque Hymni primum versum, qui scilicet primos quatuor versiculos continet, facienda est genuflexio, flexisque genibus manendum quousque primi ipsi quatuor versiculi decantati fuerint, juxta omnium Ecclesiarum praxim.

IV. Ergo cantatis quatuor primis versiculis, surgit tum Episcopus, tum alii, qui stant, *quousque perficiatur Hymnus cum Versiculo, & Responsorio,* uti in §. XII. edicitur. Tunc ex ejusdem §. præscripto, juxta ritum etiam in Pontificia Capella servatum, uti ex ipsius Libro Cæremoniali constat, *per Cæremoniarium ducitur idem Subdiaconus, seu alter, qui prius Antiphonas Psalmorum præintonavit, cum eisdem reverentiis ante Episcopum, cui stanti adhuc sine Mitra præintonat Antiphonam Cantici,* Magnificat; *qua repetita, Episcopus, sedet, & accipit Mitram pretiosam, & pariter omnes sedent,* scilicet præter Presbyterum, & duos Diaconos assistentes, qui stant nudo capite, ut notat Bauldryus. Dum autem cantatur Antiphona, imponit thus in thuribulum per Thuriferarium allatum, Presbytero assistente cum debitis osculis naviculam thuris porrigente, juxta regulam traditam supra Lib. I. Cap. XXIII. §. I. genuflexo Thuriferario semper quoties Episcopo ministrat thuribulum, uti passim docent Auctores, qui sacras Cæremonias enarrant.

§. XIV.

Cum vero Chorus incipit Canticum, *Magnificat,* surgit Episcopus cum Mitra, omnibus surgentibus, & facto sibi Crucis signo a fronte ad pectus, acceptoque sinistra manu Baculo pastorali, medius inter Diaconos assistentes, Pluviale hinc inde elevantes, pergit ad Altare, ante cujus infimum gradum, depositis, Baculo, & Mitra, & facta Cruci super Altari positæ reverentia, ascendit ante medium ipsius Altaris, & eo osculato, capit de manu Presbyteri assistentis thuribulum, quod ipse assistens de manu Thuriferarii acceperat, & thurificat Crucem, & Altare, Diaconis assistentibus fimbrias Pluvialis elevantibus. Qua autem forma dictum thuribulum ad manus Episcopi porrigatur, ac rursus quo ordine, & modo ipsum thuribulum sit ducendum, & Altare thurificandum, in dicto Cap. XXIII. Libr. I. latius demonstratur.

COMMENTARIUS.

I. INcepto Cantico, *Magnificat,* surgit Celebrans Episcopus, & omnes alii cum eo, & signat se Crucis signaculo a fronte ad pectus, tum facta Choro capitis inclinatione cum Mitra, ut notat Bauldryus, vadit, nihil tunc dicens, sed omnino tacens, ut ait Crassus, ac Ba-

Digitized by Google

Baculum manu gerens, & Mitram in capite, ad Altare, medius inter duos assistentes Diaconos, ejus Pluvialis fimbrias hinc inde elevantes, Cæremoniario præcedente, quem sequuntur Presbyter assistens, & Ministri de Baculo, & Mitra. Ante infimum gradum deposita Mitra, ac Baculo, Cruci reverentiam facit, ascendit ad Altare, & eo osculato, capit thuribulum a Presbytero assistente, qui statim recedit extra gradus Altaris, & ipse Episcopus medius inter ipsos Diaconos assistentes thurificat Altare modo alias explicato.

II. Juxta ritum Pontificiæ Capellæ, quem enarrat Patricius Lib. II. sui Cæremonialis, Sectione I. Cap. VIII. cum incipitur, *Magnificat*, surgit Pontifex, & cum Mitra descendit ad Altare, quem sequuntur Cardinales ipsi assistentes, Auditor de Mitra serviens, & Cubicularii secreti, alii Auditores elevant fimbriam Pontifici ante pedes, cum ascendit gradus Altaris, & idem faciunt, quando ad Solium revertitur. Si autem duo tantum Auditores interessent, ut idem tradit Patricius, elevata tobalea Altaris, veniunt ad Pontificem, & ei fimbrias elevant. Cum Pontifex pervenit ad Altare, extrahitur ei Mitra, osculatur Altare in medio, & Acolythus thuribulum Episcopo Cardinali assistenti offert; Episcopus vero Cardinalis Pontifici; tum Pontifex incensat Altare more solito. Porro ubi incipitur, *Magnificat*, non modo Celebrans, sed & alii se Cruce signabunt, quia est unum ex Euangelii Canticis.

§. XV.

Thurificato Altari, ibique Mitra, & Baculo receptis, Episcopus redit ad Sedem suam, ubi stans cum Mitra, ab assistente Presbytero thurificatur; & duo Acolythi supradicti velum, seu tobaleam paulo ante plicatam reducunt, prout erat super Altari; ipse vero Episcopus, Mitra deposita, retento tamen Baculo inter manus junctas, stat usque ad finem Cantici, & Versiculum, *Sicut erat &c.*

§. XVI.

Interim per Subdiaconum, seu alium, qui Antiphonas præintonavit, thurificatur primo Presbyter assistens, deinde Diaconi assistentes, mox Canonici, & alii ordine suo, ut in dicto Cap. XXIII. §. XXVII. & XXVIII. explicatur. Quod si interim, expleto Cantico, Episcopus inciperet Versiculum, *Dominus vobiscum*, pro Oratione dicenda, debet cessare thurificatio; animadvertendum tamen, ut Canticum, *Magnificat*, ita protrahatur, ut & thurificatio simul terminetur.

COMMENTARIUS.

I. ALtari thurificato, & reddito thuribulo in cornu Epistolæ Presbytero assistenti, qui illud tradit Thuriferario, redit Episcopus ad medium Altaris, & ibi facta reverentia, ut plerique Auctores docent, descendit in planum, ubi Mitra, & Baculo receptis, factaque ibidem iterum Cruci reverentia, redit ad Sedem suam eo ordine quo venerat, salutans Chorum, ut prius; verum non improbandus quarumdam Ecclesiarum mos, in quibus Episcopus Altari thurificato, ibidem Mitram, & Baculum sumit, ipsique Altari semel reverentiam facit. Post Ministros de Baculo & Mitra, procedunt duo Acolythi, postquam scilicet prius velum, seu tobaleam paulo ante plicatam reduxerunt, ubi scilicet facta est ab Episcopo incensatio Altaris. Episcopus vero ubi ad Sedem suam pervenit, stans cum Mitra, & Baculo ab assistente Presbytero stante in plano thurificatur; tum deposita Mitra, retento tamen Baculo ambabus manibus simul junctis stat usque ad finem Cantici, & Versiculum, *Sicut erat &c.* inclusive, ut ait Crassus Lib. II. Cap. XI. *quia tunc depositio Baculo sedens accipit Mitram*. Monere eum tamen Cæremoniarius debet, ut ad Versiculum, *Gloria Patri*, *& Filio*, *& Spiritui Sancto*, caput inclinet, juxta ritum non uno in loco jam explicatum.

II. Thurificato Episcopo a Presbytero assistente, mox per Subdiaconum, seu alium, qui Antiphonas præintonavit, thurificatur primo Presbyter ipse assistens, deinde Diaconi duo assistentes, mox Canonici, & alii ordine suo; prout explicatum jam supra fuit Lib. I. Cap. XXIII. §. XXVII. & XXVIII. Quod si interim expleto Cantico Episcopus inciperet Versiculum, *Dominus vobiscum*, pro oratione dicenda, expresse mandat Rubrica nostri hujus §. XVI. cessare thurificationem debere. Animadvertendum tamen, ut idem §. mandat, Canticum, *Magnificat*, ita esse protrahendum, ut & thurificatio simul terminetur. Sed hanc Rubricam §. huic a Benedicto XIII. in novo hoc nostro Cæremoniali adjunctam, quam alia etiam Cæremonialia ante Benedictum edita, afferunt infra Cap. III. §. XIII. vel temere, vel ignoranter negligi in multis Ecclesiis etiam Urbis vidi, ubi etiam cum Celebrans dicit Orationem, fieri incensatio solet. Sed hic abusus est, & nonnisi Cæremoniariis adscribendus, quorum est eum abusum, alioque omnes, qui cæremonias spectant Ecclesiasticas, corrigere.

III. Ri-

Digitized by Google

III. Ritus tandem in duobus Paragraphis hiſce deſcripti pene concinunt Cæremoniali Pontificiæ Capellæ, Auctore Patricio, qui Libro II. Sectione I. Cap. VIII. hæc habet: *Poſt incenſationem Altaris, Pontifex, accepta Mitra, facit reverentiam Altari, & revertitur ad Solium, duobus Auditoribus fimbrias, ut prius, tenentibus, alii duo Auditores tobaleam Altaris, ut prius erat, explicant; vel ſi tantum duo ſint Auditores, explicent tobaleam, antequam fimbrias Pontificis teneant: Pontificem deinde cum Mitra in Solio ſtantem Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens ſtans ante infimum gradum Solii, recepto ex manibus Acoluthi thuribulo, incenſat ter thuribulum ducendo; qui incenſatus deponit Mitram, & detecto capite ſtat uſque ad finem*, Magnificat. *Inde Subdiaconus accepto thuribulo incenſat Epiſcopum Cardinalem aſſiſtentem ſtantem ante Cathedram ſuam*, ideſt ſcabellum; *& ſucceſſive alios duos Aſſiſtentes, deinde reliquos Cardinales, poſtea Prælatos omnes paratos, poſtmodum omnes ordine ſuo*. Ubi ſemper perſpicue vides, ritus, qui in Epiſcopalibus functionibus obſervantur, deſumtos pene omnes fuiſſe ex cæremoniis Pontificiæ Capellæ.

§. XVII.

Cum per Chorum repetitur Antiphona Cantici, Epiſcopus deponit Baculum, ſedet, & recipit Mitram. Interim Cæremoniarius medius inter duos Acolythos, eos cum debitis reverentiis ducit ante Epiſcopum, qui finita Antiphona, & Organo ſilente, depoſita Mitra ſurgit, & ſtans verſus Altare, ex Libro ſibi per Aſſiſtentem porrecto, cantat Verſiculum, *Dominus vobiſcum*; deinde, *Oremus*; & mox Orationem competentem, manibus junctis, omnibus interim ſtantibus. Qua finita, dum repetit, *Dominus vobiſcum*, Cæremoniarius cum Ceroferariis, factis debitis reverentiis, diſcedunt, & redeunt ad Altare, & in ſuo loco reponunt candelabra.



COMMENTARIUS.

I. HAbet & hæc Figura ſuos errores; nam primo deſiderantur duo Diaconi Aſſiſtentes Epiſcopo, & Miniſter qui de Libro ſervit, itemque Cæremoniarius, qui ducere ante Epiſcopum debet Ceroferarios. Secundo qui de candela ſervit, tenere debet Bugiam, ſeu Palmatoriam cum candela, non vero inſtrumentum ſimile candelabro, uti in Figura cernitur, & qui ſervit de Mitra non ſtat quidem in loco ſuo, uti jam ante nos olim notavit hujus, aliarumque Figurarum corrector in calce antiquiſſimi Cæremonialis Romæ editi anno MDC. legendus. Cantico *Magnificat*, abſoluto, & repetita Antiphona a Choro, Epiſcopus depoſito Baculo, & retenta Mitra ſedet. Interim Cæremoniarius duos Ceroferarios ſumtis candelabris de angulis duobus Altaris, ut ait Craſſus Lib. II. Cap. XII. vel de alio loco commodiori, ut notat Bauldryus,

Digitized by Google

ducit ad Episcopum, incedens in medio eorum, facta Altari, & ipsi Episcopo debita genuflexione, & ante eum stant hinc inde versa ad eum facie. Episcopus vero, finita Antiphona, & Organo silente, deposita Mitra, surgit, & stans versus Altare, ut ait hic §. noster, ex Libro sibi per Assistentem porrecto cantat primo Versiculum, *Dominus vobiscum*; deinde, *Oremus*, & mox orationem competentem, vel plures, si sunt dicendæ, manibus junctis, omnibus interim stantibus, *nudo capite, & collo recto, non autem incurvato, sicut Regulares facere solent*, uti docet laudatus Crassus loco citato, ubi etiam & illud monet, debere Episcopum versum primo ad populum cantare, *Dominus vobiscum*, deinde versum ad Altare, *Oremus*, & orationem. Finita oratione, dum Episcopus repetit, *Dominus vobiscum*, Cæremoniarius cum Ceroferariis factis debitis genuflexionibus redeunt ad Altare, & in suo loco reponunt candelabra, uti ait noster §. qui plane concinit Ritui Pontificiæ Capellæ, de quo ita inquit Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. VIII. *Pontifex dicit Orationem, & eodem replicante*, Dominus vobiscum, *duo Acoluthi cum candelabris, & Cæremoniario, factis reverentiis, redeunt ad Altare*. Atque hic est ritus, quem omnes Libri Cæremoniales præscribunt, & docent passim Auctores, qui sacras Cæremonias enarrant.

§. XVIII.

Dicto per Chorum, *Benedicamus Domino*, a duobus Cantoribus, qui secundum locorum consuetudines induti erunt Pluvialibus, vel Cotta, dum respondetur per eundem Chorum, sive per Organum, *Deo gratias*, Episcopus reassumta Mitra stans in sua Sede, si inde a populo commode videri potest, sin minus, accepto Baculo pastorali, accedit ad Altare, & facta ibidem profunda reverentia cum Mitra benedictionem dat, dicens, *Sit nomen Domini benedictum*, juxta formam in Cap. XXVI. Lib. I. traditam.

§. XIX.

Si vero sit Archiepiscopus, aut alias utens Cruce, allata illi per Capellanum ante se, deposita Mitra, illi caput profunde inclinat; mox benedictionem dat. Indulgentiæ in Vesperis nunquam publicantur.

COMMENTARIUS.

I. ANtequam Paragraphos hosce enarremus, monendus est Lector, quod in §. XVIII. edicitur de duobus Cantoribus, qui secundum locorum consuetudines induti erunt Pluvialibus, vel Cotta, qui scilicet cantare solent illum Versiculum, *Benedicamus Domino*, adjunctum fuisse a Benedicto XIII. in hoc novo Cæremoniali. In antiquis enim Cæremonialibus ante Benedictum editis, hæc erant prima §. verba: *Dicto per Chorum*, Benedicamus Domino, *dum respondetur &c.* Recte autem & illud notat Bauldryus, quod si fiant Commemorationes, ipsi etiam duo Cantores cantabunt Versus in medio Chori. Dum autem respondetur per Chorum, vel Organum, *Deo gratias*, ad illum Versiculum, *Benedicamus Domino*, quem, uti dictum est, juxta consuetudinem locorum duo Cantores canere solent, Episcopus reassumta Mitra, stans in sua Sede, si inde a populo commode videri potest, sin minus, sumto Baculo pastorali, accedit ad Altare, & facta ibidem profunda reverentia cum Mitra, dat benedictionem solemnem, dicens: *Sit nomen Domini benedictum*; juxta formam superius traditam Lib. I. Cap. XXVI. ubi nos plura adnotavimus. Ceterum si sit Archiepiscopus, aut alias utens Cruce, ex præscripto hujus §. XIX. & aliorum complurium tum Libri I. tum hujus II. nostri Cæremonialis, Cruce tunc illi allata per Capellanum ante se, deposita Mitra, & facta eidem Cruci profunda capitis inclinatione, benedictionem populo impertit; nullis Indulgentiis publicatis, quia scilicet uti alibi etiam dictum est, ex antiqua, & probata Ecclesiæ consuetudine Indulgentiæ in Vesperis nunquam publicantur.

§. XX.

Si autem adesset Cardinalis non Legatus, vel Metropolitanus, Episcopus mittit ad eum Cæremoniarium, sive aliquem Capellanum, ut placeat illi benedictionem dare; quam Cardinalis non Legatus, seu Metropolitanus remittit ex urbanitate ab ipso Episcopo celebrante dandam. Mox revertitur ad suam Sedem, sive ad Faldistorium, si eo utatur, ibique exuitur suis paramentis, & pariter Canonici in suis locis deponunt paramenta sacra, quibus induti erant, & deinde Episcopum saltem

Digitized by Google

tem extra portam Eccleſiæ comitantur, ut ſupra Cap. xv. §. xi. Lib. i. dictum fuit, Organo interim hilari modulatione continuo perſonante.

COMMENTARIUS.

I. UBi præſens Veſperis fuerit Cardinalis non Legatus, vel proprius Metropolitanus, tum, dum cantatur, *Benedicamus Domino*, ut ait Craſſus Libro II. Cap. XIII. mittit Epiſcopus ad eum Cæremoniarium, ſeu alium Capellanum, ut placeat illi dare benedictionem, quam tamen Cardinalis non Legatus, ſeu Metropolitanus ex urbanitate remittit ab ipſo Epiſcopo celebrante dandam; eamque eo caſu dat ad Altare, uti alibi dictum eſt. Quod ſi præſens ſit Cardinalis Legatus a latere, ſemper ipſe dat benedictionem quocumque alio præſente Cardinali, ſive ſit Epiſcopus proprius, ſive non; ille enim ſemper occupat locum digniorem; uti docent Bauldryus, Caſtaldus, & alii. Verum ex Craſſi ſententia etiam, *Cardinalis celebrans mittit ad Legatum, ſi illi placet dare benedictionem, quam tamen Legatus dandam remittit ad Celebrantem, qui per nutum aliquali gratiarum actione præmiſſa, vadit ut ſupra more ſolito cum Baculo in manu ad Altare ſemper Mitram habens in capite, & facta Cruci reverentia, benedictionem dat.*

II. Data benedictione ab Epiſcopo, ſumtaque Mitra, ſi ſit Archiepiſcopus, quam ad benedictionem ob reverentiam Crucis ſuæ Archiepiſcopalis depoſuit, factaque reverentia ad Altare, & reſumto Baculo, redit ad Sedem ſuam, ſive ad Faldiſtorium, ſi eo utatur, ubi adjuvantibus Diaconis paratis, exuit ſe ſuis paramentis, quæ Acolythi, ſeu Capellani deferunt ad Altare, prout ea attulerunt, cum debitis genuflexionibus ipſi Epiſcopo, & Altari. Canonici quoque in locis ſuis paramenta ſacra deponunt, & venientes ad Epiſcopum, ſtant circum ipſum uſquequo exutus fuerit. Presbyter aſſiſtens aufert annulum Pontificalem a digito annulari Epiſcopi, niſi Epiſcopus eum apud ſe velit retinere; mox facta brevi oratione ab Epiſcopo ſuper genuflexorio inſtructo paulo ante allato ad Altare, Canonici in habitu Canonicali comitantur eum ſaltem extra portam Eccleſiæ. Sed de hoc ritu vide quæ diximus ſupra Lib. i. Cap. xv. Organiſta tandem, donec Epiſcopus ab Eccleſia receſſerit, hilari modulatione Organum pulſat juxta ritum jam alibi explicatum.

CAP. II.

Epiſcopus in craſtinum non celebraturus, quomodo Veſperas perficiat. Sacris paramentis induatur, in Sede reſideat, incipiat, & abſolvat Veſperas. Qui, & quomodo Canonici parari debeant. Antiphonæ a quibus præintonandæ ſint. Capitulum a quo recitandum. Quid præſtandum, ſi Epiſcopus ejuſmodi Veſperis cum Cappa interſit. Canonicus celebrans ubi ſedere debeat. Thurificatio quomodo perficiatur. Oratio a quo dicenda. Quo loci benedictio ab Epiſcopo danda.

§. I.

Epiſcopus ſi ob aliquod impedimentum, vel alia de cauſa in Feſtis in Capite præcedenti enumeratis, vel in aliis Feſtis, & Dominicis principalibus non ſit ipſemet ſolemniter Miſſam celebraturus, velit tamen Veſperis, ſive primis, ſive ſecundis intereſſe, & Officium facere, obſervabit eadem fere omnia quoad ſe, ac ſi in craſtinum eſſet celebraturus. Nam & eiſdem ſacris paramentis indutus erit, & in eadem Sede reſidebit, incipiet, & perficiet Veſperas, prout dictum eſt.

§. II.

Differentia ſolummodo erit in infraſcriptis, quia hoc caſu non omnes Canonici, ſed quatuor, aut ſex tantum cum Pluvialibus parantur; aſſiſtentes vero Canonici Diaconi hinc inde a lateribus Epiſcopi erunt in eorum habitu Canonicali, ſic & Presbyter aſſiſtens.

COMMENTARIUS.

I. AGitur in hoc Capite de ritu, qui ſolemnibus ſervari in Veſperis debet, Epiſcopo in craſtinum non celebraturo. Itaque ex præſcripto §. i. ſi Epiſcopus ob aliquam cauſam in Feſtis Capite præcedenti enumeratis non ſit ipſemet ſolemniter Miſſam celebraturus,

Digitized by Google

rus, velit tamen Veſperis ſive primis, ſive ſecundis intereſſe, & Officium facere, obſervabit eadem fere omnia quoad ſe, ac ſi in craſtinum eſſet celebraturus. Nam & eiſdem ſacris paramentis indutus erit, quibus tamen non in ſua Sede Epiſcopali, ut in præcedenti Capite dictum eſt, ſed in Sacriſtia, vel alio loco ad id præparato induetur, uti notant Caſtaldus Libro II. Sectione V. Cap. IX. & Bauldryus Parte V. in Enarratione Libri II. Cæremonialis, Cap. I. in fine.

II. Paramentis in Sacriſtia indutus, ut idem Bauldryus poſt alios notat, miniſtrante Thuriferario thuribulum genuflexo, & aſſiſtente Presbytero cum Cotta, aut Rocchetto tantum naviculam, thus imponet Epiſcopus cum benedictione ſedens. Tum ſurgens, factaque Cruci reverentia procedit cum Baculo paſtorali in ſiniſtra, parte curva Baculi ad populum verſa, ac dextera benedicens, ad Altare medius inter duos Diaconos habitu ſuo Canonicali tantum indutos, non vero paratos, præcedente Presbytero aſſiſtente ſuo ordine cum aliis Canonicis binis, & duobus Ceroferariis, ac inter eos Beneficiato aliquo Cotta induto Crucem ferente, & ante omnes Thuriferario, ſubſequentibus vero eum aliis Miniſtris ſeu Capellanis; & cum pervenerit ad Altare, depoſito ibidem Baculo, illi profunde ſe inclinat, & depoſita Mitra genuflexus ſuper pulvino, aut potius genuflexorio pulvinaribus, & tapetibus inſtructo ad id parato paulum orat, aliis præter aſſiſtentes, Cæremoniarium, & Miniſtros de Baculo, Libro, Candela, & alios quoſdam ſervientes, ſtatim recedentibus ad loca ſua in Chorum; mox ſurgens recepta Mitra, & Baculo, facit Altari profundam reverentiam, & ducente Cæremoniario cum Aſſiſtentibus ſuis ad Sedem ſua Epiſcopalem, ſalutans exigua capitis inclinatione Canonicos hinc inde, qui ei nudo capite profunde ſe inclinant, ibique reddito Baculo paſtorali paulum ſedebit, & poſtea incipiet, & perficiet Veſperas, ut in Capite præcedenti dictum eſt.

III. Notandæ tamen quædam ſunt differentiæ, ac potiſſimum illa, quæ in §. II. recenſetur, in quo edicitur, quod Epiſcopus non celebraturus ſolemniter Miſſam in craſtino, ubi Veſperas ſolemniter celebrat, & Pontificali ritu Officium facit, non omnes Canonici, ſed quatuor, aut ſex tantum cum Pluvialibus parantur, aſſiſtentes vero Diaconi hinc inde a lateribus Epiſcopi erunt in eorum habitu Canonicali, ſicut & Presbyter aſſiſtens. Rubrica perſpicua eſt, eamque recitatis ſuperius locis Caſtaldus, & Bauldryus deſcribunt.

§. III.

Antiphonæ vero non eodem ordine, nec per Subdiaconum, ſed per aliquem ex Canonicis, aut alium, ad quem de Eccleſiæ conſuetudine ſpectat, præintonantur; primo ipſi Epiſcopo; deinde aliis Canonicis incipiendo a dignioribus, prout Eccleſiarum circa hoc uſus obſervabit. Capitulum autem per aliquem ex Cantoribus alta voce recitabitur in loco ſuo, vel alio ſolito. Cætera omnia fiunt, prout in Capite I. Libri II. expoſitum fuit.

COMMENTARIUS.

I. NOtantur in hoc §. aliæ differentiæ præter ſuperius deſcriptas. Etenim Antiphonæ non eodem ordine, nec per Subdiaconum, ſed per aliquem ex Canonicis, aut alium juxta Eccleſiarum conſuetudinem præintonantur; & primo quidem ipſi Epiſcopo, tum aliis Canonicis, incipiendo a dignoribus, conſuetudine & in hoc Eccleſiarum ſervata. Capitulum præterea per aliquem ex Cantoribus alta voce recitabitur in loco ſuo, vel alio ſolito, ſervatis reliquis omnibus Cæremoniis ſupra Cap. I. expoſitis, ut ad præſcriptum hujus §. notat poſt Caſtaldum Baldryus, qui etiam ſcite obſervat, debere Epiſcopum & Hymnum incipere, & Antiphonam ad Canticum, *Magnificat*, quia ſcilicet ex hoc noſtro §. præſcriptum eſt, ſervanda eſſe omnia prout Capite præcedenti expoſitum fuit.

II. Teſte autem Auguſtino Patricio Lib. II. ſui Cæremonialis, Sectione I. Cap. XV. quod eſt de Veſperis in Vigilia Nativitatis Chriſti, Papa in craſtinum non celebraturo, ſi ipſe Sanctiſſimus Dominus noſter in die ipſa Nativitatis Chriſti non celebraret, Veſperis tamen, & Miſſæ intereſſe vellet, Veſperæ hoc modo dicuntur. Hora competenti Papa indutus in Camera Papagalli, Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali albo, & Mitra pretioſa, venit ad Capellam more conſueto, orat ante Altare, Mitra depoſita. Finita oratione ſurgit, & reaſſumta Mitra aſcendit ad Solium, ubi ſedens recipit Cardinales ad reverentiam, deinde depoſita Mitra ſurgit, & ſtans verſus ad Altare, ſecrete dicit: *Pater noſter*. Quo finito, alte incipit: *Deus in adjutorium*; & cum incipitur Pſalmus, ſedet, & accipit Mitram, & omnes alii ſedent. Prior Presbyterorum Cardinalium, incepto Pſalmo, vadit ad ſcabellum, & aſſiſtit Pontifici, & ſic omnes ſedent uſque ad Capitulum.

III. Cum incipitur Capitulum, Papa ſurgit; cum incipitur Hymnus, extrahitur Mitra Pontifici, qui ſtat uſque ad inchoationem Antiphonæ ad *Magnificat*. Interim, dum Hymnus dicitur, unus Acolythorum extra cancellum Capellæ dimittit Cappam, & capit Superpelliceum, & redit ad Capellam ſtans cum Clericis Cæremoniarum. Incepta Antiphona ad *Magnificat*, Papa ſedet,

Digitized by Google

ſedet, accipit Mitram, Acolythus Seperpelliceo indutus accedit ad Pontificem cum thuribulo, & navicella, & Presbytero Cardinali aſſiſtente miniſtrante, Pontifex ponit incenſum more conſueto. Interim duo ex Auditoribus præveniunt ad Altare, & hinc inde ſtantes elevant anteriorem partem ſuperioris mappæ Altaris, & illam plicant uſque ad medium, vel circa. Cum incipitur, *Magnificat*, Papa cum Mitra aſcendit ad Altare, duobus Auditoribus fimbrias elevantibus, & Cardinalibus, atque Epiſcopis aſſiſtentibus, Auditore ad Mitram ſerviente, & ſecretis Cubiculariis ipſum comitantibus.

III. Cum Papa pervenerit ad Altare in medio deponitur ei Mitra, & aſſiſtens Presbyter Cardinalis miniſtrat Papæ thuribulum. Papa incenſat more ſolito Altare. Incenſato Altari, Papa reddit thuribulum Presbytero Cardinali, qui dat Acolytho; accipit Mitram, & redit ad Solium, in quo ſtans cum Mitra incenſatur per Presbyterum Cardinalem ſtantem ante gradus Solii, deinde Acolythus incenſat Presbyterum Cardinalem, & alios duos Aſſiſtentes more ſolito. Cum primum vero Papa recedit de Altari, illi duo Auditores mappam Altaris, ut prius erat, explicant; alii duo fimbrias Papæ elevant uſque ad Solium. Interim cum dicitur, *Magnificat*, duo alii Acolythi extra cancellum Capellæ dimiſſis Cappis, Superpelliceis induuntur, redeunt ad Capellam, & cum Cæremoniario ſe locant. Finita Antiphona ad *Magnificat*, præcedente Cæremoniario, duo Acolythi præfati cum candelabris, & candelis accedunt ante gradus Solii Papæ, medium inter ſe habentes Clericum Cæremoniarium. Papa ſurgit, & depoſita Mitra dicit: *Dominus vobiſcum*, quaſi ad Altare, *Oremus*. Interim accedunt ante Pontificem duo primi Epiſcopi aſſiſtentes, primus cum Libro, alius cum candela, & Papa dicit Orationem.

IV. In fine Orationis, *Per omnia ſecula ſeculorum*, illi duo Epiſcopi aſſiſtentes cum Libro, & candela ad ſuum locum revertuntur; cum Papa dicit, *Dominus vobiſcum* ſecundo, Acolythi, factis ſolitis reverentiis revertuntur ad Altare, ubi candelabra ad ſuum locum reponuntur. Interim unus Subdiaconorum accipit Crucem, quam portat ante Pontificem. Finito, *Benedicamus Domino*, & dicto *Deo gratias*, Papa ſtans dat benedictionem dicens: *Sit Nomen Domini &c.* & non Indulgentias. Papa benedicente, unus Protonotariorum genuflexus ſupra ſcabellum ante Pontificem tenet auriphrygium ſiniſtri lateris Pluvialis Papæ in tranſverſum ante umbilicum Pontificis. Pontifex data benedictione ſedet, acccipit Mitram, & vadit ad Faldiſtorium, ubi genuflexus orat cum Mitra; ſurgit & redit ad Cameram; auriphrygium Pluvialis hinc inde Diaconi aſſiſtentes portant nunc, & in omnibus ſolemnitatibus: aliis vero diebus aliquis ex Protonotariis Apoſtolicis auriphrygii fimbrias ſimul junctas a latere Pontificis defert, fimbrias vero poſteriores aliquis Princeps, vel nobilis ex laicis.

V. Hæc Cæremoniale Pontificiæ Capellæ Auctore Patricio loco citato, ubi agit de Veſperis, Papa in craſtinum non celebraturo; in quo obſervat Bauldryus, præſcribi in ipſo, ut Papa paratus incipiat Veſperas, non tamen primam Antiphonam, neque Hymnum, neque Antiphonam ad *Magnificat*, neque dicat Capitulum; benedicat vero incenſum, Altare incenſet, incenſetur de more, dicat Orationem, ſeu plures, & in fine det benedictionem. Verum tametſi omnes pene ritus, & cæremoniæ Epiſcopalium functionum a Pontificia Capella deſumti fuerint, ſervandi ſunt tamen ſemper ab Epiſcopo Ritus, ac Cæremoniæ, qui in hoc noſtro Cæremoniali præſcripti ſunt. Deſcribimus autem frequenter Ritus ipſos Pontificiæ Capellæ, quod ii multum lucis afferunt Cæremoniis Epiſcopalium functionum explicandis.

§. IV.

Quod ſi Epiſcopus velit hujuſmodi Veſperis intereſſe cum Cappa, tunc minime convenit, ut ipſe in tali habitu Officium faciat, qui etiam ipſemet ſibi debet biretum imponere, & auferre. Sed Canonicus hebdomadarius indutus Amictu, & Pluviali ſupra Cottam, ſeu Rocchettum, ſi illo utatur, totum Officium faciet, petita prius ab Epiſcopo licentia, incipiendo, *Deus in adjutorium &c.* uſque ad finem, ſtans a latere Epiſtolæ, aſſiſtentibus ſibi quatuor, aut ſex Beneficiatis pro diverſitate Feſtivitatum, prout ſuo loco dicetur, pariter cum Pluvialibus, quibus, abſque aliis paramentis ſimpliciter ſuper Cottam, vel Rocchettum induuntur. Epiſcopus vero in ſua Sede tantummodo benedicet incenſum, & in fine ſolemnem benedictionem dabit.

COMMENTARIUS.

I. QUum Epiſcopus non ipſe celebrat Veſperas, ſed Veſperis cum Cappa intereſt, *tunc minime convenit*, ait hic §. noſter, *ut ipſe in tali habitu Officium faciat, qui etiam ipſemet ſibi debet biretum imponere, & auferre*. Ea verba, *qui etiam ſibimet &c.* adjuncta primum fuere in hoc §. a Benedicto XIII. concinuntque variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis jam a nobis alias memoratis. Certe cum pro parte Cathedralis Laudenſis die

Digitized by Google

die IV. Aprilis anni MDCXX. petitum fuiſſet a Sacra Rituum Congregatione declarari, *an in Provincia Mediolanen. ſit laudabilis ea conſuetudo, ut Epiſcopo cum Cappa ſedenti ad Sedem ſuam caput aperiatur, & cooperiatur ab altero ex Diaconis aſſiſtentibus, & eo caſu ad quem ſpectabit?* Sacra Rituum Congregatio reſpondit, *biretum debere Epiſcopum ſibi de per ſe extrahere.*

II. Rurſus Capitulo, & Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ S. Martini Terræ Carreti Theleſinæ Diœceſis petentibus ab eadem Sacra Rituum Congregatione, reſponderi, *An Epiſcopo aſſiſtenti divinis Officiis cum Cappa, Canonici debeant deponere, & ponere biretum in capite Epiſcopi, & an iſto caſu debeatur aſſiſtentia Canonicorum?* eadem Sacra Congregatio reſpondit die XXII. Decembris anni MDCXXIX. *nihil deberi de prædictis Epiſcopo.* Cenſuit etiam Sacra ipſa Congregatio in Iſernien. XXI. Auguſti anni MDCXXXII. *neque Dignitates, neque Canonicos aſſiſtentes Epiſcopo teneri caput Epiſcopo tegere, & detegere, quando aſſiſtit Divinis cum Cappa, & bireto.* Affert hæc Decreta Barboſa in ſuo Tractatu, *De Canonicis*, Cap. XXXIII. Num. XXVI. & XXVII. eorumque inter alios meminit doctiſſimus Cajetanus Meratus Clericus Regularis in ſuis ad Gavantum Additionibus, & in Indice Decretorum; ubi etiam & illud tradit, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die IV. Auguſti MDCLXIII. Canonicos aſſiſtentes teneri accipere biretum de manu Epiſcopi Cappa induti, & eidem reddere, non obſtante Decreto ab ipſa Sacra Congregatione edito die III. Junii MDCLXII. præcipiente per Capellanum ea eſſe implenda.

III. Quod vero alia ſpectat, quæ in noſtro hoc §. notantur, non omittendum quod ait Craſſus Lib. II. Cap. XXXVI. ubi agit de Veſperis in præſentia Cardinalis Epiſcopi celebrandis: *Si Cardinalis*, inquit, *Veſperis intereſſe velit, nihil quidem ipſe agat, nec cantet, neque incenſet, ſed per aliquem Prælatum, ſive Canonicum Veſperæ celebrentur, inchoentur, & finiantur.* Loquitur de Cardinali Epiſcopo Eccleſiæ Bononienſi, ejuſque teſtimonio egregie explicatur Rubrica hujus §. ex cujus quidem præſcripto, ubi Epiſcopus cum Cappa Veſperis interſit, *Canonicus hebdomadarius indutus Amictu, & Pluviali ſuper Cottam, ſeu Rocchettum, ſi illo utatur, totum Officium faciet, petita prius ab Epiſcopo licentia, incipiendo*, Deus in adjutorium &c. *uſque ad finem ſtans a latere Epiſtolæ, aſſiſtentibus ſibi quatuor, aut ſex Beneficiatis pro diverſitate Feſtivitatum, prout ſuo loco dicetur, pariter cum Pluvialibus, quibus abſque aliis paramentis ſimpliciter ſuper Cottam, vel Rocchettum induuntur.*

IV. Duo ſunt, quæ ex noſtro hoc §. aget Epiſcopus, ubi Officio ipſi cum Cappa aſſiſtit; nempe *in ſua Sede tantummodo benedicet incenſum, & in fine ſolemnem benedictionem dabit*, juxta ritum ſcilicet ſupra Lib. I. Cap. XXV. Numero VII. deſcriptum, ubi hæc habentur: *Quod ſi Epiſcopus aſſiſtat cum Cappa, dabit benedictionem tecto capite cum caputio Cappæ, vel cuculli, vel etiam cum bireto.* Non poſſe tunc uti Baculo, quia ſcilicet non eſt paratus, §. ultimus hujus Capitis infra edicit, cujus verba etiam lubet hoc loco deſcribere: *Epiſcopus ſtans in ſua Sede*, loquitur de Epiſcopo, & de Archiepiſcopo Veſperis aſſiſtente cum Cappa, *ſi inde a populo videri poſſit, alias apud Altare capite cooperto, niſi ſit Archiepiſcopus, aut alias utens Cruce, quia capite detecto verſus Crucem, quæ per aliquem ejus Capellanum genuflexum tenetur, ſolemniter benedicit.* Additque mox: *Non tamen tunc utitur Baculo paſtorali, quia non eſt paratus.* Concinit his Cæremoniale Ambroſianum Lib. I. *De ritu benedictionis Archiepiſcopalis &c.* ubi ita inter alia inquit: *Si Cappa tantum indutus eſt, non adhibetur Baculus.* Idipſum inter alios Caſtaldus, & Bauldryus docent.

§. V.

Antiphonæ autem præintonantur ab aliquo ex dictis Beneficiatis paratis; primo ipſi Canonico celebranti, deinde aliis Canonicis dignioribus juxta morem Eccleſiæ. Organi ſonus eodem modo poterit intermiſceri, prout in Cap. XXVIII. Lib. I. de Organo &c. declaratum fuit.

§. VI.

Ipſe celebrans Canonicus una cum quatuor, aut ſex Beneficiatis aſſiſtentibus, dum Pſalmi recitantur, ſedere poterunt cooperto capite in aliquo ſedili, ſeu ſcamno præparato, & ornato a latere Epiſtolæ; videlicet Celebrans in medio, primi aſſiſtentes vero hinc & inde, vel alias; reliqui autem Aſſiſtentes in ſcabellis, vel ſcamno contra Altare.

COMMENTARIUS.

I. CElebrante Canonico Hebdomadario Veſperas coram Epiſcopo aſſiſtente cum Cappa, præintonantur Antiphonæ ab aliquo ex dictis Beneficiatis paratis cum Pluvialibus; & primo quidem ipſi Canonico celebranti, deinde aliis Canonicis dignioribus juxta morem Eccleſiæ; ſonuſque organi tunc etiam intermiſceri poterit, juxta ea quæ fuſe notata ſunt ſupra Lib. I. Cap. XXVIII. Quantum ad ſedem tum Celebrantis, tum quatuor, ſexve Beneficiatorum,

Digitized by Google

rum, qui ei assistunt, *sedere poterunt*, ait noster §. VI. *cooperto capite in aliquo sedili, seu scamno præparato, & ornato, a latere Epistolæ; videlicet Celebrans in medio; primi Assistentes vero hinc inde, vel alias, prout in illa Ecclesia usitatum est; reliqui autem Assistentes in scabellis, vel scamnis contra Altare*. Ita §. VI. Rubrica juxta novam Cæremonialis emendationem factam a Benedicto XIII. nam alias in Cæremonialibus antea editis, hæc erant postrema hujus §. verba: *Celebrans in medio, Assistentes vero hinc inde, vel alias, prout in illa Ecclesia usitatum est*. Puto equidem, vix certam, & universalem ea de re tradi posse regulam; attendi enim etiam debet Presbyterii situs. Advertendum autem illud est, quod ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Turritana XIX. Maji MDCXIV. Canonici celebrantes non debent coram Episcopo sedere in Sede cum postergali, sed in aliquo scamno oblongo tapete quidem, vel panno cooperto, uti videre est apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectan. XCII. Num. XIV.

§. VII.

Capitulum cantabitur ab aliquo Cantore; Hymnus, & Antiphona ad *Magnificat*, præintonatur ab eodem Assistente ipsi Celebranti.

§. VIII.

Dum cantatur per Chorum Antiphona ad *Magnificat*, dignior Canonicus ex Presbyteris, accedente Acolytho Thuriferario, offert naviculam incensi Episcopo, qui imponit, & benedicit incensum more consueto.

§. IX.

Incepto Cantico prædicto, ipse Canonicus celebrans cum suis Assistentibus surgit, & facta reverentia Episcopo, thurificat more solito Altare: quo thurificato, ipse stans in cornu Epistolæ capite detecto, ab altero ex dictis duobus Beneficiatis assistentibus Pluviali induto, thurificatur duplici ductu thuribuli: mox Episcopus stans capite detecto, a Presbytero Canonico assistente thurificatur apud suam Sedem triplici ductu; & demum omnes Canonici, & alii ordine suo thurificantur.

COMMENTARIUS.

I. AD Capitulum Vesperarum quod attinet, Celebrante etiam Canonico, cantari illud ab aliquo Cantore non parato debere in loco, ubi cantatur Epistola, cui nulli assistant, præter Cæremoniarium juxta morem complurium insignium Ecclesiarum; Hymnum vero, & Antiphonam ad *Magnificat*, præintonari ab eodem assistente ipsi Canonico celebranti, expresse edicit §. VII. Cum autem uti dictum est supra in §. IV. Episcopus Vesperis assistens cum Cappa benedicere incensum debeat, merito in nostro hoc §. VIII. præscribitur, ut dum cantatur per Chorum Antiphona ad *Magnificat*, dignior Canonicus ex Presbyteris, accedente Acolytho thuriferario, offerat naviculam incensi Episcopo in Sede sua sedenti, ut incensum ipsum imponat, & benedicat; servatis scilicet ritibus, quos suo loco explicuimus.

II. Benedicto ab Episcopo incenso, & cantico, *Magnificat*, incepto ex §. IX. præscripto, ipse Canonicus celebrans cum suis Assistentibus surgit, factaque reverentia Episcopo, & Altari cum Assistentibus paratis procedit ad illud, præcedente Thuriferario, qui rediit ad ipsum Celebrantem, vel eundem ad Altare expectavit, uti notat Bauldryus, ipsumque Altare thurificat more solito, accepto scilicet prius thuribulo de manu primi Assistentis, ei a Thuriferario porrecto. Thurificato Altari, ipse Celebrans stans in cornu Epistolæ detecto capite ab ipso Assistente Pluviali induto thurificatur duplici ductu thuribuli, Cæremoniario fimbriam Pluvialis ipsius, uti jam alibi diximus, paulum elevante.

III. Peracta incensatione Celebrantis, mox thuribulum dat ipse Assistens Beneficiatus Thuriferario, qui illud defert ad Presbyterum Episcopo assistentem, a quo ipse Episcopus capite detecto in Sede sua stans thurificatur triplici ductu cum debitis reverentiis; tum vero omnes Canonici, & alii ordine suo ab ipso Thuriferario, ut notat Bauldryus. Ceterum circa incensationem Episcopi minime obstat, quod dum ipse Episcopus paratus incensatur, debet cum Mitra incensari, uti docent Rubricæ nostri Cæremonialis, quas Libro I. enarravimus, quia scilicet, ut docet Crassus Lib. II. Cap. XXXVI. aliud est cum Mitra, aliud est cum bireto incensari. Mitra enim est Pontificale capitis ornamentum; biretum vero potius civile, quam Ecclesiasticum, ideoque ab Episcopo amovendum cum insensatur, non habito respectu ad incensantem, sed ad actum incensandi mysticum, & ad cantum ipsius Cantici, *Magnificat*, quem reverenter audire debet, stando scilicet, & capite detecto, ut idem Crassus docet

Digitized by Google

cet loco citato. Videſis noſtrum Tractatum, *De Codice ſancti Euangelii, atque ſervatis in ejus lectione, & uſu vario ritibus*, Lib. II. Cap. XXIII. quod eſt, *De ſtandi ritu ad tria Euangelii Cantica &c.* Sunt autem Cantica, *Benedictus* ad Laudes, *Magnificat* ad Veſperas, & *Nunc dimittis* ad Completorium, in quibus non modo ſtandum ab omnibus eſt, ſed etiam capite aperto, ſecundum ea, quæ in ipſo Tractatu notavimus citato Lib. II. Cap. XXIV.

§. X.

Finito Cantico, & repetita per Chorum Antiphona, Celebrans cantat Orationem, ſtans verſus Altare a latere Epiſtolæ, duobus Acolythis Ceroferariis candelabra cum cereis accenſis afferentibus, & alio inter illos medio Librum tenente.

§. XI.

Qua finita, & dicto per Chorum, *Benedicamus Domino &c.* Epiſcopus ſtans in ſua Sede, ſi inde a populo videri poſſit, alias ad Altare, capite cooperto, niſi ſit Archiepiſcopus, aut alias utens Cruce, quia capite detecto verſus Crucem, quæ per aliquem ejus Capellanum genuflexum tenetur, ſolemniter benedicit: non tamen tunc utitur Baculo paſtorali, quia non eſt paratus. Reliqua omnia fiunt, prout in antecedenti Capite dictum fuit.

COMMENTARIUS.

I. CAntico *Magnificat*, abſoluto, & repetita per Chorum Antiphona, Celebrans, dicto prius Verſiculo, *Dominus vobiſcum*, cantat deinde Orationem ſtans verſus Altare a latere Epiſtolæ, duobus Ceroferariis candelabra cum cereis accenſis deferentibus, & alio Miniſtro inter eos medio Librum tenente, & etiam Aſſiſtentibus. Finita autem Oratione, & dicto per Chorum, *Benedicamus Domino*, Epiſcopus in Sede ſua ſtatim benedictionem dat juxta ritum non uno in loco explicatum, ac præſertim ſupra in fine Commentarii ad §. IV. Præter benedictionem ſolemnem populo impertiendam, de qua alibi, & benedictionem incenſi, nihil aliud agere debet Epiſcopus Veſperis aſſiſtens cum Cappa; nam & in Capella Pontificia, quæ eſt omnium Rituum Eccleſiaſticorum Magiſtra, & Imperatrix, ut teſtatur Craſſus Lib. II. Cap. XXXVI. ubi Papa Veſperis cum Cappa aſſiſtit, nec Veſperas incipit, nec incenſat, nec cantat Antiphonam, non Hymnum, non denique Orationem, ſed audit alio cantante omnia. Id quod non uno in loco docet in ſuo Cæremoniali Capellæ Pontificiæ Auguſtinus Patricius, & in Ordine ſuo Romano decimoquinto Petrus Amelius apud Clariſſimum Mabillonium, Tomo II. Muſei Italici, ut alios aliarum Eccleſiarum Cæremoniales Libros omittam, qui eundem Ritum ſervandum docent.

CAP. III.


Quo ritu in Eccleſiis Catbedralibus abſente Epiſcopo, vel in Collegiatis Veſperæ celebrandæ ſint. Canonicus Hebdomadarius Pluviali paratus, una cum aliquot Presbyteris ſimiliter paratis, & aliis Miniſtris a Sacriſtia ad Altare, proceſſionali ritu procedat. Ubi inchoandum Officium Veſperarum. Antiphonæ, & Pſalmi, & Canticum, Magnificat, *a quibus intonentur. Ordo thurificationis. Orationes ubi dicendæ, & quomodo Veſperæ compleantur. In diebus ſolemnioribus ſex Presbyteri cum Pluvialibus parentur; in aliis non ſolemnioribus, quatuor tantum, in Dominicis, & aliis Feſtis duo.*

§. I.

In Eccleſiis Cathedralibus abſente Epiſcopo, & in Collegiatis Canonicus hebdomadarius paratur in Sacriſtia Pluviali coloris tempori convenientis ſuper Rocchetto, ſi eo utatur, aut ſuper Cotta; & cum eo parantur quatuor, aut ſex Presbyteri de gremio ipſius Eccleſiæ, non tamen Canonici; coadunatiſque Canonicis, & aliis de Clero in Chorum, prædictus Canonicus celebrans procedet e Sacriſtia hoc ordine: præcedunt duo Acolythi deferentes candelabra cum candelis accenſis, deinde Cæremoniarius, & aliqui Miniſtri Cottis induti; mox Presbyteri Pluvialibus parati, bini,

Digitized by Google

bini, & bini, ultimo loco Canonicus celebrans Pluviali indutus medius inter duos ex dictis Presbyteris, qui fimbrias anteriores Pluvialis ipsius parumper elevant; parati vero procedunt manibus junctis, & cooperto capite.



COMMENTARIUS.

I. OMnibus rite dispositis, ac præparatis in Sacristia, Choro, & Altari pro celebrandis Vesperis absente Episcopo in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, Canonicus Hebdomadarius, Vesperas celebraturus paratur in Sacristia Amictu, uti habetur supra Cap. II. §. IV. & Pluviali coloris tempori convenientis super Rocchetto, si eo utatur, aut super Cotta; unaque cum eo parantur quatuor, aut sex Presbyteri de gremio ipsius Ecclesiæ, non tamen Canonici, uti expresse hic ait §. noster, & decidit Sacra Rituum Congregatio die VIII. & XXII. Martii MDCXXX. apud Meratum in suis Additionibus ad Gavantum, & in Indice Decretorum. Porro ex ipsis Sacræ Rituum Congregationis Decretis illud expresse cautum est, Dignitate, vel Canonico Missam celebrante, Canonicos pariter pro Diacono, & Subdiacono, & non alios inferiores inservire debere, non obstante contraria consuetudine.

II. Interim Canonicis, & aliis de Clero habitu Chorali indutis, & in Chorum coadunatis, ubi Celebrantem expectant, Canonicus ipse Celebrans procedet e Sacristia hoc ordine: præcedunt duo Acolythi deferentes candelabra cum candelis accensis, deinde Cæremoniarius, & aliqui Ministri Cottis induti; mox Presbyteri Pluvialibus parati, bini, & bini, ultimo loco Canonicus Celebrans Pluviali indutus medius inter duos ex dictis Presbyteris, qui fimbrias anteriores Pluvialis ipsius parumper elevant. Verum, si sit adeo magnus populi concursus, ut vix Assistentes elevare possint Pluviale Celebrantis, decet ut præcedant duo, vel unus saltem, Mazzerii, juxta usum Basilicarum, & insignium Ecclesiarum Urbis, ut viam dirigant; quæ etiam si sit angustior, procedent singuli, itaut junior seniorem præcedat. Omnes supradicti parati, ut ait hic §. noster, *procedunt manibus junctis, & cooperto capite*, exceptis scilicet Ceroferariis, & Cæremoniario, qui nudo capite incedent, cuncti autem oculis demissis, & modesto incessu, nemini caput detegentes, nisi Prælatis, aut Summis Principibus, uti passim monent, qui Cæremonias Ecclesiasticas enarrant.

§. II.

Cum perveniunt ante Altare, stabunt omnes recta linea; Ceroferarii erunt omnium postremi hinc inde a lateribus: in eorum medio Presbyteri Pluvialibus parati, & inter ipsos medius Canonicus Celebrans paratus, simulque omnes detecto capite ge-

Digitized by Google

nuflectent; genuflexique parumper orabunt, præter Acolythos Ceroferarios, & Miniſtros ſupradictos Cottis indutos, qui ſtatim diſcedunt ad latera Altaris, ibique Acolythi candelabra cum cereis extinctis ſuper gradu, vel plano inferiori deponunt.

§. III.

Presbyteri parati cum Canonico Celebrante, poſtquam oraverint, ſurgunt, & profunde Altari caput, humeroſque inclinant. Si vero Sanctiſſimum Sacramentum in eo aſſervetur, denuo genuflectunt; deinde ſalutant ab utraque parte Chori Canonicos capitis inclinatione.

COMMENTARIUS.

I. CLariora hæc ſunt, quam ut noſtra explicatione indigeant. Cum Celebrans, inquit, aliique Miniſtri ante Altare pervenerint, omnes ſtabunt recta linea, omniumque poſtremi, hinc inde a lateribus Ceroferarii, & in eorum medio Aſſiſtentes Pluvialibus induti, & inter ipſos medius Celebrans, qui omnes ſimul detecto capite genuflectunt, genuflexique parumper orant, præter Acolythos Ceroferarios, & Miſtros ſupradictos, qui ſcilicet ſolis Cottis induti ſunt, quique ſtatim diſcedunt ad latera Altaris, ibique Acolythi candelabra cum cereis extinctis ſuper gradu, vel plano inferiori deponunt, poſtquam ſcilicet genuflexerint, tametſi in Altari Sanctiſſimum Sacramentum non aſſervetur. Celebrans, ejuſque Aſſiſtentes ab Oratione ſurgentes profunde Altari caput, humeroſque inclinant, & ſi ibi adſit in Tabernaculo Sanctiſsimum Sacramentum, denuo genuflectunt; & eodem ordine quo ſupra, procedunt in Chorum, ubi Collegiales ſuos ſtantes Celebrans ipſe, & Aſsiſtentes parati ab utraque parte Chori ſalutant, nudo capite, & cum inclinatione capitis ſola, incipientes ſcilicet a digniori, qui etiam nudo & ipſi capite ſtantes capitis inclinatione eos conſalutant, Celebrantem ſcilicet, ejuſque Aſſiſtentes.

§. IV.

Canonicus vero paratus Celebrans accedit ad ſcamnum panno coopertum in cornu Epiſtolæ præparatum, vel ad ſtallum, ſeu primam ſedem Chori ab ea parte, quæ eidem illa hebdomada obtigerit, in qua ſede ponetur pulvinum, & alterum cum tapete ſuper alio ſcamno, ſeu genuflexorio ante ſe poſito, ſuper quo etiam ponitur Liber ſerico coloris ceterorum paramentorum tectus; & ubi non adeſt tale ſcamnum, in aliquo legili, quod ponitur ante Celebrantem, & removetur, prout opus eſt; quo caſu tapete ſternitur ante ipſum Celebrantem.

§. V.

Sedet ibi paululum, Presbyteri vero parati ſtant ante eum in plano; & cum per Cæremoniarium fit ſignum inchoandi, ipſe Canonicus Celebrans ſurgit, ſurgentibus omnibus de Choro, qui ſecrete dicit; *Pater noſter &c.* & *Ave Maria*, integre; quibus dictis, elevatur ei pars dextera Pluvialis aliquantulum per Cæremoniarium, vel per primum Aſſiſtentem paratum, ſi ſint in ſcamno; & ipſe ſe ſignat ſigno Crucis a fronte ad pectus, dicens clara voce, & in cantu competenti, *Deus in adjutorium &c.* prout ſupra celebrante Epiſcopo dictum eſt.

COMMENTARIUS.

I. SAlutato Choro, præcedente Cæremoniario, accedit Celebrans ad ſcamnum panno coopertum in cornu Epiſtolæ, vel ad ſtallum, ſeu primam Sedem Chori ab ea parte, quæ eidem illa hebdomada obtigerit, panno, vel aliquo tapete tectam cum pulvino uno, & ſuper genuflexorio ante ſe poſito, ſi fieri poteſt, altero pulvino locato, ſuper quo etiam, vel ſuper legili, ſi tale genuflexorium apponi non poſsit, tapete etiam cooperto, poſitum eſſe debet Breviarium majoris formæ tectum velo ſericeo coloris paramentorum cum ſignaculis in eo aptatis, ubi ſint ea, quæ ipſe cantare, aut dicere debet, & in quo accentus recte notati reperiantur, ne in legendo erret, ſyllabas longas corripiens, & breves prodiens. Legile autem ita aptari debet, ut facile

Digitized by Google

facile inde amoveri posit, quando opus erit, præsertim vero ad incensationem Celebrantis.

II. Ubi ad Sedem suam paratam Celebrans ascendit, cooperto capite in ea aliquantulum sedet, Presbyteri vero parati stant ante eum in plano, vel in medio Chori, juxta situm, & consuetudinem Ecclesiarum; si enim angustia loci, aut aliquid aliud obstet, parati ipsi Presbyteri, postquam Celebrantem comitati fuerint ad Sedem suam, accedere possunt ad eorum scabella parata in medio Chori, hinc inde contra Altare disposita, & ornata panno viridi, aut tapetibus, ut in sequenti §. VI. habetur, & ibi sedere. Pulsantur interim Organa, quæ tamen statim cessant, ubi per Cæremoniarum datur signum incipiendi cum inclinatione Celebranti; & tunc omnes, & ipse Celebrans surgunt, & dato bireto Cæremoniario, vel alteri Clerico, dicunt omnes stantes nudo capite versus Altare, & manibus junctis, secreto, *Pater noster &c.* & *Ave Maria &c.* integre. Quibus dictis, elevatur ei pars dextera Pluvialis aliquantulum per Cæremoniarium, vel per primum Assistentem paratum, si sint in scamno, & ipse dextera aperta signat se signo Crucis a fronte ad pectus, clara voce, & in cantu competenti dicens: *Deus in adjutorium meum intende*, ad unumquoque verbum tangens manu, primo frontem, deinde pectus, mox humerum sinistrum, ultimo dexterum, & in fine jungens manus ante pectus; cum dicitur Versiculus, *Gloria Patri &c.* caput inclinat; de quibus Cæremoniis jam nos alias abunde diximus supra in Commentariis ad Cap. I.

§. VI.

Tunc unus ex dictis Presbyteris paratis facta Altari reverentia, ac ducente Cæremoniario, accedit ante ipsum Canonicum celebrantem, & illi profunde inclinat; & expleto per Chorum Versiculo, *Sicut erat &c.* & *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine &c.* ipse stans præintonat illi Antiphonam primi Psalmi; qua per Canonicum celebrantem repetita, ipse iterum facta reverentia ante illum, & Altare, ut prius, recedit cum Cæremoniario ad sedilia in plano Chori disposita hinc inde contra Altare, & ornata panno viridi, aut tapetibus, ubi sedet cum aliis Presbyteris paratis.

§. VII.

Expleta per Chorum Antiphona, duo Cantores Cottis induti intonant Psalmos in medio Chori, & incepto primo Versu Psalmi, omnes sedent; & sic remanent sedentes usque ad Capitulum, nisi quatenus pro intonatione Antiphonarum surgunt.

§. VIII.

Cum dicitur Versiculus, *Gloria Patri &c.* in fine cujuslibet Psalmi, omnes caput detegunt, illudque sedentes profunde inclinant, sic permanentes usque ad Versiculum, *Sicut erat &c.* Cantores duo prædicti, vel ultimus ex dictis Presbyteris, Pluvialibus paratis, si sint plures, quam duo, præintonant cæteras Antiphonas Canonicis ab utraque parte Chori per ordinem, incipiendo a digniori; & cum aliquis ex Canonicis reassumturus Antiphonam surgit, pariter omnes tam Canonici, quam alii de Clero surgunt, & illo sedente, sedent.

COMMENTARIUS.

I. CUm dicitur Versiculus, *Sicut erat &c.* tunc primus Assistens paratus Presbyter, facta Altari debita reverentia, idest, genuflexione, ducente Cæremoniario, aut alio, si ille absit, accedit ad Celebrantem propius, cui profunde se inclinat, cavens, ne terga Altari vertat; & expleto per Chorum, *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine &c.* & non prius, præintonat illi primam Antiphonam primi Psalmi, clara quidem, & sonora voce, non autem ab omnibus de Choro, & populo intelligibili, ut alicubi fieri assolet; qua per Celebrante repetita, & non prius, ipse Assistens iterum ipsi, & Altari debitam facit reverentiam, & cum Cæremoniario ad sedile suum, quod una cum sedilibus aliorum Coassistentium in medio Chori paratum est, recedit, ibique cum aliis sedet.

II. Antiphona per Chorum expleta, ex præscripto §. VII. *Duo Cantores Cottis induti intonant Psalmos in medio Chori*. Verum jam fere ubique ex consuetudine recepta, ipsi Assistentes intonant primum Versum Psalmi cum nota, cantusque præsertim Gregorianus, quem firmum appellant, adhibetur. Inchoato primo Versu, & non prius, Celebrans, & omnes alii sedent tecto capite, sicque remanent sedentes usque ad Capitu-

Digitized by Google

pitulum, niſi ex accidenti ſurgere cogantur pro intonatione Antiphonarum, atque Pſalmorum. In quibuſdam tamen Eccleſiis Regulares ſtando cantant Veſperas juxta laudabilem eorum conſuetudinem, & veterem Eccleſiæ diſciplinam, de qua ſuperius mentionem fecimus. Cum dicitur, *Gloria Patri &c.* in fine cujuslibet Pſalmi, omnes caput detegunt, illudque ſedentes profunde inclinant, ſic permanentes uſque ad Verſiculum, *Sicut erat &c.* excluſive; laudanda tamen laudabilis eorum conſuetudo, qui ad ipſum Verſiculum, *Gloria Patri &c.* non modo caput detegunt, verum etiam ſurgunt, & caput inclinant. Verſus ipſe, *Gloria Patri &c.* poteſt, ut alias diximus, ſolemniori modulatione decantari, & finito quolibet Pſalmo, Antiphona cum Organo repeti, modo unus clara, & intelligibili voce recitet ea, quæ cantantur per Organum.

III. Ipſi præterea Aſſiſtentes aliis Canonicis præintonare alias Antiphonas ſolent, incipiendo a dignioribus ab utraque parte Chori, eodem modo quo primam cum debitis reverentiis; & ſi contingat, eos ante Celebrantem tranſire, eidem ſe inclinabunt. At cum ipſe, cui præintonatur Antiphona, ſurgit, ex præſcripto noſtri §. VIII. *pariter omnes tam Canonici, quam alii de Clero ſurgunt, & illo ſedente, ſedent.* Verum juxta morem inſignium Eccleſiarum cum alicui præintonatur Antiphona, qui ſunt a parte illius Chori, ſurgunt, detegentes capita ſua, excepto ſemper Celebrante. Ille præterea, cui Antiphona ab Aſſiſtente præintonatur, reſpondere præintonanti debet in reverentia ante, & poſt, inclinando ſcilicet caput. Cum autem unus Aſſiſtentium ſurgit præintonaturus Antiphonam, vel aliquid aliud facturus, ex aliquorum ſententia alii pariter Aſſiſtentes ſurgunt, & ſtant nudo capite, donec redierit ad locum ſuum, & tunc mutuam ei facient reverentiam, aliis aliter aſſerentibus, ipſamque aliorum Miniſtrorum Cæremoniam improbantibus.

§. IX.

Finitis Pſalmis, duo Acolythi ſimul deferentes candelabra cum candelis accenſis cum dictis Presbyteris paratis accedunt ad Celebrantem, eique faciunt reverentiam, & hinc inde ad ejus latus aſſiſtunt in plano Chori: ipſe vero Canonicus, finita Antiphona, ſeu ſono Organi, ſurgit, capite detecto, junctiſque manibus, cantat Capitulum; & eo finito, primus ex dictis Presbyteris paratis, accedens propius ante ejus faciem, intonat illi Hymnum: quo per eum repetito, prædicti Acolythi, ac Presbyteri parati, facta Canonico reverentia, recedunt ad loca ſua, ubi parati ſtant manibus junctis, donec perficiatur Hymnus.

COMMENTARIUS.

I. CUm cantatur ultimus Pſalmus, Thurifer arius, facta debita reverentia Celebranti, & Choro, in Sacriſtiam pergit, ubi ignem in thuribulum immittit, & Ceroferarii in candelabris ſuis cereos accendunt, igne a proxima lampade aſſumto, vel etiam ab Altari, ſi aliter commode fieri non poteſt. Circa finem ejuſdem ultimi Pſalmi, vel dum repetitur ultima Antiphona, duo ipſi Ceroferarii ſimul deferentes candelabra cum candelis accenſis, una cum Presbyteris paratis accedunt ad Celebrantem, eique faciunt reverentiam; & illi quidem ſe hinc inde ante ipſum Celebrantem, & a lateribus ejus in plano collocant, facie ad ſe invicem, vel ad Celebrantem verſa, prout loci ſitus requirit; ipſi vero Aſſiſtentes parati ita hinc inde ſe ponunt, ut ipſi Celebranti ſint propiores in plano Chori; Cæremoniario tunc a dexteris ſtante, ſi fieri poteſt, Ceroferarii, qui eſt a dexteris Celebrantis; cuncti autem cavebunt, ne terga vertant Altari, vel ipſi Celebranti, & ne ſint in via, dum cantatur verſus, *Gloria Patri &c.* quod ſi aliter fieri non non poteſt, tunc omnes tam Ceroferarii, quam Aſsiſtentes inclinare profunde ante Altare ſe debent, & ſi in acceſſu ad Altare ſint genuflexi, dum idem verſus inchoatur, non debent inde ſurgere, quin ille Verſus ſit prius completus.

II. Notant hæc Caſtaldus, Gavantus, Bauldryus, aliique ſacrarum Cæremoniarum Expoſitores. Ad Celebrantem autem quod attinet, ipſe, ut ait hic §. noſter, *finita Antiphona, ſeu ſono Organi, ſurgit, capite detecto, junctiſque manibus cantat Capitulum*, ex Libro ſcilicet ſuper genuflexorium, vel legile poſito, vel ab aliquo Clerico ſuſtentato. Finito Capitulo, & reſponſo per Chorum, *Deo gratias*, primus ex dictis Presbyteris paratis, accedens propius ante Celebrantis faciem, inchoat illi Hymnum, ideſt, initium Hymni, cum reverentiis ante & poſt: quo per eum repetito, prædicti Acolythi, ac Presbyteri parati, factis iterum reverentiis Celebranti recedunt ad loca ſua, ubi ſtant, junctiſque manibus, & nudo capite, ſicut Celebrans; ceteri de Choro capite detecto. Ceroferarii autem poſt inchoatum Hymnum, recedentes & ipſi cum debitis reverentiis, deponunt candelabra in aliquo loco congruo, vel ubi prius, ut memorati Auctores docent, qui etiam & ſcite notant, quod ſi dicantur Hymni, *Veni Creator Spiritus*, vel *Ave maris ſtella*, Celebrans dum illos incipit, genuflectere debet, & Aſſiſtentes non diſcedere, ſed genuflectere verſus Altare ibidem, donec abſolvatur

Digitized by Google

vatur primus verſus, ideſt, prima ſtropha, ut ajunt, ſtantibus tamen Ceroferariis, qui finito primo ipſo verſu recedent cum aliis ad loca ſua, uti a nobis jam alibi dictum eſt.

§. X.

Quo expleto, duo ultimi ex eiſdem paratis, accedentes ad medium Chori ante Altare cum debita reverentia, æqualiter ibi ſtantes, cantant ſimul Verſum voce altiori, quibus Chorus reſpondet: primus vero ex ipſis rediens ante Celebrantem, cum debita reverentia præintonat illi Antiphonam ad *Magnificat*, qua per Celebrantem repetita, ipſe Celebrans, & alii omnes in Choro ſedent; & cum inchoatur Canticum, *Magnificat*, quod a duobus Cantoribus Cottis paratis intonatur, omnes ſurgunt, & ipſe Celebrans ſalutans hinc inde Canonicos capitis inclinatione, qui ei aſſurgere debent, capitibus detectis, vadit ad Altare cum dictis Presbyteris paratis, ordine, quo venerant, & faciunt Altari profundam reverentiam; aut ſi ſuper eo ſit Sanctiſſimum Sacramentum, genuflectunt ante infimum gradum: Celebrans cum duobus ex dictis paratis aſcendit ad medium Altaris, quod oſculatur, mox vertens ſe verſus cornu Epiſtolæ Altaris, ubi Thuriferarium ante eum ſtans inclinatus offert illi thuribulum apertum cum prunis ardentibus, miniſtrante ei Presbytero parato a dextera illius aſſiſtente naviculam cum cochleari, imponit thus in thuribulum, & benedicit more conſueto; acceptoque thuribulo de manu ejuſdem Presbyteri parati, thurificat Altare debito ritu; mox thuribulum reddit eidem Presbytero parato, a quo acceperat, & ille Thuriferario: & facta Altari reverentia ſimul cum dictis Presbyteris paratis, ordine, quo venerant, recedunt ad ſua loca, ſalutatis iterum redeundo Canonicis ab utraque parte Chori, ut prius.

§. XI.

Canonicus Celebrans ſtans in loco ſuo in Choro, invitato prius ad honorem incenſationis proximiore Canonico, caput inclinando, aut, ſi adſit, Vicario Epiſcopi, vel alio digniori, qui immediate poſt eum debent incenſari, incenſatur a primo ex dictis Presbyteris paratis triplici ductu thuribuli cum profunda capitis inclinatione ante, & poſt incenſationem.

COMMENTARIUS.

I. HYmno finito, duo ultimi ex eiſdem aſſiſtentibus Presbyteris paratis, accedentes ad medium Chori ante Altare cum debita reverentia cantant ſimul Verſum voce altiori; quibus Chorus reſpondet. Teſtatur autem Bauldryus in ſuo Manuali Parte II. Cap. XI. Articulo I. Num. XXVIII. in quibuſdam Eccleſiis duos Acolythos, & ſæpe Ceroferarios pari diſciplina eundem verſum in eodem loco manibus junctis, & ſine candelabris decantare. Quicquid vero de eo ritu ſit, ex præſcripto noſtri §. x. dum Chorus reſpondet ad verſum, primus ex Aſſiſtentibus prædictis rediens ante Celebrantem cum debitis reverentiis præintonat illi Antiphonam ad *Magnificat*, qua per ipſum Celebrantem repetita, Celebrans, & alii omnes in Choro ſedent, & caput tegunt, donec illa fuerit integre decantata.

II. Finita Antiphona in Choro, duo Cantores Cottis induti, vel ut plurium Eccleſiarum mos eſt, duo ex Aſſiſtentibus parati intonant Canticum, *Magnificat*; & tunc omnes ſurgunt, & ipſe Celebrans, ac alii omnes Aſſiſtentes depoſitis biretis ſuis ſuper ſedilia ſua, facto prius ſigno Crucis a fronte ad pectus, quod etiam faciunt omnes alii de Choro erecti, ac nudo capite ſtantes propter reverentiam ſacri Cantici, quod de Euangelio ſumtum eſt, ac ſalutatis ab utraque parte Chori Canonicis capitis inclinatione, qui eis correſpondent in reverentia, capita ſua inclinantes, ordine quo venerant, procedunt ad Altare, Thuriferario, Ceroferariis, ac Cæremoniario ante eos præcedentibus, itaut duo poſtremi Aſſiſtentes hinc inde elevent partem anteriorem Pluvialis Celebrantis, & ibi ante infimum gradum debitam faciunt reverentiam, Celebrans ſcilicet inclinatione capitis, & humerorum, inferiores vero Miniſtri genibus flexis, niſi adſit in Altari Tabernaculum cum Sanctiſſimo Sacramento, nam tunc etiam Celebrans genuflectet ante infimum ſcilicet gradum Altaris.

III. Facta debita Altari reverentia, mox Celebrans cum duobus ex dictis paratis aſcendit ad medium Altaris, quod oſculatur; vertenſque ſe verſus cornu Epiſtolæ Altaris, miniſtrante cum

Digitized by Google

cum ſolitis oſculis primo Aſſiſtente naviculam cum cochleari, & Thuriferario thuribulum, imponit thus in thuribulum, & benedicit more conſueto; acceptoque thuribulo de manu ejuſdem primi Presbyteri parati a dextera ipſius aſſiſtente thurificat Altare debito ritu jam alias explicato, duobus primis Aſſiſtentibus hinc inde fimbrias anteriores Pluvialis elevantibus, aliiſque, ſi adſint in plano ſtantibus verſa facie ad Altare, Thuriferario ſtante etiam in plano ad cornu Epiſtolæ, & verſa facie ad Altare.

IV. Incenſato autem Altari, uti jam non uno in loco dictum eſt, Celebrans reddit thuribulum eidem primo Presbytero parato, qui illud recipit cum ſolitis oſculis, & tradit Thuriferario, ſtanti in cornu Epiſtolæ, uti dictum eſt. Tum rediens Celebrans ad medium Altaris, & Aſſiſtenſtentes hinc inde ſimul cum eo, caput etiam inclinant Cruci, poſtea in planum deſcendentes debitas Altari reverentias faciunt, eoque ordine in Chorum redeunt, quo venerant, ac ſervatis iiſdem ſalutationibus. Ceroferarii vero deponunt candelabra in loco apto, ſi multum ſuperſit temporis uſque ad Orationem, alias vero manentes ante ipſum Celebrantem, ea accenſa ſuſtinent. Aſſiſtentes autem Celebrantem ducunt uſque ad Sedem ſuam, ubi ſtant donec incenſatus fuerit a primo, ſtatimque ad loca ſua redeunt, facta prius ei reverentia.

V. Celebrans tandem ubi ad locum ſuum aſcendit, invitato prius ad honorem incenſationis, proximiore Canonico, caput inclinando, aut, ſi adſit Vicario, vel alio digniori, qui immediate poſt eum debeat incenſari, incenſatur triplici ductu thuribuli a primo ex Aſſiſtentibus cum profunda inclinatione ante & poſt, cui Celebrans ipſe aliquantulum correſpondet in ſalutatione, Thuriferario interim fimbriam Pluvialis anteriorem ipſius Presbyteri thurificantis Celebrantem paulum elevante.

§. XII.

Thuriferarius, vel ultimus ex Aſſiſtentibus paratis, quatenus ſint ſex, vel quatuor, accepto de manu ejuſdem Presbyteri thuribulo, thurificat omnes Canonicos ordine ſuo cum reverentiis ante, & poſt, duplici ductu; deinde ceteros de Choro unico ductu, primo tantum in ordine, capite inclinato.

§. XIII.

Advertant interim Cantores, & Organiſta, ut cantum, & ſonum invicem alternatim ita dimentiantur, ut ante repetitionem Antiphonæ, incenſatio ſit expleta. Cum repetitur a Choro Antiphona, omnes ſedent. Interim Acolythi duo cum candelabris, ac cereis accenſis, & Presbyteri parati accedunt ad Canonicum celebrantem, aſſiſtendo, ut ſupra, factis ſolitis reverentiis.

COMMENTARIUS.

I. CElebrante incenſato, Thuriferarius, vel ultimus ex Aſſiſtentibus paratis, quatenus ſint ſex, vel quatuor, juxta ritum, qui paſſim in Baſilicis Urbis ſervatur, accepto de manu ejuſdem Presbyteri thuribulo, thurificat omnes Canonicos nudo capite ſtantes, ordine ſuo, cum reverentiis ante & poſt, duplici ductu, deinde ceteros de Choro unico ductu, facta prius ſimul omnibus inclinatione. Quod vero ſpectat Aſſiſtentes, tametſi nihil de ipſorum thurificatione §. hic noſter XII. præſcribat, docent tamen ii, qui ſacras Cæremonias enarrant, quod ſi Aſsiſtentes ipſi ejuſdem ordinis ſunt, cujus ſunt Canonici, incenſantur ante Canonicos, quia ſunt parati; ſi vero inferioris, poſt Canonicos, ſed ſemper duplici ductu; ceteri de Choro unico, vel ſolum tranſeundo ſine mora, ut in Baſilicis Urbis ſervatur; ſive etiam duplici, ſi ſit conſuetudo, ut ait Bauldryus, Parte II. Cap. XI. Articulo 1. Num. XXXV. ſed hæc conſuetudo non placet, debet enim fieri diſtinctio inter Canonicos, & alios de Choro, qui inferioris ſunt ordinis. De incenſatione hujuſmodi videri poſſunt quæ ſupra diximus Lib. I. Cap. XXIII.

II. Porro, uti mandat noſter hic §. XIII. advertere debent Cantores, & Organiſta, ut cantum, & ſonum invicem alternatim ita dimetiantur, ut ante repetitionem Antiphonæ, incenſatio ſit expleta, ſive antequam Celebrans dicat, *Dominus vobiſcum*; quia tunc omnino ceſſare debet thurificatio. Dum autem dicitur Verſus, *Gloria Patri*, Thuriferarius ceſſans a thurificatione inclinat ſe verſus Altare; eoque dicto, thurificationem ipſam proſequitur, ſi non eſt completa. Quod ſi advertat, non ſatis ſupereſſe temporis ad complendam totam thurificationem, ante Verſiculum, *Dominus vobiſcum*, ſtatim poſt ipſum Verſum, *Gloria Patri*, ut inter alios idem Bauldryus monet, relicta incenſatione Cleri incompleta, vel iis incenſatis, quaſi ſine mora, pergit ad incenſandum populum, dum dicitur Verſus, *Sicut erat &c.* Ceterum cum repetitur Antiphona ex ejuſdem noſtri §. præſcripto omnes ſedent, interim vero duo Acolythi cum candelabris,

Digitized by Google

labris, ac cereis accensis, & Presbyteri parati accedunt ad Canonicum celebrantem assistendo ad Orationem, ut supra ad Capitulum, factis scilicet solitis reverentiis Altari nempe, & Celebranti.

III. Reliquum est, ut ad hujus §. calcem de Cantoribus ipsis, quorum in hoc præsertim Capite fit mentio, illud notemus, non posse scilicet Canonicos cogi ab Episcopo, ut eam provinciam subeant, & Cantores ipsi agant, licet hæc olim fuerit consuetudo; quia scilicet ex nostro Cæremoniali, cui standum est, munus illud ab aliis Presbyteris exerceri debet, & is est communis usus.

§. XIV.

Expleta Antiphona, omnes surgunt, Canonicus vero Celebrans stans junctis manibus, cantat, *Dominus vobiscum*. *Oremus*, & Orationem competentem cum sua conclusione, vel plures, pro qualitate temporum secundum regulas, & Rubricas Breviarii.

§. XV.

Qua, seu quibus finitis, duo ex ultimis dictis Presbyteris paratis accedunt ad medium Chori, ad Altare versi, & ibi voce altiori cantant, *Benedicamus Domino*; & redeunt ad Celebrantem, qui, dicto, *Fidelium animæ &c.* si Completorium continuetur, salutatis Canonicis ab utraque parte Chori, discedit cum prædictis paratis, ordine, quo venerat: si vero non sequatur Completorium, expletis a Celebrante Orationibus cum suis conclusionibus, ac eodem loci, dicto remissiori voce: *Fidelium animæ &c.* & secreto, *Pater noster*; & in fine mediocri voce, *Dominus det nobis suam pacem*, incipit Antiphonam B. Mariæ, stans ibidem, seu genuflectens, stantibus pariter, vel genuflectentibus omnibus, quando juxta regulas Breviarii standum, vel genuflectendum est, pro ratione temporis, quam postea submissa voce prosequitur, & in fine dicit voce item summissa Versiculum, Orationem, & *Divinum auxilium &c.* deinde discedit, ut supra.

COMMENTARIUS.

I. ANtiphona ad Canticum, *Magnificat*, expleta, omnes surgunt, nudo capite stantes, Celebrans nudo & ipse capite, ac manibus junctis cantat versus Altare, *Dominus vobiscum*, *Oremus*, & Orationem cum sua conclusione, vel plures pro qualitate temporum, & juxta regulas, & Rubricas Breviarii. Finita Oratione, vel pluribus, si plures dicendæ sint, duo ex ultimis dictis Presbyteris assistentibus paratis, facta inclinatione Celebranti, accedunt ad medium Chori versus Altare, ubi antea cantaverunt versum ad Antiphonam, *Magnificat*, ibique facientes prius Altari debitam reverentiam, cantant altiori voce, & cum nota, uti est in Directorio Chori, *Benedicamus Domino*; tum facta iterum reverentia debita, ad Celebrantem redeunt cum inclinatione profunda, qui humiliori voce dicto, *Fidelium animæ &c.* si Completorium continuetur, salutatis nudo capite Canonicis ab utraque parte Chori, discedit una cum suis Ministris in Sacristiam eo scilicet ordine, quo venerant ad Altare.

II. Notanda nunc sunt quæ tandem ait §. noster xv. *Si vero non sequatur Completorium, expletis a Celebrante Orationibus cum suis conclusionibus, ac eodem loci, dicto remissiori voce*, Fidelium animæ &c. *& secreto*, Pater noster, *& in fine mediocri voce*, Dominus det nobis suam pacem, *incipit Antiphonam Beatæ Mariæ stans ibidem, vel genuflectens, stantibus pariter, vel genuflectentibus omnibus, quando juxta regulas Breviarii standum, vel genuflectendum est, pro ratione temporis, quam postea submissa voce prosequitur, & in fine dicit voce item submissa, Versiculum, Orationem*, Divinum auxilium &c. *deinde discedit ut supra*. Hactenus postrema pars nostri §. xv. in quo quædam a Benedicto XIII. in novo hoc nostro Cæremoniali adjuncta sunt, quæ in aliis ante ipsum editis desiderantur. Sic enim illa habebant: *Si vero non sequatur Completorium, dicit Antiphonam Beatæ Mariæ genuflexus, pariter omnibus genuflectentibus, quando juxta regulas Breviarii Romani est genuflectendum, & in fine dicit vocem submissa Versiculum, Orationem, &* Divinum auxilium &c. *deinde discedit ut supra*.

III. Sed ut Rubricam §. nostri enarremus, ea verba, quibus dicitur, *expletis a Celebrante Orationibus cum suis conclusionibus*, intelligi debent juxta Rubricas generales Missalis Romani, Parte I. Tit. VII. Num. VII. *Quando dicuntur plures Orationes, prima tantum, & ultima cum sua conclusione terminatur, & ante primam, & secundam Orationem tantum, dicitur, Oremus; ante primam dicitur etiam, Dominus vobiscum*. Ubi itaque plures Orationes dicuntur, prima tantum & ultima cum sua conclusione terminatur, & prima quidem, quia est propria officii, ultima vero quia comprehendit alias, quæ ideoque Col-

Digitized by Google

lectæ dicuntur, quamquam aliæ causæ sunt, cur Collectæ vocentur. Quandoque prima, & secunda Oratio sub una conclusione dicuntur, ut unica videatur Oratio in Missa celebrari; quod præsertim jubetur fieri in Collatione Ordinum, Consecratione Episcoporum, Virginum, Ecclesiarum, & Altarium; itemque in Benedictione Abbatum, Abbatissarum, Cœmeterii; in Benedictione quoque Regum, & Reginarum. Atque in his tantum casibus uniri duas Orationes sub uno, *Per Dominum &c.* docet Burchardus in ordine celebrandi Missam, & ex eo Gavantus in Nota ad recitatam Missalis Rubricam.

IV. Expletis Orationibus, eodem loci, ubi illas Celebrans cantavit, remissiori voce idem Celebrans dicit, & quidem ex recentiori Ecclesiæ instituto, *Fidelium animæ &c.* & secreto, *Pater noster*; & in fine mediocri voce Versum, *Dominus det nobis suam pacem*, quem olim jam apud aliquos fuisse in usu, docet Durandus, qui floruit Seculo XIII. Lib. v. sui Rationalis, Cap. II. Numero VI. Dicto eo Versu a Celebrante, & responso a Choro, *Et vitam æternam*, *Amen*, Celebrans ipse *incipit Antiphonam Beatæ Mariæ stans ibidem*, *seu genuflectens*, *stantibus pariter*, *vel genuflectentibus omnibus &c.* Antiphonæ in Beatæ Virginis honorem, quæ ad Completorii finem recitantur, pars quidem officii non sunt, sed ad devotionem dici solent, locumque serius in Breviario Romano obtinuerunt. Affirmat Bzovius, Gregorium IX. Papam anno MCCXXXIX. jussisse, ut *Salve Regina &c.* recitaretur, verum ut notant Gavantus in Rubricas Breviarii Romani, Sectione v. Cap. XXII. Num. XII. & Grancolas in Breviarium ipsum Romanum Cap. XL. id in nullo Breviario ante annum MDXX. invenitur, Cardinalis vero S. Crucis suo inseruit, atque inde procul dubio Pius V. in Romanum suum transtulit. Porro Lucas Wadingus ad annum MCDXLIX. profert Epistolam quamdam Joannis de Parma Generalis Ministri Fratrum Minorum, ubi mentio fit quatuor Antiphonarum, quæ hodie recitantur, quasi per ea tempora usu receptæ essent.

V. Omnium hujusmodi Antiphonarum celeberrima est, *Salve Regina &c.* quam Trithemius Hermanno Monacho Reichnaviensi in Svevia tribuit, *Contracto* appellato, quia ab infantia membra contracta habebat, obiitque anno MLIV. Hæc Antiphona, sive Oratio, *Salve Regina*, in ore omnium maxime fuit, extantque in ipsam Sermones quatuor, atque Meditationes, qui S. Bernardo tribui solent. In Chronico Spirensi scriptum est, quod cum *Salve Regina* in Ecclesia Spirensi caneretur, atque ibi S. Bernardus adesset, tres hasce postremas voces, atque genuflexiones addidisse, *O clemens*, *o pia*, *o dulcis Virgo Maria*. In Oratione ista, ut idem Grancolas observat, nonnulla immutata sunt; cum enim vulgo dicamus: *Salve Regina*, *Mater misericordiæ*, *vita*, *dulcedo*, Charthusiani dicunt: *Salve Regina misericordiæ*, *Vitæ dulcedo*; sequuti enim sunt Hermanni scripturam, qui ejus auctor est. Verum in Sermonibus S. Bernardo adscriptis, in Romano Breviario, atque ubique fere dicitur: *Salve Regina*, *mater misericordiæ*, *vita*, *dulcedo*, *& spes nostra &c.* Quæ verba perperam ab hæreticis nostri ævi carpuntur, uti videre est apud Bellarminum. Quidquid autem ipsi obganniant, jam minime gravius ducendum est, B. Virginem misericordiæ matrem, nostramque vitam, & spem nostram appellare, cum per eam Jesum Christum acceperimus, per quem misericordiam obtinemus, quique vitæ nostræ principium, & auctor est, atque ad B. Virginis preces speramus id, quod Jesus Christus ejus filius nobis promisit, atque pro nobis meritus est vitam præcipue æternam.

VI. Quantum ad ejus Antiphonæ usum, celebre est, quod ait Thomas Cantipratanus unus e primis Dominicanæ Familiæ alumnis Lib. III. Apum, Cap. x. *Juste a Fratribus Prædicatoribus Parisiis est sancitum*, *ut post Completorium omni die cum processione*, *& solemnitate cereorum*, Salve Regina misericordiæ, *fusis initio genibus in gloriam*, *& laudem gloriosissimæ Virginis decantaretur*. Unde intelligimus, Scriptorem hunc initium ejus Orationis referre, ut ab Hermanno composita fuerat. Tradit etiam Nangius in Vita sancti Ludovici IX. Regis Francorum, quotidie ipsum post Completorium eam recitari curasse: *In fine Completorii specialis Antiphona B. Mariæ alta voce cantabatur*. Concilium apud Pennam fidelem in Hispania anni MCCCII. Can. XIII. jubet, ut quotidie, *Salve &c.* post Completorium dicatur; *In laudem sanctæ Virginis in singulis diebus post Completorium canatur*, Salve Regina, *alta voce cum Versu*, Ora pro nobis, *& Oratione*, Concede nos famulos tuos. Carthusiani post Completorium, *Salve*, non recitant, sed ad Vesperas, ad Virginis commemorationem faciendam, in Antiphonæ formam cum Versiculo, *Ave Maria*, & Oratione, *Famulorum*. Ad Laudes recitant. *Tota pulchra*. ℣. *Ave*, & *Deus*, *qui de Beatæ Virginis utero*. In Ordine Cistercienſium quotidie, *Salve*, dicitur; Carmelitæ vero ad cujusque horæ, atque etiam ad ipsius Missæ finem.

VII. Ad reliquas Antiphonas vero quod attinet, tribuitur quoque Hermanno Contracto, *Alma Redemtoris mater &c.* quæ versibus exametris constat; quæque ad partum Virginis pertinet. Quisnam fuerit Auctor Antiphonæ, *Ave Regina Cœlorum*, ignorari ait Gavantus loco citato, Numero IX. Antiphonam tandem, *Regina Cæli lætare &c.* ab Angelis inventam, & editam ex antiqua traditione scribit Sigonius, Lib. II. Regni Italici, & ex eo Canisius Lib. ult. de Beata Virgine, Cap. XXII. Ei Antiphonæ additum ultimum Versum, *Ora pro nobis Deum &c.* a S. Gregorio, quando tempore Paschali pestis inguinaria devastabat Urbem, testatur Auctor Vitæ ejusdem Pontificis, & Durandus Lib. VI. sui Rationalis, Cap. LXXXIX. Ab hisce Antiphonis, quæ a Monachis compositæ in nostra Breviaria invectæ sunt, perperam occasionem Protestantes arripuere obtrectandi nobis; sed vide ut illos refellit inter alios Cardinalis doctissimus Bellarminus.

§. XVI.

Digitized by Google

§. XVI.

Eodem modo, & ordine ſemper, diebus Dominicis, & Feſtivis, quæ a populo obſervantur, a Canonico Hebdomadario tam in Collegiatis, quam in Cathedralibus Eccleſiis, abſente Epiſcopo, Veſperarum Officia celebrantur; ea tamen moderatione adhibita, quod in Feſtis ſolemnioribus, ut in Natali Domini noſtri Jeſu Chriſti, Epiphania, Paſchate Reſurrectionis, Aſcenſione, Pentecoſte, in Feſto Corporis Chriſti, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumtionis Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, Sancti Titularis Eccleſiæ, & Patroni Civitatis, vel Eccleſiæ Dedicationis, ſex Pluvialia a Presbyteris, ſeu Clericis totidem, Hebdomadario aſſiſtentibus ſumantur.

§. XVII.

In aliis Feſtis immediate ſubſequentibus diem Nativitatis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes; item in Feſtis Circumciſionis Domini, Purificationis, Annunciationis, & Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, Sanctiſſimæ Trinitatis, & Sancti Joannis Baptiſtæ, quatuor tantum Pluvialia ſumantur. In duplicibus autem minoribus, ſemiduplicibus, ſimplicibus, & Feriis, non oportet Celebrantem, ſeu Hebdomadarium eſſe paratum, nec fieri thurificationes.

COMMENTARIUS.

I. EOdem modo, & ordine, ait Rubrica §. XVI. diebus Dominicis, & Feſtivis, quæ a populo obſervantur, *a Canonico Hebdomadario*, tam in Collegiatis, quam in Cathedralibus Eccleſiis, abſente Epiſcopo, Veſperarum Officia celebrari, ea tamen moderatione adhibita, quod in Feſtis ſolemnioribus, ut in Natali Domini & aliis in ipſo §. numeratis ſex Pluvialia a Presbyteris, ſeu Clericis totidem, *Hebdomadario* aſſiſtentibus ſumantur; in aliis autem Feſtis immediate ſubſequentibus diem Nativitatis Domini &c. ait Rubrica §. XVII. quatuor tantum ſumi Pluvialia; in Dominicis vero, & aliis Feſtis duo. *In duplicibus autem minoribus, ſemiduplicibus, ſimplicibus, & Feriis non oportet*, ait idem §. *Celebrantem, ſeu Hebdomadarium eſſe paratum, nec fieri thurificationes*. Quæ verba nunc primum adjuncta fuerunt huic novo Cæremoniali juſſu Benedicti XIII. edito; in antiquioribus enim deſiderantur.

II. Sed quidquid ſit de eo additamento, quod alias optime factum eſt ad diſtinguenda Officia majorum, & minorum celebritatum; notandum hic illud a nobis eſt, quod ex teſtimonio complurium Doctorum, imo & ex Decretis Sacræ Rituum Congregationis, ad Dignitates ſpectat exercitium ſolemniorum functionum, quæ nuncupantur Pontificales; itaut vel ad primam Dignitatem, vel ad ſequentem in gradu, non ad Canonicum Hebdomadarium ſpectet, neque per Epiſcopum alteri, nec ipſi ſuo Generali Vicario committi poſſit eodem modo, quo, impedita prima Dignitate, non poteſt eadem pro libito aliam ſubrogare in ejus locum, ſed in illum ſubintrat Dignitas ſubſequens in gradu, quia aliter fieret præjudicium digniori, & ſequeretur prærogativarum confuſio, ex traditis per Cardinalem de Luca, *De præeminentiis*, Diſcurſu XIX. Num. XI. & *De Regularibus*, Diſcurſu LXIV. Num. II. Pignatellum Tomo IV. Conſultatione XXVII. Numero V. Barboſam in Tractatu, *De Canonicis*, Cap. V. Num. XLVI. & XLVII. & in Summa Apoſtolicarum Deciſionum, Collectan. CCLIII.

III. Varia ejus rei Decreta Sacræ Rituum Congregationis recenſet laudatus Barboſa in ipſo Tractatu de Canonicis, ait enim, allato ad ipſam Sacram Congregationem Dubio, an impedito, ſeu nolente Epiſcopo Miſſas Pontificales per ſeipſum celebrare, poſſit id munus alteri ſibi beneviſo pro libito voluntatis ſuæ demandare, cenſuit eadem in una Algaren. die XX. Februarii anno MDCI. non poſſe in præjudicium primæ Dignitatis, ad quam ſpectat. Idem edixit in Puteolana Præeminentiarum die IX. Decembris MDCCXXII. & in Meliten. IV. Aprilis MDCXV. Sed nec ipſam primam Dignitatem poſſe pro libito in locum ſuum alium Canonicum, ſeu Dignitatem ſubſtituere, ſed in eo munere proximiorem Dignitatem ſuccedere, & deficientium vices ab aliis immediate ſuccedentibus debere ſuppleri, declaravit Sacra ipſa Rituum Congregatio in una Civitatis Caſtellanæ Oppidi Arignani die XXII. Januarii MDCXVIII. & in Adrien. eodem die, & anno.

IV. His plane concinit diſpoſitio noſtri Cæremonialis Lib. I. Cap. XXVI. & reſolvit etiam novo Decreto eadem Sacra Rituum Congregatio in Gerunden. functionum Pontificalium die XI. Februarii anno MDCCII. in qua inter cetera propoſito Dubio, an nolente, vel impedito Epiſcopo celebrare in ſolemnitatibus majoris hebdomadæ, Paſchatis, Pentecoſtes, ac ceteris, expreſſis in Cæremoniali Epiſcoporum, & ſignanter

Digitized by Google

Cap. XXXIV. Lib. II. prout etiam occaſione Proceſſionis Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & ſimilium, tam iſtæ, quam ceteræ functiones expleri valeant in ejus locum a Vicario Generali, ſive Canonico, ſive alio quocumque, vel potius peragendæ ſint a prima Dignitate, iſtaque impedita gradatim ab aliis ordine ſucceſſivo ? Sacra Congregatio reſpondit, ſpectare ad primam Dignitatem, eaque impedita, gradatim ad alias; ejuſque Decreti meminit jam inter alios Scriptores Scarfantonius ad Ceccoperium Parte I. Lib. II. *Lucubrationum Canonicalium*, Tit. XIII.

V. Quæ autem ſint hujuſmodi functiones Pontificales, ſpectantes ad primam Dignitatem, declaravit eadem Sacra Rituum Congregatio in Andrien. die III. Decembris anno MDCXCII. apud laudatum Scarfantonium Num. X. nempe Feſtum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumtionis Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, Tituli ejuſdem Eccleſiæ, Patroni Civitatis, necnon commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, diſtributio Candelarum, Cinerum, Palmarum, celebratio Officii Feriæ V. in Cœna Domini, Feriæ VI. in Paraſceve, Feſtum Reſurrectionis Domini, & dies ſolemnis Corporis Chriſti cum Proceſſione. Porro hæc adeo certa ſunt, ut minime obſtet contraria conſuetudo; nam, uti legitur apud eundem Scarfantonium Num. XI. Sacra ipſa Rituum Congregatio in Bittinorien. die XXVI. Septembris anni MDCLXXXII. proponente Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinale de Lauræa, utraque parte audita hinc inde, & informante, declaravit, functiones majores ad Epiſcopum ſpectantes, ipſo abſente, vel impedito, ſpectare, & pertinere ad Præpoſitum, primam Dignitatem Eccleſiæ Bittinorien. non autem ad alias Dignitates, & Canonicos ejuſdem Eccleſiæ in hebdomada eis aſſignata, & ita decrevit, & ſervari mandavit, allegata conſuetudine in contrarium non obſtante.

CAP. IV.

Epiſcopus ſi Completorio interſit, & Officium faciat, ubi conſiſtere, & quo habitu debeat. Quomodo incboabit, & perficiet Completorium. Quæ dicenda ſint a Choro, & ab Hebdomadario. Altaris thurificatio ad Canticum prætermittenda. Organum non adhibendum, niſi ſolemnius Completorium celebretur. Quæ præſtanda ſint ab Hebdomadario verſus Epiſcopum. Quo ritu Completorium dicendum in Collegiatis Eccleſiis.

§. I.

Si Epiſcopus Completorio intereſſe, & Officium facere voluerit, aſſiſtet cum ſua Cappa in Choro in ſuo loco, ſeu ſtallo, panno aliquo, vel tapete cum pulvinaribus ornato.

COMMENTARIUS.

I. COmpletorii, ſive Completæ originem, quæ ultima plane eſt divini Officii Hora, a Davide quidem Propheta ducit S. Iſidorus Lib. I. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. XXI. Quicquid autem ſit de uſu Græcorum, certe primus in Occidente, qui Completorii Officium inſtituerit, nemine refragante, agnoſcendus ſanctus Benedictus, quippe qui in ſua Regula, Cap. XVII. ita ſtatuit: *Completorium trium Pſalmorum dictione terminetur. Qui Pſalmi directanee ſine Antiphona dicendi ſunt; poſt quos Hymnus ejuſdem Horæ, lectio una, Verſus*, Kyrie eleiſon, *benedictio, & poſt Miſſæ fiant.* In ſequenti quoque Capite, quod eſt XVIII. mandat, ut ad Completorium iidem Pſalmi repetantur quotidie, ideſt quartus, nonageſimus, & centeſimus trigeſimus tertius. S. Benedictum non multo poſt ſequutus ſanctus Aurelianus, ita in utraque ad Monachos, & ad Virgines Regula decrevit: *Quando repauſaturi eſtis, in ſchola, in qua manetis, Completa dicatur; in primis directanus, & Pſalmus nonageſimus dicatur, deinde capitella conſuetudinaria.* Plura ſcitu digna de Completorio notant Durantus Lib. III. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XII. Gavantus in Rubricas Breviarii Romani, Sectione V. Cap. VI. Martenius, *De antiquis Monachorum Ritibus*, Lib. I. Cap. XII. Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. XXXIX. & alii. Ceterum ex noſtro §. ſi Epiſcopus Completorio intereſſe, & Officium facere voluerit, *aſſiſtet cum ſua Cappa in Choro in ſuo loco, ſeu ſtallo, panno aliquo, vel tapete cum pulvinaribus ornato*; vel etiam in Sede, prout voluerit, uti ſcite notat inter alios Bauldryus, Parte V. ſui Manualis, ubi enarrat Lib. II. noſtri Cæremonialis, Cap. IV. Numero I.

§. II.

Officium vero ipſius erit circa hæc, videlicet, ut dicente Cantore, *Jube Domne benedicere*, ipſe ſtans reſpondeat, *Noctem quietam &c.* & poſt Lectionem brevem, *Adjutorium*

Digitized by Google

jutorium noſtrum &c. deinde, *Pater noſter &c.* tum Confeſſionem, & Abſolutionem, & alia uſque ad *Deus in adjutorium &c.* incluſive, & incepto Pſalmo ſedebit.

§. III.

Cetera omnia dicentur per Chorum, & Hebdomadarium uſque ad Orationem, quam ipſe Epiſcopus cantabit, & demum Benedictionem dabit, dicens: *Benedicat, & cuſtodiat nos omnipotens, & miſericors Dominus &c.* Nulla autem fiet Altaris thurificatio ad Canticum, *Nunc dimittis &c.* nec Organum pulſabitur, niſi forte in aliquibus Eccleſiis hujuſmodi Hora ſolemnius celebrari aliquando conſueverit, quo caſu Organum adhiberi poterit, juxta normam ſuperius traditam.

COMMENTARIUS.

I. CLariſſima ſunt quæ & in Rubricis hiſce notantur. Sciendum tamen, ut olim Completorium celebraretur. Ut enim cæteras Horas diei Canonicas, ita & Completorium a Verſu, *Deus in adjutorium*, incipi voluit in Regula ſua S. Benedictus, nam quæ nunc a nobis præmitti ſolent, poſterioris ſunt inſtituti, & a Monachis mutuata. Incipit itaque Completorium ab illo Verſiculo, *Jube Domne benedicere*, cum brevi illa lectione, *Fratres ſobrii eſtote, & vigilate &c.* Eſtque hæc imatio eorum, quæ S. Benedictus, Cap. XLII. ſtatuit, convenienendum ſcilicet eſſe Veſpere ad collationem habendam, cui initium dabatur lectione aliqua. Poſtquam vero per unius Horæ ſpatium Lectio facta fuerat, ex ejuſdem S. Benedicti præſcripto, Præpoſitus, ut finis imponeretur, ſignum edebat, dicens: *Tu autem &c.* Lector vero reſpondebat: *Tu autem Domine miſerere nobis.* Lectio hæc, ſive collatio, uti poſt alios notat Grancolas in Breviarium Romanum Cap. XXXIX. fiebat in Clauſtro, vel in Capitulo, ad ejuſque finem dicebat Prior: *Adjutorium noſtrum &c.* inde in Eccleſiam ibant, atque ibi quilibet conſcientiam ſuam ſcrutabatur, ſignoque a Priore accepto, invicem confitebantur, dicentes, *Confiteor*; poſtea, *Miſereatur*, juxta Regulæ præceptum: *dicunt omnes, quilibet cum ſocio, Confiteor*, cui reſpondebant, *Miſereatur tui.*

II. Enarratis hucuſque mirifice ſuffragantur, quæ de Completorio ſcribit Amalarius Lib. IV. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Cap. VIII. ubi ita inquit: *Completorium ideo dicitur, quia in eo completur quotidianus uſus cibi, ſive potus, qui neceſſario ſumitur ad ſuſtentationem corporis, ſeu locutio communis. Unde & apud Monachos tenetur uſus ex Regula S. Benedicti, ut ab eo officio clauſtra oris muniant, & ea aliena faciant a communi colloquio, uſque dum iterum ad opera redeat.* His adde quæ idem Auctor ſcribit in Libro *De ordine Antiphonarii*, Cap. VII. & quæ in ſua Regula tradit S. Iſidorus, Cap. VII. *Ante ſomnum autem, ſicut mos eſt, peracto Completorio, valedictis invicem Fratribus, cum omni cautela, & ſilentio quieſcendum eſt, uſquequo ad vigilias conſurgatur.* Porro collatio apud Monachos dicebatur ſacrorum librorum lectio, quæ licet ſtatis horis, maxime tamen poſt cœnam coram ipſis fiebat. Sic autem dicta, quaſi collocutio, vel confabulatio, inquit Smaragdus in Regula, Cap. XLII. quod *de ſcripturis divinis aliis conferentibus interrogationes, conferunt alii congruas reſponſiones, & ſic quæ diu latuerant occulta, conferentibus patefiunt perſpicua.*

III. Agit & de ea re Honorius Auguſtodunenſis Lib. II. Cap. LXIII. ubi ita inquit: *Quod Religioſi ad collationem conveniunt, hoc a ſanctis Patribus acceperunt; qui in Veſperis ſolebant convenire, & de ſcripturis inſimul conferre, & quæ ipſi tunc invicem contulerint, collationes dicebantur, & hæc his ſimilia ad collationem leguntur.* Celebris eſt ea in re locus Regulæ S. Benedicti, Cap. XLII. ubi ita ait: *Mox ut ſurrexerint a Cœna, ſedeant omnes in unum, & legat unus collationes, vel Vitas Patrum, aut certe aliud, quod ædificet audientes.* Vide Regulam S. Iſidori, Cap. VIII. & Scriptores de ejuſmodi collationibus fuſe agentes apud Haeftenum Lib. IX. *Diſquiſitionum Monaſticarum*, Cap. V. Scripſerunt autem collationes hujuſmodi Caſſianus, & Odo Cluniacenſis. Ex quibus omnibus perſpicue deducitur, quæ fuerit Completorii origo.

IV. Juxta Regulam S. Benedicti incipiebat Completorii Officium a verbis illis, *Deus in adjutorium &c.* Verſus. *Jube Domne &c.* & brevis illa Lectio, *Fratres ſobrii eſtote &c.* novitia ſunt additamenta, neque enim eorum meminit Durandus Lib. V. Rationalis divinorum Officiorum, Cap. X. ubi agens de Completorio, ita inquit Num. II. *Sane hoc Officium incipit præter morem aliorum Officiorum, Converte nos Deus &c.* Tum quibuſdam interjectis, ſubjicit: *Hinc quod etiam conſequenter invocamus divinum adjutorium dicentes*, Deus in adjutorium meum intende, *ut* Converte nos, *referatur ad præterita mala tollenda*, & Deus in adjutorium, *ad bona opera futura facienda, quia ſine Dei adjutorio quicquam boni facere non valemus &c.* Explicat deinde, cur quatuor Pſalmi dicantur, aitque, ideo ex Pſalmo, *In te Domine ſperavi*, dici tantummodo ſex primos Verſus, *quia Dominus dicendo ſextum Verſum, videlicet*, In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, *ſexta ætate mundi, ſextoque die carne obiit.*

V. Me-

Digitized by Google

V. Meminit præterea Durandus Capituli, & Hymni dici ſoliti ad Completorium, itemque Cantici Simeonis, aliarumque precum, ac verſuum, quos hodieque in Completorii Officio recitare ſolemus. Canticum ipſum Simeonis, quod incipit, *Nunc dimittis &c.* & ex Euangelio Lucæ ſumtum eſt, dum dicitur, omnes ſtare debent ob ſancti Euangelii reverentiam, juxta ea quæ alibi notavimus. Ex præſcripto noſtri III. §. nulla ad ipſum Canticum facienda eſt Altaris thurificatio, nec Organum pulſandum, *niſi forte in aliquibus Eccleſiis hujuſmodi Hora ſolemnius celebrari aliquando conſueverit, quo caſu Organum adhiberi poterit, juxta normam ſuperius traditam*, Lib. I. Cap. XXVIII. Solet hodie in præcipuis Quadrageſimæ Feſtis Completorium ſolemnius cani.

§. IV.

Cum vero Epiſcopus præſens erit, & Officium non faciet, omnia prædicta per Hebdomadarium in ſuo habitu Canonicali fient, obſervatis tamen debitis reverentiis verſus Epiſcopum; nam ipſe Hebdomadarius ad Verſiculum, *Indulgentiam, & abſolutionem &c.* in principio, & ad Verſiculum, *Benedicat, & cuſtodiat nos Omnipotens, & miſericors Dominus &c.* in fine, inclinabit ſe profunde verſus Epiſcopum.

§. V.

In Collegiatis Eccleſiis, vel abſente Epiſcopo, eadem obſervantur per Hebdomadarium.

COMMENTARIUS.

I. PRæſente Completorio Epiſcopo, & minime ipſo Officium faciente, omnia prædicta in Paragraphis ſuperioribus Capitis hujus, *per Hebdomadarium in ſuo habitu Canonicali fient; obſervatis tamen debitis reverentiis verſus Epiſcopum &c.* ut in §. IV. edicitur. Stola uti non debere Hebdomadarium in decantandis in Choro Horis Canonicis, declaravit Sacra Rituum Congregatio die IV. Auguſti anni MDCLXIII. apud Meratum in Additionibus ad Gavantum, & in ſuo Indice Decretorum. Quantum ad locum attinet, Hebdomadarius Officium faciens primum locum habere debet ſupra omnes Canonicos, & Dignitates, ſi ipſe eſt Canonicus, vel Dignitas, maxime quando favet conſuetudo; ſi vero eſt Clericus ad medium Chori accedere debet, ex Decreto ejuſdem Sacræ Rituum Congregationis in Brunduſina XVII. Juliii MDCXVI. apud Barboſam in Summa Apoſtolicarum Deciſionum Collectan. CDIV. Num. IV. Ceterum in Collegiatis Eccleſiis, vel abſente Epiſcopo, eadem quæ jam dicta ſunt, reſpective obſervabantur per ipſum Hebdomadarium, uti in noſtro hoc §. V. habetur.

CAP. V.

Quo ritu Epiſcopus ad Matutinum accedat, & illud incipiat, Antiphonæ a quo præintonandæ. Lectiones a Canonicis cantandæ, quomodo, & quo loci. Quæ differentia obſervanda in benedictionibus dandis. Nona lectio ab Epiſcopo cantanda, & quomodo. Hymnus, Te Deum, *Epiſcopo præintonandus, ſi eſt celebraturus, Organum Hymno intermiſcendum.*

§. I.

Quando in Matutinis Epiſcopo placuerit Officium facere, hora competenti veniet cum ſua Cappa, aſſociatus a Canonicis more ſolito; & factis orationibus ante Sanctiſſimum Sacramentum, & Altare majus, accedet ad Chorum in loco ſuo jam ornato, ut ſupra, ubi ſedebit aliquantulum, cucullo Cappæ ſupra caput reducto, vel etiam cum bireto, prout magis placebit, aptatis in gyrum fimbriis Cappæ per aliquem Capellanum, vel Cæremoniarum Magiſtrum. Apud eum nulli erunt Canonici aſſiſtentes.

§. II.

Poſt modicam moram Epiſcopus ſurget, ſurgentibus omnibus, & ſtans capite detecto verſus Altare, dicet ſecreto, *Pater noſter*, *Ave Maria*, & *Credo*, integre: quibus

Digitized by Google

bus completis, ſignans ſibi cum pollice dexteræ manus labia parvo ſigno Crucis, altiori voce cantando dicet, *Domine labia mea &c.* deinde, *Deus in adjutorium &c.* quod cum dicit, facit ſibi ſignum Crucis a fronte ad pectus, prout ſupra in Veſperis dictum eſt; & ſic permanens ſtat, donec per Chorum decantatum ſit Invitatorium cum Pſalmo, *Venite exultemus Domino &c.* ſed cum cantatur, *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*, ipſe, & omnes de Choro, ac alii Miniſtri genuflectunt. Deinde ſurgunt, & ſtant, donec finiatur Hymnus, quem ipſe Epiſcopus decenter, aliquo præintonante, copetenti voce incipiet, ſi erit celebraturus, alias non.

COMMENTARIUS.

I. JAm multa, quæ ad Capitis hujus Rubricas ſpectant, explicata a nobis fuere in Commentariis ſuperioribus non modo hujus Libri II. verum etiam I. ubi inter alia abunde loquuti ſumus de aſſociatione, quam Epiſcopo venienti ad Eccleſiam, & inde ad Epiſcopales Ædes redeunti præſtare debent Canonici, & quidem ex noſtri Cæremonialis præſcripto, ex variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis. Iis itaque omiſſis, quæ jam alias enarravimus, ubi Matutinum celebraturus eſt Epiſcopus, factis orationibus ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti, & Altare majus, accedet ad Chorum in loco ſuo ornato, ubi ſedebit aliquantulum, cucullo Cappæ ſupra caput reducto, vel etiam cum bireto, prout magis ei placuerit, aptatis in gyrum fimbriis Cappæ per aliquem Capellanum, vel Cæremoniarum Magiſtrum, qui regulariter ei adeſſe debet, niſi ſit alibi occupatus, nec enim aſſiſtere tunc debent Diaconi, nec Presbyter aſſiſtens, nec alii Canonici, niſi forte, ut ait Bauldryus, pauci Capellani. Id quod ante ipſum notavit Craſſus Lib. II. Cap. XXXVII. ubi loquens de Matutinis in nocte Nativitatis Domini per Cardinalem Epiſcopum Bononienſem celebrandis, inter alia ait: *Apud Cardinalem nulli erunt Canonici, ſed ſoli novem ſui Capellani Cottis induti*. Atque his concinit Ritus Pontificiæ Capellæ, nam, ut ait Ordo Romanus XV. Auctore Amelio, Cap. VII. ubi Papa celebrat Matutinum, *nec ſtant ante ipſum, nec ad latera Cardinales Diaconi, ſed ſedent in ſcamnis ſuis juxta ordinem ſuum*.

II. Poſt modicam moram ſurgit de ſua Sede Epiſcopus, omneſque alii de Choro ſe erigunt; ſtans ille nudo capite verſus Altare, dicet ſecreto, *Pater noſter, Ave Maria*, & *Credo*. De uſu Orationis Dominicæ, atque Angelicæ ſalutationis initio Horarum Canonicarum, fuſe etiam ſuperius dictum eſt. Ad Symbolum Apoſtolorum quod attinet, ex veteri quidem Fidelium more, *quotidie antelucanis horis*, recitabatur juxta ſanctum Ambroſium, & Auguſtinum Homilia V. intur L. ubi hæc habet: *Quotidie dicite, quando ſurgitis, quando vos collocatis ad ſomnum*. Noſtra officia, uti inter alios obſervat Grancolas in Breviarium Romanum Cap. XXV. illud peculiare habent, quod ter, atque tribus diverſis temporibus ipſum Apoſtolorum Symbolum recitetur, ad Matutinum ſcilicet, ad Primam, atque ad Completorii finem, ſubmiſſaque ſemper voce. In precibus prædictarum Horarum Primæ, atque Completorii duo illi poſtremi articuli, *Carnis reſurrectionem &c.* alta voce dumtaxat proferuntur.

III. Ut autem moris hujus rationem intelligamus, ſciendum eſt illud, quod memoratus Grancolas notat, olim ſcilicet totum alta voce in precibus Primæ, & Completorii recitatum Symbolum fuiſſe; Rubricam vero, quæ ſubmiſſa voce, *Pater*, *Ave*, & *Credo*, ad Officii initium, atque ad finem recitari jubet, indicare quidem, additamenta hæc poſtremis hiſce temporibus facta; ea enim, quæ ad Officium ſpectant, ſemper alta voce prolata fuere. Sane cur Symbolum ad Miſſam alta voce recitetur, ſubmiſſa vero ad Officium, tradit inter alios Angelicus Doctor II. II. Quæſtione IX. ad VI. id factum fuiſſe inquiens, quia Fides ſub Eccleſiæ exordio clam annuntiata fuit, eodemque pacto ad mundi finem Antichriſti ævo eſſe annuntiandam. Hinc ait ipſe, ad Primam, quæ ſolis ortu, Eccleſiæ incunabula repræſentat, atque ad Completorium, quod mundi finem exhibet, ſubmiſſa voce recitantur. Miſſæ vero tempus illius eſt figura, quo Euangelium palam eſt annunciatum, eaque de cauſa Symbolum alta voce pronunciatur, & canitur. Qualiſcunque demum ſit hæc S. Thomæ myſtica, vel allegorica explicatio, quam & alii paſsim rerum liturgicarum Scriptores docent, illud ſaltem diſcimus, S. Thomæ ætate Symbolum ad Primam, & Completorium recitari ſolitum: *Initio diei, & in fine diei Symbolum dicitur*; id decantatum non fuiſſe, quomodo ad Miſſam fieri mos eſt; præterea vero, neque ante Officii initium, neque poſt finem recitatum fuiſſe. Id enim S. Pius V. Pontifex Maximus fieri mandavit.

IV. Recitatis ſecreto, ac integre, *Pater noſter*, *Ave Maria*, & *Credo*, ſignans Epiſcopus ſibi cum pollice dexteræ manus labia parvo ſigno Crucis, altiori vece cantando dicet, *Domine labia mea &c.* deinde, *Deus in adjutorium &c.* quod cum dicit, facit ſibi ſignum Crucis a fronte ad pectus, prout ſupra in Veſperis dictum eſt. De precibus iſtis præclarus eſt locus Concilii Aquiſgranenſis anni DCCCXVI. *Nocturnis Horis*, inquit, *cum ad opus divinum ſurrexerit Clericus, primum ſignum ſibi ſanctæ Crucis imponat per invocationem ſanctæ Trinitatis; deinde dicat Verſum*: Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Deus in adjutorium &c. *totum cum*, Gloria Patri &c. *& ad Oratorium feſti-*

Digitized by Google

festinet, dicendo Psalmum: Ad te levavi animam meam. Ubi nota, omnia hæc minime olim ad Officium pertinuisse, cum antequam in Chorum perveniretur, absolverentur. Non erant itaque hæ preces pars Officii, quod ad hanc usque diem servatur in Officio Defunctorum, atque tribus ante Pascha diebus, sacraque Epiphaniæ die.

V. Inveniuntur hæ quidem preces in Regulis Monachorum, ac præsertim in Regula S. Benedicti, Cap. IX. ubi tamen præcipit, inchoari Horas Canonicas per Versum, *Deus in adjutorium meum intende*; tum vero sequi, & ter dici, *Domine labia mea aperies &c.* Convenientius est quidem secundum morem Ecclesiæ Romanæ, qui jam pluribus ab hinc seculis in usu fuit, uti constat ex Durando Lib. v. Cap. II. Num. VIII. præmittere Versum: *Domine labia mea aperies &c.* Est enim præsentissimus iste Versiculus ad Orationem præparatus, & quasi isagoge ad salutares ejus fructus capiendos; hortatur quippe nos sæpe Deus, ut in oratione os aperiamus, sicut Vir sapiens facere solet, de quo dicitur Cap. XXXIX. Ecclesiastici: *Aperiet os suum in oratione*; & Propheta Regius in Psalmo CXVIII. *Os meum aperui, & attraxi spiritum*. Sed quia, ut ait Apostolus, non sumus sufficientes ex nobis, sed sufficientia nostra ab ipso est, ideo ad ipsum initio Officii clamamus: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit &c.*

VI. Plurima in laudem hujus Versiculi antiqui Scriptores notant, sed notabile hic est quod docet Hugo de sancto Victore Lib. II. *De Officiis* Cap. VIII. ideo nos dicere, *Domine labia mea aperies, & os meum &c.* quia in Completorio nos Deo commendavimus, & ora concluximus singuli quodammodo singulis sepulcris quiescentes, & Deo soli adstantes, cui non sunt verba necessaria, sed cogitationes novit; at quia nocte convertimur ad Domino labiis confitendum, precamur eum, ut labia nostra aperiat. Præter hanc rationem convenientius est præmittere Versum, *Domine labia mea aperies &c.* quia, ut recte observavit Belethus in explicatione divinorum Officiorum, Cap. XXIV. religio fuit Sacerdotum primitivæ Ecclesiæ, *qui cum irent cubitum, signaculo Crucis se muniebant, vocem comprimentes ad tempus Matutinum, & tunc demum vocibus in laudem Dei prorumpebant*. Sequendo autem Rubricam Breviarii Romeni, & §. nostri II. Rubricam, debet Matutinum exordiens, ubi scilicet dicit, *Domine labia mea aperies*, signare sibi pollice dexteræ manus labia parvo signo Crucis, quasi clave David ante per silentium clausum referans, & virtute Christi Crucis donum orationis cælitus nobis demitti protestans, & obsecrans, uti notat Bonartius, *De Horis Canonicis*, Lib. I. Cap. XXX. Num. XV.

VII. Post Versiculum, *Domine labia mea &c.* sequitur ille alius, *Deus in adjutorium meum intende &c.* versusque utriusque laudatus Belethus meminit loco citato, ubi etiam ait, morem sui ævi fuisse, ut tunc Crucis signaculum fieret; subditque mox, sequi deinde, *Gloria Patri &c.* tametsi Amalarius Lib. IV. Cap. IX. videatur innuere, *Gloria Patri &c.* additum fuisse ad *Domine labia &c.* non vero ad *Deus in adjutorium &c.* ut hodie fit. Sane, *Gloria Patri*, quod post, *Deus in adjutorium*, sequitur, relationem habet ad Psalmum illum, qui totus olim decantabatur, uti ex recitato superius loco Aquisgranensis Concilii constat, & quidem veluti ad cæterorum Psalmorum exitum, *Gloria Patri*, dici soleret, licet valde difficile sit tempus designare, quo mos iste incœperit propter diversas adversantium sibi invicem Scriptorum, qui hac de re egerunt, sententias. Videndus Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. XXVI. ubi tamen in eo errat, cum dicit, quod *Cassianus quinquaginta prope annis ante S. Hieronymum florebat*; cum certum sit, S. Hieronymum quinquaginta prope annis floruisse ante Cassianum.

VIII. Dicto, *Gloria Patri &c.* & deinde, *Alleluja*, vel, *Laus tibi Domine &c.* pro temporum ratione, permanet Episcopus stans, & alii omnes, *donec per Chorum decantatum sit Invitatorium cum Psalmo*, Venite exultemus Domino &c. *sed cum cantatur*, Venite adoremus, & procidamus ante Deum; *ipse, & omnes de Choro, & alii Ministri genuflectunt*. Invitatorium ex S. Petro Damiani in Libro, *De Dominus vobiscum*, dicitur, quod per hoc ad Dei laudes populus invitatur. Hinc in Magistri Regula Invitatorium appellatur Responsorium orationis; in Officio Mozarabico Sonus vocatur, quasi tuba esset ad Deum laudandum excitans; atque re ipsa Psalmus idem, *Venite exultemus &c.* est quædam invitatio; quamobrem in aliis quoque Officiis præter Matutinum adhiberi solebat, cum Fidelium pietas esset excitanda. Certe in Vita S. Porphyrii Gazæ Episcopi, qui floruit Seculo IV. legimus, Sanctum illum Virum cum supplicationem instituteret, ad quam populum suum hortatus fuerat, Psalmum, *Venite exultemus Domino*, cantari curasse, populum vero ad singulos Versiculos respondisse, *Alleluja*.

IX. Meminit Invitatorii Amalarius Lib. IV. Cap. IX. in quo, ut ait, communis cœtus Fratrum convocat omnes degentes undique, ut excitentur, & veniant ad confitendum Domino. Concilium quoque Aquisgranense anni DCCCXVI. mentionem facit Psalmi, *Venite*, tanquam Invitatorii, jubetque, ut in Defunctorum Officio non recitetur, alias vero graviter, & absque præcipitatione cantetur, ut is, qui ad Matutinum venerit post *Gloria Patri*, hujus Psalmi, locum suum in Choro non obtineat, sed postremo loco esse debeat: *Quod siquis ad nocturnas vigilias post Gloriam Psalmi* XCIX. *quem propter hoc subtrahendo, & morose volumus dicit, occurrerit*.... Romæ nullum olim fuisse Invitatorium tradit memoratus Grancolas Cap. XXVII. cum autem ibi receptum fuit, iis tantum diebus fuisse adhibitum, quibus populus ad Officium venire consueverat; populi igitur gratia Matutino insertum fuit. Testatur præterea Amalarius, ætate sua Invitatorium Dominicæ dumtaxat Officio, non vero Feriali præfixum fuisse, quia plerumque populus diebus, qui-

Digitized by Google

quibus opus fit, Officio non aderat, neque ad illud invitabatur; Clerici vero, atque Monachi, qui ſtatus ſui lege ad id tenebantur, Invitatorio opus non habebant; quæ res in Defunctorum Officio adhuc ſupereſt, quod Invitatorio caret, Defunctorum omnium Commemorationis die excepto, quo populi ad orandum pro Defunctis invitantur. Fatendum autem eſt, Invitatorium a Monachis originem trahere, qui hoc ſigno mane excitabantur, verbaque illa, ut expergefierent, annuntiabantur, *Venite adoremus Dominum*, non ſecus ac in Monaſteriis cum Monachi a ſomno excitantur, vel hodie dici ſolet: *Benedicamus Domino*, uti obſervat memoratus Grancolas.

X. Quo ritu olim Pſalmus ipſe Invitatorius a Monachis cantari ſoleret Dominicis, Feſtiſque diebus, docet nos Liber antiquorum uſuum Ciſtercienſium Cap. LXVIII. *Venite exultemus Domino*, inquit, *cum Invitatorio dicatur ante gradum Presbyterii a duobus Fratribus, illo videlicet, qui præſentem facit hebdomadam Invitatorii, & illo qui præteritam fecit, qui venientes ad gradum inclinent, inceptoque Invitatorio rurſus inclinent, & ſic deinceps ad finem ſingulorum verſuum tantum inclinent. Poſt repetitionem vero Invitatorii iterum inclinent, & ſic redeant in ordinem ſuum. Privatis tamen diebus, qui canit Invitatorium, non inclinet antequam illud incipiat. Fratres vero habeant vultus ad Altare, ex quo Invitatorium incipitur, donec*, Gloria Patri, *dicatur; & tunc humiliet ſe Chorus contra Chorum, uſque ad*, Sicut erat in principio. Ex præſcripto noſtri §. dum ad ipſum Invitatorium Pſalmum cantatur, *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*, tunc & ipſe Epiſcopus celebrans Matutinum, & omnes de Choro, ac alii Miniſtri genuflectere debent ex antiquo Eccleſiæ uſu, & vi illorum verborum, *Adoremus, & procidamus*, quæ quidem genuflexionem præcipiunt.

XI. Sed ut alia omittam, quæ de ipſo Invitatorio dici poſſent, concinunt fere hi duo noſtri Paragraphi Cæremoniali Pontificiæ Capellæ Auctore Patricio Lib. II. Sectione I. Cap. X. ubi agitur de Matutinis noctis Nativitatis Chriſti, Papa præſente. Ita enim inter alia inquit: *Pontifex aſſumta Cappa de carmiſino, præcedente Cruce, & ſubſequentibus Papam Cardinalibus, quia non habet Mitram, vadit ad Capellam ..... & facta oratione in Faldiſtorio ante Altare, Pontifex vadit ad Sedem ſuam a duobus Cardinalibus aſſiſtentibus deductus, & cum ſederit, ipſi Cardinales recedunt, ſedentque in locis ſuis inter alios Cardinales.* Et paulo poſt: *Pontifex autem accepto a Cæremoniario ante ipſum genuflexo ſigno, ſurgit, & detecto, vel ſemi detecto capite ſtans verſus ad Altare ſecrete dicit*: Pater noſter. *Deinde cantando, & ſibi os cum pollice ſignando dicit*: Domine labia mea aperies. *Reſpon.* Et os meum. *Deinde ſignans ſe a fronte ante pectus, dicit*: Deus in adjutorium meum intende &c. *& ſtat quouſque compleantur Invitatorium, Hymnus, & Antiphona primi Pſalmi.*

XII. His addi etiam poteſt quod ait Craſſus Lib. II. Cap. XXXVI. ubi de eodem Matutino loquitur, celebrante Epiſcopo: *Stans diſcooperto capite verſus Altare dicet tacite totum*, Pater noſter; *quo completo cantabit*, Domine labia mea aperies; *quod dicens ſignabit ſe pollice ſuper labiis parvo ſigno Crucis; & deinde cantabit*, Deus in adjutorium, *faciens ſibi ſignum a fronte ad pectus prout in Veſperis. Quo dicto, ſic expectabit ſtans immobilis uſquequo per Chorum fuerit cantatum totum Invitatorum, & Hymnus, quem ſi ipſe voluerit, ut debuerit, intonare poterit, dummodo prius ſibi per aliquem Manſionarium præintimetur, ut ſupra in Veſperis.* Sed de hiſce ritibus curioſus Lector videre poterit, quæ jam nos in ſuperioribus Commentariis iterum plane, atque iterum juxta opportunitatem ex aliis Auctoribus, qui de ſacris Cæremoniis tractant, diximus.

XIII. Multa autem in duobus recitatis locis Patricii, & Craſſi diligens Lector obſervare poterit, unumque ego adnotabo, ex ipſorum Auctorum teſtimonio, initio Matutini ſolam Orationem Dominicam dici conſueviſſe, quia ſcilicet, ut una cum ipſa diceretur Salutatio Angelica, & Symbolum Apoſtolorum, ideſt, *Ave Maria*, & *Credo*, præſcriptum fuit a S. Pio V. uti ſupra admonuimus. Porro ex Rubrica noſtri II. §. intonabit Hymnum Epiſcopus ſi ipſe celebret, alias non, & hic plane eſt ritus complurium Cathedralium Eccleſiarum.

§. III.

Incepto primo Pſalmo, ſedebit, & omnes de Choro, ac alii Miniſtri ſedebunt. Pſalmi decantabuntur cantu Gregoriano cum pauſa ad puncta, & ad flexiones, & clara voce per Canonicos, & alios de Choro reverenter, & ad Verſiculum, *Gloria Patri &c.* omnes ſe inclinabunt, prout ſupra in Veſperis dictum fuit.

§. IV.

Antiphonæ per aliquem Manſionarium, vel eum, cui ex conſuetudine Eccleſiæ competit, præintonabuntur Canonicis, incipiendo a dignioribus gradatim. Primæ autem ſex Lectiones a totidem Canonicis junioribus, incipiendo a juniore, prius a Cæremoniario inſtructis, competenti voce, & tono recitabuntur apud Legile in medio

Digitized by Google

Chori collocatum: ſeptimam, & octavam cantabunt hi, qui futuri ſunt Aſſiſtentes a lateribus Epiſcopi in Miſſa; non a vero, & ultima Lectio dicetur ab ipſomet Epiſcopo.

COMMENTARIUS.

I. RItus in Paragraphis hiſce præſcriptos enarrat Craſſus Lib. II. Cap. XXXVI. ſic dicens: *Incepto primo Pſalmo, ſedet ipſe, & omnes Miniſtri ejus cum eo, & alii de Choro. Pſalmodia cantabitur cum ſolemnitate, & devotione, ac cum præintonatione Antiphonarum ante Canonicos, qui omnes incipiendo a ſenioribus ordine, quo ſedent, nullo recuſante, nec ſe excuſante, Antiphonas reſument. Lectiones octo per totidem Canonicos ſuper hoc admonitos, & inſtructos, ſed inchoando a junioribus, & ultima per ipſummet Cardinalem cantabuntur cum diſciplina Cæremoniali ſubſequenti.* Quæ ſit hæc Cæremonialis diſciplina, infra in Commentario ſequenti ex eodem Auctore referemus. Notandum hic illud, cantari Pſalmos debere ex noſtri Cæremonialis præſcripto, I. quidem *cantu Gregoriano* II. *cum pauſa ad puncta, & ad flexiones*, III. *& clara voce*, IV. *per Canonicos, & alios de Choro*, V. *reverenter*.

II. De cantu Gregoriano abunde jam ſupra diximus; decantandum autem divinum Officium reverenter, diſtincte, devote, & cum pauſa, præcipiunt Sacræ Synodi, ac præſertim Tridentina Seſſione XXII. *De reformatione*, Cap. XII. ubi Canonicis mandat, debere ipſos per ſe, & non per ſubſtitutos, *Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti aſſiſtere, & inſervire, atque in Choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare.* Quod idem, ſed aliis verbis expreſſerat Baſileenſis Synodus Seſſione XXI. Cap. III. præcipiens, ut laudes divinæ per ſingulas Horas non curſim, ac feſtinanter, ſed tractim, & *cum pauſa decenti præſertim in medio cujuslibet Verſiculi Pſalmorum*, debitam faciendo inter ſolemne, & feriale Officium differentiam, reverenter ab omnibus perſolvantur. Quibus Synodis jam præiverant Patres Synodi Viennenſis, uti conſtat ex Clementina I. *De celebratione Miſſarum*, ubi abuſus damnatur Horas Canonicas tranſcurrendo, & ſyncopando perſolvendi.

III. Cantandum itaque divinum Officium eſt diſtincte & intelligenter, cum moderata tarditate, & adhibita pauſa, tum in medio Verſuum, ubi virgulæ, vel notæ interpunctionum ponuntur, tum etiam in fine, qua ratione forte inutile non erit, ſi ſervetur, quod ait Bonartius, *De Horis Canonicis*, Lib. III. Cap. XX. in fine, ut nimirum Præſides, ſeu Moderatores Chori, qui Chorodidaſcali vocari ſolent, conſtituant pauſarios, qui ſigno aliquo pauſas faciant, vel indicent, verſuſque præcipitantes cohibeant. Id quod in Belgio, ut idem Auctor ſcribit, Epiſcopi nonnulli, & per alios deſignatos, & per ſe etiam aliquando egere. Enim vero ſi cum Principe Viro alicujus ponderis negotium agitaturus ſumma ope niteris, ut ſingula verba, & ſyllabas clare exprimas, ne celeriter voces volvendo minus eum docilem reddas, & etiam contra bonos mores pecces, quanto magis tibi laborandum, ut cum Deo Optimo Maximo, rem omnium maximam pertractaturus, impetum animi, ac vocis modereris, non quod Deus ea re egeat, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, ſed ut præſenti animo orationi te adeſſe oſtendas, & Numinis præſentis oculos verearis, ne aliquid ejus miniſterio, ad quod te tua libido rapit, antetuliſſe videare; quod ſatis ſuperque arguit inſolens illa, & præpropera celeritas, qua Pſalmodiam non pauci ſacri homines percurrunt. Quaſi vero quidquam divino Officio potius eſſe debeat, cui diutius, & delectabilius inhærendum; ſed recte exclamat Bonartius: *O tempora! o mores! maximam Eccleſiaſticorum partem plus capit longa menſa, quam prolixum Officium.*

§. V.

Igitur finitis tribus Pſalmis primi Nocturni, cum cantatur Verſiculus, omnes ſurgunt, detecto capite, etiam Epiſcopus, & Cæremoniarius ducit juniorem Canonicum, qui eſt cantaturus primam Lectionem ad Legile paulo ante cum Libro Lectionum, præparatum in medio Chori nudum, ideſt ſine aliquo panno, vel coopertorio, & ibi facta reverentia Altari, & Epiſcopo cum profunda inclinatione, reſpicit aliquantulum in Libro Lectionem, quam lecturus eſt, & ſic ſtans expectat, donec Epiſcopus, poſt cantatum Verſiculum, & Reſponſorium, incœperit alta voce, *Pater noſter &c.* & illud ſecreto perfecerit uſque ad Verſiculum, *Et ne nos &c.* & ſucceſſive ex Libro ſibi allato, vel memoriter cantaverit Abſolutionem, videlicet, *Exaudi Domine &c.* cui reſponſo per Chorum, *Amen*, ipſe Canonicus ſtans apud Legile, inclinat profunde ſe verſus Epiſcopum, & petit ab eo intelligibili voce benedictionem, dicens, *Jube Domne benedicere*, & non, *Domine*, ad quem ſic inclinatum permanentem Epiſcopus converſus, ſtans, reſpondet benedicens, videlicet, *Benedictione per-*

Digitized by Google

perpetua &c. non tamen manu ſignans; & reſponſo per Chorum, *Amen*, Epiſcopus ſedet cooperto capite, & Cappæ fimbriæ in gyrum aptantur, ut ſupra, & pariter omnes ſedent,

§. VI.

Canonicus vero tunc, & non prius incipit, & proſequitur ſuam Lectionem altiori voce, diſtincte, & modeſte, in tono, prout ſuo loco, & in Cap. XXVII. Lib. I. indicatur. Qua finita, inclinans ſe profunde verſus Altare, dicit, *Tu autem Domine &c.* & facta ſolita reverentia Epiſcopo, qui verſus eum facit ſignum Crucis, revertitur ad locum ſuum abſque oſculo manus Epiſcopi.

COMMENTARIUS.

I. PSalmodia omni ævo potiſſimam divini Officii partem conſtituit, atque hodie etiam Horæ omnes Canonicæ certo Pſalmorum numero conſtant. Cum enim, ut ſcite poſt alios obſervat Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. XXIX. Eccleſia Synagogam per Pſalmos Deum laudare ſolitam vidiſſet, eos quoque ſibi familiares habendos cenſuit; tantoque libentius iis uſa eſt, quod cum nemo Deum plene cognoſcere poſſit, nemoque præter Deum ipſum ſatis pro dignitate eum laudare queat, ipſius eſt rationem, qua ſit laudandus, nos edocere. Hinc nunquam falli poterimus, preces illas ad eum fundentes, quas ipſe hominibus inſpiravit, ut in ſui laudem recitarentur.

II. Canendorum Pſalmorum uſum in Eccleſia eſſe antiquiſſimum, conſtat ex variis Apoſtoli locis. In Epiſtola I. ad Corinthios, Cap. XIV. *Cum convenitis*, inquit, *quiſque veſtrum Pſalmum habet*. In Epiſtola ad Epheſios Cap. V. *Implemini Spiritu Sancto*, ait, *loquentes vobis metipſis in Pſalmis, Hymnis, & Canticis*. Quod totidem verbis repetit idem Paulus in Epiſtola ad Coloſſenſes Cap. III. Ex locis hiſce, aliiſque id genus colligere licet cum S. Auguſtino, morem in Eccleſia Pſalmos, & Hymnos canendi, non aliunde quam a Chriſto Domino, & ab Apoſtolis ad noſtra uſque tempora pervenire. Scribit enim in Epiſtola CXIX. ad Januarium, Cap. XVIII. conſuetudinem de Hymnis, & Pſalmis canendis de ſcripturis probari poſſe, cum & ipſius Domini, & Apoſtolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta de hac re tam utilia. Plurima eandem in rem Patrum teſtimonia affert Durantus Lib. III. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XIII.

III. Quod numerum Pſalmorum attinet, qui in Officio recitari ſolebant, nonnulli plures, alii pauciores præcipue in Nocturno Officio decantabant. Refert Caſſianus, Angelum aliquando Solitarios Orientis hortatum fuiſſe, ut duodecim Pſalmos recitarent. Chrodegangi Regula ejus qui Choro præſidet, arbitrio, quot Pſalmi ſint decantandi, relinquit; conſtatque aliquando XL. vel L. per noctem decantatos fuiſſe, uti notat Grancolas Cap. XXIX. Hinc Officium per ea tempora certam adhuc formam velut hodie non habebat. Regula enim S. Benedicti Abbatem prudenter dijudicare vult, quot Pſalmi ſingulis Officiis ſint recitandi. Oriebatur etiam aliquando inter Orientales contentio, quis plures Pſalmos canendo percurreret. Ex Sanctorum Vitis profecto habemus, plures eorum univerſum Pſalterium quotidie recitaſſe; ſed puto, id privatam piorum hominum devotionem ſpectaſſe; nam alias S. Benedictus ſtatuit, ut ſingulis in hebdomadis totum Pſalterium recitaretur.

IV. Diviſum vel olim in tres Nocturnos Officium divinum, omnes pene Scriptores tradunt, tametſi in eo minime conveniant, an ſcilicet tres ipſi Nocturni ſeorſim olim ab invicem, & a Laudibus fuerint decantati. Fuſe eam quæſtionem agitant inter alios Bonartius Lib. I. *De Horis Canonicis*, Cap. XXI. & Guyetus in Heortologia Lib. III. Cap. XX. Quæſtione II. Sed ut rem a ſua origine repetamus, pincipio unicus fuiſſe videtur Nocturnus in noctis Officio, conſtabatque duodecim Pſalmis, quemadmodum fieri hodieque ſolet diebus ferialibus, atque in primo Dominicæ Nocturno. Verum cum ipſa dies Dominica tota Deo colendo, atque laudando ſacra eſſe debeat, cœperunt Monachi noctem orando tranſigere; docet enim Caſſianus Lib. III. Cap. III. Ægyptios tribus diverſis noctis temporibus, diebus Dominicis oraſſe, quibus opus facere non licebat; contra vero diebus reliquis, quibus laborare manibus ſoliti erant, ſemel tantum oraſſe per noctem.

V. Licet autem Sancti Patres vel laicos aliquando hortarentur, ut ſæpius per noctem ſurgerent ad concinendas Deo laudes, Monachi vero præſertim majori pietatis ardore, diverſis Horis tres divini Officii Nocturnos canerent Dominicis ſcilicet duntaxat, Feſtiſque diebus, conjuncti nihilominus Nocturni ipſi deinde fuere, & continenter recitati, quod nimis arduum eſſet, ter per noctem cubitum ire, ac totidem vicibus ſurgere: *Dein Eccleſia imbecillitati humani generis conſulens, Nocturnos dicere una cum Laudibus ad unam noctis vigiliam indulſit*. Verba ſunt eruditiſſimi Stephani Duranti Lib. III. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. V. additque mox Cap. VI. quod tametſi circa horam dicendi Nocturnos cum Laudibus poſtquam ſimul recitari cœperunt, nihil ab Eccleſia certum, ac definitum habeamus, congruentius ſit, ipſos media nocte canere, juxta veterem Eccleſiæ morem, quem pluribus exemplis, & Patrum locis oſtendit.

Digitized by Google

VI. Quidquid sit, Nocturnum Officium ita appellatum est, quia noctu olim recitabatur, ut hodieque fit a variis Ordinibus Religiosis, ac præsertim a Monachis Carthusianis, & a Fratribus Capuccinis, qui etiam media nocte Matutinum Officium recitare solent. Constat autem divinum ipsum Officium Matutinum tribus Nocturnis in Dominicis scilicet, Sanctorumque Festivitatibus, quæ sub Ritu duplici, vel semiduplici celebrantur, cum eo tamen discrimine, quod primus Nocturnus Dominicæ duodecim Psalmis constat, Nocturni vero de Officiis ipsorum Sanctorum, quilibet ex tribus Psalmis, totidemque Lectionibus. In Feriis, seu in Officio simplici unicus recitatur Nocturnus, in quo scilicet duodecim Psalmi continentur cum tribus Lectionibus solis; sunt enim tres Nocturni nota & character majoris solemnitatis, qua utique discernuntur festivi dies a feriatis, quibus unus simpliciter Nocturnus tribuitur; idque liquido satis innuunt vetera Kalendaria, in quibus singulorum Festorum gradus communi illa novem, ac trium Lectionum appellatione designantur.

VII. Neque demum obstat, quod in Paschate, & Pentecoste Matutinum Officium unico Nocturno constat; non enim par est ratio aliorum Festorum cum Festis Paschatis, & Pentecostes. Nam ut omittam mysticas varias hujus ritus causas, quas recenset Gavantus in Rubricas Breviarii, Sectione VI. Cap. XIV. ratio potissima, cur ex antiquo Ecclesiæ more Matutinum duorum illorum Festorum cum tribus Psalmis, totidemque Lectionibus celebratur, profecto illa esse videtur, ut fatigatis pridem ex prolixiori præcedentium dierum, totiusque adeo Quadragesimæ Officio, brevius indulgeatur, quasi ad aliquantulam laboris relaxationem. Neque contemnenda est ratio altera, quam innuit Durandus Lib. VI. Cap. LXXXVII. Num. III. *ne Neophyti multitudine onerentur*; ne ipsos scilicet prolixioris Officii tædium obrueret; solebant enim Neophyti divinis Officiis interesse septem ipsis diebus Paschatis, vel Pentecostes, albis induti, longisque Baptismi cæremoniis assistere.

VIII. Reliquum est, ut hic describamus celebrem Canonem S. Gregorii VII. quem ab ipso in generali Synodo editum ait Gratianus in suo Decreto Parte III. De consecratione, Distinctione V. Can. XV. cujus hæc sunt verba: *In die Resurrectionis usque in Sabbatum in albis, & in die Pentecostes usque in Sabbatum ejusdem, tres Psalmos tantum ad Nocturnos tresque Lectiones antiquo more canimus, & legimus; omnibus diebus aliis per totum annum, si festum est, novem Psalmos, & novem Lectiones dicimus. Aliis autem diebus duodecim Psalmos, & tres Lectiones recitamus. In Dominicis vero diebus decem & octo Psalmos (excepto die Paschæ, & Pentecostes) & novem Lectiones celebramus. Illi autem, qui in quotidianis diebus tres tantummodo Psalmos, & tres Lectiones celebrare volunt, non ex Regula sanctorum Patrum, sed ex fastidio, & negligentia comprobantur hoc facere. Romani vero diverso modo agere cœperunt, maxime a tempore, quo Teutonicis concessum est regimen nostræ Ecclesiæ. Nos autem & ordinem Romanum investigantes, & antiquum morem nostræ Ecclesiæ, imitantes antiquos Patres, statuimus fieri, sicut superius prænotavimus.* Hæc ille.

IX. Canonem hunc ex integro referunt Micrologus Cap. LIV. Radulphus Propositione X. Durandus Lib. V. Cap. III. Num. XXIX. & alii, adeo ut ipsius Gregorii VII. Canonem esse nemo jure inficiari possit. Editum in generali Synodo fuisse a laudato Gregorio hunc Canonem ajunt quidem Gratianus, & Radulphus, non quod Synodus illa, in qua editus Canon dicitur, fuerit Oecumenica, sed quod ex multis Episcopis tam Italiæ, quam aliarum Nationum esset collecta, uti notat Guyetus in sua Heortologia Cap. XX. Quæstione I. ubi etiam subdit, quod cum Acta ejus Synodi perierint, mirum non est, si haud alibi reperiatur Canon, quam apud præfatos Auctores. Sane non omittendum, quod de ipso Canone ait idem Radulphus, Regulares S. Augustini Canonicos alloquens: *Qui etiam ne in Ordine vestro contemnatur, positus est de verbo ad verbum in Epistola Magalonensis Episcopi superius allegata. Et illum omnes super Officio divino scribentes in suis Operibus consueverunt ponere, & ut dictus numerus Psalmorum, & Lectionum servetur, sæpius allegare.*

X. Hisce notatis, ut ad nostrum §. V. deveniamus, *finitis tribus Psalmis primi Nocturni, cum cantatur Versiculus, omnes surgunt, detecto capite, etiam Episcopus, & Cæremoniarius ducit juniorem Canonicum &c.* Ea verba, *omnes surgunt detecto capite etiam Episcopus*, desiderantur in anterioribus Cæremonialibus editis ante Benedictum XIII. ab ipsoque primum huic §. adjuncta fuere. Ergo cum cantatur Versiculus, omnes surgunt detecto capite etiam Episcopus, & Cæremoniarius ducit juniorem Canonicum, qui est cantaturus primam Lectionem ad Legile paulo ante cum Libro Lectionum præparatum in medio Chori, ibique facta profunda reverentia Altari & Episcopo respicit aliquantulum in Libro Lectionem, quam lecturus est, & sic stans nudo capite expectat, donec Episcopus post cantatum Versiculum, & Responsorium incœperit alta voce, *Pater noster &c.* & illud secreto perfecerit usque ad Versiculum, *Et ne nos &c.*

XI. Olim post Nocturnum neque Versiculum, neque Orationem Dominicam, imo neque benedictionem, & absolutionem, quæ Lectiones præcedunt, recitari in divino Officio consuevisse, constat ex pervetusto Officio trium ante Paschadierum, atque ex Regula S. Benedicti. Amalarius Lib. III. Cap. VI. testatur, sua ætate Romæ nondum Orationem ipsam Dominicam ad Psalmorum finem, ut in Gallia, recitatam fuisse: *Quod nos Galli*, inquit, *finitis Psalmis Nocturnalibus solemus cantare Orationem Dominicam, Romana Ecclesia prætermittit.* Juxta Cistercienses morem, uti post Martenium notat Grancolas in Breviarium Romanorum Cap. XXXI. ante Lectiones neque *Pater noster*, neque absolutio dicitur.

Præ-

Digitized by Google

Præmonſtratenſes dicunt quidem *Pater noſter*, ſed nullam abſolutionem habent. Verſus ad finem Nocturni, ſicuti & Orationis Dominicæ, atque aliorum Rituum, qui hodieque ſervantur, meminit in ſuo Rationali divinorum Officiorum Gulielmus Durandus Lib. v. Cap. III. Num. XIV. & ſeq. ubi etiam varias pro more myſticas ſignificationes tradit.

XII. Ubi Epiſcopus dixit, *Et ne nos &c.* ſucceſsive ex Libro ſibi allato, vel memoriter cantat abſolutionem ad primum Nocturnum, videlicet, *Exaudi Domine &c.* Meminit abſolutionum inter alios Radulphus, quas putat Gavantus in Breviarii Rubricas Sectione v. Cap. XI. ita vocari, vel quia abſolvitur Nocturnus, vel quia ſimul cum Oratione Dominica præcedenti petimus, ut ait Hugo Victorinus in Speculo, Cap. III. mundari corda, & corpora noſtra ad audiendum verbum Dei in Lectionibus; nam Oratio Dominica dicitur ex laudato Durando Lib. v. Cap. III. ut qui eget ſapientia ad Lectiones audiendas neceſſaria, poſtulet eam a Deo, qui dat omnibus affluenter; & ut ejuſdem Orationis auxilio proficiat in nobis renovata per præcedentem verſum intentio. Verſum appellat ipſammet quoque abſolutionem inter alios Scriptores Honorius Auguſtodunenſis in ſua Gemma Lib. I. Cap. v. quaſi, inquit, qui mandatum Legatis ad prædicationem injungit, abſolvat eos, ut eant ad legendum. Rupertus Abbas Tuitienſis Lib. I. Cap. XI. autumat, abſolutionem eſſe orationem, qua rogamus Dominum meſsis, ut mittat operarios in meſſem, & aperiat cor noſtrum in lege ſua, ut ſemen, ideſt, verbum Dei, quod audituri ſumus, haud volucres comedant, non ſpinæ ſuffocent, nec in petra, quæ non habet humorem, areſcat. In ſumma abſolutio, de qua loquimur, eſt brevis Oratio, quæ poſt *Pater*, ſequebatur, ita dicta ab abſoluta prece.

XIII. Dicta abſolutione ab Epiſcopo, elque reſponſo per Chorum, *Amen*, ipſe Canonicus junior cantaturus primam Lectionem, *ſtans apud Legile, inclinat profunde ſe verſus Epiſcopum, & petit ab eo intelligibili voce benedictionem, dicens*, Jube Domne benedicere, *& non* Domine; *ad quem ſic inclinatum permanentem Epiſcopus converſus ſtans, reſpondet benedicens, videlicet*, Benedictione perpetua &c. *non tamen manu ſignans*. Ergo lectionem lecturus benedictionem poſtulat, dicens, *Jube Domne benedicere*, & non *Domine*, quia hic Dei titulus eſt, ille hominis præclari, ut docet Baronius, & ex eo Gavantus loco citato, ubi inter alia notat, Papam hodie appellari Domnum Apoſtolicum in Litaniis Sanctorum. Notarunt etiam aliqui, quod ille, qui ſolus Officium recitat, dicere debet, *Jube Domine*, ſicut dicit Sacerdos in Miſſa privata ante Euangelium; & vere par ratio eſt, uſus tamen non idem. Porro petit Lector a Sacerdote benedictionem magnæ humilitatis gratia, & Sacerdos, ut tantæ humilitatis vicem reddat, poſcit a Deo, ut benedictio prærogetur, ex S. Petro Damiani in Libro, *De Dominus vobiſcum*, Cap. II.

XIV. Ritum ipſum petendæ benedictionis eſſe antiquum, innuit plane S. Gregorius Turonenſis, qui Lib. III. *De miraculis Sanctorum*, refert, S. Ambroſium Lectiones incipi noluiſſe, niſi Lectori prius ipſe ſignum daret: *Cui Celebranti ita erat conſuetudo, ut veniens Lector non ante legere præſumeret, quam Sanctus ei juſſiſſet.* Cum autem die quadam Sanctus iſte obdormiviſſet, Lectorque ad legendum paratus eſſet, *Jubeat*, inquit, *Dominus Lectori Lectionem legere*. Atque in hoc loco veſtigium perſpicere eſt ritus, quo vel olim Lectionem ſacram lecturus benedictionem a Sacerdote poſcebat per illa ſcilicet verba, *Jube Domne &c.* quæ deinde in ordinem divinorum Officiorum per omnes Eccleſias relata, explicata ab iis ſunt, qui de ipſis Officiis tractant, qui etiam variarum formularum benedictionum mentionem faciunt, quibus hodieque utimur, uti inter alios videre eſt Patricium Lib. II. Sectione I. Cap. X. & Craſſum Lib. II. Cap. XXXVIII.

XV. Ex præſcripto noſtri §. v. ubi Epiſcopus dat benedictionem, non debet manu Lectorem ſignare, ſcilicet Crucis ſignaculo, ſed *ſedet cooperto capite, & Cappæ fimbriæ in gyrum aptantur, ut ſupra, & pariter omnes ſedent*. His plane aliiſque ſuperius dictis concinunt, quæ loco citato docet laudatus Craſſus, ſic inter alia inquiens: *Canonicus cantaturus Lectionem detecto capite ibidem apud pulpitum converſus ad Cardinalem humiliatus, inclinatuſque petit ejus benedictionem, cantans videlicet*: Jube Domne benedicere, *& non* Domine, *nec* Donne; *ad quem Cardinalis tunc converſus reſpondet benedicens, videlicet*, Benedictione perpetua &c. *Canonico cantaturo interim cum humeris ſemper inclinatis manente*: Et mox: *Dum vero Cardinalis benedictionem profert, nullam benedictionem facit manu ſuper illum, & cum reſpondetur*, Amen, *Cardinalis ſedet, cujus fimbriæ Cappæ, ut prius, aptantur per gyrum extenſum, & ſimiliter omnes ſedent*. Etiam a Papa, cum ipſam benedictionem profert, nullum fieri Crucis ſignum, tradit in ſuo Cæremoniali memoratus Patricius loco citato.

XVI. Cautum eſt vero ex Rubrica noſtri §. VI. ut Canonicus poſtquam benedictionem accepit ab Epiſcopo, reſponſumque eſt, *Amen*, ac Epiſcopus ſedit, aliique omnes, incipiat, & proſequatur ſuam Lectionem altiori voce, diſtincte, & modeſte, in tono, prout ſuo loco, & in Cap. XXVII. Libri I. indicatur; eaque finita inclinans ſe profunde verſus Altare dicat, *Tu autem Domine &c.* Quibus verbis, ait Rupertus Tuitienſis Libro I. Cap. XIII. indicat, ne ipſum quidem bonum officium prædicandi ſine alicujus, vel levis culpæ pulvere peragi poſſe. Nam Auctore S. Auguſtino verbum prædicationis ſecurius auditur, quam dicitur. Prædicator quippe cum benedicere ſe ſentit, difficile nimis eſt, ut non quantulumcumque ſpiritu elationis tangatur; & quia quaſi per terram ambulat, & pedes ejus aliquo pulvere ſordidantur, idcirco miſericordia Dei indiget, ut in hac parte lavetur etiam ſi mundus ſit totus. Succinit autem Chorus, *Deo gratias*, quod eodem Ruperto Auctore Cap. XIV. non ad ultimam precem

Digitized by Google

cem Lectoris, sed ad totam Lectionem spectat; gratias namque agimus Deo, quod doctrinæ suæ panem nobis frangere dignatur, ne fame audiendi verbum Dei pereamus.

XVII. Romæ Seculo Christi XII. in vigiliis Nocturnis, cum Lectiones singulæ essent finiendæ, Diaconi præcinebant, *Tu autem &c.* uti Benedictus Canonicus, & Cencius Camerarius præscribunt in suis Romanis Ordinibus XI. & XII. apud Mabillonium Tomo II. Musei Italici, Pagina 123. & 174. quod indicium est, etiam tunc Lectiones protractas fuisse ad arbitrium Præsidentium, uti observat Mabillonius in Commentario ad Romanum Ordinem Cap. XIX. Num. III. Carolus Magnus, teste Monacho San-Gallensi, earum finem sibilo linguæ significabat. In Ecclesia Remensi, ut idem Mabillonius tradit, nostro etiam tempore lectio prolixior, quæ ante Completorium fit in Quadragesima, absolvitur uno Sacerdote, *Tu autem*, præcinente, quod Clericus Lectionem canens prosequitur, & finit. Sed hæc particularis Ecclesiæ disciplinam spectant.

XVIII. Ritum tandem nostri hujus §. VI. paulo aliter enarrat Crassus sic inquiens: *Canonicus vero .... postquam viderit Cardinalem compositum in Faldistorio incipit, & prosequitur suam Lectionem, docte, & graviter cantans: qua finita, cum dicturus est Versiculum*, Tu autem Domine miserere nobis; *genuflectit ad Altare versus, & sic ipsum integrum Versiculum cantat genuflexus manens; tum surgens, facta solita reverentia, Cardinali sine osculo manus, sed habito a Cardinali signo Crucis revertitur ad locum suum.* Unum est, in quo a Rubrica nostri §. dissentit Crassus, cum scilicet ait, totum illum Versiculum, *Tu autem Domine &c.* dicendum esse a Canonico genuflexo manente. Id quod etiam innuere videtur Patricius, ubi ipsum Pontificiæ Capellæ ritum recenset his verbis: *Finita Lectione, cum dicit*, Tu autem Domine miserere nostri, *genuflectit versa facie ad Altare, deinde surgit, & factis reverentiis Altari, & Papæ, vadit ad osculum pedis Pontificis, Cæremoniario præcedente, & pedem Pontificis discooperiente, & demum cooperiente, quod semper observatur, nisi Cardinalibus &c.* Quia scilicet, ut idem Auctor subjicit, si dicturus Lectionem Cardinalis sit, cum pervenerit ad pulpitum, facit reverentiam Altari, & Papæ more consueto, & dicendo: *Jube Domne*, caput inclinat versus Pontificem; & cum dicit, *Tu autem Domine*, caput inclinat versus Altare; quo dicto factis reverentiis ad locum suum revertitur. Ad ritum nostrum quod attinet, docet Bauldryus, quod si forte non essent Canonici, qui Lectiones cantarent, sed alii, tunc deberent ipsi ad finem Lectionis Episcopi manum osculari, & ab eo postea benedici, sicut Canonici, & genuflectere Altari; ceterum quidquid aliqui dicant, Canonici Altari non genuflectunt, sed solum reverentiam faciunt, juxta ritum scilicet, qui in Pontificia Capella a Cardinalibus servatur, nisi extet in Altari Tabernaculum cum SS. Sacramento.

§. VII.

Idem per omnia facit secundus, & tertius Canonicus, ac successive alii in secundo, & tertio Nocturno, Lectiones cantaturi; idemque per Episcopum, & Chorum observatur quoad absolutiones, benedictiones, & alia, quæ occurrunt, dum Psalmi, & Lectiones cantantur, quod in primo Nocturno servatum fuit: hoc tantum excepto, quod ad primam, quartam, & septimam benedictiones Episcopus stat, prout stetit, cantans absolutiones; ad alias vero sedet, sedentibus etiam omnibus præter Lectionem cantaturum.

COMMENTARIUS.

I. Paucis hic me expediam, satisque me facere autumo, si ad hunc illustrandum §. ea describam, quæ tradit Crassus, cujus hæc sunt verba: *Idem facit secundus Canonicus pro secunda Lectione, & tertius pro tertia, quibus tamen ambobus Cardinalis Celebrans, præter primum, dans benedictionem, sedet & simili modo cantatur secundus, & tertius Nocturnus tam in Psalmis, quam in Lectionibus, nisi quod Celebrans surgit quidem cantaturus absolutiones, ideſt*, Ipsius pietas, & misericordia nos adjuvet &c. *ac etiam*, A vinculis &c. *sed dans alias benedictiones, manet sedens hoc modo, videlicet, quia ad primam, quartam, & septimam absolutiones, & benedictiones stat rectus, sed ad alias omnes manet sedens.* Idem est plane Ritus, qui a Papa in Pontificia Capella servatur, Auctore Patricio Lib. II. Sectione I. Cap. X. In summa idem ritus, qui ad Lectiones primi Nocturni, servandus est a Canonicis alias secundi, & tertii Nocturni Lectiones cantaturis. Quantum vero ad Celebrantem Episcopum, stat ipse, & quidem capite detecto ad primam, quartam, & septimam Benedictiones, prout stetit cantans absolutiones; ad alias vero sedet. Sed neque omittendum illud, quod jam olim Sacra Rituum Congregatio edixit in Brundusina die XVIII. Martii anni MDCXVII. apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectan. CDXLIV. Num. I. & apud Meratum in Additionibus ad Gavantum, & in suo Indice Decretorum, nempe Lectiones duas penultimas, quando ab Episcopo Matutinum solemniter celebratur, decantari debere a duobus Canonicis, qui hinc inde assistunt Episcopo, sive sint Dignitates, sive Canonici etiam ultimi, non obstante alia consuetudine.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Cum cantatur per Canonicum Textus Euangelii pro ſeptima Lectione, Epiſcopus, & reliqui omnes ſtant, donec dicatur per dictum Canonicum, *Et reliqua*; & poſtea ſedent. Ipſe autem Canonicus non debet recitando Textum Euangelii Librum, nec ſeipſum ſignare, nec manus junctas tenere, ſed ſuper Libro, prout in aliis Lectionibus. Ad octavam Lectionem Epiſcopus dat benedictionem ſedendo, ut ſupra.

COMMENTARIUS.

I. EXplicat etiam hunc §. Craſſus, ubi loco citato admonet, quod Canonicus cantans thema Euangelii, nequaquam debet Euangelii Textum, nec ſe in fronte, nec in ore, nec in pectore cum pollice ſignare, nec manibus junctis manere, ſicut facit Diaconus quando cantat Euangelium in Miſſa, ſed tenere manus ſuper Libro hinc inde disjunctas, Homiliam legendo; & idem fit pro octava Lectione, pro qua ipſe Celebrans quidem ſedet, dans benedictionem, ſed Canonico incipiente pronuntiare, videlicet, *Lectio ſancti Euangelii*, illico audita mentione Euangelii, ſurgit, ſic manens uſque ad verbum videlicet, *& reliqua*, ante Homiliam. Pro tertio Nocturno Euangelium cum ſua Homilia legitur ex ritu antiquo in aliquibus ſaltem Eccleſiis ſervato, cujus meminit Durandus in ſuo Rationali Lib. v. Cap. III. Num. XXIV. *In quibuſdam Eccleſiis ſemper in omni tertio Nocturno, ſive Dominicali, ſive Feſtivali Lectiones ex novo Teſtamento ſubjiciuntur, ſcilicet expoſitiones Euangeliorum.*

II. Si veterem Eccleſiæ diſciplinam ſpectemus, licet poſt inſtitutos in Officio divino Nocturnos, ad tertium Novi Teſtamenti Lectiones legerentur, non tamen Euangelii, quia ſcilicet Lectiones Euangelii Miſſæ deſtinatæ erant. Verum mutato deinde ordine tertii Nocturni, ſatius viſum eſt, ad nimiam Officii longitudinem vitandam, ut Euangelii initium ad tertium Nocturnum legeretur, atque Homilia, ſive explicatio alicujus S. Patris, uti notat Grancolas in Breviarium Romanum Cap. XXXII.

§. IX.

Nonam Lectionem cantat ipſe Epiſcopus ſtans in ſua Sede Pontificali cum Cappa detecto capite, converſa facie ad Altare, ad quem tunc, & non prius accedunt duo Diaconi aſſiſtentes, & miniſter de candela, & alius de Libro ſerviens. Epiſcopus autem, ſi non aderit in Choro major ſe, ſtans ut ſupra, dicit cantando verſus Altare, *Jube Domine benedicere*, & non *Domne*, cui abſolute reſpondetur per Chorum, *Amen*. Si vero adeſſet Legatus, aut aliquis Prælatus ſe major, Epiſcopus verſus ad illum peteret benedictionem; ille vero ſtans in loco ſuo reſponderet, *Ad ſocietatem civium &c.* vel, *Per Euangelica dicta &c.* factis tamen prius mutuis reverentiis inter Epiſcopum, & Legatum, ſeu Superiorem majorem. Et dum Epiſcopus cantat ſuam Lectionem, omnes pro ejus reverentia ſtant, detecto capite. Qua finita, Epiſcopus profunde caput verſus Altare inclinans, dicit, *Tu autem Domine &c.* Et reſponſo per Chorum, *Deo gratias*, accedit cum debitis reverentiis prædictus præintonator ante Epiſcopum, & præintonat ei, *Te Deum laudamus &c.* ſi eſt celebraturus. Quo per Epiſcopum repetito ex Libro, vel memoriter, prout magis placuerit, Chorus illum proſequitur, cui & Organum intermiſceri poterit, cum regula ſuperius tradita; dummodo Verſiculus, *Te ergo quæſumus &c.* exprimatur voce clara, alioquin cum ſuavi harmonia ſine Organo. Qui Verſiculus dum recitatur, Epiſcopus, & omnes genuflectunt in locis ſuis.

COMMENTARIUS.

I. JUxta ritum Pontificiæ Capellæ, uti habetur apud Patricium Lib. I. Cap. x. *ultimam lectionem cantat ipſe Pontifex, qui ſtans verſus Altare capite detecto dicit*, Jube Domine benedicere, *ſed nullus benedicit*, Cantores *reſpondent*, Amen. *Aſſiſtentes Presbyter Cardinalis, & duo Epiſcopi accedunt cum libro & lumine, duo Acoluthi cum ſuis Cappis, cum candelabris, & luminaribus*, (quia ſcilicet agit eo loci Patricius de Matutinis noctis Nativitatis Chriſti, in quibus nona Lectio eſt de Euangelio) *ſtant ad gradus more ſolito uſque in finem. Et Pontifex perficit lectionem, & in fine verſus ad Altare dicit*, Tu autem Domine.

II. Tra-

Digitized by Google

II. Tradit autem Craſſus, nonam quidem Lectionem cantari a Celebrante Cappa veſtito, ſtante detecto capite apud Faldiſtorium ſuum verſa facie ad Altare, ad eumque tunc, & non prius accedere duos ſeniores Canonicos, videlicet, Vicarium ſuum, vel alium futurum ei aſſiſtentem in Miſſa, qui tunc aſſiſtat ei, dum cantabit Lectionem, & abſente Legato, alium Canonicum firmare ſe ait debere apud pulpitum Libri Lectionum, *ut inde det benedictionem Cardinali petituro, niſi Legatus adſit, qui id faciat, cum mutuis hinc inde reverentiis &c.* Ubi adſit Divino Officio Legatus, vel alius quiſpiam, qui Epiſcopo major ſit, debere Epiſcopum ipſum cantaturum ultimam Lectionem, ab eo petere benedictionem, edicit quidem & is noſter §. ex quo tamen, & illud cautum eſt contra laudati Craſſi ſententiam, ut ſi non adeſſet Legatus, vel alius Epiſcopo major, non debeat Epiſcopus benedictionem a Canonico poſtulare, & ab eo accipere: *Epiſcopus autem, ſi non aderit in Choro major ſe, ſtans ut ſupra, dicit cantando verſus Altare*, Jube Domine benedicere, *& non*, Domne; *cui abſolute reſpondetur per Chorum*, Amen.

III. Ex quibus omnino rejicitur, quod idem Craſſus loco ſuperius citato ſubjicit, dicens: *Igitur Celebrans ſtans prout erat verſa modicum facie ad primum Canonicum ſtantem apud pulpitum, vel ad Legatum præſentem cum mutuis tamen reverentiis, a quo eſt reſponſionem pro benedictione habiturus, cantat*, Jube Domne benedicere, *& non* Domine, *ut aliqui male opinantur, cui ille ex Canonicis ſtans apud pulpitum prædictum reſpondet dicens &c.* Porro §. noſtro mox concinens ait memoratus Craſſus, quod dum cantat Lectionem ſuam Epiſcopus, alii de Choro, ac etiam Legatus, non quidem propter Lectionem, ſed propter Celebrantem Epiſcopum tunc ſtantem, nudo capite ſtant, & in fine remoto confeſtim Libro, ipſe capite ad Altare multum inclinato, cantat, *Tu autem Domine &c.* Atque hæc plane eſt complurium de eo ritu doctorum Scriptorum ſententia, & Eccleſiarum praxis ritui a noſtro Cæremoniali præſcripto adhærens.

IV. Finita ab Epiſcopo ſua Lectione, & reſponſo per Chorum, *Deo gratias*, ex præſcripto noſtri §. cui etiam & Craſſus concinit, *accedit cum debitis reverentiis prædictus præintonator ante Epiſcopum, & præintonat ei*, Te Deum laudamus &c. *ſi eſt celebraturus. Quo per Epiſcopum repetito ex Libro, vel memoriter, prout magis placuerit, Chorus illum proſequitur, cui & Organum intermiſceri poterit cum regula ſuperius tradita*; nempe Lib. I. Cap. XXVIII. Hymni ipſius Verſiculum illum, *Te ergo quæſumus &c.* clara voce exprimi cum ſuavi harmonia, ſed ſine Organo, edicit hic noſter §. qui etiam ſcitiſſime admonet, ut dum Verſiculus ipſe recitatur, Epiſcopus, & omnes genuflectant in locis ſuis, nempe *uſque ad finem Verſiculi*, ut ait Craſſus, ſubjungens etiam mox, ipſum verſum debere *cum eadem melodia, vel meliori, ſicut primus, cantari*. Corrigendus autem in eo ille eſt, quod ait, Epiſcopum poſtquam intonuit, *Te Deum laudamus*, alioſque omnes eo audito, debere genuflectere pro reſiduo illius Verſiculi, videlicet, *Te Dominum confitemur*, quem etiam ait debere cum ſolemniſſima melodia cantari, melius quam totum reſiduum de Hymno. Non enim genuflectendum eſt ad primum Verſiculum. Ceterum ut nihil in hoc Commentario omittamus, quod ſpectat hunc noſtrum §. ſciendum eſt, verbum *Pontificali* ad ea verba, quæ ad initium §. leguntur, *ſtans in ſua Sede*, adjunctum fuiſſe in novo hoc noſtro Cæremoniali a Benedicto XIII. edito, in aliis enim antiquioribus deſideratur.

CAP. VI.

Quo ritu Matutinum in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, abſente Epiſcopo, ſit celebrandum. Ordo ad Matutinum accedendi. A quibus inchoandum. Pſalmi cum ſuis Antiphonis quomodo cantandi. Quo pacto Abſolutio dicenda, Lectiones, & Reſponſoria cantanda. Nona lectio a quo dicenda, & quo ritu. Hymnus, Te Deum, *a quo præintonandus.*

§. I.

In Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, abſente Epiſcopo hora competenti, congregantur in Sacriſtia omnes Canonici, ubi induuntur ſuo habitu Canonicali. Canonicus quoque, ſeu alius dignior Presbyter Eccleſiæ Miſſam celebraturus induitur eodem habitu Canonicali, ſeu alio ſuæ Dignitati convenienti, quo in Eccleſia uti conſuevit; qui ſic congregati incipiunt progredi verſus Chorum.

§. II.

Præcedunt Magiſtri Cæremoniarum, deinde duo Clerici Cantores, tertio loco Canonicus, ſeu Presbyter facturus Officium; ſequuntur alii Canonici ſeniores, & digniores, deinde juniores, & minus digni.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Cum pervenerint ante Altare, omnes genuflexi aliquantulum orent; Canonicus, ſeu Presbyter facturus Officium cum ſuis Clericis poſt ipſum in plano Chori, ſeu ante Altare; alii hinc inde in eodem plano ab utraque parte Chori.

COMMENTARIUS.

I. OMnibus neceſſariis ad Altare, & ad Chorum paratis per Sacriſtam, aut alium, ubi Matutinum in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, abſente Epiſcopo, eſt celebrandum, competenti hora congregantur in Sacriſtia omnes Canonici, Beneficiati quoque, & alii Choro addicti, ubi ſuo habitu conſueto, & chorali induantur, ſicut & Celebrans Canonicus, ſeu alius dignior Presbyter Eccleſiæ Miſſam celebraturus induitur habitu ſuo Canonicali, vel alio ſuæ dignitati convenienti, quo in Eccleſia uti conſuevit, ſive etiam Pluviali, juxta morem Eccleſiarum, ut notat Bauldryus in ſuo Manuali Parte II. Cap. XIII. Nam. II. Tum ſic congregati, & induti, progredi incipiunt verſus Chorum ordine in §. II. præſcripto, qui eſt hujuſmodi: *Præcedunt Magiſtri Cæremoniarum*, ſi ſcilicet duo ſunt, alias tantum unus: *deinde duo Clerici Cantores*, ſeu Beneficiati, qui ad Veſperas officio Aſſiſtentium, vel Cantorum fungi ſolent: *tertio loco Canonicus, ſeu Presbyter facturus Officium: ſequuntur alii Canonici ſeniores, & digniores, deinde juniores, & minus digni*; & poſt eos, ſi adſint, Beneficiati, qui Canonicos ideo ſequuntur, quia non eſt proceſſio ſacra. Cum pervenerint ante Altare, ex præſcripto §. III. omnes genuflexi aliquantum orabunt, Celebrans ſcilicet *cum ſuis Clericis poſt ipſum in plano Chori, ſeu ante Altare*, ideſt, Celebrans ipſe ſuper infimum gradum Altaris, & ejus Aſſiſtentes in plano Chori, ſeu ante Altare, uti dictum eſt; *alii hinc inde in eodem plano ab utraque parte Chori*. Perſpicua hæc plane omnibus ſunt, ſupervacaneumque videtur alia notare ad hunc locum.

§. IV.

Surgente Canonico, aut Presbytero prædicto cum ſuis Clericis, omnes pariter ſurgunt. Qui facta hinc inde Canonicis reverentia, aſcendit Chorum in primo ſtallo, ſeu ſede ex ea parte, ubi ea hebdomada Chorus aſſignatur. Siſtit ſe, & prope ipſum ſtat unus Magiſter Cæremoniarum. Sub ipſo in plano Chori erunt duo Cantores, qui ſimul venerunt, alii omnes ad ſua loca aſcendunt.

§. V.

Interim Canonicus facturus Officium ſedet in pulvinari ſupra ſedem ſuam poſito, habens ante ſe tapete ſuper ſcabello cum pulvinari, ſuper quo poſitus ſit Liber apertus continens Antiphonas, Hymnum, & Orationem, quæ legenda ſunt, vel ſuper Legili, ut dictum eſt in Veſperis.

COMMENTARIUS.

I. FActa Oratione ad Altare, ſurgit Celebrans; omneſque pariter ſurgunt, & facta eidem Altari debita reverentia, ſalutatiſque a Celebrante hinc inde Canonicis ab utraque parte Chori, qui eum pariter conſalutant, Celebrans ipſe *aſcendit Chorum in primo ſtallo, ſeu ſede ex ea parte, ubi ea hebdomada Chorus aſſignatur*, ibique ſedet, dum alii propria loca aſcendunt, & in iis etiam ſedent: *Siſtit ſe, & prope ipſum ſtat unus Magiſter Cæremoniarum*; & ſub ipſo in plano Chori erunt duo Cantores, qui ſimul venerant, ſedentque in ſcabello parum oblongo ibidem parato, & panno viridi cooperto, ut alibi dictum eſt, habentes ante ſe Legile cum Libro, ut inde canant Invitatorium, & alia, de quibus infra. Sedet autem Celebrans in pulvinari ſupra ſedem ſuam poſito habens ante ſe tapete ſuper ſcabello, vel genuflexorio cum alio pulvinari, ſuper quo ſit Liber apertus continens Antiphonas, Hymnum, & Orationem, quæ legenda ſunt, vel ſuper Legili, ſi ſcabellum, vel genuflexorium apponi non poſſit, tecto ſcilicet aliquo tapete, niſi legile ipſum, ut hodie fieri aſſolet, pretioſum fuerit. Porro Liber, ſeu Breviarium majoris ſcilicet formæ, continens Antiphonas, Hymnum, & Orationes, quo uti Celebrans debet, tectum eſſe debet velo ſericeo coloris paramentorum (niſi coopertum ſit tabula argentea, juxta morem complurium Eccleſiarum) cum ſignaculis in eo aptatis, ubi ſunt ea, quæ Ce-

Digitized by Google

lebrans cantaturus, vel dicturus est, & in quo accentus recte notati reperiantur, ne legendo, vel cantando erret.

II. Quamquam vero aliquibus ab hinc seculis uno Codice Psalmi, Antiphonæ, Hymni, Lectiones, Orationesque contineantur; sciendum tamen, alium fuisse antiquum morem, separati enim olim erant in Ecclesiis Libri Antiphonarum, Hymnorum, Lectionum, Orationum, qui adeo appellabantur Antiphonaria, Hymnaria, Lectionaria, &c. uti videre est apud Dufresne in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario.

§. VI.

Postquam omnes venerint ad loca sua, indicante Cæremoniario, surgit Canonicus prædictus, ac dicit secreto, *Pater noster*, *Ave Maria*, & *Credo*. Deinde signans sibi pollice dexteræ manus os, cantat in tono competenti, *Domine labia mea aperies*; & responso a Choro, *Et os meum annuntiabit laudem tuam*; eadem manu dextera producens sibi Crucem a fronte ad pectus, eodem tono, dicit, *Deus in adjutorium meum intende*; cum dicitur Versiculus, *Gloria Patri & Filio &c.* tam ipse, quam alii omnes profunde se inclinant.

§. VII.

Cum dicitur, *Sicut erat in principio &c.* surgunt, & interim duo illi Cantores accedunt ad medium Chori, facta prius Altari genuflexione cantant ex Libro super Legili ante se posito Invitatorium, quod a Choro resumitur, & Psalmum, *Venite exultemus &c.* Interim omnes stant usque ad primum Versiculum primi Psalmi Nocturni.

§. VIII.

Cum cantatur, *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*, tam ipsi Cantores, & Celebrans, quam alii omnes genuflectunt, postea surgunt, & prosequuntur, *Ploremus coram Domino, qui fecit nos &c.* Repetito Invitatorio, duo illi Cantores accedunt ad Canonicum, Officium facientem, & stantes in plano ante ipsum, facta ei profunda reverentia, unus ex illis a dexteris præintonat Canonico prædicto Hymnum: quo per Canonicum intonato, Chorus prosequitur ab eadem parte, ubi est Canonicus Officium faciens, deinde vicissim ex altera parte, donec Hymnus absolvatur. Et in fine cum nominatur, *Sancta Trinitas*, omnes profunde se inclinant.

COMMENTARIUS.

1. REpetitio eorum hæc sunt, quæ jam alias explicuimus in Commentariis ad Cap. v. In hisce Paragraphis nihil plane occurrit, quod nostra interpretatione indigeat. Ex sententia Castaldi Lib. II. Sectione v. Cap. XI. Num. III. Cantores Invitatorium cantaturi accedunt ad medium Chori, ubi facta Altari genuflexione, mutuis etiam inclinationibus se salutant, & Invitatorium cantant ex Libro super Legili ante se posito. Expleto Invitatorio duo ipsi Cantores, facta iterum Altari genuflexione, accedunt ad Celebrantem, stantes ante eum in plano, facta eidem profunda reverentia, *unus ex illis a dexteris*, ideſt, primus, seu dignior, ut post Castaldum notat etiam Bauldryus Parte II. Cap. XIII. Num. VI. præintonat Canonico prædicto Hymnum.

§. IX.

Expleto Hymno, idem Cantor, qui intonavit Hymnum, stans ante Canonicum, facta illi profunda reverentia, præintonat ei Antiphonam primi Nocturni, quam ille intonat ex Libro ante se posito. Qua intonata, duo illi Cantores, facta reverentia, accedunt ad Librum Antiphonarum in medio Chori existentem, & facta primum in plano genuflexione versus Altare, expleta Antiphona, incipiunt Psalmos primi Nocturni, cantantes primum versum in Tono Antiphonarii assignato. Quo primo Versu Psalmi intonato, Canonicus faciens Officium, & ceteri omnes sedent; Cantores iterum genu facta reverentia Altari redeunt ad suum locum in plano Chori ante Canonicum

Digitized by Google

nonicum facientem Officium, & ibi faciebus ad Altare converſis in ſcabello parum oblongo, panno viridi cooperto ſedent.

§. X.

Et circa finem cujuſque Pſalmi ſurgunt, & ambo accedunt ad alteram partem Chori: cumque pertranſeunt ante Altare, in medio genuflectentes, reverentiam faciunt Altari: deinde Canonicum in primo ſtallo, ſeu ſede ab illa parte Chori ſedentem adeunt, & repetita prima Antiphona, facta ei debita reverentia, alter ex eis, ut ſupra, illi intonat ſecundam Antiphonam, & ſic viciſſim ſemper faciunt ſucceſſive ſingulis Canonicis Antiphonas præintonantes, & ſemper poſt inchoatum Pſalmum ad ſuum ſcabellum redeunt, ubi ſedent, dum Pſalmus perficitur.

COMMENTARIUS.

I. HYmno cantato, idem primus & dignior Cantor, qui præintonavit Hymnum ſtans una cum ſocio ſuo ante Celebrantem, facta illi profunda reverentia cum capitis ſcilicet, & humerorum inclinatione, eidem præintonat primam Antiphonam primi Nocturni, quam Celebrans ipſe intonat ex Libro ante ſe poſito, vel etiam memoriter, prout magis placuerit. Intonata Antiphona a Celebrante mox Cantores cætera peragunt, quæ in noſtro §. IX. præſcripta ſunt. Circa finem autem cujuſque Pſalmi, ex præſcripto §. ſequentis, & Eccleſiarum inſignium praxi, cum dicitur Verſus, *Sicut erat &c.* ſurgunt prædicti Cantores, amboque accedunt ad medium Chori, & genuflectentes Altari faciunt reverentiam: deinde repetita prima Antiphona Canonicum digniorem in primo ſtallo ſedentem adeunt, eique debita facta reverentia, alter ex ipſis illi intonat ſecundam Antiphonam, & ſic viciſſim ſemper faciunt ſucceſſive, ſinguli Antiphonas præintonantes, & ſemper poſt inchoatum Pſalmum ad ſuum ſcabellum redeunt, ubi ſedent dum Pſalmus perficitur.

II. Porro ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Senogallien. edito die XX I. Martii anni MDCLXV. apud Meratum in Additionibus ad Gavantum, & in ſuo Indice Decretorum, Antiphona in Choro Cathedralis, poſtquam primo loco data fuerit Celebranti a cornu Epiſtolæ, danda eſt ſecundo loco Primæ Dignitati ſive a cornu Epiſtolæ, ſive a cornu Euangelii exiſtenti, & ſive interveniat, ſive non, Prima Dignitas, quæ ſedet a dicta parte Euangelii, non obſtante conſuetudine in contrarium.

§. XI.

Circa finem tertii Pſalmi cujuſcumque Nocturni, ſurgunt, & accedunt ad Librum, & ibi factis debitis reverentiis Altari, & Choro, cantant Verſiculum; quo incepto, omnes ſurgunt, & reſponſo a Choro, Canonicus faciens Officium intonat, *Pater noſter*, & reliquum dicit ſecreto.

§. XII.

Interim dum cantatur Verſiculus, Cæremoniarius accedit ad Canonicum juniorem, qui lecturus eſt Lectionem, & facta ei reverentia, ipſum ducit ad Legile, ubi Lectiones legi ſolent, quod locari debet in medio Chori verſus Altare; quo cum pervenerit, facit cum Cæremoniario debitas reverentias Altari, & Canonicis, primum a parte Chori, ubi eſt Canonicus faciens Officium, deinde ab altera parte, & mox propius accedit ad Legile; & cum tempus erit, petit benedictionem, caput profunde verſus Celebrantem inclinans, cui ille ſtans benedicit, quod & in aliis benedictionibus ſervat, hoc eſt, ut ſtans ſemper detecto capite benedicat.

§. XIII.

Lectiones leguntur Feſtis præſertim diebus a Canonicis, incipiendo a junioribus ad ſeniores, & quando non adſunt tot Canonici, primas legunt alii Clerici in Choro exiſtentes. Legant autem diſtincte, & devote in tono conſueto in Eccleſia Romana, prout ſupra Cap. XXVII. §. X. Lib. I. habetur.

Digitized by Google

§. XIV.

Si noctu legantur, Cæremoniarius adhibet parvam candelam, & alia fiunt, ut ſupra in in Matutinis Epiſcopalibus dictum eſt, præter oſculum manus Canonici facientis Officium; ſed Lector cum dicit, *Tu autem Domine &c.* in fine Lectionis genuflectit, ſi non eſt Canonicus, & factis debitis reverentiis iis, qui in Choro exiſtunt, diſcedit.

COMMENTARIUS.

I. AD finem tertii Pſalmi cujuſque Nocturni, cum ſcilicet dicitur Verſus, *Sicut erat &c.* ſurgunt iterum Cantores, & accedunt ad Librum ſuper Legili poſitum, ibique factis debitis reverentiis Altari, & Choro, poſt repetitam Antiphonam Pſalmi, cantant Verſiculum, quo incepto omnes ſurgunt capite detecto, & reſponſo a Choro, Celebrans ſtans intonat, *Pater noſter*, quod proſequitur ſecreto, & omnes alii; tum alta voce dicit, *Et ne nos inducas &c.* & abſolutionem. Interim autem dum cantatur Verſiculus, Cæremoniarius accedit ad Canonicum, aut alium juniorem, qui lecturus eſt Lectionem, & manibus decenter appoſitis pectori, ut ait Bauldryus Parte II. Cap. XIII. Num. XI. ducit eum ad Legile, ubi Lectiones legi ſolent, quo cum pervenerit cum Cæremoniario, debitas reverentias Altari, & Canonicis facit, & primum quidem a parte Chori, ubi eſt Canonicus faciens Officium, deinde ab altera parte, & mox propius Lectionem lecturus ad Legile accedit, ibique aſpicit Lectionem, & abſolutione a Celebrante peracta, inclinatus Lector profunde verſus Celebrantem, advertenſque, ut non vertat terga Altari, ab eo petit benedictionem, dicens: *Jube Domne benedicere*, non, *Domine*, cui ille ſtans ſine ſigno Crucis benedicit, quod & in aliis benedictionibus ſervat, hoc eſt, ut ſtans, ſemper benedicat, detecto capite, & ſine Crucis ſigno. Excipiuntur tamen ab hac regula Epiſcopi, uti ſuperius dictum eſt, & etiam Abbates, ut idem Bauldryus notat, qui tantum ad primam, quartam, & ſeptimam benedictiones, ſtando benedicunt, ad alias autem ſedendo.

II. Rurſus Lectionem lecturus quicumque ille ſit, inclinatus profunde manere debet, donec a Celebrante benedictio expleta ſit. Tum enim eriget ſe, & poſtquam omnes ſederint, tunc, & non prius incipiet ſuam Lectionem, in cujus fine dicens, *Tu autem Domine &c.* genuflectit, ſi ſcilicet non eſt Canonicus, uti expreſſe edicitur in Rubrica §. XIV. rejecta iccirco ſententia Bauldryii, qui loco citato ait, faciendam eſſe genuflexionem a Lectore, *quiſquis ille ſit*; citatque noſtrum Cæremoniale Lib. II. Cap. V. in quo alias contrarium habetur, uti videre eſt in Rubrica §. VI. citati Capitis V. ubi diſerte edicitur, ut finita ſua Lectione Canonicus inclinans ſe profunde verſus Altare, dicat, *Tu autem Domine &c.* & facta ſolita reverentia Epiſcopo, qui verſus eum facit ſignum Crucis, ad locum ſuum redeat. Genuflectere ergo ad finem Lectionis debet Lector non Canonicus, ſi ſcilicet recedendum erit, nam alias ſi ab eodem tres Lectiones legantur alicujus Nocturni, tunc tantum profunde ad primam, & ſecundam ſe inclinabit, & in fine ad tertiam diſceſſurus genuflexionem faciet, juxta Caſtaldum in ſua Cæremoniarum Praxi Lib. I. Sectione VI. Cap. III. Num. II. quem etiam ſequitur Bauldryus loco citato, tametſi in compluribus Eccleſiis contrarium ſervatum viderim, in quibus ſcilicet Lector etiam cum tres alicujus Nocturni Lectiones dicit, ad finem uniuſcujuſque genuflectit.

III. Quidquid ſit Lectiones leguntur in Feſtis ſolemnibus a Canonicis, incipiendo a junioribus ad ſeniores, ut ait §. XIII. & quando non adſunt tot Canonici, primas legunt alii Clerici in Choro exiſtentes, qui ſcilicet diſtincte, & devote, atque in tono conſueto in Eccleſia Romana, legere, ſeu canere ea noverint, juxta ea, quæ præſcripta ſunt ſupra Lib. I. Cap. XXVII. §. X. Sane, uti notat Caſtaldus Lib. II. Sectione V. Cap. XI. Num. VI. Lectores aſſignati a Migiſtro Cæremoniarum ſinguli cantabunt Lectiones in Legili in medio Chori poſito, & ſi fuerint Canonici, uti ſuperius jam dictum eſt, procedunt aſſociati a Cæremoniario, Sacerdotes vero ab aliquo Acolytho, qui eis aſſiſtit. Si noctu Lectiones legantur, Cæremoniarius adhibet parvam candelam, uti habetur in §. noſtro XIV. aliaque fiunt, ut ſupra in Matutinis Epiſcopalibus dictum eſt, præter oſculum manus Canonici facientis Officium, & præſertim præter ſignum Crucis, quo Epiſcopus Canonicos poſt cantatam Lectionem benedicere ſolet juxta præſcriptum ſcilicet §. VI. ſupra Cap. V.

§. XV.

Circa finem tertii Nocturni Canonicus faciens Officium accipit Pluviale coloris tempori congruentis, & duo Cantores ſimiliter, vel plures, ſi ſit conſuetudo, induunt Pluvialia. Cum cantatur octavum Reſponſorium, duo Acolythi ſumunt candelabra duo, quæ cum candelis accenſis deferunt ante Canonicum paratum, & ea tenent donec legerit totam Lectionem, & inceperit Hymnum, *Te Deum laudamus*

Digitized by Google

mus &c. quem Hymnum primus ex dictis Cantoribus paratis Pluviali, facta illi debita reverentia, præintonat.

§. XVI.

Cum dicitur, *Te ergo quæsumus &c.* genuflectit in suo loco, & alii omnes similiter. Hymno expleto, incipit Laudes, in quibus omnia servantur, quæ de Vesperis in Collegiatis solemniter celebrandis superius in Cap. III. Lib. II. habentur. In Festis non solemnibus, & diebus ferialibus Pluvialia indui non oportet.

COMMENTARIUS.

I. DUm primæ Lectiones tertii Nocturni cantantur, opportunum est, ut Acolythi cereos accendant, qui pro Laudibus sunt accendendi, & eos, quos in candelabris suis deferre debent. Circa finem autem tertii Nocturni, uti in nostro §. XV. edicitur, Canonicus faciens Officium accipit Pluviale coloris tempori congruentis delatum a Sacristia, aut ab alio, Cantoresque similiter duo, *vel plures, si sit consuetudo, induunt Pluvialia*; juxta præscriptum scilicet nostri §. XV. cui illa verba, *vel plures &c.* primum addidit in novo hoc Cæremoniali Benedictus XIII. Ergo Celebrans Pluviali induitur, sed in loco suo, ubi scilicet sedet, eum adjuvantibus Acolythis, & Cæremoniario, ibique etiam duo Cantores, aut plures, si sit consuetudo, sua etiam induunt Pluvialia, ut notat Bauldryus Parte II. Cap. XIII. Num. XVII. ubi etiam subdit, si Sacristia non multum a Choro distet, convenientius esse, ut Assistentes illa in ea assumant, dum dicitur Lectio VIII. vel Responsorium.

II. Interim quoque cum cantatur octavum Responsorium, duo Acolythi sumunt duo candelabra cum cereis accensis, & accedunt ad Celebrantem paratum cum debitis reverentiis, ubi sic remanent stantes, donec legerit ultimam Lectionem, & Hymnum, *Te Deum laudamus &c.* incœperit. Finito itaque octavo Responsorio accedunt duo Assistentes prædicti Pluvialibus induti ante Celebrantem, facta eidem debita reverentia. Ille inclinatus versus digniorem petit ab eo benedictionem, licet ipse Celebrans sit Superior, excepto tamen Episcopo, ut dictum est supra. Benedictione accepta, stans cantat ultimam Lectionem Celebrans ex Libro ante se posito, ad quam omnes de Choro stant capite detecto pro ejus reverentia. Ipse vero in fine dicens, *Tu autem Domine miserere nobis*, profunde se inclinat Altari tantum sine genuflexione, uti idem Bauldryus notat citans Cistaldum Lib. II. Sectione V. Cap. XI. Num. XI. cujus tamen verba hæc sunt: *Ipse vero dicens in fine*, Tu autem Domine &c. *profunde caput versus Altare inclinat*.

III. Responso a Choro, *Deo gratias*, primus Cantor, facta Celebranti debita reverentia, præintonat illi Hymnum, *Te Deum laudamus &c.* quem statim Celebrans ipse repetit, eumque Chorus prosequitur in cantu plano, vel musicali, adhibito etiam Organo, dummodo versus, *Te ergo quæsumus &c.* a Choro semper cantetur juxta regulam alibi traditam, ad quem etiam genuflectit in suo loco Celebrans, & alii omnes similiter. Inchoato autem Hymno, Assistentes ex Bauldryii sententia Parte II. Cap. XIII. §. XX. ibidem remanent, vel si sedes eorum sit in medio parata, facta Celebranti reverentia, accedunt ad medium Chori, ubi facta tunc tantum profunda reverentia, quia sunt parati, si tamen ibi non adsit Tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento, ad totum Hymnum detecto capite stant. Verum neque ratio, neque praxis complurium insignium Ecclesiarum sententiæ Bauldryii patrocinatur, non enim decet, ut ad totum Hymnum ibi Assistentes remaneant, & præterea ubi accedunt ad medium Chori genuflectere potius debent, quam profundam reverentiam facere. Quod autem parati sint, hoc minime obstat, quo minus genuflectant, nam Diaconus, & Subdiaconus, ubi non sunt Canonici, sunt quidem parati, & tamen genuflectunt. Hymno tandem cantato, incipit Celebrans Laudes, in quibus omnia servantur, quæ de Vesperis in Collegiatis solemniter celebrandis superius in Cap. III. hujus Libri habentur. Non omittendum vero quod in fine nostri præsentis §. XVI. edicitur, quodque alias in antiquioribus Cæremonialibus desideratur, nempe quod in *Festis non solemnibus, & diebus ferialibus Pluvialia indui non oportet*; isque est hodie communis usus.

CAP. VII.

Laudes ab Episcopo celebrandæ, quando in Matutino solemniter Officium facit. Quomodo inchoandæ. Antiphonæ a quibus præintonandæ. Quo ritu Altaris thurificatio ad Canticum Benedictus *facienda. Benedictio post Orationem danda. Ad Horas Canonicas Episcopus quomodo assistat.*

§. I.

Expleto Hymno, *Te Deum laudamus &c.* si Episcopus in Matutinis solemne Officium peregit, congruum erit, ut etiam Laudes solemniter celebret: in quibus ea omnia fere

Digitized by Google

fere ſervari conveniet, quæ dicta ſunt in Cap. II. hujus Lib. II. de Veſperis ſolemniter per Epiſcopum celebrandis, ipſo in craſtinum Miſſam non celebraturo. Nam ſtatim finito Hymno, Epiſcopus adhuc ſtans in ſua Sede Epiſcopali capiet Pluviale, & Mitram, & alia paramenta, prout in dictis Veſperis dictum fuit, & cum eo quatuor, aut ſex Canonici ex dignioribus capient pariter Pluvialia, alii vero Canonici non parantur,

COMMENTARIUS.

I. SAtis exploratum eſt, multis olim in locis Nocturnum Officium, quod Matutinum dicimus, ſeparatim a Laudibus decantatum fuiſſe, uti ex Regula S. Benedicti Cap. VIII. & XVI. colligit Bonartius Lib. I. *De Horis Canonicis*, Cap. XXI. Num. XIV. probatque ex Hugone de S. Victore in Speculo Eccleſiæ Cap. III. & Lib. II. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. I. & IX. in fine, ex Amalario Lib. *De Ordine Antiphonarii*, in principio, & ex aliis, inter quos recenſet etiam locum S. Baſilii in Regulis fuſius diſputatis, Quæſtione XXXVII. Non fuiſſe tamen hanc conſuetudinem univerſalem, quia ſcilicet multis etiam in locis Laudes, & Nocturni jungebantur, tradit Caſſianus Lib. III. Cap. IV. *Hæc*, inquit, *Matutina ſolemnitas*, loquitur hic certe de Laudibus, uti ex contextu verborum patet, *in Galliæ quidem Monaſteriis, expletis Nocturnis Pſalmis, & Orationibus poſt modicum temporis intervallum ſolita eſt celebrari, ſed in Orientis partibus cum quotidianis vigiliis pariter conſummatur.* Idem tradi Amalarius in Prologo laudati Libri, *De Ordine Antiphonarii*, ex eoque colligit memoratus Bonartius, Romanam Eccleſiam nunquam forte morem illum Laudes a Nocturno ſeparandi recepiſſe.

II. Ob varium antiquum Eccleſiarum uſum, ſintne Laudes diſtincta Hora a Matutino, ſeu Nocturnis, diſputant jam plures Doctores apud Guyetum in ſua Heortologia Lib. III. Cap. XIX. Quæſtione II. Vulgariorem ait ipſe ac longe probabiliorem eſſe opinionem negantem, quam tuentur Sotus Lib. X. *De juſtitia, & jure*, Quæſtione V. Articulo IV. Suarez Tomo II. *De Religione*, Lib. IV. Cap. VI. communiterque Doctores tam Summiſtæ verbo, *Hora*, quam Canoniſtæ in Can. *Presbyter*, Diſtinctione XCI. & Cap. I. *De celebratione Miſſarum*. Nec tamen ex eo, quod unicam Horam conſtituat Matutinum cum Laudibus, inde conſequens eſt, non poſſe Laudes ab illo dividi, ut recte docet Suarez loco citato, non in Choro quidem, quod extra noctem Nativitatis Domini, illud prorſus inuſitatum ſit, ſed in privata ſaltem divini Officii recitatione, prout a pleriſque in morem inductum cernimus, nulla contra id poſitiva Lege reclamante. Porro illud paſſim Auctores docent, ubi terminatur Matutinum cum ultimo Reſponſorio, vel Hymno, *Te Deum &c.* dicendam eſſe Orationem diei, cum, *Dominus vobiſcum*, *Benedicamus Domino*, *Fidelium animæ &c.* & *Pater noſter*, ſecreto more cæterarum Horarum. Deinde vero Laudibus ſic a Nocturnorum Officio diviſis præmittendam eſſe ſecretam recitationem Dominicæ orationis, atque Angelicæ ſalutationis.

III. Hiſce obiter, & ad eruditionem veteris, ac novæ diſciplinæ adnotatis, ut noſtri hujus §. Rubricam narremus, ubi expletus eſt Hymnus, *Te Deum laudamus &c.* ſi Epiſcopus in Matutinis ſolemne Officium peregit, congruum eſſe ait noſter §. ut etiam Laudes ſolemniter celebret; in quibus ea omnia fere ſervari conveniet, quæ dicta ſunt ſupra in Cap. II. ubi actum eſt de Veſperis ſolemniter per Epiſcopum celebrandis ipſo in craſtinum Miſſam non celebraturo. Statim itaque finito Hymno, *Te Deum &c.* Epiſcopus adhuc ſtans in ſua Sede Epiſcopali, depoſita Cappa capiet Pluviale coloris tempori congruentis, & Mitram, & alia paramenta, prout in dictis Veſperis dictum fuit; quatuor præterea, aut ſex Canonici ex Dignitatibus, ſive ex dignioribus una cum eo capient pariter Pluvialia, iiſque induentur, ceteris Canonicis in habitu ſuo Canonicali manentibus, uti poſt noſtrum hunc §. docent Caſtaldus Lib. II. Sectione V. Cap. XII. Num. XI. & Bauldryus Parte V. ubi enarrat Librum II. noſtri Cæremonialis Cap. VII. Num. I.

§. II.

Epiſcopus igitur inchoabit Laudes abſolute cantando, *Deus in adjutorium meum intende*, ſignando ſe ſigno Crucis a fronte ad pectus. Antiphonas eodem modo, & iidem præintonabunt Canonicis dignioribus, ut in dictis Veſperis; eademque obſervabuntur in ſeſſione, ſurrectione, & reverentiis, dum Pſalmi, & Antiphonæ decantantur, quæ ibidem dicta ſunt. Sic etiam quoad Capitulum, & Hymnum.

§. III.

Et cum inchoatur Canticum, *Benedictus &c.* Epiſcopus poſito prius thure in thuribulum, dum per Chorum cantatur Antiphona, ſurgit cum Mitra, factoque ibi ſigno Cru-

Digitized by Google

Crucis, & assumto Baculo, associatus a prædictis Canonicis paratis, thurificabit Altare, & deinde thurificabitur ipse apud suam Sedem, stans cum Mitra, a digniori ex dictis Canonicis paratis, vel alio, cui competat, prout ibidem explicatum fuit.

§. IV.

Organum quoque ad Hymnum, & Canticum, *Benedictus*, & in fine Psalmorum poterit adhiberi modo superius tradito in Capite XXVIII. Lib. I.

§. V.

Denique dum repetitur Antiphona per Chorum, finito Cantico, *Benedictus &c.* Cæremoniarius cum Ceroferariis accedit ante Episcopum, qui cantabit Orationem; & mox dabit benedictionem, & denique omnia alia fient, prout ibi latius narratum fuit.

COMMENTARIUS.

I. OMnibus paratis, ubi Episcopus, recitatis Nocturnis, statim Laudes inchoabit, absolute, idest, non præmissa Oratione Dominica, aliisque initio Nocturnorum, Horarumque Canonicarum dici solitis secreto, incipit cantans, *Deus in adjutorium &c.* signatque se Crucis signaculo, uti ad ea verba ex antiquo ritu alias jam explicato fieri solet. Dicto Versiculo, *Deus in adjutorium &c.* & *Gloria Patri &c.* intonat Episcopus primam Antiphonam, tum alias dicti Canonici digniores Pluvialibus parati, juxta ritum superius, ubi de Vesperis actum fuit, præscriptum: *eademque observabuntur*, ut ait hic §. II. *in sessione, surrectione, & reverentiis, dum Psalmi, & Antiphonæ decantantur, quæ ibidem dicta sunt... etiam quoad Capitulum, & Hymnum.* Hymnos in divinis Officiis ab Ecclesia Romana antiquitus non fuisse admissos, & quidem usque ad XII. Seculum, abunde superius suo loco jam demonstravimus.

II. Ad Capitulum Laudum quod attinet, a S. Benedicto in sua Regula appellatur, *Lectio brevis*, eratque memoriter a Celebrante recitanda; quando enim unica Lectio in Officio est, Celebrantis est eam recitare; ad Matutinum vero, quia complures sunt, a pluribus perleguntur, atque postrema ex Euangelio petita digniori reservabatur, eaque de causa in Capitulis istis, *Jube Domne &c.* non invenitur, quia ille, cujus est ea recitare, scilicet Celebrans Officium pro arbitratu suo ordinare potest, neque alterius venia opus habet, uti observat Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. XXXIV. ubi etiam notat, ritum dicendi Hymnum ad Laudes, Vesperas, & Completorium post Psalmos, aliis vero Horis ante Psalmos, a Regula S. Benedicti fuisse acceptum; in Regulis S. Cæsarii, & S. Aureliani Hymnos ait post Psalmos dici ad omnes Horas.

III. Sumtum præterea fuisse Euangelii Canticum, quod incipit, *Benedictus Dominus Deus Israel &c.* & dicitur ad Laudes, ab eodem S. Benedicto, plerique Auctores docent. Canticum ipsum, sicut & Canticum, *Magnificat* ad Vesperas, & Canticum, *Nunc dimittis* ad Completorium, quia ex Euangelio desumta sunt, dici stando debere, jam alibi notavimus, & docet Durandus in suo Rationali Lib. V. Cap. III. Numero XXVIII. Ex Rubrica nostri §. III. cum inchoatur Canticum, *Benedictus*, Episcopus, posito prius thure in thuribulum, dum per Chorum cantatur Antiphona, surgit cum Mitra, factoque sibi signo Crucis, & assumto Baculo, associatus a prædictis Canonicis paratis thurificat Altare more solito, & deinde thurificatur ipse apud suam Sedem stans cum Mitra a digniori ex dictis Canonicis paratis, vel ab alio, cui illud munus competat, prout jam alibi explicatum fuit. Organum quoque ex præscripto nostri §. IV. ad Hymnum, & Canticum, *Benedictus*, & in fine Psalmorum poterit adhiberi juxta regulam Lib. I. Cap. XXVIII. traditam.

IV. Denique dum repetitur Antiphona per Chorum, finito Cantico, *Benedictus*, ex Rubrica nostri §. V. Cæremoniarius cum Ceroferariis accedit ante Episcopum, qui cantabit, *Dominus vobiscum*, *Oremus*, & Orationem, seu plures, & mox dabit benedictionem, aliaque omnia fient juxta ritum suis locis latius enarratum. Porro non omittendum, quod observat Bauldryus, ex dictis colligi, Diaconos assistentes non debere esse paratos ad Laudes, sed satis esse, ut sint in Habitu Chorali, seu Canonicali, & sic ministrare Episcopo imponendo, & auferendo Mitram, uti alibi dictum fuit.

§. VI.

Pariter absente Episcopo, & in Ecclesiis Collegiatis eadem omnia servabuntur, prout in dictis Vesperis continetur.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

Ad reliquas Horas Canonicas Episcopus non solet intervenire: si tamen voluerit interesse, assistet in Choro cum Cappa, & nullum Officium faciet, sed omnia fient per Canonicos, & Hebdomadarios juxta stylum Ecclesiarum.

§. VIII.

Excipitur tantummodo Hora Tertia, quam si Episcopus est solemniter Missam celebraturus, pariter & ab illo celebrari convenit, prout latius in sequenti Capite declarabitur.

COMMENTARIUS.

I. QUæ dici in hisce Paragraphis possent, explicata non uno in loco a nobis fuere, ubi scilicet de Matutino, & Vesperis egimus, celebrante Episcopo, vel ipsis præsente. Quantum ad reliquas Horas Canonicas, Episcopus, ut testatur Rubrica §. VII. non solet iis intervenire, sed notandum quod statim subjicit, nempe, si interesse velit, assistere eum debere in Choro cum Cappa, & nullum Officium facere, sed omnia fieri per Canonicos, & Hebdomadarios juxta stylum Ecclesiarum. Ceterum ab ea regula excipitur tantummodo Hora Tertia, ut ait noster §. VIII. de qua vide quæ infra dicemus Cap. sequenti.

CAP. VIII.

Pro Missa solemni Pontificali ab Episcopo celebranda decet, ut Sacellum deputetur in Ecclesia, ubi non adsit Secretarium, ad sacra indumenta accipienda. Quo ordine Episcopus ad Ecclesiam procedat. Quæ in Secretario præparanda, ac facienda sint. Tertia quomodo cantanda, & interim Episcopus parandus, & a quibus. Paramenta qua ratione Episcopo præbenda. Ordo ad Altare procedendi. Confessio quomodo facienda. Liber ab Episcopo osculandus, & Altare thurificandum. Introitus quomodo legendus. Ad Gloria in excelsis, *quo ritu standum. Oratio quomodo dicenda. Episcopus Epistolam, & Graduale legit, Subdiaconum Epistolæ benedicit. Quomodo Diaconus procedet ad Euangelium. Quid servandum, si fiat Sermo. Benedictio post Sermonem danda. Quæ ad Symbolum observanda. Quæ a Diacono, & Subdiacono, finito Symbolo, peragenda. Altare post Offertorium thurificandum. Qui post Oblata incensandi. Ritus dicendi secreta, Præfationem, & Canonem. Ordo accipiendi, ac dandi pacis osculum. Quid servandum, si communio generalis, vel particularis fiat. Quæ agenda post communionom. Quomodo benedictio in fine Missæ danda.*

§. I.

Quo ordine, quove comitatu Episcopus ad Ecclesiam sive pro Vesperis, sive pro Missa, aliisque Officiis accedere debeat, superius explicatum fuit. Nunc videnda sunt ea, quæ ad Missam solemnem, ipso Episcopo celebrante, spectant: explicaturi postmodum suis locis in singulis Festivitatibus siquid addendum, minuendum, vel immutandum erit.

§. II.

Jam diximus, valde convenire, atque antiquæ Ecclesiasticæ disciplinæ consonum esse, ut in Ecclesiis Cathedralibus locus aliquis, si Sacellum non adsit, ab antiquis Secretarium appellatum, deputetur, ad quem Episcopus solemniter celebraturus Missam, postquam sua Cappa indutus, ingressus fuerit Ecclesiam, sacrasque preces ad Altare Sanctissimi Sacramenti tantum, & non ad Altare majus effuderit, cum suis Canonicis, & Choro, conveniat.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Qui locus præparatus, ornatuſque eſſe debet Altari decenti cum Cruce, & candelabris, ac cereis accenſis, ſuper quo erunt repoſita ſacra Miſſalia, & indumenta pro Epiſcopo, ſuo ordine. Aderunt etiam ibi Sedes pro Epiſcopo verſus cornu dexterum, vel ſiniſtrum Altaris pro ſituatione, & commoditate loci, & ſedilia pro Canonicis, & aliis circumcirca.

§. IV.

In eum locum ingreſſus Epiſcopus, factaque reverentia Cruci ſuper Altari prædicto exiſtenti, orabit, ac inde ſedebit aliquantulum ſuper dicta Sede, ſibi præparata, donec Canonici extra illum locum capiant ſacra indumenta, remanentibus duobus Diaconis aſſiſtentibus apud Epiſcopum, dum alii parantur, qui & ipſi poſtea accipiunt paramenta.

COMMENTARIUS.

I. QUo ordine, quove comitatu Epiſcopus ad Eccleſiam, ſive pro Veſperis, ſive pro Miſſa, aliiſque Officiis Eccleſiaſticis peragendis accedere debeat, fuſe jam explicuimus in Commentariis ad Caput XV. Libri I. hujus noſtri Cæremonialis. Videnda nunc nobis ſunt, & enarranda, quæ ad Miſſam ſolemnem Epiſcopo celebrante ſpectant, tametſi nonnulla & de ea re ſparſim in Commentariis ſuperioribus notata jam fuerint. Sed ut ſequamur methodum in hoc Capite præſenti præſcriptam, repetendum cenſemus, quod ceteroqui etiam alibi dictum eſt, valde ſcilicet convenire, atque antiquæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſonum eſſe, ut in Eccleſiis Cathedralibus locus aliquis, ſi Sacellum non adſit, ab antiquis Secretarium appellatum deputetur.

II. Plura jam de antiqua Eccleſiarum conſtructione, earumque partibus, & conſequenter de Secretario diximus nos noſtro II. Tomo Romani Pontificalis in Commentariis Tit. I. qui inſcribitur, *De benedictione, & impoſitione primarii lapidis pro Eccleſia ædificanda*. Quamquam ſatis conſtet, Secretarii nomen præſertim in Jure Civili Romanorum uſurpari ad ſignificandum locum, in quo Judices cauſas diſcutiant, uti videre eſt in Actis Proconſularibus S. Cypriani, & apud Briſſonium, *De formulis Juris*, verbo, *Secretarium*; apud Scriptores tamen rerum ſacrarum pro loco accipitur ad veſtes ſacras induendas, & ad Eccleſiæ ornamenta aſſervanda deſtinato, ut ſcite notat Georgius Lib. I. *De liturgia Romani Pontificis*, Cap. VII. Num. I. additque Num. II. reddita Eccleſiæ pace, cum nobilius, & magnificentius conſtrui Templa cœperint, non unum tantum, ſed fere ſemper duo in una Eccleſia Secretaria fuiſſe ædificata, quorum alterum ſacris Pontificum ornamentis induendis, alterum ſacræ ſupellectili aſſervandæ uſui eſſet.

III. Extruebantur hæc Secretaria, & in inferiori parte navis Eccleſiæ ad auſtrum, & in ſuperiori circa abſidam, uti ex S. Paulino addiſcimus, qui ſitum quidem, & nomen utriuſque Secretarii nobis exhibuit in Epiſtola XXXII. Numero XVI. ad Severum ſcripta anno CDIII. ubi Nolanam Baſilicam deſcribens, de Secretariis ejuſdem Baſilicæ hæc habet: *In Secretariis vero duobus, quæ ſupra dixi circa apſidem eſſe, hi verſus indicant officia ſingulorum.*

A dextris apſidis.

Hic locus eſt venerãda penus, qua cõditur, & qua
Promitur alma ſacri pompa miniſterii.

A ſiniſtra ejuſdem.

Si quem ſancta tenet meditanda in lege voluntas,
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.

Paulo ante utrumque locum idem Paulinus ex ipſa ſtructura *conchulas* appellarat, numero ſcilicet XIII. ſic inquiens: *Proſpectus vero Baſilicæ, non, ut uſitatior mos eſt, Orientem ſpectat, ſed ad Domini mei Beati Felicis Baſilicam pertinet, memoriam ejus aſpiciens: tamen quum duabus dextera, lævaque conchulis intra ſpatioſum ſui ambitum apſis ſinuata laxetur, uni earum immolanti Hoſtias jubilationis Antiſtiti patet, altera poſt Sacerdotem capaci ſinu receptat orantes.*

IV. Ante S. Paulinum, ut poſt eruditum Georgium Scriptores alii docti obſervant, meminit Secretarii Eccleſiæ Laodicena Synodus anni CCCXIV. Can. XXI. a quo ſancitum fuit, ut Subdiaconis Secretarium ingredi non liceret: *Quod non oportet Subdiaconos licentiam habere, in Secretarium, quod Græci Diaconicon appellant, ingredi, & contingere vaſa Dominica.* Diaconicon fortaſſe a Græcis Secretarium vocatum eſt, quod cura ſacrorum vaſorum Diaconis demandata erat, non ſolum apud Orientales, verum etiam apud Occidentales Eccleſias, uti conſtat ex S. Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo Lib. II. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. IX. ubi ita ait: *Cuſtodes Sacrarii Levitæ ſunt; ipſis enim juſſum eſt cuſtodire Tabernaculum, & omnia vaſa Templi.* Pertinuiſſe etiam olim curam Sacrarii ad Presbyteros in Eccleſia Græca, luculentiſſime oſtenſum eſt Lib. I. hujus Cæremonialis Cap. VI. in Commentario ad §. I. ubi attulimus locum Synodi Mopſueſtanæ relatæ in Actione V. Concilii V. generalis. Porro Laodiceni Concilii Canonem ſuum fecit Agathenſis Synodus anni DVI. Can. LXVI.

Digitized by Google

Quoniam non oportet, inquiens, *insacratos Ministros licentiam habere, in Secretarium, quod Græci Diaconicon appellant, ingredi, & contingere vasa Dominica.*

V. Teste Mabillonio in Commentario ad Romanum Ordinem Tomo II. Musei Italici Pag. XXII. mos olim Romæ fuit, ut in Secretariis ipsis Oratorium construeretur, uti in Basilica Lateranensi S. Thomæ, in Vaticana S. Gregorii, quod Oratorium nunc Sanctæ Mariæ de Febre appellatur; sed neutrum modo pro Secretario est. In Secretariis hisce Romani Pontifices Sacra facturi vestes, quibus in Sacrificio uterentur, induebant, & inde ad Altare solemni ritu procedebant. Ibidem Concilia celebrari mos erat, ut alibi dictum est, ideoque Secretaria appellata sunt Constitutiones editæ in Lateranensi Synodi Martini I. Papæ. Huc spectat Canon XVI Concilii II. Arelatensis, statuens, *ut in Secretario Diacono inter Presbyteros sedere non liceat, vel Corpus Christi præsente Presbytero tradere non præsumat.*

VI. Nec vero uno tantum nomine Secretarium a Majoribus nostris appellatum fuit, sed aliis etiam nominibus tum a Græcis, tum a Latinis, nempe *Salutatorium, Vestiarium, Receptorium, Mutatorium*, itemque, *Diaconicum*, & *Sacrarium*. Quæ nomina una cum aliis scitu dignis fuse memoratus Georgius expendit. Illud ego hic non omiserim, quod nempe in Ordinibus I. & II. Romanis legitur apud laudatum Mabillonium Tomo II. Musei Italici, de Romano Pontifice ad Ecclesiam eunte Sacra facturo; ubi enim ex equo descenderat, medius inter duos Diaconos ad Secretarium procedebat: *Cum vero Ecclesiam introierit Pontifex, non ascendit continuo ad Altare, sed prius intrat in Secretarium sustentatus a Diaconibus, qui eum susceperint de Sellario descendentem; ubi dum intraverit, sedet in sella sua, & Diaconi salutato Pontifice, egrediuntur Secretarium, & ante fores ejusdem mutant vestimenta sua, & parat Euangelium, qui lecturus est, reserato sigillo ex præcepto Archidiaconi super Planetam Acolythi, & si necesse fuerit propter majora Euangelia, duobus Acolythis super Planetas tenentibus parat Euangelium.* Ita I. Ordo Romanus, eademque leguntur in Ordine Romano II.

VII. Ex dictis multa addiscimus, quibus Paragraphi nostri illustrantur, ac I. quidem antiquissimam esse utriusque Ecclesiæ disciplinam, Græcæ, ac Latinæ, Secretaria in Basilicis construere. II. ædificata Oratoria in ipsis fuisse. III. constructas in eisdem fuisse sedes. IV. ubi Pontifices Ecclesiam fuerant ingressi, non ad Altare statim, sed ad Secretarium processisse; ex quo deducimus, consonum esse antiquæ Romanæ Ecclesiæ disciplinæ, quod in §. II. statuit Benedictus XIII. ut nimirum ad Secretarium *Episcopus solemniter celebraturus Missam, postquam sua Cappa indutus ingressus fuerit Ecclesiam, sacrasque preces ad Altare Sanctissimi Sacramenti, & non ad Altare majus effuderit, cum suis Canonicis, & Choro conveniat.* Ita sane in novo hoc nostro Cæremoniali, nam in aliis ante ipsum editis expresse edicitur, ut Episcopus ad Secretarium ipsum cum Canonicis in Choro conveniat, *postquam sua Cappa indutus ingressus fuerit Ecclesiam, sacrasque preces ad Altaria superius memorata effuderit*, ad Altare scilicet majus, & ad Altare SS. Sacramenti.

VIII. Ad sellam Pontificis quod attinet in Secretario parandum, ex Ordine I. Romano constat, ductulem ipsam fuisse, non fixam: *Sellam autem Pontificis Cubicularius laicus præcedens deportat, ut parata sit, dum in Sacrarium venerit.* In Ordine II. Romano de eadem re ita legimus: *Sed cubiculario laico hæc cura est præscripta, ut sella Pontificis in Sacrario sit parata, donec ille veniat celebraturus divina Mysteria.* Antiquissimum hunc esse morem sedendi, antequam ad Altare Episcopus procederet Missam celebraturus, ex S. Augustino patet, qui in Libro XXII. *De Civitate Dei*, Cap. VII. enarrans miraculum ad memoriam S. Stephani in Ecclesia Hipponensi mane die S. Paschæ patratum, juvenis scilicet paralysi laborantis, ac ope S. Stephani implorata sanati, hæc habet: *Et ecce surrexit, & non tremebat, quoniam sanatus erat, & stabat incolumis intuens intuentes. Quis ergo se tenuit a laudibus Dei? clamantium, gratulantiumque vocibus Ecclesia usquequaque completa est. Inde ad me curritur, ubi sedebam jam processurus.* Et paulo post: *Procedimus ad populum: plena erat Ecclesia, personabat vocibus gaudiorum, Deo gratias, Deo laudes, nemine tacente, hinc atque inde clamantium.* Ubi nota, quod dictum est supra, sedisse Augustinum in Secretario, antequam Missam celebraturus procederet ad Altare.

IX. Observandum restat, quod jam alibi non semel innuimus de Secretario, quod in nostro Cæremoniali præscriptum est, ut nimirum is locus ornatus esse debeat Altari decenti, ut in eo locata sit Sedes Episcopi, atque Canonicorum, ut tandem in eo sacræ vestes serventur, eædemque ibidem ab Episcopo induantur, divina mysteria celebraturo, e pervetusta Ecclesiæ disciplina, ac præsertim e Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritibus prodiisse. Ceterum ex nostro §. IV. *in eum locum ingressus Episcopus, factaque reverentia Cruci super Altari prædicto existenti, orabit, ac inde sedebit aliquantulum super dicta sede sibi præparata &c.* Vox *orabit*, in editis ante hoc nostrum Cæremonialibus desideratur, sapienterque a Benedicto XIII. huic §. adjuncta, neque enim decebat, ut nulla facta Oratione ad Altare in Secretario existens, Episcopus ad Sedem suam pergeret, ibique sederet. Est enim nostri ævi abusus, ut multi Christifideles Ecclesiam ingredientes audiendæ Musicæ curiositate adacti, nec paululum precum ad Sanctum fundunt, cujus festivitas celebratur.

X. Itaque Secretarium ingressus Episcopus, facta Cruci reverentia, *orabit, ac inde sedebit aliquantulum super dicta Sede sibi præparata, donec Canonici extra illum locum capiant sacra indumenta*, vel ibidem, si aliter fieri non potest, ut notat Bauldryus Parte V. ubi enarrat Librum II. nostri Cæremonialis, Cap. VIII. Articulo I. Numero

Digitized by Google

mero VI. *remanentibus duobus Diaconis assistentibus ante Episcopum*, hinc inde scilicet a lateribus ejus, & Presbytero assistente cum eorum habitu Canonicali, *dum alii parantur, qui & ipsi postea accipiunt paramenta*. Interim etiam parantur Diaconus, & Subdiaconus, qui cantaturi sunt Euangelium, atque Epistolam, ut diximus supra Lib. I. ubi de eorum Officio egimus. Ceterum si tale Secretarium in Ecclesiis non extet, multi enim Episcopi solicitiores sunt in ampliando Palatio Episcopali, quam sua Ecclesia, paratis Canonicis in Sacristia, ad Altare, ut infra dicetur, processionaliter procedent, ubi cum pervenerit Episcopus in medio ante Altare genuflexus, aliis pariter genuflexis, aliquantulum orabit, juxta ritus jam superius Lib. I. explicatos.

§. V.

Quibus paratis, atque in eundem locum ingressis, cum debitis reverentiis Altari, & Episcopo, & apud eorum sedilia stantibus, Episcopus surget, & stans, capite detecto versus Altare, dicet secreto totum, *Pater noster*, & *Ave Maria*. Tum faciens sibi signum Crucis a fronte ad pectus, ea forma, quæ superius expressa fuit, altiori voce incipit horam Tertiam, dicens: *Deus in adjutorium &c.* Choro prosequente: *Domine ad adjuvandum &c.* & Hymnum, *Nunc sancte nobis Spiritus*, cui Organum intermisceri poterit, secundum regulam in Capite XXVIII. §. VIII. Libri I. de Organo, & Organista traditam.

§. VI.

Quo Hymno finito, Cantor dicit Antiphonam, atque incœpto Psalmo, *Legem pone mihi Domine &c.* Episcopus sedebit, sedentibus etiam Canonicis, exceptis his, qui Episcopo ministraturi sunt; Chorus autem prosequetur Psalmos.

COMMENTARIUS.

I. UBi in Ecclesiis Secretarium extat cum Altari, & sedilibus, uti superius dictum est, Canonicis omnibus indutis paramentis, aut quibusdam tantum Pluvialibus, si alia haberi non possunt, atque in eundem locum ingressis, cum debitis reverentiis Altari, & Episcopo, ac apud eorum sedilia stantibus, Episcopus surget, & stans capite detecto versus Altare in Secretario existens, dicto, *Pater noster*, & *Ave Maria*, integre, ac secrete, factoque sibi Crucis signaculo a fronte ad pectus juxta formam superius descriptam, *altiori voce incipit Horam Tertiam, dicens*, Deus in adjutorium &c. *Choro prosequente &c.*

II. Hora diei Tertia, quæ vulgo apud Italos, ut notat Durantus Lib. III. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. VIII. *aurea Hora* appellatur, in Jure vero Canonico, *Hora sacra*, Can. fin. Distinctione XLIV. quia scilicet, ut laudatus Auctor conjicit, *sacris Missarum solemniis dicata est*. Inde opportune dictam inquit Rupertus Abbas Tuitiensis Lib. X. *De divinis Officiis*, Cap. XVIII. quia Spiritus Sanctus Hora Tertia super Apostolos adveniens, vivificis eandem Horam dedicavit mysteriis. Varias rationes cur Hora Tertia Missa scilicet solemnis celebrari debeat, antiqui plane Scriptores rerum liturgicarum tradidere apud Durantum ipsum Lib. II. Cap. VII. Num. I. sed audiamus Canonem XIV. Concilii III. Aurelianensis anni DXXXVIII. *De Missarum celebritate in præcipuis dumtaxat solemnitatibus id observari debet, ut Hora Tertia Missarum celebratio in Dei nomine inchoetur: quo facilius intra Horas competentes ipso Officio expedito Sacerdotes possint ad Vespertina Officia, ideſt, in Vespertino tempore convenire, quia Sacerdotem Vespertinis Officiis ab Ecclesia talibus præterea diebus, nec decet deesse, nec convenit.*

III. Tertia hic Hora decernitur ad celebrandam Missam solemnem, tum ob usum, qui invaluerat, pro ipsius Horæ prærogativis, ob mysteria, quæ in eadem continentur, tum ob Sacerdotum commodum, nempe ut ad Vesperas redeundi tam ipsis, quam ceteris Fidelibus tempus suppeteret. Ex quo nonnulli etiam conjiciunt, pluribus quandoque Ecclesiis unum tantum Presbyterum, qui in iis plures in die Missas celebraret, præfectum fuisse; sub singulis autem ejusmodi Sacerdotibus Diaconos, aliosque Clericos cetera objisse munia; itaut in necessitate baptizarent, Fidei rudimenta docerent, aliisque Officiis fungerentur. Hocque innuit Canon, quo decernitur satis temporis, quo possit Sacerdos ad Officia Vespertina regredi.

IV. Frequentissima est apud Patres tum Latinos, tum Græcos Horæ Tertiæ mentio. S. Clemens, vel alius ejus nomine Auctor Apostolicarum Constitutionum Lib. VIII. Cap. XL. hæc habet: *Preces etiam vestras facite Hora Tertia, quoniam illa Hora Dominus sententiam Pilati accepit*. Quod & S. Ignatius scribit in Epistola ad Trallianos sic dicens: *Hora Tertia sententiam Christus accepit a Pilato*. Eandem Tertiam Horam non uno in loco commendant Tertullianus adver-

Digitized by Google

ſus Pſychicos Cap. x. S. Cyprianus, *De Oratione Dominica*, S. Hieronymus, S. Baſilius, & alii Patres paſſim, inter quos S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis Lib. I. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. XIX. ait: *Illud etiam occurit ad probationem Trinitatis, quod Spiritus Sanctus Hora Tertia, hoc eſt, ſuo loco, & numero, & tempore, deſcendit ad terras, impleturus gratiam, quam Chriſtus promiſit*. Quæ verba etiam leguntur in Concilio Aquiſgranenſi ſub Ludovico Pio, Cap. CXXVI.

V. Quamquam vero celebris fere ubique locorum apud Fideles, ac præſertim apud Eccleſiaſticos Tertia Hora, aliæque Canonicæ Horæ haberentur, teſtis eſt tamen S. Gregorius Turonenſis Lib. X. ſuæ hiſtoriæ, Injurioſum XV. Turonenſem Epiſcopum juſſiſſe, ut in Eccleſia illa, Tertia, & Sexta recitarentur; quia ſcilicet forte ante ejus tempora privatim tantum, atque ex Fidelium pietate, nulla Lege jubente, recitabantur: *Hic inſtituit Tertiam, & Sextam in Eccleſia dici, quod modo in nomine Domini perſeverat*. Verba ſunt laudati Gregorii de ipſo Injurioſo Epiſcopo Turonenſi loquentis. In vita quoque S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi legimus, eum ſtatuiſſe, ut inpoſterum Clerici Tertiam, Sextam, & Nonam publice decantarent, quo Pœnitentes, & laici illis adeſſe poſſent, atque in Regula ſua ſingulis Horis iſtis ſex Pſalmos tribuit.

VI. Horæ ſingulæ, ut notat Grancolas in Commentario ad Breviarium Romanum, Cap. XXXVII. olim a primo Pſalmo incipiebant, ut in triduo ante Paſchatis Feſtum fieri aſſolet; verum S. Benedictus juſſit Monachis ſuis, ut prius, *Deus in adjutorium*, recitaretur, atque ideo moris hujus Auctor putatur. Hymnum ipſe ante Pſalmos ponit, ſed alii, inter quos S. Cæſarius, & S. Columbanus poſt Pſalmos ſtatuunt. Pſalmi CXVIII. qui incipit, *Beati immaculati in via*, diſtributio pro Horis iſtis, peculiaris eſt mos Eccleſiæ Romanæ, quem S. Benedictus religioſe ſervabat, ut in ejus Vita ſcriptum eſt: *Divinum Officium juxta Romanum Pſalmo* CXVIII. *perſolvebat*. Cum in hac Hora Tertia datus ſit Apoſtolis Spiritus Sanctus, ideo dici Hymnum, *Nunc ſancte nobis Spiritus*, tradit Durandus in ſuo Rationali Lib. V. Cap. VI. ubi etiam docet, ideo in Hora ipſa dici Pſalmum, *Legem pone &c.* quia tunc Lex nova data eſt Apoſtolis. In quibuſdam demum Eccleſiis, ut idem Grancolas notat, Feſtis diebus Tertia canitur ſolemniter cum Cappis, & Organo, in aliis vero fit etiam incenſatio, ut Pariſiis.

VII. Deſcribendum hic ſupereſt, quod de Hora Tertia tradit Craſſus Lib. II. ſui Cæremonialis Cap. I. ubi ſcilicet Cardinalis Epiſcopus, præſente Legato, Pontificali, & ſolemni ritu Miſſam eſſet celebraturus: *Cardinalis*, inquit, *pauliſper in Faldiſtorio ſedens quieſcit, donec omnes conſederint, & miniſtri omnes ſua Superpellicea induerint, & omnia parata fuerint*. Et mox: *Demum licentia a Legato habita pro Hora Tertiarum inchoanda, ut moris eſt, & ceſſantibus Organis ipſe Cardinalis ſurgit, ſurgentibus omnibus de Choro, & verſus ad Altare, ſtans detecto capite ſecrete dicit totum*, Pater noſter; *deinde faciens ſibi ſignum Crucis a fronte ad pectus, alte cantat*: Deus in adjutorium &c. *cui Chorus reſpondet more ſolito ſicut pro Veſperis. Inde ſi Cardinali placeret intonare Hymnum*, Nunc ſancte nobis Spiritus; *tunc prædicto Manſionario intimatore ad ipſum accedente, & Hymnum cum ſupradictis Cæremoniis intimante, Cardinalis illum reſumit, ex Libro cantans, ut ſupra. Si autem Chorus Hymnum, Organo alternatim reſpondente cantet, & Cardinalis omnino manet ſic rectus, uſquequo fuerit inchoatus Pſalmus*, Legem pone &c. *quo incepto ipſe, ac Legatus, & omnes alii, demtis Miniſtris, ſedeant cooperto capite*. Hæc ille, ex quibus multa addiſcere licet, quæ ad noſtros Paragraphos enarrandos quammaxime ſpectant. Vide & Auguſtinum Patricium in ſuo Cæremoniali Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. ubi agens de Miſſa Papali, Tertiæ etiam Horæ meminit ſolemni ritu cantandæ, antequam ad divina celebranda accedat Myſteria. Sed de hoc ritu inferius.

§. VII.

Tunc Miniſter de Libro ſerviens Cotta indutus, una cum altero candelam accenſam tenente, accedunt cum Libro ante Epiſcopum, qui poterunt eſſe aliqui ex ſuis Capellanis; & qui de Libro ſerviet, genuflexus manebit, dum Epiſcopus legit ſedens. Epiſcopus vero ſedens legit Antiphonam, *Ne reminiſcaris &c.* & Pſalmos conſuetos, duobus Canonicis ſibi a lateribus aſſiſtentibus, qui debent per totam Miſſam deſervire, alternatim reſpondentibus. Interim Subdiaconus cantaturus Epiſtolam, qui ſimul cum Diacono Euangelium cantaturo, ac aliis Canonicis erit jam Subdiaconalibus paramentis indutus, demto Manipulo, ut in Capitibus IX. §. I. & XI. §. II. Lib. I. de eorum Officio dicitur, afferet ex credentia ſuper bacili Sandalia, & Caligas, manibus velo coopertis, alio velo cooperta ambabus manibus elevata ante Epiſcopum, illaque, adjuvantibus duobus Epiſcopi Scutiferis, qui ad abacum ſolent aſſiſtere, genuflexus induit primo in dextero, deinde in ſiniſtro pede Epiſcopi, detractis prius per Scutiferum ordinariis calceis: eodemque tempore, ſex, vel octo Acolythi cum Cottis genuflexi, fimbrias Cappæ circumcirca elevant, & dilatant, cooperiendo dictum Subdiaconum, & Scutiferos, quo commodius, & decentius officium ſuum peragere poſſint.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Quibus expeditis Subdiaconus, & Scutiferi prædicti recedunt ad loca ſua. Acolythi, aptatis in gyrum Cappæ Pontificalis fimbriis, ad Altare redeunt, ut præſto ſint pro paramentis Epiſcopo deferendis. Epiſcopus proſequitur lectionem Pſalmorum: quibus dictis uſque ad *Kyrie eleiſon &c.* ſurgens detecto capite, verſus Altare, dicit Orationes. Chorus autem admoneatur, ut Pſalmos Tertiæ lente proſequatur, interpoſito etiam, ſi opus videbitur, poſt quemlibet Pſalmum Organi ſonitu, itaut eodem tempore illos perficiant, quo Epiſcopus ſuos Pſalmos cum ſuis Verſiculis legerit, & paratus fuerit, ut infra.

COMMENTARIUS.

I. QUoniam quum Pſalmi Horæ Tertiæ cantantur, Epiſcopus Miſſarum ſolemnia celebraturus, debet interim de toto parari, & legere Pſalmos, Verſiculos, & Orationes, quæ multæ ſunt, & multo tempore opus eſt, ideo ex præſcripto noſtri VII. §. & ex Craſſi etiam ſententia Lib. II. Cap. I. admonendi Cantores ſunt, & Organiſta, ut lente cantent ſuos Verſus, etiam modulando Pſalmodiam, & ille ſimiliter ſonando alternatim pro ſuo Verſu reſpondeat ſolemniter, uti fit, dum cantatur in Veſperis ſolemnibus Canticum, *Magnificat*. Pro quibus Pſalmis decantandis ita utrinque, a Cantoribus ſcilicet, & ab Organiſta obſervandum eſſe idem Craſſus admonet, *ut tantum proportionati temporis diſpenſetur, quoad Cardinalis*, Epiſcopus ſcilicet celebraturus, *poſſit commode de toto eſſe paratus, antequam inchoetur Capitulum*.

II. Ergo inchoato primo Pſalmo Horæ Tertiæ, ut ait noſter §. VII. *tunc Miniſter de Libro ſerviens Cotta indutus una cum altero candelam accenſam tenente, accedent cum Libro ante Epiſcopum, qui poterunt eſſe aliqui ex ſuis Capellanis; & qui de Libro ſerviet, genuflexus manebit, dum Epiſcopus legit ſedens. Epiſcopus vero ſedens legit Antiphonam*, Ne reminiſcaris &c. *& Pſalmos conſuetos*, pro Miſſæ ſcilicet præparatione juxta antiquum ritum, quem nos ſupra Lib. I. enarravimus; *duobus Canonicis ſibi a lateribus aſſiſtentibus, in habitu ſcilicet Canonicali, qui debent per totam Miſſam deſervire, alternatim reſpondentibus*. Debere tunc etiam una cum iis ſtare, & alternatim reſpondere Epiſcopo Presbyterum aſſiſtentem, docuit jam nos Rubrica §. III. Cap. VII. Lib. I. ubi de ejus officio in Miſſa Pontificali agitur, cujus verba hæc ſunt: *Incepta Hora Tertia, atque incipiente Epiſcopo legere Pſalmos*, Quam dilecta &c. *cum aliis ſequentibus, ipſe ad ejus ſiniſtram ſtans alternatim reſpondebit, duobus quoque Diaconis aſſiſtentibus pariter cum ipſo reſpondentibus*. Porro Craſſus loco citato aliter hunc ritum enarrat, ſic inquiens: *Inchoato primo Pſalmo, Presbyter aſſiſtens Cotta indutus genuflexus ad ſiniſtram ipſius Celebrantis tenet Librum, ex quo legit totam Antiphonam*, Ne reminiſcaris, *& Pſalmos eodem ſolo Aſſiſtente alternatim cum ipſo legente*. Sed hæc ex noſtro Cæremoniali correcta ſunt, ubi edicitur debere Librum teneri ab eo qui de illo ſervire ſolet Epiſcopo, duobus Diaconis, & Presbytero aſſiſtente ſtantibus in habitu Canonicali, atque alternatim Epiſcopo ipſi ad eam Pſalmorum recitationem reſpondentibus. Etiam ex ritu Pontificiæ Capellæ, teſte Patricio Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. *Diaconi aſſiſtentes cum Pontifice dicunt Antiphonam*, Ne reminiſcaris; *& Pſalmum*, Quam dilecta &c. *ut in Libro*; quem etiam ait teneri ante Pontificem ab aſſiſtente Præſule, altero candelam, ideſt, Bugiam cum candela accenſa, ex more tenente.

III. Dum ab Epiſcopo legitur præparatio ad Miſſam, ex Rubrica ejuſdem noſtri §. VII. *interim Subdiaconus cantaturus Epiſtolam, qui ſimul cum Diacono Euangelium cantaturo, ac aliis Canonicis erit jam Subdiaconalibus paramentis indutus, demto manipulo, ut in Capitibus* IX. §. I. & XI. §. II. *Lib.* I. *de eorum officio dicitur, affert ex credentia ſuper bacili Sandalia &c.* Verbum illud *ſuper bacili*, huic §. adjunctum eſt in novo hoc noſtro Cæremoniali, quod alias in antiquioribus etiam Cæremonialibus legitur, nempe Libro I. Cap. X. ubi agitur de officio Subdiaconi in Miſſa Pontificali ſolemni, & ubi idem ritus deſcribitur, qui in hoc §. repetitus eſt. Cum itaque in eum locum jam nos plura dixerimus, ſupervacaneum eſt eadem hoc loco enarrare. Sic enim ibidem legitur: *Epiſcopo igitur incipiente legere Pſalmos*, Quam dilecti &c. *affert*, nempe Subdiaconus, *illi Caligas, & Sandalia ex credentia ſumta, quæ portat ſuper bacili, vel ſuper velo, alio veio ſerico cooperta, ambabus manibus ad oculos uſque elevatis; & adjuvante uno ex familiaribus Epiſcopi, induit primo tibiam, & pedem dexterum Epiſcopi, mox ſiniſtrum genuflexus ſub Cappa illius &c.*

IV. Aliter plane & hunc ritum enarrat Craſſus Lib. II. Cap. I. ubi ait, totum munus calciandi Epiſcopum ſpectare ad ſolos ejus Scutiferos, non autem ad Subdiaconum, cujus nullam in ea re mentionem facit: *Interim*, inquit, *duo Scutiferi credentiarii accepta Sandalia diſcooperta cum caligis de abaco, portant alte uſque ad vultum elevata ad Cardinalem, & genuflexi ante ipſum communibus calciamentis excalciant, & ſacris calciant.*

Digitized by Google

ciant. Sed nota quod ſtatim ſubdit: *Unus tamen ex eis portat omnia illa, & alius vacuus comitatur, & illico Capellani octo in gyrum ante faciem Domini*, ideſt Cardinalis Epiſcopi, *genuflexi oram Cappæ elevant, ut ſub illa Scutiferi duo prædicti ſubeuntes commode calciare poſſint ipſum*. Quæ poſtrema verba profecto conſona ritui ſunt in noſtro §. VII. præſcripto, ubi tamen illud edicitur, ut ſex, vel octo Acolythi Cottis induti, ac genuflexi fimbriam Cappæ circumcirca elevent, atque dilatent, cooperiendo non modo Scutiferos, ſed & Subdiaconum, cujus eſt munus caligis, & calceis ſacris Epiſcopi pedes induere, adjuvantibus illum duobus Scutiferis, qui ad abacum ſolent aſſiſtere, detractis ſcilicet prius ipſi Epiſcopo per unum ex dictis Scutiferis, ordinariis calceis.

V. Quidquid autem de iis ſit, quæ in eum ritum tradit Craſſus, conſonat quidem Rubrica noſtri §. VII. ritui Pontificiæ Capellæ, quem enarrat in ſuo Cæremoniali Auguſtinus Patricius Libro II. Sectione I. Cap. XIII. Poſtquam enim meminit ritus cantandæ Horæ Tertiæ per Papam Miſſarum ſolemnia celebraturum, ita deinde inquit: *Cum Subdiaconus Latinus accedit ad Altare, cui mappulam quandam Sacriſta ſuper brachia ponit, & ſuper eam caligas, & ſandalia, quæ ambabus manibus ad oculos elevatis, ad Pontificem defert: hunc ſequantur omnes Acoluthi, quibus accipientibus, & extendentibus fimbrias Pluvialis Papæ, Subdiaconus cum uno ex ſecretis Cubiculariis Papæ ſubtus intrant, & communia calciamenta Papæ extrahentes, & caligas, & ſandalia ei imponunt*. Meminit & ejus Ritus in ſuo Pontificali Durandus, quod uſui fuit inſigni Eccleſiæ Catalaunenſi, qui licet ſcribat, quod *unus de ſervitoribus ſuis accedens ſibi*, ideſt Epiſcopo, *detrahit communia calceamenta, incipiens a dextero pede*; ſubdit mox tamen, quod *Subdiaconus genuflectens, uno Acolytho eum juvante, calciat illum caligas, & ſandalia, a dextero pede ſimiliter inchoando*. De caligis, & ſandaliis ad uſum Epiſcopi Pontificaliter celebraturi, jam plura notavimus, tum in Commentariis ad Romanum Pontificale, tum Lib. II. *De Codice ſancti Euangelii &c.* Cap. VIII.

VI. Ut autem nihil hic omittamus, ex præſcripto denum Rubricæ noſtri §. VIII. calceato Epiſcopo, *Subdiaconus, & Scutiferi prædicti*, facta ſcilicet illi profunda reverentia, *recedunt ad loca ſua: Acolythi aptatis in gyrum Cappæ Pontificalis fimbriis ad Altare redeunt*, cum debitis ſcilicet reverentiis, ideſt genuflexionibus, *ut præſto ſint pro paramentis Epiſcopo deferendis. Epiſcopus proſequitur lectionem Pſalmorum, quibus dictis uſque ad* Kyrie eleiſon &c. *ſurgens detecto capite, verſus Altare, dicit orationes*; ideſt, ut ait Bauldryus, dictis Pſalmis cum Antiphona, ſurgit, dat biretum ſecundo Diacono, & verſus Altare manibus junctis, & nudo capite, dicit, *Kyrie eleiſon*, preces, & orationes.

§. IX.

Lectis Pſalmis, & Orationibus uſque ad Orationem, quæ pro lotione manuum dicitur excluſive, Epiſcopus, depoſita Cappa, incipit legere, vel memoriter dicere Orationes, quæ pro paramentis induendis ordinatæ ſunt, dicendo ſingulas Orationes ad ſingula paramenta, cum illis induitur, excepta Oratione, quæ dicitur ad Manipulum, quæ ſtatim poſt alias dicenda erit, cum dici non poſſit eo tempore, quo accipit Manipulum.

§. X.

Cum Epiſcopus exuit Cappam, dicet Orationem, *Exue me Domine &c.* dicta per eundem Orationem, *Da Domine &c.* pro lotione manuum, extractiſque ei per aſſiſtentes Diaconos annulis, lavat manus; & tunc laici tantum, & Clerici omnes præter Canonicos, & Prælatos debent genuflectere, niſi adeſſet Legatus, aut alter dignior Epiſcopo, quo caſu non debet permittere, ut genuflectant.

COMMENTARIUS.

I. RItus in Paragraphis hiſce deſcriptos enarrat Craſſus Lib. II. Cap. I. his verbis: *Finita per Celebrantem ſemper ſedentem Pſalmorum, Verſuum, & Orationum omnium a prima uſque ad ultimam lectione, ipſe jam calciatus depoſita Cappa ſedens in Rocchetto lavat manus, ut ſupra, pro quo actu ſiqui aut Clerici, aut Laici genuflectere uſque ad terram vellent, præſente Legato, ipſe ob reverentiam Legati indicet modeſto nutu, ſe id nolle, ideoque moneat, ut ſurgant a genuflexione. Abſente vero Legato, hujuſmodi genuflexiones maxime nobilium virorum oſtendat non velle, tamen patiatur cum modeſtia fieri*. Addit mox etiam Craſſus, quod ſi Epiſcopus vellet Orationes paramentorum erectus ſtans legere, tunc nulli de Clero, ſive populo aſſurgant, meliuſque eſt, ut ſedens legat omnes Orationes. Licet autem ex præſcripto noſtri §. IX. in arbitrio Epiſcopi ſit *legere, vel memoriter dicere Orationes, quæ pro paramentis induendis*

Digitized by Google

duendis ordinatæ ſunt, decentius tamen eſſe videtur, ut ipſas Orationes memoriter recitet, quam ex Libro, cum hoc ſit valde incommodum, & ipſi, & Miniſtris ſuis, ut notat Bauldryus.

II. Ex Pontificali Durandi, qui floruit Seculo XIII. *Pontifex calciatus finitis præmiſſis Pſalmis, & dicta prædicta Antiphona*, quæ ſcilicet ad præparationem Miſſæ dici aſſolet, *ſurgens ſtans junctis ante pectus manibus, dicit preces ſolitas, & Orationem*, Aures tuæ pietatis &c. *& alias conſuetas: quibus dictis, deponit Cappam, vel Superpelliceum, ſi illud portat, remanens in camiſia linea, quam ſemper celebrare volens, ſive ſit Secularis, ſive Religioſus, ſuper communes veſtes habere debet. Et tunc eo iterum ſuper Faldiſtorium reſidente, Diaconus tobalea circa ejus collum circumducta, pectit decenter, & leviter caput ejus, vel ſi neceſſe ſit, Capellanus ejus vice, hoc agat*. Plura in hunc ritum notat idem Durandus in ſuo divinorum Officiorum Rationali Libro IV. Cap. III. ubi de capitis compoſitione, & manuum lotione celebraturi Epiſcopi agit; ſed ut proſequamur ritum in ejus Pontificali deſcriptum, ita mox Auctor ipſe ſubjungit: *Quo facto, unus Acolythus genuflectens, aliam tobaleam ſuper genua Pontificis extendit, & Pontifex detractum anulum, quo communiter utitur, porrigit Capellano ſervandum. Et mox ipſe Capellanus, utramque pelvem accipiens, fundit aquam flexis genibus ſuper manus ejus, aſſiſtentibus interim, Diacono a parte dextera, & Subdiacono a ſiniſtra, & tobaliam ipſam tenentibus hinc & inde*.

III. Conſtat plane ex recitato loco Pontificalis Durandi, prædictam lotionem manuum Epiſcopi Miſſarum ſolemnia celebrantis ſolius ejus Capellani miniſterio peragi conſueviſſe. Pompa ſolemnis laici Magiſtratus, ac Nobilium Civitati, qui ex præſcripto Cæremonialis, & conſuetudine complurium inſignium Eccleſiarum adhiberi ſolent ad lavandum Epiſcopo manus, nonniſi a Pontificiæ Capellæ ritu manavit, uti addiſcimus ex Auguſtino Patricio, cujus verba nos ſuo loco deſcripſimus. Porro nec puto Capellæ Pontificiæ ritum ita eſſe antiquum, nam ut alios Romanos Ordines omittam, in Ordine VI. Numero x. munus lavandi manum Pontifici ad Acolythum pertinebat, in Ordine vero XIV. Auctore Jacobo Gaetano, Cap. LIII. ad Capellanum, cui ſcilicet pelves cum aqua Acolythus porrigebat. Id quod alii priſci Auctores docent.

IV. De manuum lotione juxta ritum noſtri Cæremonialis jam ſupra egimus Lib. I. Cap. XI. Ex præſcripto autem præſentis hujus §. x. cum Epiſcopus exuet Cappam, quam Caudatarius Epiſcopi, aut alius Capellanus deponet in aliquo congruo, & occulto loco, dicet Orationem, *Exue me Domine &c.* & dicta per eundem Oratione, *Da Domine &c.* pro lotione manuum, extractiſque ei per aſſiſtentes Diaconos annulis, lavat manus, ſedens ſcilicet; & tunc Laici tantum, & Clerici omnes, præter Canonicos, & Prælatos, ſiqui aderunt, debent genuflectere, niſi ſcilicet adeſſet Legatus, quo caſu non debet permittere Epiſcopus, ut genuflectant, quemadmodum etiam docet Craſſus, cujus locum paulo ſuperius deſcripſimus. Porro ex antiquo ritu dicendæ ſunt ab Epiſcopo celebraturo Orationes, quæ pro paramentis induendis ordinatæ ſunt, earumque varias formulas pro varietate Eccleſiarum legere eſt apud Georgium Lib. I. *De liturgia Romani Pontificis*; & apud Martenium, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ Ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. ubi varios antiquos Ordines Pontificales, ac Rituales recenſet, in quibus ipſæ deſcriptæ ſunt.

§. XI.

Cum vero ſumitur aqua ex abaco pro lotione manuum Epiſcopi ab aliquo nobili viro, poterit fieri præguſtatio illius a Miniſtris, vel Scutiferis illam ſuggerentibus, ut in Cap. XI. §. XI. Lib. I. dictum fuit. Sed ſi ipſi portantes aquam non ſint ex nobilibus Civitatis, ſed ex Scutiferis, ſeu Familiaribus Epiſcopi, non utique ea forma portabunt, prout dicti Nobiles, ſed dextera manu urceum cum aqua, ſiniſtra vero lancem, & cum fuerint ante Epiſcopum genuflexi, infundunt pauculum aquæ ſuper labio ipſius lancis, eamque, præſente Epiſcopo, deguſtant, tum aquam, ſuppoſita lance, ſuper manus Epiſcopi infundunt: Presbyter autem aſſiſtens porriget Epiſcopo mantile ad tergendum manus; quibus terſis, reponuntur ei annuli ab eodem Presbytero aſſiſtente; & hæc forma lotionis manuum ſervatur ſemper, quando Epiſcopus intra Miſſarum ſolemnia, & in aliis quibuſdam ſacris actibus publice lavat manus.

COMMENTARIUS.

I. IDem hic ritus, qui in hoc §. continetur, enarratus jam fuſius ac luculentius fuit Libro I. Cap. XI. §. XI. & ſequenti, ubi etiam Cæremoniæ præſcribuntur, quæ ſervandæ ſunt in lotione manuum, quum ſcilicet celebraturus eſſet S. R. E. Cardinalis, vel Archiepiſcopus, aut Epiſcopus valde inſignis; poſſent enim tunc, ut ibidem edicitur, ad hujuſmodi miniſterium ablutionis manuum ipſius Celebrantis invitari aliqui ex Magiſtratu, vel Proceribus, & Nobilibus Viris illius Civitatis, qui velo ſericeo circum ſpatulam extenſo, duas argenteas lances, ſi commo-

Digitized by Google

modum erit, vel bacile, & buccale, cum aqua odorifera, extremitate ejuſdem veli coopertas, ſuo tempore miniſtrent, præeunte Clavigero, ſeu Mazzerio cum clava argentea, ſi ſit Cardinalis; quo caſu, convenire etiam dicitur, præguſtationem dictæ aquæ fieri apud abacum a Miniſtris, vel Scutiferis, illam ipſi Nobili exhibentibus; omneſque prædicti, ſive ex Familiaribus Epiſcopi, ſive ex Nobilibus Civitatis ſint, eundo, & redeundo genuflectent uſque ad terram ante Altare, ante Legatum, ſi adſit, & ante Epiſcopum; ſed præſente Legato Cardinali, itemque Cardinali non Legato, vel Metropolitano, non ita profunde genuflectere debent.

II. Notatur præterea ibidem, nempe §. XI. quatuor Miniſtros adhibendos eſſe ad lotionem manuum Epiſcopo, incipiendo a juniori, ſeu minus digno, unumquemque per ordinem vice ſua; quia ſcilicet quater in Miſſa ſolemni Epiſcopus lavat manus; primo antequam capiat paramenta; ſecundo ſtatim poſt lectum Offertorium; tertio poſt incenſationem Oblatorum; quarto & ultimo poſt Communionem. Deſumtam autem eſſe & hanc Cæremoniam a Pontificia Capella, docet nos Auguſtinus Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. *Advertat Cæremoniarius*, inquit, *ut incipiat a minus digno de quatuor nobilibus laicis, qui debent aquam deferre, ita quod nobilior ſit ultimus*. Sed de hoc ritu vide ea, quæ diximus ſupra Lib. I. in Commentariis ad ipſos Paragraphos XI. & XII. Capitis XI.

III. Non omittendum hic tamen illud, ſupervacaneam omnino eſſe quamcumque aliam lotionem manuum, quæ paſſim, ac perperam fieri ſolet contra rationem, & ritum in Libris Cæremonialibus præſcriptum, poſt Miſſam, quæ vel cum Pontificalibus indumentis, vel ſine illis celebratur. Lotio quippe, quæ in hujuſmodi Miſſis fit poſt Communionem, reſpondet illi, quæ a ſimplicibus Sacerdotibus fit in Sacriſtia poſt Miſſam. Corrigendus eſt itaque hic error a ſacrarum Cæremoniarum Magiſtris, ſicut & alii complures, quos contra regulas Cæremonialis, atque Apoſtolicas, & Canonicas Conſtitutiones ſuo ipſi arbitrio non ſemel fovent, atque vigere ſinunt, vel fœda aſſentatione, vel quia ſacras Cæremonias ignorant, quibus, ut ſuo loco dictum eſt Libro I. Capite V. ubi de Magiſtris Cæremoniarum, eorumque Officio agitur, deberent juge ſtudium ſuum impendere, quo omnia vel minutiſſima quæque rite, & ſecundum præſcriptas regulas Cæremonialis peragantur.

IV. Quod autem hunc noſtrum ſpectat §. eum ſumitur aqua ex abaco pro lotione manuum Epiſcopi ab aliquo Viro nobili, poterit fieri præguſtatio illius ad abacum a Scutiferis eam ſuggerentibus, ut jam ſupra Lib. I. dictum fuit, loco citato. Sed ſi ipſi portantes aquam non ſunt ex Nobilibus Civitatis, ſed ex ipſis Scutiferis, ſeu Familiaribus Epiſcopi, non utique ea forma portabunt, prout iſti Nobiles, ſed dextera manu urceum cum aqua, ſiniſtra vero lancem; & cum fuerint ante Epiſcopum genuflexi, infundunt paululum aquæ ſuper labium ipſius lancis, eamque præſente Epiſcopo deguſtant, tum aquam, ſuppoſita lance, ſuper manus Epiſcopi infundunt, Presbytero aſſiſtente mantile ad tergendum manus Epiſcopo porrigente, eiſque terſis, annulos in digitos ejus immittente. Atque hæc forma lotionis manuum ſervatur ſemper, quando Epiſcopus intra Miſſarum ſolemnia, & in aliis ſacris quibuſdam actibus publice lavat manus, uti in hoc noſtro §. edicitur, in quem nonnulla obſervat Bauldryus Parte V. ubi enarrat Lib. II. noſtri Cæremonialis Cap. VIII. Num. XV. quæ tamen vix noſtro Cæremoniali concinunt.

V. Plura ſane de ipſo lotionis ritu, una cum alio illo præguſtationis aquæ faciendæ apud abacum a Miniſtris, vel Scutiferis, qui illam juxta morem Eccleſiarum Magiſtratui, ſeu Nobilibus Viris exhibebunt lavandarum gratia manuum Epiſcopi Miſſarum ſolemnia celebrantis, Lib. I. Cap. XI. diximus. Verum notandi ſunt, & arguendi negligentiæ quidam Cæremoniarum Magiſtri, qui ritum ipſum præguſtandæ aquæ a Cæremonialibus alias Libris præſcriptum, negligendum ſinunt, ſicut & alios complures ritus, præſertim vero illum, de quo ſupra Lib. I. Cap. VI. §. III. facta eſt mentio, ut nimirum in Pontificalibus Miſſis adſit Sacriſta apud Altare in cornu Epiſtolæ, cum Oblata erunt afferenda, ut præguſtet ſcilicet de Hoſtia, vino, & aqua, porrigente Diacono. Vide quæ nos ibidem notavimus, non omittentes hoc loco & illud ſubjungere, ſervari hodie hunc ritum in Regum menſis, in quibus Aulici, qui eiſdem inſerviunt, vinum, & aquam, quæ propinaturi ſunt Principi, genuflexi prius præguſtant.

§. XII.

Statim lotis manibus adſint Acolythi præfati, qui afferunt ex Altari paramenta Epiſcopi per ordinem, unus poſt alium, videlicet, Amictum, Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, Stolam, Pluviale, & Mitram, quibus induitur Epiſcopus per Diaconum a dexteris, & Subdiaconum a ſiniſtris paratos, ut ſupra, hoc modo, videlicet: Diaconus, & Subdiaconus capientes ſingula hujuſmodi paramenta de manibus Acolythorum, quiſque eorum a latere ſuo adjuvat veſtiendo Epiſcopum; ſed principaliter Diaconus omnia operatur; Subdiaconus vero ſolummodo coadjuvat, ubi opus eſt; & primo offerunt Epiſcopo Amictum oſculandum in medio, ubi eſt deſignata parva Crux, quam in parte prius oſculatur etiam Diaconus; mox illum diligenter aptant circa collum

Digitized by Google

lum Epiſcopi, itaut veſtium ſummitates, quæ vulgo collaria vocantur, omnino tegat, deinde cordulas ex eo pendentes poſt tergum ductas, ante pectus reductas, ſtricte colligant.



COMMENTARIUS.

I. OMnia pene, quæ in hoc, & ſequentibus Capitis hujus Paragraphis continentur, repetitio eorum ſunt, quæ in multis Capitibus I. Libri præſcripta reperiuntur. Noſtro huic §. quo edicitur, ut ſtatim ac Epiſcopus lavit manus, *adſint Acolythi præfati, qui afferunt ex Altari paramenta Epiſcopi per ordinem &c.* concinit Craſſus Lib. II. Cap. I. ita inquiens: *Loto Celebraturo, illico adſint omnes Capellani, alius alium ſequentes per longam lineam ante faciem Cardinalis, ſicque ipſius paramenta ordinate, ſicut ſuper Altari poſita ſunt, portantes, ut ſupra, quæ ſigillatim Diaconus, & Subdiaconus accipientes de manibus illorum, imponunt Celebraturo ſtanti, ex quibus oſculanda offerunt, Amictum, Crucem pectoralem, & Stolam, & non alia.* Quod autem ſupra Lib. I. Cap. XII. §. XV. præſcriptum eſt, ut *in Eccleſiis, ubi eſſet Secretarium, ſive locus, ubi Epiſcopus paretur, paramenta prædicta poſſent ibi præparari, non autem ſuper Altari*: intelligendum puto de Altari Eccleſiæ utpote a Secretario remoto, nam alias Rubrica hujus §. præſentis perſpicua eſt, mandans deſumenda eſſe paramenta Pontificalia ab Altari Secretarii, ubi induitur Epiſcopus ſolemniter poſtea in Eccleſia celebraturus.

II. Debent autem prædicti Acolythi, ubi ex Altari paramenta Epiſcopi afferunt, prius Altari genuflectere, quam paramenta capiant; quibus ſumtis, facta iterum genuflexione, accedunt ad Sedem Epiſcopi cum iis, advertentes etiam, ut dum deferunt paramenta, partes anteriores ipſorum habeant extra ſe, poſteriores verſus ſeipſos, uti Libro I. non uno in loco dictum fuit, (demta ſcilicet Stola, cujus partem exteriorem, ubi eſt Crux, portant verſus ſe), ut ea facilius & decentius Miniſtri ſacri accipere, & iis Epiſcopum induere poſſint. Epiſcopus autem, uti notat Bauldryus, tunc ſibi ipſi biretum deponit, & tradit ſervandum in loco, ubi poſita eſt Cappa illius, non enim eo opus eſt amplius, niſi poſt Miſſam, licet alii contrarium faciant, & quidem contra Cæremoniale, dicens enim Orationes ad paramenta ſtare nudo capite debet.

III. Advertere quoque & illud debent Acolythi, ut paramenta ipſa ex Altari afferant modeſte, & decenter ambabus manibus, quæ eis per Miniſtrum aliquem, ſive per ſecundum Cæremoniarium traduntur per ordinem. Induitur autem iis Epiſcopus per Diaconum a dexteris, & Subdiaconum a ſiniſtris paratos, præſente, & inſpiciente Cæremoniario, cum debitis reverentiis modo ſcilicet in hoc §. ita præſcripto: *Diaconus, & Subdiaconus capientes ſingula hujuſmodi paramenta de manibus Acolythorum, quiſque eorum a latere ſuo adjuvat veſtiendo Epiſcopum, ſed principaliter Diaconus omnia operatur; Subdiaconus vero ſolummodo coadjuvat ubi opus eſt.* Ergo Amictum ii primo offerunt Epiſcopo, oſculando in medio, ubi deſignata eſt parva Crux, quam in

Digitized by Google

parte prius oſculatur etiam Diaconus, mox illum capiti Epiſcopi imponunt, diligenter aptant circa ejus collum, itaut veſtium ſummitates, quæ vulgo collaria vocantur, omnino tegat, deinde cordulas ex eo pendentes poſt tergum ductas, & ante pectus reductas, ſtricte colligant.

IV. Tradit hæc quidem §. noſter; ex Pontificali autem Durandi, lotis ab Epiſcopo, ac terſis manibus, *Diaconus imponit Amictum ſuper caput ejus ſedentis, & tunc ipſe facto ante ſe Crucis ſigno, ſe erigens ſuper ſcabellum ſtans alligat Amictum*. Vide quæ de Amictu diximus ſupra Lib. I. hujus Operis, & in Opere, *De Codice ſancti Euangelii atque ſervatis &c.*, Lib. II. Cap. IX.

§. XIII.

Accipiunt deinde Albam, eamque circa collum, humeros, & brachia diſtendunt, & aptant. Tertio loco Cingulum, quo Albam conſtringunt, incipientes a tergo, & ante corpus illam religantes; tum Albæ extremitates circumcirca Acolythi ſublevant, & aptant, itaut æqualiter defluat, & veſtes contegat.

§. XIV.

Diaconus poſtea, ſumta Cruce pectorali, eamque etiam in parte prius oſculatam ipſi Epiſcopo oſculandam præbet, & ejus collo imponit, itaut ante pectus pendeat: Stolam deinde etiam in parte deoſculatam, Epiſcopo deoſculandam offert, eamque ſuper ejus humeros applicat, itaut nec ejus collum tegat, nec tranſverſa ſit in modum Crucis, ſed æqualiter ante pectus pendeat: quod commodius fiet, ſi ei cordulæ retro, & ante ſint annexæ, quibus firmari poſſit, ne huc, & illuc vagetur.

§. XV.

Demum Diaconus, & Subdiaconus imponunt Epiſcopo Pluviale, & Mitram; deinde recedunt ad ſcamnum ſuum; & ſi Pſalmi Tertiæ non ſint perfecti, ſedet Epiſcopus expectans, donec perficiantur; quibus finitis, & repetita Antiphona, Subdiaconus, vel alter, cui ex conſuetudine Eccleſiæ competit, in habitu, in quo reperitur, Capitulum cantabit in loco, ubi legi ſolet Epiſtola, ſibi ipſi Librum tenens, dummodo nec Altari, nec Epiſcopo humeros vertat.

COMMENTARIUS.

I. JUxta memoratum ſuperius Durandi Pontificale, induto Epiſcopo Amictu, *Diaconus, & Subdiaconus a ſiniſtris aſſiſtunt, induentes eum, Capellano juvante, ſacris veſtibus, juxta ordinem in præcedenti tractatu poſitum, ab Acolythis porrigendis; & quamquam inferiores Presbyteri debeant Orarium*, ideſt Stolam, *in modum Crucis ante pectus reflectere, in Epiſcopo tamen decet illius capita recte anterius deorſum dependere*. Hæc ille; ſed ut nos ordinem noſtri Cæremonialis ſequamur, mandat hic §. XIII. ut poſt Amictum indutum jam ab Epiſcopo juxta ritum ſuperius explicatum, accipiant deinde ipſi Diaconus, & Subdiaconus a manibus Acolythi Albam, eamque circa collum, humeros, & brachia Epiſcopi celebraturi diſtendant, & aptent: tertio loco Cingulum, ab alio Acolytho allatum, quo Albam conſtringant, incipientes a tergo, & ante corpus illud colligantes. Albæ extremitates, quo æqualiter defluat, & veſtes contegat, debent tunc Acolythi ſublevare, & aptare, ut idem §. XIII. præſcribit.

II. Accipit poſtea Diaconus ab alio Acolytho Crucem pectoralem, quam etiam in parte prius oſculatam ipſi Epiſcopo oſculandam præbet, eamque illius collo imponit, itaut ante pectus decenter pendeat. Ad Stolam quod attinet, in Cæremonialibus ante hoc noſtrum editis, ubi ritus deſcribitur præbendi illam Epiſcopo, nulla fit mentio deoſculationis Crucis faciendæ a Diacono, antequam is illam deoſculandam tradat Epiſcopo; ſic enim inquiunt: *Offert deinde Epiſcopo Stolam deoſculandam, eamque ſuper ejus humeros applicat &c.* Verum quod ibi deſideratur, merito ſupplet noſter §. XIV. ubi ita ritum illum enarrat: *Stolam deinde etiam in parte deoſculatam, Epiſcopo deoſculandam offert, eamque &c.* Debet ergo Diaconus accipere Stolam ambabus manibus, eamque oſculari prope Crucem, quæ eſt in medio, deinde Celebraturo Epiſcopo oſculandam in eadem Cruce offerre, poſtea vero ſuper ejus humeros ita applicare, *ut nec ejus collum tegat, nec tranſverſa ſit in modum Crucis, ſed æqualiter ante pectus pendeat*. Stolam hoc modo a Celebraturo Miſſam deferri, eſt proprium Epiſcoporum, quia ſcilicet geſtant Crucem in pectore a collo pen-

Digitized by Google

pendentem; alii enim Sacerdotes, ut docent Rubricæ Miſſalis, Stolam aptant ante pectus in modum Crucis, ducendo partem, quæ a ſiniſtro humero pendet, ad dexteram, & partem, quæ pendet ab humero dextero, ad ſiniſtram, itaut pars dextera ſit ſupra ſiniſtram. Ceterum ubi Stola collo Epiſcopi aptatur, ut æqualiter ante pectus pendeat, recte admonet §. noſter XIV. cordulas ei retro & ante debere annecti, *quibus firmari poſſit, ne huc, & illuc vagetur.*

III. Impoſita Stola, ex præſcripto §. XV. *Diaconus, & Subdiaconus imponunt Epiſcopo Pluviale, & Mitram; deinde recedunt ad ſcamnum ſuum*; cum debitis ſcilicet reverentiis. Verba illa, *deinde recedunt &c.* huic §. in hoc noſtro Cæremoniali adjuncta primum fuere, nam in aliis antiquioribus deſiderantur. Epiſcopo itaque ſic parato, recedunt illi cum debitis reverentiis; *& ſi Pſalmi Tertiæ non ſint perfecti, ſedet Epiſcopus expectans, donec perficiantur.* Ex ſententia Bauldryii, ſedet Epiſcopus quidem cum Mitra, aliis poſtea ſedentibus, & Presbyter aſſiſtens tunc accipit ſuum Pluviale: interim quoque, ut idem mox ſubjicit, duo Diaconi aſſiſtentes, recedentes a ſedibus ſuis, facta prius Epiſcopo debita reverentia, accedunt ad locum, ubi ſunt eorum Dalmaticæ, eiſque ſe induunt, accepto prius Amictu, ſuper Rocchettum, ſi eo utantur, aut ſuper Cottam tantum ex conſuetudine. Dum autem prædicti Diaconi parantur, aſſiſtunt Epiſcopo duo alii Diaconi in ſuo habitu ſacro, ideſt, cum Dalmaticis, vel in eorum defectu, duo ultimi Presbyteri, & ibi remanent parati, donec alii jam parati redeant.

IV. Finitis Horæ Tertiæ Pſalmis, & repetita Antiphona, ex præſcripto ejuſdem noſtri §. XV. *Subdiaconus, vel alter, cui ex conſuetudine Eccleſiæ competit, in habitu, in quo reperitur, Capitulum cantabit in loco, ubi legi ſolet Epiſtola, ſibi ipſi Librum tenens, dummodo nec Altari, nec Epiſcopo humeros vertat.* Porro juxta ritum a Craſſo deſcriptum Lib. II. Cap. I. *Epiſcopus indutus uſque ad chirothecas incluſive, ideſt, Dalmatica ſumta, ipſe accipit Pluviale, & annulum Pontificalem, ſedenſque accepta pretioſa Mitra ſic expectet, donec interim a Choro finiantur tres Pſalmi pro Tertia, & dum repetitur Antiphona, Subdiaconus paratus cantaturus in Miſſa Epiſtolam, vadit ſolus cum Capellano Cæremoniarum, qui illi Librum portat ad locum Epiſtolæ cantari ſolitæ, & ibi accepto Libro, quem ipſe ſibi tenet, cantat Capitulum.* Quædam hic tradit Craſſus, quæ cum noſtro §. conſonant, quædam etiam, quæ ipſum illuſtrant, & quædam tandem, quæ ab eo diſcrepant, ut ejus teſtimonium legenti patet; ſed ſtandum eſt Rubricæ noſtri §.

§. XVI.

Tunc Epiſcopus ſurgit cum Mitra, ſurgentibus omnibus, verſa facie ad ipſum Subdiaconum cantantem Capitulum, & ſic ſtat, donec Cantores cantent Reſponſorium ultimi Verſiculi. Finito Capitulo, Subdiaconus reddit Librum Cæremoniario, & vadit ad locum ſuum.

§. XVII.

Interea vero duo Acolythi, acceptis duobus candelabris cum cereis accenſis, verſis invicem faciebus, dummodo nec Altari, nec Epiſcopo renes vertant, accedunt.

§. XVIII.

Presbyter vero aſſiſtens paratus, in eorum medio, tenebit Librum ſupra caput; & finito Reſponſorio, Epiſcopus, depoſita tunc Mitra, ſtans, ut erat, cantat in tono feſtivo, *Dominus vobiſcum*, & Orationem; & dicto per Chorum, *Benedicamus Domino*, ipſe Epiſcopus, depoſito Pluviali, a Diacono, & Subdiacono, induitur Tunicella, qui conſtringunt cordulas hinc inde ſuper humeros poſitas, & deinde eodem modo Dalmaticam.

COMMENTARIUS.

I. QUod in noſtro XVI. §. edicitur, eiſdem ferme verbis enarrat Craſſus Libro II. Cap. I. ubi poſtquam dixit cantandum Capitulum Tertiæ a Subdiacono, ita ſtatim ſubjungit: *Pro quo Cardinalis cum Mitra ſurgit, ſurgentibus omnibus, verſa facie, non ad Altare, ſed ad ipſum cantantem, ſic ſtans, donec Cantores cantant Reſponſorium ultimi Verſiculi.* Addit tum etiam ea prorſus verba, quæ in ipſo §. XVI. habentur, itemque poſtea duos noſtros ſequentes Paragraphos verbis hiſce deſcribit: *Interea vero Capellani, acceptis duobus candelabris de Abaco inter Altare, & Cardinalem, hinc inde adſtant Cardinali verſis invicem faciebus, in quorum medio eſt Capellanus cum Libro, verſis humeris ad Altare; & finito Reſponſorio, Cardi-*

Digitized by Google

nalis, depoſita tunc Mitra, ſtans, ut erat, verſa facie ad populum, cantat, Dominus vobiſcum, *tum verſus Altare*, Oremus, *ac Orationem*.

II. Sed ut paulo accuratius Paragraphos noſtros XVII. & XVIII. enucleemus, finito Capitulo, Subdiaconus reddit Librum Cæremoniario, ſeu Miniſtro, & factis debitis reverentiis tam Epiſcopo, quam Altari, redit ad locum ſuum; & interim duo Acolythi, comite Cæremoniario, ſumtis duobus candelabris cum cereis accenſis, accedunt ante Epiſcopum cum debitis genuflexionibus, & ibi verſa ſibi invicem facie, modo nec Altari, nec Epiſcopo terga vertant, ſtant, ut ad Veſperas. Presbyter vero aſſiſtens paratus ante Epiſcopum, in eorum medio, aſſiſtentibus etiam hinc inde miniſtris de Libro, & candela, ut ait Bauldryus, tenebit Librum ſupra caput; & finito Reſponſorio, Epiſcopus, depoſita tunc Mitra, quam ei ſcilicet aufert ſecundus Diaconus aſſiſtens, ſtans, prout erat, cantat in tono feſtivo, *Dominus vobiſcum*, & Orationem. Et dicto per Chorum, *Benedicamus Domino*, ipſe Epiſcopus, depoſito Pluviali, (in editis ante hoc noſtrum Cæremonialibus legitur, *depoſitis Pluviali, & Mitra*) a Diacono, & Subdiacono induitur Tunicella, qui conſtringunt cordulas hinc hinde ſuper humeros ejus poſitas, & deinde eodem modo Dalmatica, ipſo Epiſcopo ſemper ſtante, & nudo capite. Porro quod in antiquioribus Cæremonialibus legitur, *depoſitis Pluviali, & Mitra*, verbum, *& Mitra* ſupervacaneum eſt, ideoque in noſtro hoc Cæremoniali ablatum, quia ſcilicet, depoſita jam prius fuerat Mitra, uti conſtat ex ipſo §. XVIII. *depoſita tunc Mitra ſtans, ut erat, cantat &c.*

§. XIX.

Tum Epiſcopus ſedet, & imponuntur ei chirothecæ per Diaconum in dextera, & per Subdiaconum in ſiniſtra, manibus illius prius, & mox chirothecis per eoſdem deoſculatis. Mox ſurgit Epiſcopus, & induitur ab eiſdem Planeta, quæ hinc inde ſuper brachia aptatur, & revolvitur diligenter, ne illum impediat.

COMMENTARIUS.

I. TRadit tandem laudatus toties Paris de Craſſis citato Lib. II. Cap. I. in fine, quod quando Tertia Hora finita, *cantatur a Choro*, Benedicamus Domino, *& ab Organo reſpondetur*, Deo gratias, *ipſe*, ſcilicet Epiſcopus, *depoſito Pluviali, & annulo, accipit Chirothecas, ac Planetam, ac ſedens Mitram, ac ultimo annulum Pontificalem, & alios communes annulos, quos, & quot placuerit ſuper ipſis Chirothecis*. Ex Rubrica hujus noſtri §. poſtquam Epiſcopus depoſito Pluviali, induit Tunicellam, atque Dalmaticam, de quibus jam fuſe diximus noſtro I. Tomo Romani Pontificalis, in Prolegomenis, & in Commentariis ad Titulum XIII. ſedet, & imponuntur ei Chirothecæ in dextera, & per Subdiaconum in ſiniſtra, manibus illi prius, & mox Chirothecis per eoſdem deoſculatis. Concinit is plane ritus ritui Pontificiæ Capellæ, de quo ita ſcribit Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. *Imponuntur Papæ per Diaconum, & Subdiaconum Chirothecæ, qui ante, & poſtquam illas ſibi*, ideſt Papæ, *impoſuerint, oſculantur ejus manus, & Chirotheças*. Ex Pontificali Durandi, *Acolytho Chirothecas afferente, Diaconus immittit primo unam in dextera manu, & poſtea aliam in ſiniſtra, ſemper enim ille, vel Capellanus, eas immittere, & detrahere debent*. Ritum eſſe antiquum, ut Epiſcopus in ſacris functionibus, ac præſertim celebraturus Miſſam Chirothecis uteretur, jam fuſe oſtendimus noſtro I. Tomo Romani Pontificalis.

II. Chirothecis indutus, ſurgit mox Epiſcopus, & induitur ab eiſdem, Diacono ſcilicet & Subdiacono Planeta, quæ, ut ait hic §. noſter, *hinc inde ſuper brachia aptatur, & revolvitur diligenter, ne illum impediat*. Sed hoc hodie non videtur adeo neceſſarium, non enim hodierna Planeta eſt ſicut antiqua, quæ proſus rotunda erat, totum ambiens hominem a collo uſque ad pedes, unicam in medio aperturam habens, per quam caput immittebatur; qua de cauſa, ut ſcite obſervat eruditiſſimus Bona Cardinalis Libro I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXIV. Num. VIII. ut Sacerdos operari, ac manibus libere uti poſſet, eam ſuper brachia revolvere, & complicare debebat. Sic indutos Pontifices, & Sacerdotes in priſcis Eccleſiarum parietibus Urbis Romæ paſſim cernimus; ſuntque etiam hodie Græcorum planetæ ejuſdem formæ.

III. Sane ad vitandum incommodum, ut idem Auctor obſervat, ex amplitudine, & protenſione totum corpus cum brachiis circumcludente proveniens, eas paulatim a lateribus ſcindere, & decurtare cœperunt, donec ad formam, qua hodie utimur, redactæ ſunt. Notat vero & illud Lindanus in ſua Panoplia Euangelica Lib. IV. Cap. LVI. noſtræ ætatis, & ſuperiorum aliquot pauculorum ſeculorum caſulam, ſeu Planetam, vix eſſe illius priſcæ dimidium: *tam enim nunc eſt acciſa, decurtata, atque aliam prope in ſpeciem deformata, ut ſi cum illa ſua priſca, unde defluxit, atque degeneravit, componatur, vix ſuum tueatur nomen*. Videſis & quæ de Caſula ſcripſimus nos citato I. noſtro Tomo Romani Pontificalis, tum ſcilicet in Prolegomenis, tum etiam in Commentariis.

IV. Inſuper quod Planeta olim totum involveret Sacerdotem ſua amplitudine, inde ortus eſt

Digitized by Google

eſt uſus, ut a Miniſtro elevetur, cum Sacerdos Hoſtiam, & Calicem elevat, quæ praxis antiquitus neceſſaria, ne pedibus obverſans flectenti genua impedimento eſſet, adhuc perſeverat, tametſi, ceſſante cauſa, ſuperflua ſit, uti idem Bona Cardinalis notat. Hinc etiam permanſit & uſus, quem pauci fortaſſis intelligunt, ut in Quadrageſima, aliiſque diebus jejuniorum, quibus Miniſtri utuntur Planetis, complicatæ ſint a parte anteriori, quod olim propter ipſam earum amplitudinem neceſſarium erat, ut expediti eſſent ad miniſtrandum; ſicque paulatim introductum eſt, ut Diaconus, cujus in Miſſa potiſſimum eſt miniſterium, Planetam exuat, ejuſque loco Stolam latiorem accipiat; quod ævi recentioris eſt, nam Ordo Romanus non exui Planetam, ſed elevari mandat: *Diaconi*, inquit, *levant Planetas in ſcapulas*. Atque hæc adnotare libuit, occaſione a noſtro §. arrepta, qui ad antiquam Planetæ formam videtur alludere. In Capella autem Pontificia veterum rituum tenaciſſima Diaconus hodieque Pontificali Miſſæ inſerviens, non Stolam quidem latiorem, ſed Planetam plicatam adhibet in modum Stolæ latioris.

§. XX.

Si Epiſcopus Pallio uti poſſit, & eo die uti conveniat, affertur per aliquem Subdiaconum ex Altari ambabus manibus velo aliquo ſuppoſito, quod Diaconus capiens Epiſcopo offert oſculandum in Cruce poſteriori; & advertat, dum illud capit, ut partem duplicem Pallii capiat dextera manu, ſimplicem vero ſiniſtra; & dum illud imponit, Subdiaconus manu dextera elevat partem, quæ a tergo pendere debet, illudque aptant, ut humeros Epiſcopi æqualiter ambiat, & pars duplex Pallii ponatur ſuper ſiniſtro humero Epiſcopi. Quo facto, idem Diaconus capit unam ex tribus ſpinulis per aliquem Acolythum allatis, videlicet pulcriorem, eamque infigit Cruci anteriori Pallii ante pectus exiſtenti, aliam in Cruce ſiniſtri humeri, tertiam Subdiaconus infigit Cruci poſteriori, quæ omnia ita infigantur, ut tertio tranſeant per Crucem, in qua ſint oceli tres, ſeu anſulæ tres ſericæ ejuſdem coloris nigri, ita tamen, ut nec Crucem, nec Pallium perforent, neque Planetam tangant, & gemmæ ſpinulis appoſitæ remaneant ad dexteram infigentis.

§. XXI.

Tum ſedenti Epiſcopo imponitur per Diaconum Mitra pretioſa ſumta de manibus Capellani de illa ſervientis, Subdiacono vittas elevante.

§. XXII.

Demum imponitur per Presbyterum aſſiſtentem annulus Pontificalis annulari digito dexteræ manus Epiſcopi, annulo prius, & manu poſtea deoſculatis. Epiſcopo parato, accedunt ad eum Archidiaconus, & alter Diaconus, ſeu duo digniores Canonici Diaconi parati Dalmaticis, qui ei a lateribus aſſiſtunt a principio.

COMMENTARIUS.

I. EGimus de Pallio nos tum in noſtris ad Oecumenicas Synodos Commentariis, tum in Commentariis illis, quibus Romanum Pontificale illuſtravimus, præſertim Tomo I. in Prolegomenis, tum ſupra Lib. I. hujus Cæremonialis, Cap. XVI. tum etiam in Opere, *De Codice ſancti Euangelii*, Lib. II. Cap. XXI. Sed hiſce omiſſis, ritus in hoc §. XX. deſcriptus, magna ex parte deſumtus eſt a Cæremoniali Pontificiæ Capellæ, Auctore Auguſtino Patricio, qui Libro II. Sectione I. Cap. XIII. hæc habet: *Unus Subdiaconorum Apoſtolicorum Pallium de Altari velo coopertum apportat, quod Diaconus ab ipſo accipiens Crucem poſteriorem Pallii Papæ oſculandam porrigit; deinde illud, juvante Subdiacono Latino, imponit eo modo, ut pars duplex ſuper ſiniſtro humero maneat, inde portantur tres ſpinulæ, quarum unam pulcriorem Diaconus Cruci anteriori Pallii infigit, aliam Cruci ſuper humerum ſiniſtrum, & tertiam infigit Subdiaconus Cruci poſteriori.* Eadem plane ſunt, quæ in ipſo noſtro §. XX. præſcribuntur, ſicut & hæc, quæ ſtatim ſequuntur: *Sunt autem hujuſmodi ſpinulæ taliter infigendæ, ut tertio Crucem pertranſeant, Pallium autem non perforent, neque Planetam tangant; quodque gemmæ ſpinulæ maneant ad dexteram infigentis.*

II. Pallium quidem eſt proprium Archiepiſcopo-

Digitized by Google

ſcoporum, ac Patriarcharum indumentum, quod tamen peculiari privilegio a Summis Pontificibus conceſſum etiam aliquando Epiſcopis fuit, ideoque in noſtro §. xx. edicitur, *ut ſi Epiſcopus Pallio uti poſſit, & eo die uti conveniat &c.* Non omni die utendum eſſe Pallio, ſed *præſcriptis quibuſdam diebus, qui in privilegiis Eccleſiæ Metropolitanæ exprimi ſolent*, jam ſupra Lib. I. Cap. XVI. §. III. noſtrum Cæremoniale edixit; illud præterea §. IV. adjungens, *quod ſi non reperiantur expreſſi*, ipſi nimirum dies, quibus utendum eſt Pallio, *recurrendum erit ad communem conſuetudinem, quæ eſt, ut eo utatur diebus infraſcriptis, videlicet Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.* ut jam ibidem ad ipſum §. IV. videre eſt. Porro cum de Pallio, & ejus forma, ac modo induendi, citato Capite XVI. Libri I. & alias etiam abunde dixerimus, unum illud hoc loco notabimus, ea verba, quæ ad finem noſtri §. xx. leguntur: *quæ omnia ita infigantur, ut tertio tranſeant per Crucem, in qua ſint ocelli tres, ſeu anſulæ tres ſericæ ejuſdem coloris nigri, ita tamen, ut nec Crucem, nec Pallium perforent &c.* adjuncta primum fuiſſe in hoc noſtro moderno Cæremoniali juſſu Benedicti XIII. edito, nam alias in Cæremonialibus ante ipſum editis locus ille ſic legebatur: *quæ omnia ita infigantur, ut tertio tranſeant per Crucem, non tamen Pallium perforent &c.* ubi vides, verba illa, *in qua ſint ocelli tres, ſeu anſulæ tres ſericæ ejuſdem coloris nigri*, omnino deſiderari.

III. Imponi Pallium Epiſcopo ſuper Planetam, abunde oſtendimus ſupra Lib. I. in Commentariis ad Caput XVI. interdictus eſt enim a ſacris Canonibus illius uſus extra Miſſarum ſolemnia, & extra Eccleſiam. Hinc Joannes VIII. Pontifex Maximus in Concilio Ravennæ celebrato anno DCCCLXXVII. Can. III. ſtatuit, ut *quicumque Metropolitanorum per Plateas, vel in Litaniis uti Pallio præſumſerit, & non tantum in præcipuis feſtivitatibus, & ab Apoſtolica Sede indictis temporibus ad Miſſarum ſolummodo ſolemnia, careat illo honore.* Ceterum, nonniſi a Secretario ad Altare, & in reditu ab Altari ad idem Secretarium poſt Miſſarum ſolemnia Metropolitanos uti Pallio potuiſſe, ex eodem Joanne VIII. addiſcimus, qui hac lege antiquæ conſuetudini conformi Pallium conceſſit Waloni Metenſi Epiſcopo, cui ita ſcripſit: *Sub ea videlicet ratione concedimus Fraternitati tuæ, ut a Secretario uſque ad ſacrum Altare, & ab Altari uſque ad Secretarium, ſicut priſca extitit Palleatis conſuetudo, indui debeas.* Ubi nota, Secretarii locum antiquum eſſe in Eccleſia, in eoque conſueviſſe Pontifices una cum aliis Pontificalibus veſtibus indui, & deinde ad Altare prodire.

IV. Pallio impoſito juxta ritum in §. xx. deſcriptum, cujus Crucem deoſculabitur Epiſcopus, ſicut facere ſolet in aliis paramentis, in quibus Crux affixa eſt, licet nulla de eo ritu habeatur mentio, deinde ſedenti Epiſcopo, ex §. XXI. *imponitur per Diaconum Mitra pretioſa, ſumta de manibus Capellani de illa ſervientis, Subdiacono vittas elevante*, ideſt, ut ait Bauldryus, ſecundo Diacono aſſiſtente. Imponitur demum per Presbyterum aſſiſtentem annulus Pontificalis annulari digito dexteræ manus Epiſcopi, annulo prius, & manu poſtea deoſculatis, ut ait §. XXII. ex cujus etiam præſcripto, Epiſcopo omnibus paramentis ſacris induto, *accedunt ad eum*, cum debitis ſcilicet reverentiis, *Archidiaconus, & alter Diaconus, ſeu duo digniores Canonici Diaconi pariat Dalmaticis*; recedunt autem, facta ſcilicet prius Epiſcopo debita reverentia, duo illi Diaconi parati, qui paulo ante acceſſerant ad Epiſcopum. De Mitra, & Annulo Pontificali imponendo Epiſcopo celebraturo, poſtquam ſcilicet indutus eſt Pallio, ſi eo utatur, & eo die, quo celebraturus eſt Miſſarum ſolemnia, uti conveniat, ita legitur in Cæremoniali Capellæ Pontificiæ, Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. *Deinde ipſe Diaconus Papæ Mitram imponit. Accedit interim primus Epiſcoporum Cardinalium aſſiſtens, & imponit Papæ jam Mitram tenenti annulum Pontificalem, & alios, quos Papa voluerit, cujus manum oſculatur.* Plurium etiam annulorum meminit in ſuo Cæremoniali Craſſus, unius autem Durandus in ſuo Pontificali, ubi ita inquit: *Capellanus Pluviali indutus*, ideſt, Presbyter aſſiſtens, *immittit ejus digito annulum Pontificalem cum oſculo manus, quam ſemper debet oſculari, illum immittendo, & etiam detrahendo, & generaliter quotieſcumque aliquid illi porrigit, & recipit ab ipſo.* Sed de hac re paſſim Scriptores diſſerunt.

§. XXIII.


Diaconus vero, & Subdiaconus recedunt, & capiunt ſuos Manipulos, & antecedente Acolytho Thuriferario cum thuribulo, & navicula; miniſtranteque Presbytero aſſiſtente naviculam, Epiſcopus imponit, & benedicit thus, ut ſupra in Cap. I. Lib. II. §. de Veſperis ſolemnibus Epiſcopo celebraturo dictum fuit. Deinde Epiſcopus cum ſuis Miniſtris, facta reverentia Cruci ſuper Altari in dicto Sacello, ſeu Secretario exiſtenti, proceſſionali ritu procedunt ad Altare, in quo Miſſa eſt celebranda, hoc ordine.

§. XXIV.

Thuriferarius cum thuribulo: deinde Ceroferarii cum candelis accenſis medium habentes alterum Subdiaconum paratum Tunicella, Crucem deferentem: deinde Clerici,

Digitized by Google

rici, & Beneficiati Eccleſiæ cum ſuis Cottis, bini, & bini, incipiendo a junioribus, ſeu minus dignis. Hos ſequitur reliquus Clerus illius Eccleſiæ ſuo ordine, itaut digniores ſemper ſint poſteriores in Proceſſione. Canonici vero, qui ſunt parati, antecedent Epiſcopum immediate.



COMMENTARIUS.

I. UBi acceſſere ad Epiſcopum duo aſſiſtentes Diaconi Dalmaticis induti, recedunt Diaconus, & Subdiaconus, & capiunt ſuos Manipulos, & antecedente Thuriferario cum thuribulo, & navicula, ac miniſtrante Presbytero aſſiſtente naviculam, imponit Epiſcopus, & benedicit thus, juxta ritum ſuperius præſcriptum hoc eodem Lib. II. Cap. I. §. XII. eſtque is ritus Pontificiæ Capellæ, de quo Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. ita inquit: *Poſt hæc Epiſcopo Cardinali aſſiſtente, & miniſtrante, Pontifex ponit incenſum in thuribulo dicens: Ab illo benedicaris &c.* Meminit & ejus ritus in ſuo Pontificali Durandus, quem ita enarrat: *Si Pontifex longe ab Altari induitur*, ideſt, in Secretario, *Capellanus tunc ei cum oſculo manus cochlear thure porrigit, quod ille cum Crucis ſigno in thuribulo mittit, dicens*: In cujus honore cremaberis, ab illo benedicaris. *Si vero juxta Altare induitur, ſufficit illud demum facta Confeſſione in thuribulo poni, priuſquam dicat*: Deus tu converſus &c.

II. Ex præſcripto noſtri §. XXIII. poſito, & benedicto incenſo in thuribulum, deinde Epiſcopus cum ſuis Miniſtris facta reverentia Cruci ſuper Altari in dicto Sacello, ſeu Secretario exiſtenti, proceſſionali ritu procedunt ad Altare, in quo Miſſa eſt celebranda, hoc ordine in §. XXIV. deſcripto: *Thuriferarius cum thuribulo: deinde Ceroferarii cum candelis accenſis, medium habentes alterum Subdiaconum paratum tunicella*, ſine Manipulo tamen, *Crucem deferentem: deinde Clerici, & Beneficiati Eccleſiæ cum ſuis Cottis, bini, & bini, incipiendo a junioribns, ſeu minus dignis. Hos ſequitur reliquus Clerus illius Eccleſiæ ſuo ordine, itaut digniores ſemper ſint poſteriores in Proceſſione. Canonici vero, qui ſunt parati, antecedunt Epiſcopum immediate*; hoc modo ſcilicet: procedunt primum parati Dalmaticis, poſt eos parati Planetis, & ultimo loco ii, qui ſunt Pluvialibus induti; quamobrem corrigenda eſt Figura, in qua non rectus ordo Proceſſionis ſervatus eſt; mirumque videtur, quod hujuſmodi error in calce antiquorum Cæremonialium emendatus, uti videre eſt in Cæremoniali Romæ edito anno MDC. in recentioribus Cæremonialibus deprehendatur, in quibus poſt §. XXIII. Figura cernitur, in qua Proceſſionis ordo etiam turbatus eſt, nam primum parati Pluvialibus, tum Planetis induti, & ultimo loco ii, qui geſtant Dalmaticas, incedunt.

III. Quantum denique ad §. noſtrum XXIV. admonendum & illud eſt, quod alias infra §. XXVII. præſcriptum eſt, ut ſi ſcilicet Celebrans fuerit Archiepiſcopus, aut Archiepiſcopo major, aut habens privilegium, ut Crux ante ſe deferatur Archiepiſcopalis, *deferatur ante Canonicos paratos*

Digitized by Google

tos tantum, non autem ante alios de Clero, Imagine Crucifixi ad ipsum versa. Sed & de hoc ritu fuse jam alias disseruimus. Advertendum tamen, deferendam esse Crucem Archiepiscopalem per Ministrum Tunicella paratum, ut est complurium Ecclesiarum mos; Capituli autem Crucem, quæ ante Clerum defertur, gestandam esse per Clericum Cotta indutum. Porro quantum ad Crucem in ipsa Processione deferendam etiam ante Episcopum per Ministrum Tunicella paratum, is quidem ritus habebit locum, si Episcopus in Ecclesia sua celebret, quia scilicet in Pontificali Romano ad Titulum, *De Officio in Feria quinta Cœnæ Domini cum benedicitur oleum Catechumenorum &c.* ita legitur: *Et si Pontifex sit Archiepiscopus, vel Patriarcha, & in Ecclesia sua, portatur etiam in hujusmodi Processione Crux &c.* Itaque non præferenda est Crux Episcopo in aliena Ecclesia celebranti; quo casu, nec ipsa Processio fiet, uti ex Rubrica sequentis §. addiscimus.

§. XXV.

Post Canonicos procedet Subdiaconus Epistolam cantaturus gerens Librum Euangeliorum clausum ante pectus, in quo includitur Manipulus Episcopi; deinde Diaconus ad sinistram Presbyteri assistentis Pluviali induti; demum Episcopus cum Baculo pastorali in manu sinistra, parte curva Baculi ad populum versa, ac dextera benedicens, si sit in sua Civitate, vel Diœcesi, medius inter Diaconos assistentes paratos. Si autem Episcopus sumsit paramenta in Presbyterio apud Sedem, vel in Faldistorio, non fit hujusmodi Processio; sed procedit Episcopus ad Altare sine Cruce, sine Candelabris, & sine Thuriferario, cum solis Ministris paratis, ut supra, & quibusdam aliis.

§. XXVI.

Post Episcopum sequitur Capellanus serviens de Mitra, & alii Capellani cum Cottis, bini, & bini incedentes.

§. XXVII.

Si vero Celebrans fuerit Archiepiscopus, aut Archiepiscopo major, aut habens privilegium, ut Crux ante se deferatur Archiepiscopalis, per Subdiaconum paratum, de quo supra, defertur ante Canonicos paratos tantum, non autem ante alios de Clero, Imagine Crucifixi ad ipsum versa.

COMMENTARIUS.

I. SIcut plerique alii Ritus, ita & ii in Paragraphis hisce descripti, supra Libro 1. suis locis explicati fuere. Quod hic omitti non debet, illud profecto est, antiquissimam esse in Ecclesia solemnem Episcopi Missarum solemnia celebraturi e Secretario ad Altare Processionem, uti inter alios testantur Jacobus Eveillon Canonicus Andegavensis in Libro, *De processionibus Ecclesiasticis*, Cap. v. & Joannes Bona Cardinalis, Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. II. Num. 1. ubi ex Ordine antiquo Romano duplicem ait fuisse Processionem Sacerdotis ad offerendum Sacrificium euntis, unam scilicet a propriis ædibus ad Ecclesiam; alteram in ipsa Ecclesia, a Sacrario scilicet, seu a Secretario ad Altare; hujusque Processionis meminere passim Ordines Antiqui Romani, inter quos Ordo XII. Auctore Cencio, ita inquit: *Intrat Sacrarium.... & processionaliter vadit ad Altare, sicut est moris.* Quod alias Ecclesias spectat, variæ erant ipsarum consuetudines, quas si vellem singillatim describere, nimis in longum Commentarius noster protraheretur. Unam ex his non omittam, quæ est Ecclesiæ Turonensis, quamque ita describit memoratus Jacobus Eveillon Lib. & Cap. citato, *De Processionibus Ecclesiasticis*.

II. In Ecclesia Turonensi magno splendore, & apparatu procedit hæc pompa. Agmen ducit Thesaurarius longo intervallo præcedens, & cereum accensum candelabro argenteo præferens, assectante apparitore, qui turbam submoveat. Sequuntur ordine singulatim incedentes, sed longo abinvicem spatio disjuncti septem pueri symphoniaci, albis, & tunicis vestiti, cum singulis candelabris, & cereis ardentibus: his succedunt sex Subdiaconi tunicis quoque, & cetero sui ordinis cultu insignes; quorum unus Crucem sublimem effert, tres deinde Sanctorum Reliquias, duo reliqui Libros argenteos inauratos Epistolarum, & Euangeliorum Missalium gestant: tum Diaconus, & Subdiaconus majores ad præcipuum Altaris ministerium accincti: post hos, qui Crucem Archiepiscopalem, & pastoralem Baculum præferunt: extremo loco progreditur Archiepiscopus Pontificali ornatu conspicuus, cum duobus assistentibus Canonicis, & totidem Clericis, seu Capellanis, Pluviale Pontificium ab utraque parte sublevantibus. Hoc ordine procedunt a Secreta-

Digitized by Google

cretario in navim Ecclesiæ secundum dexterum Chori latus, atque inde per medium Chorum ad Altare, exceptis dumtaxat pueris Ceroferariis, qui cum summum Chorum venerint, ibi ad lineam directi consistunt, quatuor a dextera, tres a siniſtra parte; & prætervecto Pontifice, omnes candelabra sua ordinatim disposita in solo ante Aquilam Pulpiti collocant; atque inde secedentes, duo ad Altare pergunt, reliqui Scholæ Cantorum se adjungunt. Atque hunc procedendi ritum, Antonomastice *Ordinem* vocant.

III. Ejusdem Processionis mentionem faciunt Amalarius Lib. III. Cap. V. Honorius Augustodunensis Lib. I. Cap. VII. Durandus Lib. IV. Cap. VI. Rupertus Tuitiensis Lib. I. Cap. XXVIII. qui etiam symbolicas, & mysticas ejus ritus rationes edisserunt, quas etiam loco citato laudatus Eveillon recenset, & ex parte describit. Ex præscripto Pontificalis Durandi, *Choro inchoante post Introitum*, Gloria Patri &c. *Pontifex processionaliter, & solemniter ad Altare cum Ministris procedit, in qua Processione præcedit Thuriferarius, & post eum duo Ceroferarii, deinde Subdiaconus cum Libro Euangeliorum, & post eum aliquis ferens Crucem: post quos sequitur Pontifex, deducentibus eum Capellano a dexteris, & Diacono gerente Cambucam*, idest Baculum, *a sinistris, & tobaliam pulcram ante eum tenentibus. Is vero, qui Mitram servat, & alii Clerici Superpelliceis induti subsequuntur. Incipiens autem procedere, inchoat, & cum Ministris prosequitur* ℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini. Introibo ad Altare Dei. ℣. Judica me Deus, *qui totus dicitur cum* Gloria Patri. *Eis ergo ante Altaris gradus pervenientibus, Pontifex repetit prædictum* ℣. Introibo; *& mox dicit*. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus.

IV. Idem præterea Durandus in suo Rationali Lib. IV. Cap. VI. Num. XI. & XII. alterius ritus meminit, qui in ea processione servari solitus erat, nam quatuor Ministri super Pontificem mappulam ferebant, in summitatibus quatuor baculorum colligatam, quos etiam nuncupates ait Mappularios a mappula illa, quæ etiam diversis figurata mysteriis erat. At vero quidquid sit de vario, atque antiquo variarum Ecclesiarum usu, facienda est processio de Secretario ad Altare ab Episcopo Missarum solemnia celebraturo juxta ritum hoc Capite nostri Cæremonialis expressum. Ergo, ut in §. XXV. edicitur, post Canonicos procedet Subdiaconus cantaturus Epistolam portans ambabus manibus Librum clausum Euangeliorum ante pectus, in quo ex antiquo ritu, de quo supra Lib. I. dictum est, includitur Manipulus Episcopi; tum Diaconus ad siniſtram Presbyteri assistentis Pluviali induti; ac denique Episcopus cum Baculo pastorali in manu siniſtra, cujus pars curva populum respiciat, ac dextera benedicens, si scilicet sit in sua Civitate, vel Diœcesi; medius inter duos Diaconos assistentes paratos, qui omnes nudo capite incedent, excepto Episcopo, qui Mitram gestabit.

V. Post Episcopum sequitur Capellanus de Mitra, & alii Capellani cum Cottis, bini & bini incedentes, videlicet, ut ait Bauldryus Parte V. ubi enarrat Librum II. nostri Cæremonialis, Cap. VIII. Articulo II. Num. IV. Capellanus, seu Minister de Baculo a dexteris Capellani de Mitra manibus junctis: tum Capellanus de Libro, a dexteris Capellani de candela: postea Minister de ampullis a dexteris Ministri de Gremiali; & alii si tot sint, bini eo ordine, quem eis Cæremoniarius assignavit. Porro si Episcopus celebraturus Missarum solemnia, sua sumserit paramenta in Presbyterio ad Sedem, vel ad Faldistorium, ex præscripto §. XXV. non fit hujusmodi Processio, sed procedit Episcopus sine Cruce, sine Candelabris, & sine Thuriferario, cum solis Ministris paratis, ut supra, & quibusdam aliis. Non autem puto, ex nostro Cæremoniali sublatas laudabiles, ac vetustas variarum Ecclesiarum consuetudines, in quibus Episcopi Sacris operaturi in Festis majoribus solemniori cum pompa hodieque solent e Secretario ad Altare procedere, præsertim in Ecclesia Lugdunensi, ubi teste eruditissimo Petro Lebrun Tomo I. in Tractatu præleminari explicationis Missæ, Articulo VIII. in Nota, Archiepiscopus insignis Ecclesiæ Lugdunensis, quadraginta & supra Ministris comitantibus, celebraturus Missam solet ire ad Altare.

§. XXVIII.

Cum Episcopus fuerit prope Altare, salutat exigua capitis inclinatione Canonicos paratos apud eorum sedilia stantes; ipsi vero Canonici faciunt ei profundam reverentiam.

§. XXIX.

Si forte adesset Legatus Apostolicus, vel aliquis Cardinalis, aut Archiepiscopus, vel alii Prælati, vel magnus Princeps loci, illos prius debet Episcopus cum Mitra salutare, & illi Episcopo aliquantulum assurgentes, denudato capite respondere, præter Cardinalem, qui non debet assurgere, sed tantum discooperire caput.

COMMENTARIUS.

I. CUm in solemni illa processione de Secretario ad Altare, prope ipsum Altare fuerit Episcopus, salutat exigua capitis inclinatione Canonicos paratos jam apud sedilia stantes capite aperto, qui statim & ipsi faciunt ei profundam reverentiam cum inclinatione sci-

Digitized by Google

ſcilicet capitis, & humerorum. Licet autem Epiſcopus aliquantulum caput cum Mitra inclinet Canonicis, & quidem ab utraque parte Chori, incipiendo a digniori juxta regulam traditam, Miniſtri nihilominus ipſius Epiſcopi, qui ſcilicet in ea proceſſione lateribus illius adhærent, multoque magis Capellani, qui Epiſcopum ſequuntur, Canonicos ipſos profundius ſalutabunt, quam ipſe Epiſcopus. Ceterum ſi adeſſet Legatus Apoſtolicus, vel aliquis Cardinalis, aut Archiepiſcopus, ſive alii Prælati, vel magnus Princeps loci, qui ſcilicet Superiorem minime recognoſcit, ex præſcripto noſtri §. XXIX. illos prius debet Epiſcopus cum Mitra ſalutare, & illi Epiſcopo aliquantulum aſſurgentes denudato capite reſpondere, præter S. R. E. Cardinalem, qui non debet aſſurgere, ſed tantum diſcooperire caput, bireto ſcilicet, non autem pileolo, juxta ritum quem vidi non ſemel Romæ ſervari, ubi ſcilicet ſolemni, & Pontificali Miſſæ cantandæ ab Epiſcopo aliquis S. R. E. Cardinalis aſſiſtit, in ſuo ſcilicet Titulo; nam alias uſus Romæ eſt, ut in aliis Eccleſiis Epiſcopo celebranti, & Cardinalem ſalutanti, is illi aſſurgat.

II. Quamvis denique hodie Epiſcopi ſacris induti veſtibus, ac Mitrati, celebraturi Miſſarum ſolemnia, non modo Baronem loci, ac Magiſtratum, verum etiam alios inferioris conditionis laicos homines, qui ſolent ſolemniis ipſis Miſſarum aſſiſtere, ſalutent, aliter tamen S. Carolus Mediolanenſis Antiſtes, ac ſacrorum Rituum peritiſſimus ea in re ſe geſſit. Etenim, ut ſcribit in ejus Vita Carolus a Baſilica Petri Lib. VII. Cap. XXVI. *cum Epiſcopus advena poſt Caroli mortem Miſſæ ſolemnia celebriter agens, Mitram ab Altari ad Thronum rediens depoſuiſſet, Gubernatoris ſalutandi gratia, qui erant extra cancellos, mulier erratum notans, ne vultus quidem ſignificatione, Mitratum Carolum dixit, quemquam extra cancellos ſalutaſſe.*

§. XXX.

Cum vero Epiſcopus pervenerit ante infimum gradum Altaris, reddito Baculo paſtorali Miniſtro, qui de eo ſervit, & depoſita ei per Diaconum Mitra, facit profundam reverentiam Cruci ſuper Altari poſitæ ſimul cum ſuis Miniſtris. Interim recedunt alii Miniſtri, qui eum illuc uſque ſequuti fuerant, excepto eo, qui de Baculo, altero qui de thuribulo ſerviunt, duobuſque Diaconis aſſiſtentibus, qui remanent. Epiſcopus vero habens a dexteris Presbyterum aſſiſtentem, & a ſiniſtris Diaconum, & apud eum modicum retro Subdiaconum, qui tunc relinquit Librum Euangeliorum in manibus Cæremoniarii, facit cum eis Confeſſionem, junctis manibus, ſtans aliquantulum inclinatus. Interim ceſſat ſonitus Organorum, & Chorus incipit Introitum.

COMMENTARIUS.

I. ANtequam de ritu nonnihil dicamus, qui in hoc §. præſcriptus eſt, ſupplenda quædam cenſemus, quæ hoc Capite omiſſa ſunt. Ergo cum Subdiaconus ferens Crucem pervenerit ante Altare, eam in aliquo congruo loco deponet, ſine ulla reverentia Altari; itemque Ceroferarii candelabra ſua deponent ſuper Abacum, & ibidem ad Confeſſionem de more genuflectent; Thuriferarius vero recedet ad partem Epiſtolæ, ubi etiam genuflectit. His ita diſpoſitis, cum tandem Epiſcopus pervenerit ante infimum gradum Altaris, reddito Baculo paſtorali Miniſtro, qui de eo ſervit, & depoſita ei per Diaconum Euangelii Mitra ſtantem a parte Euangelii, quam tradit Miniſtro de ea ſervienti, ibidem ſtanti, facit profundam reverentiam Cruci ſuper Altari poſitæ, ſimul cum ſuis Miniſtris, quorum ſoli ſacri profunde ſe inclinabunt, aliis non Canonicis genuflectentibus.

II. Interim recedunt alii Miniſtri non ſacri, qui Epiſcopum uſque ad Altare ſequuti fuerant, excepto Miniſtro, qui de Baculo ſervit, qui genuflexus manebit ad partem Euangelii in plano, poſt Miniſtros ſacros, & altero de thuribulo, qui genuflexus ad partem Epiſtolæ manebit, ſicut Miniſtri de Mitra, de Ampullis, & de Gremiali, quod eſt ſuper credentiam. Miniſtri de Libro, & de candela accedent ad partem Euangelii in plano, ibique & ipſi genuflexi manebunt; Diaconi vero duo Aſſiſtentes facta reverentia Altari, paululum recedunt, locum cedentes Presbytero Aſſiſtenti, & Diacono Euangelii, poſt quos ſtare debent, dignior ſcilicet retro poſt Presbyterum aſſiſtentem, qui erit a dexteris Epiſcopi, & alter poſt Diaconum Euangelii, qui eidem Epiſcopo a ſiniſtris aſſiſtit, uti in Figura ænea videre eſt impreſſa Tomo I. in Cap. VII. poſt §. III. in qua tamen Miniſtri inferiores deſiderantur. Sed quidquid de ea re ſit, quam alias nos explicuimus, Epiſcopus tandem habens a dexteris Presbyterum aſſiſtentem, & a ſiniſtris ipſum Diaconum Euangelii, & apud eum modicum retro Subdiaconum, qui tunc relinquit Librum Euangeliorum in manibus Cæremoniarii, ibidem utique genuflexi, facit cum eis Confeſſionem junctis manibus ſtans aliquantulum inclinatus, ceſſante interim Organorum ſonitu, & Choro Introitum Miſſæ incipiente.

III. Hactenus Rubrica noſtri §. cui nonnulla majoris explicationis gratia addidimus ex praxi inſi-

Digitized by Google

insignium Ecclesiarum, præsertim Urbis, in quibus solemniter Episcopos non semel celebrare aspeximus. Deceret tamen, ut Ministri omnes inferioris ordinis bene dispositi, pro situs ratione in cornu Epistolæ sisterent. Deponit autem Episcopus ubi ante infimum Altaris gradum pervenit non modo Baculum, verum etiam & Mitram, quia scilicet jam olim vetitum fuit cooperto capite sacris operari, iisque assistere, uti constat ex Can. *Nullus Episcopus* LV. *De consecratione*, Distinctione I. ubi etiam locus Apostoli in Epistola ad Romanos Cap. XI. laudatur, qui prohibet viros velato capite orare in Ecclesia, multoque iccirco magis Missarum solemnia celebrare, iisque assistere. Quocirca non modo in Canonicas sanctiones Capillitium fictum Clericis vetantes, sed in terribilem Apostoli sententiam, quam alias explicuimus, impingunt Clerici ipsi, ac præsertim Sacri homines, qui cum coma fictitia divina Mysteria celebrant. In Pontificia Capella, teste Patricio, *cum Papa fuerit ante gradus Altaris, Diaconus Euangelii deponit ei Mitram, & eam Auditori tradit ad hoc servienti*. Narrat deinde & alia, quæ huic nostro §. fere in omnibus sunt consentanea.

III. Olim, ut ex Durandi Pontificali constat, cujus locum supra attulimus, cum procedebat de Secretario Episcopus, inchoabat, & cum Ministris suis prosequebatur Versiculum, *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, & Psalmum, *Judica me Deus &c.* qui tamen hodie juxta Missalis Rubricas in infimo Altaris gradu a Celebrante cum Ministris dicendus est, præmisso scilicet signo Crucis, & ab ipso Celebrante, *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus, Amen. Introibo ad Altare Dei &c.* de quo vide eruditos Gavantum, Lebrun, & Meratum, ac alios Missæ officium explicantes. Porro faciente Episcopo una cum Ministris in ipso infimo Altaris gradu Confessionem, Chorus incipit Introitum, de quo etiam videri possunt Auctores ipsi laudati Gavantus ac Meratus in Rubricas Missalis Parte I. Tit. VIII. Num. I. & Lebrun in explicatione Missæ Parte II. Articulo I.

§. XXXI.

Dum Episcopus, facit Confessionem profert verba erga dictos ejus Ministros stantes apud eum capite inclinato, in plurali dicens, *Vobis fratres*, & *Misereatur vestri &c.* illi vero erga Episcopum in singulari, idest, *Tibi Pater, & Te Pater*, & *Misereatur tui &c.* quæ dum dicunt, caput versus Episcopum profundius inclinant.

§. XXXII.

Cum Episcopus dixerit, *Indulgentiam, Absolutionem, & remissionem &c.* Subdiaconus capit Manipulum, qui fuerat inclusus in Libro Euangeliorum, & a latere Manipuli osculatur, deinde porrigit Episcopo osculandum, ubi est signum Crucis, mox applicat sinistro Episcopi brachio cum osculo manus, ipsumque stricte religat. Canonici parati stantes in suis locis faciunt simul Confessionem bini; similiter alii siqui erunt parati, alias genuflexi, prout etiam laici omnes tunc genuflectunt.

COMMENTARIUS.

I. AUctore in suo Pontificali Durando, ubi Episcopus ante Altaris gradus cum suis Ministris pervenit, *repetit prædictum* ℣. Introibo, *& mox dicit*, Confitemini Domino, quoniam bonus. *Dum autem hic versus dicitur, Diaconus stans a sinistris Pontificis, tradens Cambucam ei, qui Mitram servat, deponit Mitram de illius capite, accipiens eam, ut præmissum est, per anterius cornu*. Loquitur de sui temporis Mitra, in qua cornua non ita unita, ut hodie, sed longe disjuncta erant, ideoque per cornu anterius imponebatur, & per posterius auferebatur. *Et si necesse fuerit, complanans ei capillos cum manu, & amotam tradit ei, qui eam servat, resumens Cambucam. Mitra itaque deposita, Pontifex mediocriter inclinatus facit Confessionem, assistentibus sibi Capellano a dexteris, Subdiacono in gradu Altaris stante, Librum Euangeliorum clausum coram illo tenente*. Agit & de iisdem ritibus Auctor ipse in suo Divinorum Rationali Lib. IV. Cap. VI. quos etiam mystice enarrat.

II. Confessionis ad initium Missæ faciendæ jam testem habemus Durandum, qui floruit Seculo XIII. Jam non desunt, qui ejus originem ab Apostolis trahunt, nam ait Gavantus: *Liturgia S. Jacobi a Confessione incipit*. Variæ formulæ jam erant in usu Seculo XIII. quas tamen suppresit in sua Provincia Concilium Ravennatense anni MCCCXIV. Can. XV. ubi ita statuit: *Quoniam in Confessionibus, quæ fiunt publice in Introitu Missæ, & alias, varii perfunctorie, & diversimode confitentur, statuimus, & de cetero observari præcipimus, per totam Provinciam Ravennatem Confessiones hujusmodi fieri sub hac forma*: Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ Virgini, Beato Michaeli Archangelo, Beato Joanni Baptistæ, Sanctis Apostolis, Petro, & Paulo, & omnibus Sanctis.

Digitized by Google

III. Varias hujus Confeſſionis formulas, quæ antiquitus in uſu erant, quæque in priſcis Codicibus liturgicis reperiuntur, legere eſt apud Joannem Bona Cardinalem, Lib. II. Cap. III. Grancolaſſium in Libro, *De antiquis Liturgiis*, a Pag. 447. ad Paginam uſque 453. Locus emittendæ Confeſſionis ad Miſſam in omnibus paſſim Eccleſiis ex præſcripto Rubricarum Miſſalis, & ex praxi Pontificiæ Capellæ eſt in plano prope infimum Altaris gradum, quamvis in quibuſdam Eccleſiis aliter hodieque is ritus ſervetur. Teſte Martenio Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Num. V. in Viennenſi Eccleſia apud Gallos, Celebrans Confeſſionem facit in linea medio in Presbyterio conſtituta, quam ſolus cum Capellano, & duobus Diaconis honorariis occupat, miniſtris ejus in collaterali ejuſdem lineæ loco conſiſtentibus. Si vero alter ab Archiepiſcopo Miſſam decantet, ipſe nihilominus, aſſiſtentibus præcipuis Chori Dignitatibus duabus, Confeſſionem una cum Celebrante ibidem recitat; eaque abſoluta, Subdiaconus Euangelii textum eidem, Celebranti, & Diacono oſculandum præbet.

IV. Alius viget uſus in inſigni Baſilica ſancti Martini Turonenſis, in qua neque ad Altare, neque in Presbyterio, ſed ad S. Martini ſepulcrum fit Confeſſio. Hunc ritum ita deſcribit ms. Rituale ejuſdem Eccleſiæ apud laudatum Martenium loco citato: *Illis Chorum intrantibus, ſonat claſſicum campanarum Chori. Poſt Sacerdos, & Diaconus, & Magiſter Subdiaconus Altare B. Petri oſculantes, vadunt ante ſepulcrum, dicentes ibi*, Confiteor, *& Miſſæ Introitum decantantes*, & Kyrie eleiſon, *aliis Subdiaconibus Altare parantibus, Clericulis ante Altare cum candelis, & cereis hinc inde ſtantibus. Hoc dicto, redeunt ante Altare, dicentes*: Deus miſereatur. In Eccleſia Remenſi, & Laudunenſi, teſte Bellotte, Celebrans aſſumtis in Sacrario veſtibus, ibique ante Imaginem Crucifixi profunde inclinatus Confeſſionem facit cum Miniſtris, qua peracta Chorum ingreditur, tum ſtans in medio ejuſdem Chori profunde ſe inclinat Altari, & deinde facie ad Chorum converſa dicit, *Orate pro me fratres, & ego pro vobis*: mox ad Altare converſus in infimo gradu Altaris ſtans, & profunde ſe inclinans, dicit, *Aufer a nobis Domine &c.* & demum manibus junctis ſuper Altare dicit, *Oramus te &c.* ut in ordine Miſſæ.

V. Eundem fere æmulantur ritum etiam nunc Monachi Cluniacenſes Ordinis S. Benedicti, necnon rigidioris diſciplinæ Carthuſiani Monachi, qui generalem Confeſſionem ante gradus Altari a parte Euangelii verſa facie ad auſtrum peragunt, ſine Stola, & ſine Caſula, quia ſcilicet hæ veſtes ſymbola ſunt innocentiæ, & charitatis, quas iccirco aſſumere non præſumunt, niſi poſt peractam Confeſſionem, & niſi ipſa mediante reconciliati Deo fuerint, exemplo Publicani, & Magdalenæ, quorum alter a longe ſtans, nolebat, oculos ad Cælum levare, altera vero ſtans retro ſecus pedes Jeſu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Notat hæc eruditus Meratus in Additionibus ad Gavantum Parte II. Tit. III. ad VII. Miſſalis Rubricam, ubi etiam plura docet, quæ ritum ipſius emittendæ Confeſſionis ſpectant. Porro ex ipſa Rubrica Miſſalis, dicit Celebrans Confeſſionem *ſtans inclinatus, donec a Miniſtris dictum ſit*, Miſereatur &c. *Cum incipitur a Miniſtris*, Confiteor, *ſe erigit; cum dicit*, Mea culpa, *ter pectus dextera manu percutit, ſiniſtra infra pectus poſita*.

VI. Sunt qui volunt, inter quos laudatus Meratus, Sacerdotem Confeſsionem facientem non debere ſe vertere modo ad unam, modo ad aliam partem, quando dicit, *Vobis fratres*, & *Vos fratres*, quia nullum præſtare debet reverentiæ ſignum erga Miniſtrum. Sed hæc opinio adverſari videtur Rubricæ noſtri §. XXXI. ex cujus præſcripto, *dum Epiſcopus facit Confeſſionem profert verba erga dictos ejus Miniſtros, ſtantes apud eum, capite inclinato, in plurali, dicens*, Vobis fratres, & Miſereatur veſtri &c. *illi vero erga Epiſcopum in ſingulari &c.* Si ergo, erga dictos Miniſtros ea verba proferre debet Epiſcopus, debet quoque tunc ad unam, & alteram partem ſe vertere, præſertim ſi Miniſtri, de quibus §. hic loquitur, ſint Canonici, iſque eſt uſus, quem ego ſervari vidi in inſignioribus Eccleſiis, etiam ubi Miſſarum ſolemnia ab Epiſcopo ritu Pontificali celebrantur.

VII. Cum tandem Epiſcopus dicit, *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem &c.* ait §. noſter XXXII. debere tunc Subdiaconum capere Manipulum, qui fuerat incluſus Libro Euangeliorum, quem tradet Cæremoniario, ut ait Craſſus Lib. II. Cap. III. eumque a latere deoſculari, tum Epiſcopo deoſculandum porrigere, in eo ſcilicet loco, ubi eſt Crucis ſignum, mox applicare brachio ſiniſtro, cum oſculo manus, ipſumque ſtricte religare. Cur Epiſcopo facta Confeſsione Subdiaconus Manipulum coram Altari immittat, varias ejus ritus myſticas ſignificationes affert Durandus in ſuo Rationali Libro IV. Cap. VI. Num. IV. primo ſcilicet ad notandum, quod conceſſa temporalia per manum alienam, puta Subdiaconi, vel alterius, & non per propriam recipere, & adminiſtrare debet: ſecundo, ad deſignandum, quod non ſufficit oris Confeſſio, niſi & boni operis fructus per Manipulum ſignificatus ſequatur: tertio, ut videns ſe in inferioris miniſterii ornamento ornari, animo humilietur. Quidquid autem ſit de myſticis hiſce interpretationibus, illud plane ex Durando, qui floruit Seculo XIII. conſtat, impoſitum fuiſſe ſiniſtro Epiſcopi brachio Manipulum a Subdiacono poſt factam Confeſsionem. Id quod etiam nos docet Cæremoniale Capellæ Pontificiæ, Auctore Patricio Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. ubi dicitur, Subdiaconum Latinum completa a Pontificia Confeſsione, & dicto, *Indulgentiam &c.* imponere Manipulum Pontifici, qui Euangeliorum Libro erat incluſus, prius ejus manu oſculata.

VIII. Ex præſcripto etiam ejuſdem §. XXXII. *Canonici parati ſtantes in ſuis locis faciunt ſimul Confeſſionem*, incipiendo ſcilicet a Pſalmo, *Judica*

Digitized by Google

dica me Deus, ut notat Bauldryus: *similiter alii siqui erunt parati*, etiam scilicet stantes Confessionem facient; *alias genuflexi*, *prout etiam laici omnes tunc genuflectunt*. Eadem tradit Crassus Libro II. Cap. III. *Canonici*, inquit, *si parati erunt, stantes Confessionem simul faciunt, sin autem facient genuflexi, & similiter Mansionarii, & alii omnes, qui de Choro & Clero parati erunt*. Nec omittendum quod paulo ante dixerat, nempe tum Magistratum si adesset, tum omnes alios tam Clericos, quam laicos debere genuflexos facere Confessionem. Verum aliter servatum vidi passim, laicos scilicet homines solemni Missæ assistentes, stando facere Confessionem.

§. XXXIII.

Finita Confessione, Episcopus extendens, ac jungens manus, clara voce dicit, *Oremus*; & ascendens ad Altare cum Diacono Euangelii a dexteris, & Presbytero assistente a sinistris, dicit submissa voce, *Aufer a nobis &c.* deinde manibus junctis super Altare, inclinatus dicit, *Oramus te Domine &c.* prout habetur in Missali; & cum dicit, *Quorum Reliquiæ hic sunt &c.* positis hinc inde super Altari manibus extensis, osculatur illud in medio, nullam tamen ibi designans Crucem, & statim ambabus manibus tangens Librum Euangeliorum, sibi a Subdiacono a sinistris stante oblatum, in folio Euangelii currentis, illum osculatur adjuvante Presbytero assistente.

COMMENTARIUS.

I. DEscribenda hic primum est Rubrica Missalis, cujus §. hic noster meminit. Sic enim de ritu loquitur servando a Sacerdote post peractam ad initium Missæ Confessionem: *Dum dicit*, Aufer a nobis &c. *Celebrans junctis manibus ascendit ad medium Altaris, & ibi inclinatus, manibusque item junctis super eo positis, & ita ut digiti parvi dumtaxat frontem, seu medium anterioris partis tabulæ, seu mensæ Altaris tangant, residuo manuum inter Altare, & se retento, pollice dextero super sinistrum in modum Crucis posito (quæ omnia semper observantur, cum manus junctæ super Altare ponuntur) secreto dicit*, Oramus te Domine &c. *& cum dicit*, Quorum Reliquiæ hic sunt, *deosculatur Altare in medio, manibus extensis æqualiter hinc inde super eo positis; quod semper servat, quando osculatur Altare; sed post consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur. In omni etiam deosculatione sive Altaris, sive Libri, sive alterius rei, non producitur signum Crucis pollice, vel manu super id, quod osculandum est*. Hactenus Rubrica Missalis Parte II. Tit. IV. Num. I. quam egregie enarrant Gavantus, Meratus, Lebrun, & alii eruditi Auctores.

II. Ergo concinit Rubricæ Missalis §. noster, mandans, ut finita Confessione Episcopus extendens, ac jungens manus, clara voce dicat, *Oremus*, & ascendens ad Altare *cum Diacono Euangelii a dexteris, & Presbytero assistente a sinistris*, dicat submissa voce, *Aufer a nobis &c.* Verba illa, *cum Diacono Euangelii a dexteris, & Presbytero assistente a sinistris*, adjuncta primum fuere huic §. in hoc novo Cæremoniali majoris gratia explicationis, nam in ceteris antiquioribus desiderantur. Porro cum Episcopus ad Altare ascendit, Presbyter assistens, & Diaconus ipse Euangelii, ut aliqui docent, adjuvant a parte sua Episcopum, & aliquantulum elevant partes anteriores vestis suæ, & mutant loca sua, accedente scilicet Presbytero assistente ad partem Euangelii, & Diacono per gradum inferiorem ad partem Epistolæ. Sed hæc opinio in multis corruit, nam ut alia omittam, adversatur nostro §. ex cujus præscripto prius mutant loca, cum Presbyter assistens a sinistris, & Diaconus a dexteris Episcopi ascendunt ad Altare; elevatio autem fimbriæ anterioris ad Cæremoniarium spectat. Tum vero surgunt omnes Ministri, & Subdiaconus sumto Libro Euangeliorum, quem ipse Manipulum Episcopo imponens, ut ait Crassus Lib. II. Cap. III. Cæremoniario tradiderat detinendum, ascendit ad partem Euangelii, ubi Episcopus postquam dixit, *Oramus te Domine &c.* & osculatus fuit Altare in medio, *statim ambabus manibus tangens Librum Euangeliorum sibi a Sabdiacono a sinistris stante oblatum in folio Euangelii currentis, illum osculatur*, in principio scilicet Euangelii, *adjuvante Presbytero assistente*, apponendo scilicet manus ad Librum, statimque recedit extra cornu Euangelii, & stat in plano versa facie cum Libro ad Altare, ut ait Bauldryus.

III. Reperitur is idem ritus in hoc nostro § descriptus in Cæremoniali Codice Augustini Patricii Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. ubi ita legitur: *Facta Confessione, Papa ascendit ad Altare, & illud in medio osculatur; Subdiaconus Librum Euangeliorum aperiens, illum osculandum Papæ offert in cornu Euangelii, Episcopo Cardinale assistente ipsum adjuvante*. Ritum esse antiquum, ut post Introitum Missæ, & deosculatum Altare Episcopus sacrum Euangelii Librum salutaret, atque oscularetur, dicens, *Pax Christi, quam nobis per Euangelium suum tradidit, confirmet, & conservet corda, & corpora nostra in vitam æternam*, docent nos vetus Missa ab Illyrico edita, pervetustus Codex insignis Monasterii S. Dionysii in Francia circa tempora Caroli Magni exaratus,


Digitized by Google

tus, Pontificale Prudentii Trecenſis Epiſcopi, & alii antiqui Ordines Miſſarum ab Edmundo Marnio deſcripti Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo XII.

IV. In pleriſque Eccleſiis fiebat hæc Euangelii deoſculatio ab Epiſcopo in ingreſſu ad Altare ante Confeſsionem, ut in Remenſi, ubi etiam Subdiaconus porrigens Euangelium Sacerdoti deoſculandum ita dicebat: *Hæc eſt Lex ſancta, Pater*, cui ille reſpondebat: *Credo, & Confiteor*. Plura de hoc ritu jam nos diximus ſupra Libro I. Cap. X. in Commentario ad §. II. videri etiam poteſt Durandus Lib. IV. Cap. IX. ubi fuſe ritum ipſum exponit.

§. XXXIV.

Tum accedit ad Altare Thuriferarius cum thuribulo, & navicula, quam porrigit Diacono, & ille Epiſcopo, qui imponit, & benedicit thus more ſolito; & accepto thuribulo de manu Diaconi, thurificat Altare, prout in ſuo loco explicatur.



COMMENTARIUS.

I. POſt deoſculatum Euangelii Librum in omnibus plane vel antiquiſſimis Miſſarum Ordinibus apud Græcos ſequitur incenſatio Altaris, uti videre eſt in pervetuſtis Liturgiis S. Jacobi, S. Baſilii, & S. Joannis Chryſoſtomi apud eruditiſſimum Goar. In primis Romanis Ordinibus, uti obſervat Lebrun, nulla fit mentio incenſandi Altare initio Miſſæ, tametſi Epiſcopus de Secretario ad Altare procedens a thuribulis præcederetur. Ejus tamen ritus tum Durandus, qui Seculo XIII. floruit, tum alii Scriptores, qui de divinis Officiis tractarunt, mentionem paſſim faciunt, & cæremoniam ipſam thurificandi Altare pluribus explicant.

II. In Capella Pontificia, teſte Patricio Libro II. Sectione I. Cap. XIII. deoſculato Euangelio, *Diaconus Euangelii ad dexteram Pontificis in medio Altaris ſtantis accedens, & una cum eo Thuriferarius, incenſum, & thuribulum Papæ offerunt, qui impoſito incenſo, ut ſupra, Altare incenſat more conſueto.* Subdit mox etiam Patricius, illud eſſe advertendum, *quod dum Papa eſt*

Digitized by Google

eſt apud Altare, Diaconus Euangelii ſemper miniſtrat incenſum, & incenſat Pontificem, cum autem Papa eſt in Sede, tunc Cardinalis Epiſcopus, ſive Presbyter aſſiſtens hoc facit. Id quod etiam reſpectu Epiſcopi procedit, ſecundum ea, quæ Libro I. jam adnotavimus, Cap. XXIII. Quoniam tandem experientia ipſa notum eſt, quod docet Poeta:

Segnius irritant animos demiſſa per aures
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus....

ut facilius intelligatur Ordo incenſationis Altaris, & loca, quæ in Altari ipſo debent incenſari, ſicut & numerus ductuum thuribuli, opportune ad hunc §. XXXIV. Figuram ordinem incenſationis Altaris, in quo ſacræ Reliquiæ extarent, ſive etiam Imagines Sanctorum, continentem apponendam judicavimus. Porro ſi in Altari non fuerint Reliquiæ, vel, Sanctorum Imagines, incenſata Cruce in medio, proſequenda eſt Altaris incenſatio per numerum 8. & ſequentes, omiſſis 4. 5. 6. & 7. Cetera quæ incenſationem Altaris ſpectant vide Tomo I. Cap. XXIII. in Commentariis ad §. V. & VI.

§. XXXV.

Reddit deinde thuribulum Diacono, & accepta Mitra pretioſa a digniori Diacono in officio Aſſiſtentis ſerviente, ſtans in cornu Epiſtolæ manibus junctis, incenſatur a Diacono triplici ductu thuribuli. Tum ex eodem loco facta Cruci reverentia in medio Altaris poſitæ, acceptoque Baculo in manu ſiniſtra, medius inter Diaconos aſſiſtentes (nam Diaconus, & Subdiaconus remanent apud Altare) vadit ad Sedem ſuam, ubi ſtans depoſita Mitra, & facto ſibi ſigno Crucis a fronte ad pectus, legit Introitum ex Libro, quem ſuſtinet Capellanus de eo ſerviens ſupra caput, altero candelam accenſam tenente. Aſſiſtentes vero hinc inde, oſtendunt digito quæ ſunt legenda, & vertunt folia.

COMMENTARIUS.

I. FInita incenſatione Altaris, de qua fuſe egimus ſupra Lib. I. Cap. XXIII. reddit Epiſcopus thuribulum Diacono in cornu Epiſtolæ, & ſumta Mitra pretioſa a digniore Diacono, qui ſolus propterea accedit ad cornu Epiſtolæ, ſtans ibidem manibus junctis, a Diacono Euangelii ſtante ad partem ipſius cornu Epiſtolæ in plano, incenſatur, & ſtatim dat ei benedictionem. Tum ex eodem loco, nempe *non per medios gradus, ſed per angulares*, ut ait Craſſus Lib. II. Cap. III. facta Cruci reverentia, quæ eſt in medio Altaris, deſcendit cum Mitra ad medium plani Presbyterii, itaut non terga vertat Cruci, & accepto Baculo in manu ſiniſtra medius inter Diaconos aſſiſtentes vadit ad Sedem ſuam, eumque ſequitur Presbyter aſſiſtens, ut ait Bauldryus, cum Libro, quem tradit Miniſtro, ſeu Capellano de eo ſerviente; ſequuntur alii etiam Epiſcopum, qui ei inſervire debent ibidem, exceptis Diacono Euangelii, & Subdiacono Epiſtolæ, qui remanent apud Altare, ſtantes, prout Epiſcopus, vel ſedentes ſuper ſedem nudam ibidem poſitam, itaut Diaconus ipſe Euangelii ſit directe e regione dignioris Diaconi aſſiſtentis, non vero Epiſcopi, & Subdiaconus a ſiniſtris ejus. Epiſcopus vero ſtans in Sede ſua, depoſita Mitra, & facto ſibi ſigno Crucis a fronte ad pectus, verſus Altare legit Introitum Miſſæ ex Libro, quem ſuſtinet Capellanus de eo ſerviens ſupra caput, (quia ſcilicet ut infra dicitur, §. XXXVIII. regulariter Presbyter aſſiſtens ſuſtinere ſupra caput Librum debet, quoties Epiſcopus aliquid alta voce cantat, ſecus vero, quando legit voce ſubmiſſa) altero Miniſtro, ſeu Capellano candelam tenente accenſam, quam jam accenderat prius in Sacriſtia, vel Secretario. Aſſiſtentes autem hinc inde oſtendunt digito, quæ ſunt legenda, & vertunt folia, uti in noſtro §. præſcriptum eſt.

II. Ita ſane cenſuimus enarrandam Rubricam noſtri §. XXXV. cui in quibuſdam concinit Cæremoniale Pontificiæ Capellæ, Auctore Patricio, & fere in omnibus Cæremoniale Paridis Craſſi, Lib. II. Cap. III. Ad Introitum Miſſæ quod attinet, ejus Auctorem S. Gregorium Magnum facit Honorius Auguſtodunenſis Lib. I. *De gemma animæ*, Cap. LXXXVII. cum Cæleſtinus antea Papa, Pſalmos antiphonatim, ideſt, alternis Choris modulandos præſcripſiſſet, ut ait Liber Pontificalis, & teſtatur etiam Walafridus Strabo, Lib. *De rebus Eccleſiaſticis*, Cap. XXII. *Antiphonas*, inquiens, *ad Introitum Cæleſtinus Papa inſtituit &c.* Hinc nullas in Liturgia Gallicana Antiphonas ad Introitum recitatas fuiſſe inquit Martenius Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo III. Num. I. quod ſcilicet ipſa Liturgia multo eſt antiquior Gregorio Magno. Quicquid ſit de ejus origine, certe in Miſſa ſolemni, facta Confeſſione, & thurificato Altari, ubi celebrabat Epiſcopus, ad paratam ibi Sedem deducebatur, quæ quidem ex Libro II. Apoſtolicarum Conſtitutionum, Cap. LXI. medio in Templo erat conſtituta, ſive in abſide Eccleſiæ, ut patet ex Libro Miraculorum S. Stephani in Appendice Operum S. Auguſtini novæ editionis, Cap. III. Sed de hac Sede Epiſcopi, quæ etiam Cathedra, Thronus, & Solium appellatur, jam diximus ſupra Lib. I. Cap. XIII. & Tomo I. Romani Pontificalis in Prolegomenis, Cap. V.

III. Quod Epiſcopus incenſato Altari ad ſuam Sedem redeat, ibique uſque ad Offertorium ma-

Digitized by Google

manens, Introitum, ac alia legat, vel cantet, quæcumque legenda interim, aut cantanda ſunt, ex antiquo plane ritu docent nos Ordo Romanus XIV. Auctore Gaetano, Cap. LIII. & Durandus in ſuo Rationali Lib. IV. Cap. XI. quos laudat in ſua explicatione Liturgiæ eruditus Lebrun, Tomo I. Parte II. Articulo I. ubi etiam notat, eodem fere privilegio gaudere in Eccleſia Remenſi Celebrantes omnes, licet non ſint Epiſcopi; nihil enim recitant, aut cantant ad Altare, ante Offertorium, ſed in pulpito ad Altaris latus collocato. Idem etiam uſus in aliis ejuſdem Metropolis Eccleſiis forte vigebat; id enim conſtat de Laudunenſi ex ms. Ordinario ejuſdem Eccleſiæ apud laudatum Martenium Num. v. in quo præſcribitur, ut *finita* Gloria, *Sacerdos veniat ad Lectreolum, ad dicendas orationes*. Sed & de ea re varii olim fuerunt Eccleſiarum ritus,

§. XXXVI.

Deinde cum eiſdem Aſſiſtentibus dicit alternatim ter, *Kyrie eleiſon*; ter *Chriſte eleiſon*, & ter *Kyrie eleiſon*, Diaconus, & Subdiaconus idem dicunt, inter ſe apud Altare, ſicut & ceteri in Choro. Quo dicto, ſedet, accepta per primum Diaconum aſſiſtentem Mitra auriphrygiata ſimplici, ſi hæc placeat, & Gremiali, & pariter omnes ſedent. Presbyter aſſiſtens ſedet in ſcabello, prout in Cap. VII. §. IV. Lib. I. de Presbytero aſſiſtente tam in Veſperis, quam in Miſſis dicitur. Diaconi aſſiſtentes ſedent hinc inde a lateribus Epiſcopi in ſcabellis nudis: Diaconus vero, & Subdiaconus in Miſſa miniſtrantes apud Altare ſuper aliquo ſcamno apud cornu Epiſtolæ ſedent.

§. XXXVII.

Cum cantatur a Choro ultimum *Kyrie eleiſon*, ſurgunt omnes Miniſtri circumſtantes Epiſcopum, & aufertur Epiſcopo per Aſſiſtentem a ſiniſtris Gremiale, & Mitra; pileolum vero per Aſſiſtentem a dexteris, complanatis cum eo capillis, quod penes ſe retinet; ſed Mitra, & Gremiale Miniſtris ea ſervantibus traduntur.

COMMENTARIUS.

I. LEcto Introitu, mox Epiſcopus cum eiſdem Aſſiſtentibus dicit alternatim ter *Kyrie eleiſon*, ter *Chriſte eleiſon*; & ter *Kyrie eleiſon*; idemque dicunt Diaconus, & Subdiaconus inter ſe apud Altare, & ceteri in Choro. Ordo, & numerus vocis iſtius, *Kyrie eleiſon*, non ſemper idem in Eccleſia fuit, diverſoque ritu a Latinis, & Græcis dicebatur, teſte ſancto Gregorio Lib. VII. Epiſtola LXVII. ubi ita inquit: *Kyrie eleiſon autem nos, neque diximus, neque dicimus, ſicut a Græcis dicitur; quia in Græcis ſimul omnes dicunt; apud nos autem a Clericis dicitur, a populo reſpondetur, & totidem vocibus etiam Chriſte eleiſon dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur*. Quod ſpectat ad Græcos, ſcribit Alcuinus, ſeu alius ejus nomine Auctor in Libro, *De divinis Officiis*, Cap. *De celebratione Miſſarum, & earum ſignificatione*, eos hanc vocem Latine exprimere, quemadmodum Latini Græce. Qui ritus in aliquibus Græcorum Eccleſiis Auctoris iſtius ævo forte vigebat, nunc omnino obſolevit.

II. Hunc ritum, ut ſcilicet apud Gallos, *Kyrie eleiſon*, tum in Miſſis, tum in Matutinis, ac Veſperis frequentius diceretur, ſtatuit Concilium Vaſenſe II. quod celebratum fuit anno DXXXIX. Can. III. quia ſcilicet, *tam in Sede Apoſtolica, quam etiam per totas Orientales, atque Italiæ Provincias, dulcis, & nimium ſalutaris conſuetudo eſt intromiſſa, ut* Kyrie eleiſon, *frequentius cum grandi affectu, & compunctione dicatur*. Ubi nota I. quam antiquus ſit uſus dicendi in Miſſa, *Kyrie eleiſon*, tametſi non conſtet, quibus Liturgiæ locis diceretur. II. repetitam frequentius eam vocem fuiſſe, donec ſcilicet ſubſiſtendum Celebrans innuiſſet, uti conſtat ex Ordine I. Romano Num. IX. his verbis: *Schola vero*, ſcilicet Cantorum, *finita Antiphona*, ideſt ad Introitum, *imponit* Kyrie eleiſon. *Prior vero Scholæ cuſtodit ad Pontificem, ut ei annuat, ſi vult mutare numerum Letaniæ, & inclinat ſe Pontifici*. Atque huc ſpectat id, quod ait Paris de Craſſis, *Kyrie* in Miſſis Papalibus tandiu dici, quandiu reverentia Papæ per Cardinales facienda durat.

III. Ritu Ambroſiano, ut in ejus Miſſali videre eſt anni MCDXCII. MDXLVIII. & MDCLXIX. ter dicitur *Kyrie eleiſon*, poſt dictum, *Gloria in excelſis Deo &c.* Joannes Belethus, qui florebat Seculo XII. in Explicatione divinorum Officiorum, Cap. XXXVIII. aſſerit, in quibuſdam Eccleſiis addi *imàs*. Quod ex Durandi Rationali Libro IV. Cap. XII. Num. IV. poſt ultimum dumtaxat, *Kyrie eleiſon*, ſubjici intelligendum eſt. Sane quod vox iſta, *Kyrie*, novies repetatur, nempe, ter *Kyrie eleiſon*, ter *Chriſte eleiſon*, ter *Kyrie eleiſon*, ritus eſt Latinæ Eccleſiæ antiquus, quem egregie explicant Innocentius III. Libro II. *De Myſteriis Miſſæ*, Cap. XIX. ſanctus Thomas Par-

Digitized by Google

Parte III. Quæſtione LXXXIII. Articulo IV. Durandus loco citato; inter alia autem ajunt ter dici ad Patrem, ter ad Filium Chriſtum, ter ad Spiritum Sanctum. Adhibitum fuiſſe, *Kyrie eleiſon, in funere deducendo*, ex Concilio Arelatenſi VI. anni DCCCXIII. Can. III. conſtat, & ex Capitulari Herardi, Cap. LVIII. ubi edicitur, ut *exequiæ mortuorum cum luctu ſecreto, & cordis gemitu fiant, & Pſalmos ignorantes*, Kyrie eleiſon *ibi canant*. Adhibita eſt aliquando & ea vox, *Kyrie eleiſare*, quod idem eſt ac, *Kyrie eleiſon*, canere, ut in Vita S. Wunbaldi Abbatis Heindenheimenſis apud Surium XVIII. Decembris, Num. XXVIII. *Omnis plebs*, inquit, *cantantes Kyrieeleiſabant*. Plura de ea voce, *Kyrie eleiſon*, videri poſſunt apud Eruditiſſimum Durantum Libro II. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XIII. per totum, & apud Dufreſne ad ipſam vocem in ſuo mediæ, & infimæ Latinitatis Gloſſario.

IV. Quantum ad ritus in Rubrica noſtri §. XXXVI. præſcriptos, dicto *Kyrie*, ſedet Epiſcopus, & primus Diaconus imponit pileolum cum oſculo, ut ait Bauldryus, & poſtea adhuc Mitram pretioſam, ſive potius auriphrygiatam ſimplicem, ſi hæc placeat, ut ait noſter §. Interim Acolythus, ſeu Capellanus deputatus, ſumto Gremiali de Abaco, defert cum debitis genuflexionibus illud plicatum ante pectus ambabus manibus, & tradit primo Diacono aſsiſtenti, qui illud ſuper genua Epiſcopi ſedentis cum debitis reverentiis ante & poſt extendit, tum pariter omnes ſedent, nempe Presbyter aſsiſtens in ſcabello, prout dictum eſt ſupra Lib. I. Cap. VII. §. IV. Diaconi aſsiſtentes hinc inde a lateribus Epiſcopi in ſcabellis nudis, ſed tamen pictis, ut eſt mos complurium Eccleſiarum; Diaconus vero, & Subdiaconus in Miſſa miniſtrantes, apud Altare ſuper aliquo ſcamno etiam picto apud cornu Epiſtolæ, alii Miniſtri minores, tametſi nihil de ipſis in ipſo noſtro §. XXXVI. dicatur, ſuper gradus Altaris ſedebunt, vel potius ſemper ſtabunt, Ceroferarii a lateribus Abaci, Thuriferarius, & Miniſter de ampullis a parte Epiſtolæ prope Altare, alii a parte Euangelii etiam prope Altare, & parietem ipſius Altaris. Sed de hac re vide quæ ſupra adnotavimus, notandumque hic vero illud, quod jam alias ſcripſimus, attendendum ſcilicet eſſe Altaris ſitum.

V. Cum dènique cantatur a Choro ultimum, *Kyrie eleiſon*, ex præſcripto noſtri §. XXXVII. ſurgunt omnes Miniſtri, circumſtantes Epiſcopum, cui per aſsiſtentem a ſiniſtris Diaconum aufertur Gremiale, quod tradit Miniſtro, qui illud plicat, & ſervat apud ſe, factaque debita genuflexione, recedit. Aufertur & per eundem Diaconum Mitra, pileolum vero, quod in antiquis Cæremonialibus ante noſtrum editis *biretum* dicitur, a Diacono aſsiſtente a dexteris, complanatis cum eo leniter capillis, quod penes ſe retinet. Sed Mitra, & Gremiale traduntur Miniſtris ea ſervantibus. Porro plura, quæ in duobus hiſce Paragraphis continentur, deſumta ſunt ex toties laudato Cæremoniali Pontificiæ Capellæ, ex illo præſertim, quod concinnavit Auguſtinus Patricius.

§. XXXVIII.

Finito a Choro cantu, *Kyrie eleiſon*, ſurgit Epiſcopus, adjuvantibus eum Miniſtris aſsiſtentibus, verſa facie ad Altare, & allato ante eum Libro, & candela, ſi ea uti velit, cantat ex eo alta voce, *Gloria in excelſis Deo*, disjunctis, elevatiſque manibus ad altitudinem humerorum, itaut vola unius manus reſpiciat alteram; quod ſemper in hujuſmodi manuum elevatione obſervatur; & cum dicit, *Deo*, jungit manus, & caput inclinat: Librum vero ſuſtinet ſupra caput Presbyter aſsiſtens paratus Pluviali, quem regulariter ſuſtinere eo modo debet, quoties Epiſcopus aliquid alta voce cantat; quo caſu Miniſter, qui *alias* ſervit de Libro, adjuvat ad ſuſtinendum illum; ſecus quando Epiſcopus ſummiſſa voce legit: Diaconi vero aſsiſtentes hinc inde indicant digito quæ ſunt legenda, & vertunt folia.

§. XXXIX.

Poſtquam Epiſcopus incœpit cantando præfatum Hymnum, proſequitur illum ſummiſſa voce cum ſuis Miniſtris. Diaconus, & Subdiaconus, ac Prælati, & Canonici in ſuis locis idem bini ſimul faciunt, & in fine Epiſcopus ſedet accepta Mitra ſimplici, & Gremiali, & ſimiliter ſedent omnes, uſquequo per Chorum perficiatur Hymnus cum Organo: quo finito, & Organo ceſſante, ſurgit Epiſcopus, depoſita Mitra, & Gremiali, ſurgentibus omnibus, ut prius; & ſtans verſus populum elevatis, & ſtatim junctis manibus cantat, *Pax vobis*. Deinde converſus ad Altare, extenſis, & ſtatim junctis manibus, *Oremus*, & iterum extenſis manibus Orationem; & cum dicit concluſionem ultimæ Orationis, ideſt, *Per Do-*

Digitized by Google

minum noſtrum &c. denuo jungit manus, prout plenius circa hujuſmodi junctionem, & disjunctionem manuum in Rubricis Miſſalis declaratur. Sedet Epiſcopus, ſedentibus omnibus.

COMMENTARIUS.

I. CAntu, *Kyrie eleiſon*, a Choro abſoluto, ſurgit Epiſcopus, adjuvantibus eum Miniſtris aſsiſtentibus, verſa facie ad Altare (&, ut ajunt Cæremonialia ante hoc noſtrum edita, *illi capite inclinato reverentiam faciens*, qui tamen ritus in hoc noſtro §. XXXIX. ſublatus eſt) & allato ante eum Libro, & candela, ſi ea uti velit, cantat ex eo alta voce, *Gloria in excelſis Deo*. Hic Hymnus, ut omni die Dominico, & Natalitiis Martyrum diceretur, conſtituit Symmachus Papa, qui anno CDXCVIII. ad ſummum Pontificatum evectus fuit, ut in eo tradit Liber Pontificalis. Sed hoc Decretum ſi ad omnes Presbyteros extendatur, illud poſtea ad ſolos Epiſcopos reſtrinxiſſe S. Gregorius dicendus eſt, quippe qui Miſſæ Ordinem initio Libri Sacramentarii ſui deſcribens, hæc habet: *Item dicitur*, Gloria in excelſis Deo, *ſi Epiſcopus fuerit, tantummodo die Dominico, ſive diebus Feſtis; a Presbyteris autem minime dicitur, niſi in ſolo Paſcha. Quando vero Litania agitur, neque*, Gloria in excelſis Deo, *neque* Alleluja *canitur*.

II. Meminit hujus ſtatuti Walafridus Strabo, Cap. XXII. *Statutum eſt*, inquit, *ut ipſe Hymnus in ſummis Feſtivitatibus a ſolis Epiſcopis uſurparetur, quod etiam in Capite Libri Sacramentorum deſignatum videtur*. Ea tamen de re queritur Berno Abbas Augienſis in Libro, quem de quibuſdam rebus ad Miſſam ſpectantibus compoſuit, ſic inquiens: *Cur non liceat omni die Dominico, vel Natalitiis Sanctorum Presbyteros illum Hymnum canere, quem nato in carne Domino Angeli cecinere, dicentes*, Gloria in excelſis Deo, *quod ſi conceſſum eſt illum cantare in Paſcha ſecundum prætitulationem Miſſalis, non multo minus licitum puto in Nativitate Domini, quando primum cœpit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab Angelis canebatur in Cœlis*. In Hiſpania ritu Mozarabo Hymnum ipſum decantari conſueviſſe diebus Dominicis, & Feſtis quibuſdam, tradunt Etherius Epiſcopus, & Beatus Presbyter Libro I. adverſus Elipandum; at vero in Eccleſia Gallicana dictum olim fuiſſe in Miſſa, nulla docent veterum teſtimonia, ut obſervat Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo III. Num. VI.

III. Hymnum præterea ipſum in Miſſæ Sacro dici, S. Teleſphorum VII. a S. Petro Pontificem inſtituiſſe, teſtatur Epiſtola quædam Pontifici ipſi ſuppoſita, itemque Liber Pontificalis in ejus Vita, Rabanus Maurus, Walafridus Strabo, Berno, & alii complures, ex quibus etiam nonnulli cenſent, totum Hymnum ab eodem Teleſphoro fuiſſe compoſitum; cujus opinionis ſunt Rabanus ipſe in Libro, *De inſtitutione Clericorum*, Cap. XXXII. & Innocentius III. Lib. II. Myſteriorum Miſſæ, Cap. XX. Volunt autem alii particulam illam, *Laudamus te*, & quæ ſequuntur addita fuiſſe a S. Hilario Pictavienſi Epiſcopo, uti docet Belethus in explicatione divinorum Officiorum, Cap. XXXVI. & ante ipſum creditus Alcuinus, in Libro, *De divinis Officiis*, Cap. *De celebratione Miſſæ*. Is enim cum dixiſſet in eo Capite, quod inſcribitur, *Quid ſignificent veſtimenta*, Teleſphorum natione Græcum, ideſt, Magnæ Græciæ in noſtra Calabria, conſtituiſſe, ut Hymnus diceretur Angelicus ante Sacrificium, poſtea in dicto Cap. *De celebratione Miſſæ*, ſcribit, Hymnum, *Gloria in excelſis*, in Nativitate Salvatoris ab Angelis decantatum, a S. Hilario Pictavienſi Epiſcopo fuiſſe deinde auctum, & conſummatum. Idem docent Durandus Libro IV. Cap. XIII. Hugo de S. Victore Lib. II. & alii.

IV. Neque deſunt, qui eam additionem a Symmacho Papa factam contendunt, ut inter alios Berno Augienſis in Libro, *De officio Miſſæ*. Sed tametſi Toletana IV. Synodus Can. XII. doceat, totum illud, quod ſequitur poſt Angelicum Hymnum, poſt illa ſcilicet verba, quæ ut in Euangelio Lucæ legitur Cap. I. nato in Carne Chriſto Angeli cecinerunt, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, ab Eccleſiaſticis Doctoribus compoſita fuiſſe & aucta; certum omnino eſt, neque Hilarium Pictavienſem Epiſcopum, neque Symmachum Papam eam additionem feciſſe; integer enim fere legitur Libro VII. Apoſtolicarum Conſtitutionum, quæ S. Clementi adſcribuntur, Cap. XLVII. ut ſcite obſervat Durantus Lib. II. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XIV. Gavantus, Martene, Lebrun, & alii eruditi Auctores. Mentionem ejus Hymni facit Hildebertus Cenomanenſis in Carmine, *De Myſteriis Miſſæ*, ubi inter alia inquit, Sacerdotem in Miſſa, prima verba incipere, & deinde Chorum reliqua concinendo proſequi.

Angelicũ poſthæc Sacrifex Pater incipit Hymnũ,
Incæptum complet vociferando Chorus.
Incipiens memorat quæ Salvatoris in ortu
Gaudia Paſtores Angelus edocuit.
Cantica quæ poſt hunc ſuperi cecinere, recenſet
Gloria, quam complet vociferando Chorus.

V. Plura de hoc Hymno videri poſſunt apud rerum Liturgicarum Scriptores, nos enim, ut propius ad noſtrum §. XXXVII. accedamus, adnotandum illud cenſemus, quod docet Craſſus Lib. II. Cap. I. ubi ita ad rem inquit: *Poſtquam finitum erit de toto*, Kyrie eleiſon, *& non prius, Cardinalis ſurgit, qui verſa facie ad Altare, ut ſupra, cantat ex Libro Hymnum Angelicum, ideſt*, Gloria in excelſis Deo, *ſuper quo advertat, ut non cantet ipſum Hymnum in alio quoquam tono, niſi in eo tono, quem vocant de Paſchate, ſive de Apoſtolis, videlicet, per notas*, Ut, re, fa, ſa; *etſi Miſſa ſit de Beata Virgine, & nunquam aliter; quod*

Digitized by Google

quod expreſſe Capella Papalis, tanquam omnium rituum ordinatrix, obſervat, licet Regulares, & alii aliter, & diverſimode intonent &c. Ex præſcripto noſtri §. Epiſcopus verſa facie ad Altare, allato ante eum Libro, & candela, ſi ea uti velit, cantat ex eo alta voce, *Gloria in excelſis Deo*, disjunctis, elevatiſque manibus ad altitudinem humerorum, itaut vola unius manus reſpiciat alteram, & cum dicit, *Deo*, jungit manus, & caput inclinat, Librum ſuper caput ſuſtinente Presbytero aſſiſtente: qui ritus acceptus profecto eſt ex Cæremoniali Pontificiæ Capellæ, Auctore Patricio Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. ubi ita legimus: *Finito*, Kyrie eleiſon, *detracta Papæ Mitra, & tenente Epiſcopo Librum, ut ſupra, elevatis manibus juxta altitudinem humerorum, & eorum diſtantiam extenſis digitis, ſed non disjunctis, ſtans verſus Altare, dicit*, Gloria in excelſis; *& cum dicit*, Deo, *jungit manus ante pectus &c.*

VI. Notanda vero ea potiſſimum ſunt noſtri §. verba, quibus dicitur, cum Epiſcopus cantat ex Libro, *Gloria in excelſis Deo*, ſuſtinendum tunc eſſe Librum a Presbytero aſſiſtente; namque tradit paulo poſt generalem regulam, quando ſcilicet legente Epiſcopo, ſuſtinendus ſit Liber ipſe ab aſſiſtente Presbytero, & quando a Miniſtro, ſeu Capellano de Libro ſerviente. Librum, inquit Presbyter aſſiſtens, Pluviali paratus, *regulariter ſuſtinere eo modo debet, ideſt, ſupra caput, quoties Epiſcopus aliquid alta voce cantat; quo caſu Miniſter, qui alias ſervit de Libro adjuvat ad ſuſtinendum illum; ſecus quando Epiſcopus ſummiſſa voce legit*; quia ſcilicet tunc ſuſtinendus eſt ipſe Liber a Capellano de eo ſerviente, non autem a Presbytero aſſiſtente. Itaque cantato ab Epiſcopo, *Gloria in excelſis Deo*, & *Credo in unum Deum*, inchoato, aut aliare, Librum, quem tunc ſupra caput ſuſtinet aſſiſtens Presbyter, ſtatim de manibus illius recipiet Miniſter de Libro; Diaconi vero hinc inde aſſiſtentes Epiſcopo, indicant digito legenda, & vertunt folia; nam uti edicitur in noſtro §. XXXIX. *poſtquam Epiſcopus incœpit cantando præfatum Hymnum, proſequitur illum ſummiſſa voce cum ſuis Miniſtris*. Pergit deinde, & ait, Diaconum, & Subdiaconum, ac Prælatos, & Canonicos in ſuis locis idem binos ſimul facere. Id quod etiam docet Craſſus loco citato, ubi ait, quod Legatus quoque ſi adſit, cum ſuis Capellanis; Prælati vero, ac Canonici in ſuis locis invicem ſimul idem faciant.

VII. Ex ejuſdem §. noſtri præſcripto, cui etiam memoratus Craſſus concinit, *in fine Epiſcopus ſedet, accepta Mitra ſimplici, & Gremiali, & ſimiliter ſedent omnes, uſquequo per Chorum perficiatur Hymnus cum Organo*. Id quidem tametſi hodie rite fiat, & ex præſcripto Miſſalium Librorum, ut Sacerdotes, dum ſolemne Sacrificium peragunt, Choro interim concinente, ſedeant una cum Miniſtris ad lævam Altaris tum ad Epiſtolæ lectionem, tum ad Hymnum, *Gloria in excelſis Deo*, tum etiam ad ſolemnem Symboli pronunciationem, veterem tamen ritum ſervant hodieque Religioſiſſimi Clerici Regulares, quos Theatinos vocant, quippe qui ex Conſtitutionibus ſuis ita jubentur Parte I. *De Horis Canonicis*, Capite I. *In Miſſis ſolemnibus Sacerdos, & Miniſtri ne ſedeant*. Porro ſi veterem conſulamus ritum, tradit Micrologus in Libro, *De Eccleſiaſticis obſervationibus*, Cap. IX. Græcos non ſediſſe ad Lectionem Epiſtolæ, Conſtat quoque ex antiquo Romano Ordine II. nec Latinos ſediſſe, dum caneretur, *Gloria in excelſis Deo &c.* ita enim inquit Num. VI. *Incipit ſolus Pontifex clara voce Hymnum*, Gloria in excelſis Deo, *ſi tempus fuerit. Deinde vero totus reſpondet Chorus*. Et in terra pax hominibus; *& non ſedet prius Epiſcopus, antequam dicant poſt Orationem primam*, Amen.

VIII. Hymno finito, & Organo ceſſante, ut ait noſter §. *ſurgit Epiſcopus depoſita Mitra, & Gremiali*, ideſt, Gremiali prius, & poſtea Mitra, ſurgentibus omnibus, ut prius, & ſtans verſus populum elevatis, & ſtatim junctis manibus cantat: *Pax vobis*. Eſt antiqua ſalutandi populum formula apud Græcos jam olim uſitata, qui populum ipſum in Miſſa ſalutare conſueverunt, his verbis, *Pax vobis*, vel *Pax omnibus*, uti videre eſt in antiquis Liturgiis ſanctorum Jacobi, & Baſilii, quibus addo S. Joannem Chryſoſtomum, qui non modo in ſua Liturgia eum ritum ſalutandi populum deſcripſit, ſed longe egregie in Epiſtolam Pauli ad Coloſſenſes, ad rem ita inquit: *Cum ingreſſus fuerit is, qui præeſt Eccleſiæ, ſtatim dicit*: Pax omnibus; *quando concionatur*: Pax omnibus; *quando ſalutem optare jubet*: Pax omnibus; *quando Sacrificium abſolvitur*: Pax omnibus. Ita Chryſoſtomus, quem etiam jam vita functum, cum corpus ejus a Proclo Patriarcha in Throno collocatum eſſet, dixiſſe ad populum, *Pax vobis*, idque Proclum, & adſtantes ejus audiiſſe, teſtatur in ſua Hiſtoria Nicephorus Libro IV. Cap. XLIII. Meminit quoque ejus formulæ in Epiſtola ad Euſtachium S. Athanaſius, ubi quoſdam ſui ævi Epiſcopos carpit, qui cum initio Sacrificii, & Sermonis, illud proferrent, *Pax vobis*; tragœdias tamen excitabant, & alios affligebant.

IX. Eo ſalutandi ritu uſos etiam fuiſſe olim Antiſtites, ex Concilio Bracarenſi I. anni DLXIII. Can. III. addiſcimus: *Placuit*, inquit, *ut non aliter Epiſcopi, & alibi Presbyteri populum, ſed uno modo ſalutent dicentes*: Dominus ſit vobiſcum, *ſicut in Libro Ruth legitur; & ut reſpondeatur a populo*: Et cum ſpiritu tuo, *ſicut & ab ipſis Apoſtolis traditum omnis retinet Oriens, & non ſicut Priſcilliana pravitas immutavit*. Pro *Oriens*, legendum *Occidens*, jam ante nos alii adverterunt, nam in Eccleſia Orientali, ſalutandi populum ea erat formula, *Pax omnibus*, vel *Pax vobis*, uti ſuperius fuit oſtenſum. Quamvis ab ipſo Concilio modus is ſalutandi improbetur, Leo tamen Papa VII. in Epiſtola ad Gallos, & Germanos, ab eiſdem de eo ritu conſultus ita ſcripſit: *Conſultum eſt etiam, utrum Epiſcopi*, Pax vobis, *an* Dominus vobiſcum, *pronunciare debeant; ſed non aliter per omnem veſtram Provinciam tenendum eſt, quam in ſancta Romana Eccleſia. In*

Digitized by Google

Dominicis enim diebus, & in præcipuis Festivitatibus, atque Sanctorum Natalitiis, Gloria in excelsis Deo, & Pax vobis, *pronuntiamus: in diebus vero Quadragesimæ, & in quatuor Temporibus, sive in Vigiliis Sanctorum, & in reliquis jejuniorum diebus*, Dominus vobiscum, *tantummodo dicimus*. Occurrit ea salutandi formula, *Pax vobiscum*, sive *Pax vobis*, in Ordinibus antiquis Romanis, ac præsertim in II. Num. VI. ubi Pontifex, finito *Gloria in excelsis*, eo modo salutat populum, deinde intra Missam per illa verba, *Dominus vobiscum*.

X. Quamquam vero olim, ut testatus est Leo VII. in recitata Epistola ad Gallos & Germanos, Dominicis tantum diebus, & in præcipuis Festivitatibus, atque Sanctorum Natalitiis, *Pax vobis*, in Missa ab Episcopo pronunciaretur juxta ritum Romanæ Ecclesiæ, multis tamen ab hinc seculis sicut Papa, ita & Episcopi prima vice populum per ea verba salutant, *Pax vobis*; quam ideo Episcopalem salutationem appellat S. Petrus Damiani, in Opusculo, *De Dominus vobiscum*; atque huic distinctioni Sacerdotis ab Episcopo minime refragatur laudata Synodus Bracarensis; nam ut recte animadvertunt Viri docti Garzias Loaisa, & Ludovicus Bail in Notis ad ipsam Synodum, & notavimus nos jam in Opere nostro, *De Codice sancti Euangelii &c.* Lib. II. Cap. XV. Synodus ipsa arguit Priscillianistas contendentes non semel tantum, ut moris est, sed semper ab Episcopis dicendum esse, *Pax vobis*. Ceterum etsi prima vice Episcopus, uti dictum est, populum salutet, dicens, *Pax vobis*, quoniam, ut ait Innocentius Papa III. hæc fuit prima vox Christi ad Discipulos, postea tamen instar ceterorum Sacerdotum, ea utitur salutatione, *Dominus vobiscum*, de qua, sicut & de illa, *Pax vobis*, plura tradunt Durandus Lib. IV. Cap. XIV. quod inscriptum est, *De salutatione ad populum*, & alii passim Liturgicarum rerum Scriptores.

XI. Cantat itaque Episcopus prima vice in Missa, & quidem *junctis manibus*, Pax vobis; *deinde conversus ad Altare, extensis, & statim junctis manibus*, Oremus; *& iterum extensis manibus Orationem &c.* Antiquas esse Orationes in Missa, ex antiquis Liturgiis constat; ad numerum Orationum quod attinet, earum multiplicitati, quæ apud quosdam in usu erant, occurrit aliquando Joannes Abbas S. Albani, qui, teste Matthæo Pariso in ejus Vita, ad septenarium numerum fixit, quem etiam nunquam excedendum esse docent Anonymus Turonensis in suo Speculo Ecclesiæ, Joannes Belethus, Cap. XXXVII. Gulielmus Durandus Lib. IV. Cap. XIV. vetusque Ordinarium ms. Monasterii Fiscannensis ab annis fere D. scriptum, ubi ita inquit: *A traditione autem Majorum nostrorum accipimus, unam, aut tres, aut quinque, aut septem Orationes dici debere: unam juxta Romani Ordinis distinctionem: tres, quia Dominus ante Passionem suam ter orasse legitur: quinque, propter quinquepartitam ejus Passionem, in cujus commemorationem eadem celebramus officia: septem, quia Apostoli septem petitiones Dominicæ orationis, & consecrationem eorundem mysteriorum frequentasse leguntur*. Additque mox: *Rarissime siquidem diligentiores Officii divini Observatores alium in Orationibus ad Missam numerum admittunt, nisi quem nos competenti mysterio insignitum hic notavimus*. Quæ verba desumta videntur ex Micrologo, Observationum Ecclesiasticarum, Cap. IV. uti observat Martenius Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo III. Num. XI.

XII. Non omittendus vero hic ille abusus, qui in nonnullis olim Ecclesiis obrepsit, ubi Episcopus, sive Presbyter, dicta Oratione ab Altari recedebat, quod supererat Missæ, alteri peragendum dimittens. Tanto malo occurrere conatus est Zacharias Papa in sua Romana Synodo anni DCCXLIII. Can. XIV. sic statuens: *Ut Episcopus, aut Presbyter, dum ingressus fuerit ad Missarum solemnia celebranda, nullo modo audeat data oratione recedere, ut ab alio Episcopo, aut Presbytero suppleantur Missarum solemnia; sed qui initium ponit, suppleat usque ad finem, quia scriptum est*: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. *Siquis vero præsumserit præterquod posuimus agere, a sacro Corpore, & Sanguine Domini nostri Jesu Christi sit suspensus*. Summus erat hic plane abusus, sed non levis quoque ille, qui hodieque in multis Ecclesiis viget, in quibus cum in aliqua præcipua Festivitate solemniter celebrantur Vesperæ, Celebrans vix primo Psalmo, *Dixit Dominus &c.* inchoato, ab Altari cum suis Ministris discedit, sacris paramentis se exuit, huc illucque discurrit, satis muneri suo facere existimans, si iterum sacris paramentis indutus ad Capitulum Cantici *Magnificat*, ad Altare compareat, ut Vesperarum Officium absolvat. Sed hoc obiter notato, ubi Orationem (tenente scilicet supra caput Librum Presbytero assistente) ejusque conclusionem, *Per Dominum nostrum &c.* cantavit Episcopus juxta ritum in Rubricis Missalis præscriptum, & alias a nobis jam explicatum, ex nostro hoc tandem §. sedet, sedentibus omnibus.

§. XL.

Subdiaconus autem accipiens Librum, factisque debitis reverentiis Altari, & Episcopo, comitante ad ejus sinistram Cæremoniario, & sibi ipse tenens Librum, a latere sinistro Altaris, vel, ubi ita consuetum sit, in Ambone cantat Epistolam alta voce. Qua finita, & factis debitis reverentiis, portat eodem modo, quo supra, ante Episcopum Librum clausum, quem inclinatus porrigit illi super ejus genibus, & ma-

Digitized by Google

& manum dexteram illius ſuper Libro poſitam reverenter oſculatur, & accepta benedictione ab Epiſcopo, redit ad ſcamnum ſuum apud Altare, & ibi expectat, donec fuerit tempus eundi ad Euangelium,

COMMENTARIUS.

I. IN omnibus antiquis Sacramentorum Libris poſt Orationem ſequitur Epiſtola, quam in ſolemni Miſſa cantat Subdiaconus juxta ritum in hoc §. præſcriptum, & ſupra Lib. I. Cap. X. §. II. ubi nos jam plura adnotavimus. Circa finem itaque primæ Orationis, vel ultimæ, ſi plures in ea Miſſa dicantur, Subdiaconus accipiens Librum a Cæremoniario, & factis reverentiis Altari, & Epiſcopo, comite ad ejus ſiniſtram eodem Cæremoniario, & ſibi ipſi tenens Librum, a latere Epiſtolæ, vel ubi ita conſuetum eſt, in Ambone, de quo ſupra Lib. I. abunde diximus, cantat Epiſtolam alta voce. Modus legendæ Epiſtolæ in Eccleſia Lugdunenſi ſingularis omnino eſt, & obſervandus: *Neque enim cantando*, ut ait Martene Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ Ritibus*, Cap. IV. Articulo IV. Num. IV. *ſed alta, clara, diſtincta, & intelligibili voce ſimpliciter pronunciando eam legit Subdiaconus*. Eodem teſte Auctore Subdiaconus Epiſtolam cantaturus *in celebri S. Dionyſii Templo ſceptrum defert una cum Textu*.

II. Munus cantandi Epiſtolam pertinuiſſe olim ad Clericos Lectores, teſtem habemus S. Cyprianum in Epiſtola XXXIII. ad Clerum & plebem de Aurelio Lectore ordinato. Verum Synodus Toletana I. anni CD. Canone IV. non obſcure innuit, morem ejus ævi fuiſſe ſaltem in Hiſpania, ut Epiſtolam, & Euangelium Subdiaconus legeret, ubi ſtatuit, ut Subdiaconus ipſe, *defuncta uxore, ſi aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur, itaut Euangelium, & Apoſtolum* (ſive Epiſtolam, ut alii legunt) *non legat &c.* Ait Canon, *Apoſtolum non legat*, quia ſcilicet vel olim lectio illa, quæ Epiſtola appellatur, frequentius ex Epiſtolis S. Pauli deſumi ſoleret, licet ex aliis etiam Scripturæ Libris legeretur. In Mozarabo, & Ambroſiano Miſſalibus duæ quotidie præſcribuntur lectiones dicendæ ante Euangelium, una ex veteri, altera ex novo Teſtamento; eundemque ritum olim in Gallicana Liturgia viguiſſe, docet S. Gregorius Turonenſis Lib. De miraculis S. Martini, Cap. V. *Factum eſt*, inquit, *ut in illa Dominica, Prophetica lectione jam lecta, ante Altarium ſtaret, qui lectionem Beati Pauli proferret*. Idem Libro IV. *Hiſtoriæ Francorum*, Cap. XVI. narrat, tres Libros ſuper Altarium ad legendum in Miſſa collocatos fuiſſe, ideſt, *Prophetiæ, Apoſtoli, & Euangeliorum*.

III. Agit fuſe & de eo ritu Martenius loco citato Num. I. nos tamen illud monemus, quod tametſi mos invaluerit, ut Subdiaconus Epiſtolam caneret, mirabatur tamen de ea re Amalarius, cum ita ſcripſit Lib. I. Cap. XI. *Miror qua de re ſumtus uſus in Eccleſia noſtra*, in Metenſi ſcilicet, ubi erat Diaconus, *ut Subdiaconus frequentiſſime legat lectionem ad Miſſam, cum hoc non reperiatur ex miniſterio ſibi dato in conſecratione commiſſum, neque ex literis Canonicis, neque ex nomine ſuo*. Proponit hanc ſibi difficultatem Durandus in ſuo Rationali Lib. II. Cap. VIII. Num. IV. *Quare Subdiaconus legit lectionem ad Miſſam, cum non reperiatur, hoc ſibi competere, vel ex nomine, vel ex miniſterio ſibi conceſſo*. Ex quo quis poſſet conjicere labente Seculo XIII. quo floruit Durandus, non vi ſuæ ordinationis legiſſe Subdiaconum Epiſtolam in Miſſa; ſed de hac re vide quæ diximus I. Tomo Romani Pontificalis ad Titulum X. *De ordinatione Subdiaconi*.

IV. Verum non hic omittendum, quod docet Micrologus, ſuo ſcilicet ævo, ideſt labente Seculo XI. vel circa XII. Seculum ſoli Subdiacono conveniſſe cantare Epiſtolam: *adeout potius Sacerdos ipſe Epiſtolam legere debeat, quam pati, ut inferior Subdiacono id exequatur*. Ex Statutis Carthuſienſium ſcriptis anno MCCLIX. eorumque Ordinario edito anno MDCXLI. abſente Subdiacono, Procurator legit Epiſtolam, *abſente Procuratore, unus ex Diaconibus; quod ſi unus tantum ſit Diaconus, & nullus Subdiaconus, abſente Procuratore, ultimus in ordine Sacerdos Epiſtolam legit*. Sed vidi, & forte non ſine abuſu aliquando Clericum in Miſſa ſolemni Tunicella indutum cantare Epiſtolam. Id quod alias licere modo Manipulo non utatur, recentiores non pauci Auctores tradunt.

V. Finita Epiſtola, ex præſcripto noſtri §. Subdiaconus factis debitis reverentiis, portat eodem modo, quo ſupra, Librum clauſum ad Epiſcopum, quem inclinatus porrigit illi ſuper ejus genibus; & manum dexteram illius ſuper Libro poſitam reverenter oſculatur, & accepta benedictione ab Epiſcopo, redit ad ſcamnum ſuum apud Altare, & ibi expectat, donec fuerit tempus eundi ad Euangelium. Craſſus Lib. II. Cap. I. ubi hunc eundem ritum enarrat, ait Subdiaconum Librum quidem clauſum finita Epiſtola portare ad Epiſcopum, ſed genuflexum offerre ipſum Librum ſuper genibus illius, genuflexumque manum illius oſculari, & habito ſigno Crucis ſurgere, ac Librum Epiſtolarum dimittere in manibus Cæremoniarii. Sed hæc noſtro §. adverſantur, non enim genuflexus porrigit Subdiaconus ſuper genibus Epiſcopi clauſum Librum, ſed *inclinatus*; nec genuflexus, ſed reverenter manum illius exoſculatur. Solet enim Subdiaconus, qui eo munere celebrante Epiſcopo fungitur, unus eſſe e Canonicis, qui, uti non ſemel dictum eſt, nunquam Epiſcopo genuflectunt.

VI. Ceterum conſueviſſe aliquando, cantata Epiſtola, Subdiaconum ad pedes Epiſcopi deoſculandos accedere, ab eoque benedictionem petere, addiſcere licet ex Libro miraculorum S. Dun-

Digitized by Google

S. Dunſtani Archiepiſcopi Cantuarienſis, in quo S. Lanfranci quidam Capellanus ſic loquitur: *Cumque perlecta a me fuiſſet Epiſtola, ad pedes illius ex more deoſculandos acceſſi, benedictionem petii, & ita cum benedictione ejus recedens convalui*. Is hodie ritus ſervatur in Miſſa Papali, ut quemadmodum teſtatur Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. ambo Subdiaconi, Latinus, & Græcus, poſt Epiſtolam Latine primum, tum Græce cantatam, ſimul Cæremoniario præcedente accedant ad oſculum pedis Papæ, Latinus primum, deinde Græcus; ſed hæc peculiaris eſt prærogativa Romani Pontificis, nam alias Durandi ævo, ut ipſe teſtatur in ſuo Rationali Lib. IV. Cap. XVII. Num. II. non in omnibus, ſed *in quibuſdam Eccleſiis*, lecta Epiſtola, Subdiaconus dexteram Epiſcopi manum oſculabatur, poſitam ſcilicet ſuper ipſo Libro clauſo, quem Subdiaconus cantata Epiſtola ad Epiſcopum attulerat; iſque eſt ritus, qui hodie ſervatur ex Rubricis Romani Miſſalis.

§. XLI.

Oſculata manu Epiſcopi per Subdiaconum, accedunt duo Miniſtri ſervientes de Libro, & candela ante Epiſcopum, qui ſedens cum Mitra ex Libro Miſſali legit Epiſtolam, Tractum, vel Graduale, vel *Alleluja*, vel Sequentiam, & alia uſque ad finem Euangelii, quod antequam incipiat, junctis manibus, dicit: *Munda cor meum &c.* & *Jube Domine &c.* & *Dominus ſit in corde meo &c.* & *Dominus vobiſcum*; cui Diaconi aſſiſtentes reſpondent, *Et cum ſpiritu tuo*; & legens titulum, ſignat pollice dextero textum Euangelii; deinde ſeipſum in fronte, ore, & pectore; mox junctis manibus, proſequitur Euangelium. Quo finito, Aſſiſtentes reſpondent ei, *Laus tibi Chriſte*. Sed ſi Epiſcopus non ſit in ſua Eccleſia, vel celebret apud Faldiſtorium, Subdiaconus, oſculata manu Epiſcopi, tenet ante eum Miſſale apertum, ex quo Epiſcopus legit, ut ſupra, & interim omnes ſedent.

COMMENTARIUS.

I. CAntata Epiſtola, & oſculata manu Epiſcopi per Subdiaconum, interim accedunt duo Miniſtri, ſeu Capellani, alter de Libro, & alter de candela ante Epiſcopum ipſum, manentque ambo genuflexi, vel ſtantes, prout illi magis placuerit, & commodum erit, nempe manebunt genuflexi, ſi ille ſedens legit, ſtabunt autem, ſi ipſe leget ſtando. Porro Epiſcopus ſedens ex eodem Libro legit Epiſtolam, Tractum, vel Graduale, vel *Alleluja*, vel Sequentiam, & alia uſque ad finem Euangelii. Quamquam Epiſcopus Epiſtolam a Subdiacono cantatam audierit, legit nihilominus & ipſe ſubmiſſa voce ſedens cum Mitra Epiſtolam ipſam, & alia uſque ad Euangelii finem, Capellano de Libro, Librum ante ipſum tenente, & altero, qui de candela appellatur, tenente candelam accenſam, ideſt, Bugiam cum candela. Fateor, ritum ipſum, ut nempe poſt cantatam a Subdiacono Epiſtolam, Epiſcopus eam ipſe deinde legat, non eſſe ita antiquum, tametſi ejus meminerit in ſuo Cæremoniali Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. ubi ita ait: *Aſſiſtentes vero Epiſcopi portant Librum Papæ, & uno ipſorum illum ſupra caput tenente, Papa legit Epiſtolam, Graduale &c.*

II. Enarrat eundem ritum Craſſus Lib. II. Cap. I. ubi ait, quod Subdiaconus poſt cantatam Epiſtolam, & accepta benedictione ab Epiſcopo, *dimittit Librum Epiſtolarum in manibus Cæremoniarii, acceptumque Librum Miſſalem humiliatus ante faciem Celebrantis ſolus cum Cæremoniario abſque alio Capellano tenet, ex quo ipſe Celebrans legit Epiſtolam, Graduale, & alia uſque ad Euangelium incluſive*. Qui ritus juxta §. hujus noſtri Rubricam tunc locum habet, *ſi Epiſcopus non ſit in ſua Eccleſia, vel celebret apud Faldiſtorium*, tunc enim, ut ibidem legitur, Subdiaconus *tenet ante eum Miſſale apertum, ex quo Epiſcopus legit, ut ſupra, & interim omnes ſedent*. Verba illa, *vel celebret apud Faldiſtorium*, a Benedicto XIII. primum huic §. adjuncta fuere, nam in aliis antiquioribus deſiderantur. Ceterum ideo Craſſus ritum ipſum eo modo expoſuit, quia loquitur de Epiſcopo Bononienſi celebrante coram Cardinali Legato, quo præſente, ut alias dictum eſt, ſacri Ritus alia forma ſervantur; quamquam non negaverim, ritum, quem tradit Craſſus, fuiſſe generalem, nam juxta Pontificale Romanum Romæ primum anno MCDLXXXV. impreſſum, & deinde Venetiis anno MDXX. editum, ut alias ejuſdem editiones fileam, Subdiaconus ipſe cantata Epiſtola, offert Miſſale apertum Epiſcopo, qui ibidem legit Epiſtolam, Graduale, & Euangelium.

III. Lecta ab Epiſcopo Epiſtola, cui aſſiſtentes Diaconi reſpondent, *Deo gratias*, legit deinde Tractum, vel Graduale, vel *Alleluja*, & alia uſque ad finem Euangelii; quod antequam incipiat, junctis manibus, dicit: *Munda cor meum &c.* De lectione Euangelii in Miſſa, & de ritibus in ea ſervandis jam fuſe diſſeruimus in Opere noſtro, *De Codice ſancti Euangelii, atque ſervatis in ea lectione, & uſu vario ritibus*, Libro II. per totum; ſed ne ſilentio prætereamus, quæ ad hunc & plures ſequentes Paragraphos circa eam rem ſpectant, ſciendum hic illud primo, etiam ex lau-

Digitized by Google

laudato Cæremoniali Patricii, in Pontificia Capella legi a Papa unico contextu, *Epiſtolam, Graduale, & Euangelium*, antequam ſcilicet Diaconus Euangelii illud ſolemniter cantet. De iis verbis, *Munda cor meum &c.* & aliis, quæ ex noſtro hoc §. præmitti debent ab Epiſcopo ſuæ lectioni privatæ Euangelii, ſicut & de ſignando pollice dextero textum Euangelii, ac ſeipſum in fronte, ore, & pectore, nulla profecto mentio in ipſo Cæremoniali Patricii; ex ſententia tamen Craſſi in ſuo Cæremoniali, *Celebrans legit Epiſtolam, Graduale, & alia uſque ad Euangelium inclusive, pro quo etiam dicit*, Munda cor meum, &, Jube, & Dominus vobiſcum, *non tamen ſignat textum, nec ſe, neque in fine oſculatur illum.* Idipſum & alii Scriptores docent.

IV. Si veterem diſciplinam ſpectemus, Epiſcopus nihil ſubmiſſa voce in Miſſa legebat de iis, quæ vel Subdiaconus, vel Diaconus, Lectores, Cantores, totuſve Chorus canebat, ideoque nihil de ipſis, quæ ab eiſdem decantabantur in ſolemni Miſſa, in Libris antiquis Sacramentorum, qui ſcilicet ſoli Celebrantium uſui erant, occurrit, ut ſcite obſervat eruditus Lebrun Tomo 1. Parte II. Articulo VII. Num. II. in fine. Sed quicquid ſit de ritu antiquo, ac de iis, quos enarrant Patricius, & Craſſus, mandat hic §. noſter, ut Epiſcopus ante ſolemnem Euangelii lectionem, legat ipſe ſubmiſſa voce, ac ſedens, quia ſcilicet privata lectio eſt, Euangelium, junctis manibus dicens, *Munda cor meum &c.* & *Dominus ſit in corde meo &c.* & *Dominus vobiſcum*, cui Diaconi aſſiſtentes reſpondent, *Et cum ſpiritu tuo*; & legens titulum Euangelii, ſignet pollice dextero textum Euangelii, deinde ſeipſum in fronte, ore, & pectore; itemque mox junctis manibus proſequatur Euangelium, eoque finito, aſſiſtentes reſpondeant, *Laus tibi Chriſte*. Porro in fine non oſculatur Epiſcopus Euangelium, quod ipſe legit, quia ſcilicet deoſculaturus eſt Euangelium, quod ſolemni ritu, de quo mox infra, Diaconus cecinit. De precibus lectioni Euangelii præmittendis, ac de ritibus in ea ſervandis, quamvis plura ſcitu digna dixerimus in citato noſtro Opere, *De Codice ſancti Euangelii &c.* nonnulla etiam infra notabimus.

§. XLII.

Cum cantatur ultimus verſus Gradualis, ſive Tractus, ſeu *Alleluja*; vel Sequentia, Diaconus ſumto Libro Euangeliorum, factaque reverentia Epiſcopo, illum clauſum congruenti mora affert ad Altare, illi in infimo gradu ſe inclinans; tum aſcendit, & collocat illum in medio Altaris; deinde facta Altari reverentia, vadit ad Epiſcopum, cujus manum reverenter deoſculatur; tum reverſus ad Altare, in ejus inferiori gradu genuflexus, dicit ſecrete, *Munda cor meum &c.* & deinde capit Librum, & illum portat ante pectus, & apud Altare in cornu Epiſtolæ in plano expectat.

COMMENTARIUS.

I. RItus Pontificiæ Capellæ narrrante Patricio is eſt: *Cum cantatur Graduale, vel Sequentia, ſi cantatur, Diaconus Cardinalis Euangelii accipit Librum Euangeliorum, & portans illum ante pectus ſuum vadit ad Altare, & ſupra illud Librum ponit, quo ibidem dimiſſo, cum debitis revcrentiis vadit ad Papam, coram quo ſtans capite inclinato, manum ejus reverenter oſculatur, Cæremoniario eum aſſociante; deinde revertitur ad Altare, coram quo genuflexus, dicit*: Munda cor meum &c. *tunc accipit Librum Euangeliorum de Altari, & illum tenet ante pectus*. Eadem plane ſunt, quæ hic §. noſter edicit, ex cujus præſcripto, cum cantatur ultimus verſus Gradualis, ſive Tractus, ſeu *Alleluja*, vel Sequentia, Diaconus ſumto Libro Euangeliorum, de manibus ſcilicet Cæremoniarii, factaque reverentia Epiſcopo, illum clauſum congruenti mora affert ad Altare, *illi in infimo gradu ſe inclinans*, ut habet hic §. noſter in novo hoc Cæremoniali a Benedicto XIII. edito, nam in antiquioribus legitur, *prius genuflectens in infimo illius gradu*. Quod merito correctum eſt, quia ſcilicet, non eſt ibi Sanctiſſimum Sacramentum, & quia Diaconus cantaturus Euangelium eſt Canonicus, qui regulariter nec Altari, nec Epiſcopo genuflectere debet, ſed tantum ſe inclinare.

II. At vero olim in Pontificia Capella, uti diſcimus ex Romano Ordine XIV. Auctore Jacobo Gaetano, Cap. LII. Diaconus priuſquam finirentur ea, quæ cantanda ſunt ante Euangelium, genuflectens ante Pontificem, oſculabatur manus ejus, deinde vero accedens ad Altare, genibus flexis dicebat, *Munda cor meum &c.* ſurgenſque accipiebat de medio Altaris Librum Euangeliorum, *qui ante horam illam poni debet ibidem per Acolythum*. Non ergo deferebat Diaconus Euangelium ad Altare, ſed collocari prius ibidem ſolebat, & quidem per Acolythum. Quod in hoc noſtro §. edicitur de oſculanda manu Epiſcopi a Diacono, antequam dicat, *Munda cor meum &c.* & Euangelium cantet, ab Eccleſia Romana ſumtum eſt, neque enim is ritus in omnibus, ſed in quibuſdam Eccleſiis ſervabatur, teſte Durando in ſuo Rationali Lib. IV. Cap. XXIV. Num. 1. *In quibuſdam Eccleſiis, ut Romæ Diaconus dextera manu Pontificis oſculata, Codicem Euangelii ſumit de Altari, illum Subdiacono ad ferendum tradens*. Ubi nota 1. etiam ex Durando videri delatum prius fuiſſe Euangelium ad Altare, non autem

Digitized by Google

tem a Diacono, cum illud erat ſolemniter cantaturus. II. acceptum quidem Euangelium fuiſſe de Altari a Diacono, ſed ab eodem traditum illud Subdiacono.

III. Ritus, quo Diaconus defert ad Altare Euangelium, & deinde ipſum de Altari ſumit, ex antiqua profecto Eccleſiæ diſciplina ortus videtur, de qua teſtes habemus pervetuſtas Liturgias ſanctorum Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi, in quibus egregie deſcribitur ſolemnis ille Euangelii Introitus, & deportatio ad Altare, quem ritum fuſe ac docte exponit Goar in ſuis ad Euchologium Notis. Etiam apud Latinos, ubi Epiſcopus de Secretario celebraturus Miſſarum ſolemnia procedebat ad Altare, præceſſiſſe Euangelii Codicem, teſtatur Amalarius Lib. III. *De Eccleſiaſticis officiis*, Cap. v. *Epiſcopus*, ait, *& ſibi conjuncti Euangelium ſequuntur..... Ante oculos habeat ſæpiſſime, quod ſemper oportet retinere.... Oſculatur Euangelium.... Remanet Euangelium in Altari ab initio Officii uſque dum a Miniſtro aſſumetur ad legendum*. Erat itaque antiquus Ritus, ut de Altari ſumeret quidem Euangelium Diaconus, quod ipſe erat cantaturus, non tamen illud ad Altare Diaconus deferet, quia ſcilicet initio Miſſæ jam eo delatum fuerat, uti conſtat ex allato Amalari loco, & aliis plurimis.

IV. Juxta Rubricam hujus noſtri §. ubi Diaconus deoſculatus eſt manum Epiſcopi, reverſus ad Altare, in ejus inferiori gradu genuflexus, dicit, *Munda cor meum &c.* & deinde capit Librum, & illum portat ante pectus ambabus manibus, & apud Altare in cornu Epiſtolæ in plano expectat, ſive in medio Altaris, ut eſt Ritus Pontificiæ Capellæ; ubi ſtat manibus junctis. Verba, *Munda cor meum &c.* ex antiquo Ritu præmitti ſolemni lectioni Euangelio a Diacono genuflexo ante Altare, conſtat ex recitato ſuperius loco Romani Ordinis XIV. ad ſignificandum ſcilicet verba ſancti Euangelii debere nos puro corde concipere, & impollutis proferre labiis; ait enim Regius Propheta in Pſalmo XLIX. Verſ. XVI. *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?*

§. XLIII.

Interim accedit Acolythus ad Epiſcopum cum thuribulo, & navicula, & miniſtrante illam Presbytero aſſiſtente, Epiſcopus imponit, & benedicit incenſum. Tum Acolythus, recepta navicula de manu Presbyteri aſſiſtentis, redit ad Altare, & ibidem cum duobus aliis Acolythis Ceroferariis, Diacono, & Subdiacono, expectat, donec tempus ſit eundi ad cantandum Euangelium.

§. XLIV.

Circa finem ultimi verſus Gradualis, vel *Alleluja*, ſive Tractus, vel Sequentiæ, Thuriferarius, Ceroferarii, Subdiaconus, & Diaconus portans Librum Euangeliorum clauſum ante pectus, facta prius Altari reverentia, veniunt ante Epiſcopum, ubi Diaconus inclinatus petit benedictionem dicens intelligibili voce: *Jube Domne benedicere*, cui Epiſcopus reſpondet: *Dominus ſit in corde tuo &c.* & facit ſuper eum ſignum Crucis. Tum Diaconus facit Epiſcopo profundam reverentiam; Miniſtri vero, qui cum eo ſunt, permanent genuflexi, donec Epiſcopus benedixerit, & ſtatim procedunt ad Euangelium cantandum hoc ordine. Præcedit Cæremoniarius, mox Thuriferarius cum thuribulo, & navicula; ſequuntur duo Ceroferarii cum candelabris, ac cereis accenſis, deinde Subdiaconus manibus junctis, ultimo Diaconus Librum Euangeliorum clauſum ante pectus portans. Et tranſeuntes ante Altare faciunt illi reverentiam cum genuflexione, præter Diaconum, & Subdiaconum, qui cum ſint Canonici, non genuflectunt. Cum pervenerint ad locum, ubi ſolet Euangelium decantari, Subdiaconus medius inter dictos Ceroferarios, tenet Librum Euangeliorum apertum ante pectus, vertens renes non quidem Altari, ſed verſus ipſam partem dexteram, quæ pro Aquilone figuratur.

COMMENTARIUS.

I. EXpectante Diacono apud Altare in cornu Epiſtolæ in plano cum Libro ſancti Euangelii, quem ante pectus detinet, ſive in medio Altaris, uti dictum eſt ſupra in fine Commentarii §. XLII. interim cum debitis reverentiis accedit Thuriferarius, comite Cæremoniario, cum thuribulo, & navicula ad Epiſcopum, & miniſtrante illam Presbytero aſſiſtente, Epiſcopus imponit, & benedicit incenſum juxta ritum jam alias explicatum, ac præſertim Libro I. Cap.

Digitized by Google

Cap. XXIII. Tum Thuriferarius recepta navicula de manu Presbyteri assistentis, redit ad Altare cum solitis debitis genuflexionibus, & ibidem ad cornu Epistolæ cum duobus Acolythis Ceroferariis, Diacono, & Subdiacono, expectat, donec tempus sit eundi ad cantandum Euangelium. In Ordine Romano XIV. Auctore Jacobo Gaetano ritus hic noster ita præscribitur: *Cum Diaconus ad Altare accedit oraturus*, dicens nempe, *Munda cor meum &c.* uti dictum est, *Thuriferarius Thuribulum cum igne deferens ante Pontificem, flectat genua, & tradat naviculam cum thure Capellano, qui similiter genuflectat, & ipse Pontifex incensum ponat in thuribulo, & benedicat eo modo, qui supra describitur in prima positione incensi.* De usu thuris ad Euangelii lectionem jam alias fuse diximus, nonnihil infra etiam dicturi.

II. Peractis ritibus in §. nostro XLIII. descriptis, ex Rubrica §. XLIV. circa finem ultimi versus Gradualis, vel *Alleluja*, sive Tractus, vel Sequentiæ, Thuriferarius, Ceroferarii, Subdiaconus, & Diaconus portans Librum Euangeliorum clausum ante pectus, facta prius Altari reverentia cum genuflexione, præter Diaconum, & Subdiaconum, qui non genuflectunt, sed tantum se inclinant, veniunt ante Episcopum, & coram eo iterum omnes genuflectent, exceptis Diacono, & Subdiacono. Ubi ante Episcopum pervenit Diaconus, *profunde inclinatus*, habens scilicet alios Ministros post se, exceptis Subdiacono, qui stat a sinistris ejus, & Cæremoniario, *petit benedictionem, dicens intelligibili voce*, Jube Domne benedicere, *cui Episcopus respondet*: Dominus sit in corde tuo &c. *& facit super eum signum Crucis.*

III. Ritus petendæ benedictionis ante Euangelii lectionem occurrit passim in Ordinibus antiquis Romanis, & apud Scriptores Liturgicos, itemque in pervetustis Liturgiis S. Basilii, & sanctis Joannis Chrysostomi. Ritum hunc jam olim in utraque Ecclesia receptum Latina pariter & Græca refert inter alios Amalarius Lib. III. *De Ecclesiasticis Officiis*, Cap. XVII. ubi ita etiam monet Diaconum: *Intendat diligenter Diaconus, ut cor ejus cum Dominicis verbis vadat, & non sit infructuosa oratio Sacerdotis; Dominum in mente teneat, quem suscipit per benedictionem Sacerdotis; & ut non exhalent verba imposita, neve introeant nociva, signo Crucis facto manu Sacerdotis super caput ejus munitur.* Ubi nota I. ritum petendæ benedictionis a Diacono. II. ritum illius dandæ per Celebrantem, oratione scilicet ab ipso fuse super ipsum Diaconum per ea verba, *Dominus sit in corde tuo &c.* III. ritum Crucis signaculo muniendi eundem Diaconum. IV. denique insignia mysteria, quæ in ritibus hisce continentur.

IV. Quæri potest cur potius Diacono Euangelium cantaturo detur benedictio, quam Subdiacono, qui Epistolam cantaturus est? Rationem discriminis proferunt quidem Rupertus Abbas Tuitiensis Libro I. *De divinis Officiis*, Cap. XXXVI. & Hugo a S. Victore Lib. II. *De Officiis Ecclesiasticis*, Cap. XX. ajentes, quod Deus Legem, & Prophetas invisibilis invisibiliter misit, Apostolos autem, & Euangelistas, quorum in hoc saltem annuntiandi Euangelii munere Diaconus personam gerit, visibilis factus, & sanctam Ecclesiam sponsam videlicet suam osculans osculo oris sui, visibiliter misit, & docuit. Eandem explicationem tradit in suo Rationali Durandus Libro IV. Cap. XXIV. Num. VIII. postquam dixit Num. VII. benedictionem peti a Diacono, quia nullus debet prædicare, nisi mittatur juxta illud Apostoli in Epistola ad Romanos, Cap. X. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Circa ea verba quæ profert Diaconus benedictionem postulans ab Episcopo, *Jube Domne benedicere*, & circa formulam, qua utitur Episcopus in eo benedicendi, vide quæ diximus supra hoc eodem Libro II. & in Opere, *De Codice sancti Euangelii &c.*

V. Habita benedictione, Diaconus facit Episcopo profundam reverentiam, Ministri vero, qui cum eo sunt, excepto scilicet Subdiacono, qui stabit cum Diacono inclinatus, permanent genuflexi, donec Episcopus benedixerit, soli nempe Diacono, & statim procedunt ad Euangelium cantandum, hoc ordine. Præcedit Cæremoniarius, mox Thuriferarius cum thuribulo, & navicula: sequuntur duo Ceroferarii cum candelabris, ac cereis accensis, deinde Subdiaconus manibus junctis, ultimo Diaconus Librum Euangeliorum clausum ante pectus portans. Quanta vel olim cum pompa in Ecclesia Græca processio ista ad Euangelium cantandum celebraretur, satis nos docent antiquissimæ Liturgiæ, quas in suo Euchologio affert, ac explicat eruditissimus Goar. Romæ in Capella Pontificia, & in aliis passim Ecclesiis totius Occidentis solemnissima quoque fuit ejusmodi processio, uti videre est in antiquis Ordinibus Romanis, in Cæremoniali Patricii, in variis Ecclesiarum Liturgiis, ac apud rerum Liturgicarum Scriptores, qui eam processionem describunt, uti inter alios Durandus loco citato, & Jacobus Eveillon in Libro, *De processionibus Ecclesiasticis*, Cap. VI.

VI. Teste laudato Durando præcedebat olim in ea Processione Crux, eumque ritum servant hodie Fratres Dominicani. Thus quoque præfertur more in omnibus Ecclesiis consueto, & quidem juxta antiquissimum ritum, in pervetustis Liturgiis præscriptum; præcedunt etiam lumina, in signum gaudii, & lætitiæ, quem ritum adversus Vigilantium S. Hieronymus scribens eleganter defendit. In quibusdam etiam Ecclesiis, ut idem Durandus testatur, Diaconum Subdiaconus antecedebat, portans pulvinar, quod Libro Euangeliorum supponat. Sed longum est ritus omnes describere, qui in ea Processione ad Euangelium servabantur; videri præter Scriptores laudatos poterit Joannes Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. VII. Num. II. & Crassus Libro II. Cap. I. ubi inter alia inquit, quod si Euangelium cantaturus esset Archidiaconus, vel Archipresbyter, vel aliquis Canonicus Prælatus Apostolicus, quatuor funalia adhiberi possent.

VII. Ubi in ea processione, quam ex nostro

Digitized by Google

ſtro §. XLIV. componunt Cæremoniarius, Thuriferarius, duo Ceroferarii, Subdiaconus, atque Diaconus, tranſeunt ipſi ante Altare, *faciunt illi reverentiam cum genuflexione, nempe, præter Diaconum, & Subdiaconum, qui cum ſint Canonici non genuflectunt*. Hæc verba, *præter Diaconum &c.* fuerunt primum addita huic §. in novo Cæremoniali juſſu Benedicti XIII. edito, nam in antiquioribus non habentur. Rectiſſime autem factum eſt hujuſmodi additamentum, non enim omnes Miniſtri, qui ea proceſſione tranſeunt ante Altare, facere illi reverentiam debent cum genuflexione, nam excipiuntur ſemper Canonici, & conſequenter ipſi Diaconus, & Subdiaconus, qui e Canonicis ad miniſtrandum ſolemni Miſſæ Pontificali aſſumuntur. Ceterum notanda ſunt illa verba, *& tranſeuntes ante Altare faciunt illi reverentiam &c.* nam, uti obſervat Bauldryus, quæ de eo tranſitu, ac progreſſu hic aſſignantur, intelliguntur, quando Altare multum diſtat ab Epiſcopo, & quando Epiſcopus ipſe celebrat in Faldiſtorio.

VIII. Cum pervenerint tandem ad locum, ubi ſolet Euangelium decantari, tradit Diaconus Euangelium Subdiacono, qui medius inter dictos duos Ceroferarios tenet illud apertum ante pectus, cujus ſcilicet ſuperior pars Libri capiti ejus adhæreat, vertens renes non quidem Altari, ſed verſus ipſam partem dexteram quæ pro Aquilone figuratur. Cantandum eſſe Euangelium verſa facie ad Aquilonem Scriptores priſci Liturgici ex antiquo ritu docent, inter quos creditus Alcuinus in Libro, *De divinis Officiis*, Cap. quod inſcripſit, *De celebratione Miſſæ*, hanc affert myſticam ſignificationem: *Verba Euangelii Levita pronunciaturus contra Septentrionem faciem vertit, ut oſtendat, verbum Dei, & annunciationem Spiritus Sancti contra eum dirigi, qui ſemper Spiritui Sancto contrarius exiſtit*. Et paulo poſt: *Sicut enim per Auſtrum, qui ventus eſt calidus, & leviter flat, Spiritus Sanctus deſignatur, qui corda, quæ tangit, ad amorem dilectionis inflammat; ita & per Aquilonem, qui durus, & frigidus eſt, Diabolus intelligitur, qui eos, quos poſſidet, ab amore charitatis atque dilectionis torpentes, & frigidos reddit &c.* Alcuinum paucioribus verbis ſequuntur Innocentius III. Lib. II. *De Myſteriis Miſſæ*, Cap. XLIII. Albertus Magnus in Libro, *De Miſſa*, & alii.

IX. Sane de eo ritu, ſeu loco, in quo cantandum eſt Euangelium in antiquis Ordinibus Romanis, ac præſertim in II. Pag. 46. legitur, Diaconum ſtantem verſus Meridiem canere Euangelium, cum ad eam partem viri ſoleant confluere, alias autem ad Septentrionem. Quo argumento Micrologus in Libro, *De Eccleſiaſticis obſervationibus*, Cap. IX. quem etiam Radulphus Tungrenſis, *De Canonum obſervantia*, Propoſitione XXIII. ſequitur, morem legendi Euangelium verſus Aquilonem acerrime reprehendit. At vero Ordo Romanus potius hunc morem probat, quam improbat, quem etiam probant Rupertus Abbas Tuitienſis, Joannes Belethus, Gulielmus Durandus, & alii.

§. XLV.

Si vero in Eccleſia fuerint Legilia, vel Ambones, in illis poterit cantari Euangelium, videlicet, ſi cantabitur in Legili, ſeu Pulpito, Subdiaconus ſtabit poſt illud, quod panno aureo, vel ſerico coloris cæterorum paramentorum coopertum, & ornatum eſſe debet, amplectens ipſum Legile, & manibus hinc inde Librum tangens. Quod ſi cantabitur in Ambone lapideo, ad quod per gradus aſcenditur, prout adhuc in pluribus Eccleſiis juxta antiquam conſuetudinem hujuſmodi Ambones reperiuntur, tunc Subdiaconus aſſiſtet, & miniſtrabit Diacono opportune, ſtans a latere ejus dextero, videlicet porrigens thuribulum, & vertens folia Libri Euangeliorum, cum opus erit,

COMMENTARIUS.

I. LOcus cantando Euangelio deſtinatus erat antiquitus Ambo, ſeu Pulpitum, ſed eo, in quo legebatur Epiſtola, paulo altius, & ornatius, ad quod plerumque duo graduum ordines erigebantur, unus per quem aſcendebat Diaconus, alter vero per quem deſcendebat. Fuſe de hiſce Ambonibus jam diximus nos & in Opere, *De Codice ſancti Euangelii &c.* Libro II. Cap. VI. & ſupra Lib. I. Cap. XII. Ubi itaque in Eccleſia extant Ambones, prout Romæ in pluribus Baſilicis, poterit in illis cantari Euangelium, aſſiſtetque tunc Subdiaconus, & miniſtrabit Diacono opportune, ſtans a latere ejus dextero, videlicet porrigens thuribulum, & vertens folia Libri Euangeliorum, cum opus erit, uti in hoc noſtro §. edicitur, ubi etiam probatur quarundam Eccleſiarum mos cantandi Euangelium in Legili portatili, ſeu Pulpito, Subdiacono ſtante poſt illud, quod panno aureo, vel ſerico coloris ceterorum paramentorum coopertum, & ornatum eſſe debet, ipſumque Legile amplectente, & manibus hinc inde Librum tangente. Quamobrem corrigenda eſt Figura appoſita Lib. I. Cap. IX. poſt §. II. in qua contra literam noſtri textus manibus ſuperiorem Libri partem Subdiaconus tenet.

II. Is plane eſt ritus Pontificiæ Capellæ, quem in ſuo Cæremoniali deſcribit Patricius Libro II. Sectione I. Cap. XIII. ubi ait, quod cum Dia-

Digitized by Google

Diaconus ante Altare genuflexus dicit, *Munda cor meum &c.* & accipit Librum Euangeliorum de Altari, *interim paratur Pulpitum*, ideſt, Legile, *cum velo aureo per Clericos Capellæ in loco conſueto, ideſt, apud gradum Altaris in cornu dextero, itaut vertat ſuam faciem ad ſiniſtram.* Et paulo poſt conſentanee ad hunc §. noſtrum ita ſubjicit: *Subdiaconus vero ſtans poſt pulpitum inter illud, & Ceroferarios pulpitum amplectitur, & ambabus manibus ex utraque parte tangit Librum Euangeliorum.* Triplex itaque modus eſt cantandi Euangelium. Primus, de quo in ſuperiori §. dictum eſt, cum ſcilicet Subdiaconus medius inter duos Ceroferarios ambabus manibus Codicem tenet ante pectus. Alter, ut in hoc §. edicitur cum in Ambone canitur, ſtante Subdiacono a latere dextero Diaconi, porrigente thuribulum, & folia vertente cum opus fuerit. Tertius, cum cantatur in Legili ſeu Pulpito panno aureo, vel ſerico ornato coloris ceterorum paramentorum, Subdiacono ipſum Legile amplectente, & tangente manibus hinc inde Librum.

§. XLVI.

Diaconus, cum tempus eſt, junctis manibus ante pectus, incipit Euangelium, & cum dicit, *Dominus vobiſcum*, Epiſcopus, depoſitis Gremiali, & Mitra, ſurgit; & cum Diaconus dicit, *Initium*, vel *Sequentia ſancti Euangelii*, ſignat Librum, ubi eſt textus Euangelii, deinde ſeipſum in fronte, ore, & pectore. Epiſcopus autem accepto Baculo Paſtorali, eodem modo ſignat ſe in fronte, ore, & pectore; idem faciunt & omnes alii: tum ipſe Epiſcopus retinet Baculum inter ambas ejus manus junctas, ſtans verſus Diaconum cantantem; & cum reſpondetur a Choro, *Gloria tibi Domine*, Cæremoniarius accepto thuribulo de manu Thuriferarii, ibi prope adſtantis, illud offert Diacono, qui thurificat Librum, primo in medio, deinde a parte dextera Libri, mox a ſiniſtra, triplici ductu, & reddit thuribulum Cæremoniario: tum manibus junctis proſequitur Euangelium; & cum profert Nomen JESU, vel MARIÆ, inclinat ſe; ſed profundius, cum dicit, JESUS, quod & omnes faciunt. Subdiaconus autem, & Ceroferarii perſtant velut immobiles. Finito Euangelio, Subdiaconus, nulla facta reverentia, portat Librum apertum in folio, ubi eſt principium Euangelii cantati, & illum offert oſculandum Epiſcopo, nulla ei facta reverentia, niſi poſtea, Libro clauſo.

COMMENTARIUS.

I. Diaconus populo Euangelium enunciaturus, eum primo alta voce ſalutat his verbis, *Dominus vobiſcum*, juxta ritum in Ordinibus Romanis, & in antiquis Liturgiis præſcriptum, quatenus ſcilicet, ut inquit creditus Alcuinus, *corda illorum a mundanis cogitationibus Dominus emundet, & ad ſuſcipienda verba ſalutifera aperire dignetur.* Ea ſalutatione per Diaconum prolata, reſpondet Chorus, *Et cum ſpiritu tuo*; Epiſcopus vero, ut ait hic noſter §. *depoſitis Gremiali, & Mitra, ſurgit*. Standum eſſe omnino, & capite aperto ad Euangelii lectionem, ritus eſt Eccleſiæ antiquiſſimus, prout jam fuſe oſtendimus in Opere, *De Codice ſancti Euangelii &c.* Lib. II. Cap. XXI. uſque ad Caput XXIV. per totum, poſtquam ſcilicet Cap. ipſo XXI. luculentiſſime demonſtravimus, non modo Mitram, ſed & Pallium jam olim ab Epiſcopo conſueviſſe deponi, quum Euangelium decantaretur. Id quod etiam quod Mitræ depoſitionem ſpectat, edicit Ordo Romanus XIV. Auctore Jacobo Gaetano, Pag. 299. apud doctiſſimum Mabillonium Tomo II. Muſei Italici.

II. Hiſce itaque omiſſis ritibus, pergit §. noſter, & ait, quod, cum Diaconus dicit, *Initium*, vel, *Sequentia ſancti Euangelii*, ſignat Librum, ubi eſt textus Euangelii, deinde ſeipſum in fronte, ore, & pectore. Signat ergo primo Librum Crucis ſignaculo, quaſi dicat, ait Innocentius III. *Hic liber eſt Crucifixi*; deinde vero ſeipſum, in fronte, in ore, in pectore: *In fronte*, videlicet juxta S. Auguſtinum, in ſede ipſius verecundiæ, ut eliminata omni verecundia, cum Apoſtolo non erubeſcat de Euangelio Chriſti: *In ore*, quia ut idem ait Apoſtolus; *prædicamus Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum*: *In pectore* tandem, ne aliqua ſuggeſtio Diaboli eum impediat, quin puro corde Euangelium Dei annunciare valeat. Docet hæc idem Innocentius Papa III. quem in ea interpretatione alii etiam Scriptores ſequuntur. Sed audiamus Hugonem Cardinalem, qui ita cæremoniam ipſam exponit: *Legens Euangelium ſignum facit in pectore, quaſi dicat: corde credo ad juſtitiam; in ore, quaſi dicat: quod credo confiteor ad ſalutem; & in fronte, quaſi dicat: non erubeſco Euangelium.*

III. Neque vero ſolum is, qui Euangelium cantat, eum ritum ſervabit, ſed Epiſcopus quoque, *accepto Baculo paſtorali, eodem modo ſignat ſe in fronte, ore, & pectore, idemque faciunt omnes alii*, ſignantes ſcilicet ſeipſos in fronte, ore, & pectore, excepto tamen Subdiacono, ſi Li-

Digitized by Google

brum ipſe Euangelii teneat, ſecus ſi illud in Ambone, vel Pulpito, ſeu Legili Diaconus illud caneret, tunc enim Subdiaconus etiam ſeipſum ſignaret, ſicut & alii omnes, ac præſertim Epiſcopus juxta ritum in II. Romano Ordine expreſſum, Pag. 45. ubi ita inquit: *Poſtquam dixerit*, Sequentia ſancti Euangelii ſecundum Lucam, *ſive*, Marcum, *& reliqua, facit Crucis ſignum in fronte ſua idem Diaconus, & in pectore: ſimiliterque Epiſcopus, & omnis populus*. Etiam in ore faciendum tunc eſſe ſignum Crucis, plerique Scriptores Liturgici docent, tametſi Amalarius Abbas in Ecloga ad Ordinem Romanum apud laudatum Mabillonium Pag. 554. ſolius frontis meminerit: *Signum ſanctæ Crucis ſinguli faciunt in frontibus ſuis*. Id quod etiam docet Alcuinus in Libro, *De divinis Officiis*, Cap. *De celebratione Miſſæ*, his verbis: *Ad Diaconi ſalutationem populus Crucem in frontibus ponit, ut a malis cogitationibus corda ſua emundet, ut ad intelligenda verba ſalutis pura permaneant*. Atque his etiam addimus Hildebertum Cenomanenſem, qui in Carmine, *De Myſterio Miſſæ*, ita de eo ritu cecinit:

Neve ſuperveniens zizania ſeminet hoſtis,
Frontibus imprimitur myſtica forma Crucis.

III. Poſtquam autem ſe ſignavit Epiſcopus, *retinet Baculum inter ambas ejus manus junctas, ſtans verſus Diaconum cantantem*. Deponendos eſſe potius baculos, quam tenendos, dum Euangelium canitur, monet jam nos laudatus Ordo II. ſic dicens: *Sed & baculi omnium deponuntur de manibus*; eundemque ritum priſci paſſim Scriptores recenſent, quorum loca deſcripſimus, Lib. II. *De Codice ſancti Euangelii &c.* Cap. XIX. Siquis autem hic quærat, cur Epiſcopus in Latina Eccleſia, quo tempore Euangelium in ſolemni Miſſa a Diacono canitur, juxta hunc noſtrum §. *retinet Baculum inter ambas ejus manus junctas*, cum alias ceteri deponere Baculos, quos tenebant, jubeantur? Ratio eſt, ni fallor, Baculorum diſcrimen, illi enim quibus olim Fideles diu in Eccleſiis ad orandum ſtantes ſuſtentabantur, non erant, niſi humanum fulcimentum, ne ſtatio ſcilicet illis eſſet moleſtior, eoque fulcimento variis de cauſis, quas in laudato Opere, *De Codice ſancti Euangelii &c.* attulimus, Chriſtifideles Dei Filium in Euangelio loquentem audientes, carere libenter debebant. Epiſcopi vero Baculus eſt inſigne ſuæ auctoritatis, ſolicitudinis, atque correctionis, uti a nobis non uno in loco pluribus oſtenſum eſt.

IV. Siquis autem iterum urgeat, cautum eſſe ſacris Canonibus, ac præſertim Can. *Nullus*, De conſecratione, Diſtinctione I. ut *nullus Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat cum Baculo introire*. Pro ſolutione dicendum puto, quod jam alias dixi in citato ſcilicet loco Operis noſtri, *De Codice &c.* in eo textu Canonis, *Nullus &c.* non agi de Baculo paſtorali, ſed de baculo communi, cum quo licet aliquando ob infirmitatem permiſſum fuerit in Choro Horas Canonicas recitare, ut patet ex Concilio Aquiſgranenſi ſub Ludovico Pio, Cap. CXXXI. Miſſæ tamen Sacrificium cum ipſo fulcimento peragere omnino interdictum eſt, ut recte docet Gabriel de Henao Tomo II. *De Sacrificio Miſſæ*, Diſputatione XXVI. Sectione III. Ceterum fateri cogimur, non adeo eſſe antiquum ritum, ut, dum Euangelium decantatur, Epiſcopus paſtoralem Baculum inter manus teneat, neque enim ejus ritus meminit Durandus, vel in ſuo Pontificali, vel in Rationali divinorum Officiorum, quod ipſe ſciam, neque alii antiqui Scriptores. Meminit nihilominus ipſius ritus in ſuo Cæremoniali Craſſus Lib. II. Cap. I. ubi de ritu ſervando ab Epiſcopo ad ſolemnem Euangelii lectionem inter alia inquit: *Celebrans depoſito Gremiali, & Mitra, ſurgit, & ſtans verſus cantantem, audit Euangelium, tenens Baculum paſtoralem ambabus manibus*.

V. Quantum ad reliquos Chriſtifideles, ubi titulum Euangelii audiunt, debent, ut dictum eſt, non modo ſeipſos in fronte, in ore, & in pectore ſigno Crucis munire, ſed ſtare omnino, deponere baculos, & aperire caput, quouſque Euangelium finiatur; quos ritus unico brevique verſiculo memoratus Hildebertus Cenomanenſis expreſſit dicens;

Plebs baculos ponit, ſtat, retegitque caput.

Myſticas eorum rituum rationes ſubjungit mox etiam idem doctiſſimus Auctor, quas lubet hoc loco deſcribere.

Ut ſis attentus, patiens, erectus in hoſtem,
Et caput, & baculus, & ſtatus ipſe docet.
Quippe caput retegens, attente audire moneris.
Parcere, cum baculum rejicis, inſtrueris.
Stans diſcis, quoniam ſtantes pugnare ſolemus,
Quod te culpa gravis ſub vigili hoſte manet.

V. Feminas quoque, cooperto tamen capite ſtare debere, dum ipſum Euangelium legitur, docet nos vox cælitus facta ad contractam mulierem ſedentem ad S. Guillelmi Abbatis Roſchildenſis ſepulcrum, Diacono Euangelium pronunciante: *Mulier ſurge, non decet Chriſtianos ad Euangelium ſedere, ſed cum reverentia ſtare, & auſcultare, quod legitur*. Vide Bollandum ad diem VI. Aprilis. Porro narrat Sozomenus Lib. VII. *Hiſtoriæ*, Cap. XIX. ſed tanquam novum & inſolens ſuo ævo apud Alexandrinos Epiſcopum non conſueviſſe aſſurgere, dum Euangelia legerentur; *Quod tamen*, inquit, *alibi nuſquam fieri neque vidi, neque audivi*. Olim quoque licet Indi lectiones Euangelii audirent ſedentes, emendavit eum tamen abuſum Theophilus, teſte Philoſtratio Lib. III. *Hiſtoriæ*, Cap. V.

VI. Dicto a Diacono, *Initium*, vel, *Sequentia ſancti Euangelii*, & reſponſo a Choro, *Gloria tibi Domine* (glorificante ſcilicet Dominum, quod miſerit nobis verbum ſalutis, ut ait Innocentius III. Lib. III. *De Myſteriis Miſſæ*, Cap. XLVI.) ex præſcripto noſtri §. *Cæremoniarius, accepto thuribulo de manu Thuriferarii ibi prope adſtantis, illud offert Diacono, qui thurificat Librum, primo in medio, deinde a parte dextera Libri, mox a ſiniſtra, triplici ductu, & reddit thuribulum Cæremoniario*. Teſtem hujus ritus incenſandi ſcilicet tripli thuribuli ductu

Euan-

Digitized by Google

Euangelium, poſtquam Chorus reſpondit, *Gloria tibi Domine*, habemus Patricium in ſuo Cæremoniali Capellæ Pontificiæ Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. ita ajentem: *Cum reſpondetur*, Gloria tibi Domine, *incenſat ter Librum*, *primo in medio*, *deinde a dexteris*, *& a ſiniſtris*. Idipſum docent Rubricæ Miſſalis, Parte II. Tit. VI. Numero V. ubi notat Gavantus, fieri eam incenſationem *ad veneration em Chriſti in ejuſdem verbis Euangelicis*; ob quam etiam cauſam ante, & poſt incenſationem, inclinare caput etiam debet Diaconus ipſi Euangelio, ut ibidem Meratus docet.

VII. Incenſato Euangelio, reddit Diaconus thuribulum Cæremoniario, qui idcirco ſtare debet a dexteris aliquantulum poſt Diaconum, quique deinde thuribulum ipſum tradet Thuriferario ſtanti a ſiniſtris aliquantulum poſt ipſum Diaconum, qui etiam poſt acceptum a Cæremoniario thuribulum, illud aliquantulum agitat, ne, dum cantatur Euangelium, ignis extinguatur, uſui enim eſſe debet thuribulum ad incenſandum Celebrantem poſt Euangelium, ut in §. ſequenti dicemus. Ceterum ſive Diacono tradatur thuribulum, ſive ab eodem recipiatur, fieri ea traditio, ſive receptio ſine oſculis debet; exhibetur enim id obſequii ſoli Celebranti, non autem ejus Miniſtris, ut paſſim docent Scriptores, qui ſacras Cæremonias enarrant.

VIII. Ubi Diaconus thuribulum Cæremoniario reddidit, *manibus junctis proſequitur Euangelium*, *& cum profert nomen* Jeſu, *vel* Mariæ, *inclinat ſe*; *ſed profundius*, *cum dicit*, Jeſus; *quod & omnes faciunt*; *Subdiaconus autem*, *& Ceroferarii perſtant velut immobiles*; ſi ſcilicet Subdiaconus teneat Euangelium, nam alias ſi illud in Ambone, vel ſuper Legili cantetur, tunc etiam Subdiaconus ad nomen *Jeſu*, vel *Mariæ* ſe inclinabit, ſtabuntque velut immobiles ſoli Ceroferarii. Sed de hoc ritu, ſicut & de inclinatione, jam ſupra diximus; advertere autem Diaconus debet, ut Euangelium recte cantet, ne ſcilicet abſurda pronunciatione auditorum aures vulneret, illoſque in indecorum riſum impellat; hæc enim aliquando cauſa fuit, ut Sancta Aurea Virgo Pariſienſis Monaſterii Præpoſita, Diacono Euangelium inter Miſſarum ſolemnia inepte legente, Stolam e collo ejus eripiens, ſuoque apponens, publice ipſa in Eccleſia Euangelium legeret; quæ tamen ab Angelo Domini fuit deinde correcta, quod ſacri Ordinis ritum evertiſſet, uti pluribus narrat Sauſſayus in Martyrologio Gallicano IV. Nonas Octobris. Cantandum itaque rite eſt Euangelium juxta laudabilem Eccleſiarum uſum, nam, ut alias omittam, in Viennenſi Galliarum Eccleſia Euangelium præcipuis Feſtis diebus ſingulari modulatione legitur in Libro ad eum finem variis notulis diſtincto.

IX. Romæ in Pontificia Capella cum Summus Pontifex celebrat, Euangelium Latine primum, ac deinde Græce ex antiquo ritu cantatur, cujus cauſam docet nos Anſelmus Havelbergenſis Epiſcopus Lib. III. *Dialogorum*, Cap. XVI. his verbis: *Italia quoque antiquitus magna Græcia appellabatur*, *ſicut antiquarum hiſtoriarum Scriptores narrant*, *& in Urbe Roma utriuſque linguæ ſermo uſitatus vigebat*, *& viciſſim Latini Græca*, *& Græci Latina lingua utebantur*, *& neutra fuit aliena Romam habitantibus*. *Unde factum eſſe videtur*, *ut quædam Latinis*, *quædam etiam Græcis nominibus nuncupentur in Eccleſia*; *& inde inſtitutum eſt quoque in* Ordine Romano, *quod in ſummis Feſtivitatibus*, *ad Miſſarum ſolemnia Lectiones*, *& Euangelia Latine*, *& Græce recitentur propter præſentiam utriuſque populi eruditi*. In Conſtantinopolitana olim Eccleſia Euangelium, uti & Epiſtolam Latine primum, deinde Græce pronunciatum fuiſſe, ex Nicolao Papa I. liquet, in Epiſtola ad Michaelem Imperatorem ſcripta, qui Latinam linguam ex contemtu barbaram appellabat.

X. In Regno quoque Neapolitano ritum ipſum antiquitus multæ Eccleſiæ ſervarunt, eundemque hodieque ſervat, ac retinet Neritina, ut prodit Vir Clariſſimus Sebaſtianus Pauli, *De ritu Eccleſiæ Neritinæ*, Parte II. Num. V. quæ illuſtris in Japygia Eccleſia licet Latinum ritum ab origine acceptum nunquam dimiſerit, quia tamen partim Latino, partim Græco coſtabat populo, variaque olim Græci ritus oppida intra Diœceſim complectebatur, materni ejus officii fuit, hos quoque ſinu fovere, & ſe ſe quandoque piis eorum uſibus accommodare. Alienum enim, ut laudatus Auctor ſubdit, a Chriſtiana Religione erat, ut confluentes in primis anni ſolemnitatibus ad Eccleſiam Græci Fideles nil ibidem ſuſpicerent, quod eorum pietatem aleret, pietatiſque fervorem frequentia ſacrorum Myſteriorum roboraret; ſed ut de noſtra Calabria ſileamus, in cujus Eccleſiis potiſſimum olim Græcus ritus viguit, Brunduſii in Salentinis ſemel in anno Dominica Palmarum Epiſtolam item & Euangelium Græca lingua ex priſca & immemorabili ejuſdem Eccleſiæ conſuetudine recitari conſueviſſe, narrat inter alios Andreas de Monacha, Lib. V. *Hiſtoriarum Brunduſinarum*, Cap. XI.

XI. At nedum Græce, & Latine, ſed & Hebraice ſacri Euangelii lectionem publice in Eccleſia apud Italos recitatam fuiſſe, conſtat ex Actis Concilii Piſani apud Dacherium Tomo VI. Spicilegii, Cap. CCCXXXIV. in quibus leginus, quod in ſolemni Alexandri Papæ V. inauguratione in ipſo Piſano Concilio celebrata, Epiſtola, & Euangelium tribus linguis pronunciata ſunt, nempe Græce, Hebraice, & Latine. Quo ritu hodieque celebrante Papa, in Capella Pontificia ſolemnis Euangelii lectio in Miſſa Latine primum a Diacono Latino, tum Græce a Diacono Græco decantetur, enarrat in ſuo Cæremoniali Patricius loco citato. Siquis autem de ratione ejus ritus interroget, potiſſima illa eſſe videtur, ad ſignificandam ſcilicet conſenſionem Eccleſiæ Latinæ cum Græca; ſemper enim Latina Eccleſia laudabiles Græcos ritus plurimi fecit, tametſi Græci Latinos ritus perperam ſemper poſt Photii ſchiſma calumniari conati ſint.

XII. Finito Euangelio, Subdiaconus, ut ait

Digitized by Google

ait tandem Rubrica noſtri hujus §. *nulla facta reverentia, portat Librum apertum in ſolio, ubi eſt principium Euangelii cantati, & illum offert oſculandum Epiſcopo, nulla ei facta reverentia, niſi poſtea, Libro clauſo*; quia ſcilicet ante non habetur conſideratio Miniſtri Euangelium deferentis, ſed ipſius Euangelii, quod Chriſtum repræſentat, ideoque poſt datum ei ab Epiſcopo oſculum, convenit Subdiaconum clauſo jam Libro reverentiam Epiſcopo facere. Defert autem Subdiaconus apertum Euangelii Librum religioſo oſculo ſalutandum, quem alias ad Introitum Miſſæ portaverat clauſum, quia, ut ait Rupertus Abbas Tuitienſis Lib. II. *De divinis Officiis*, Cap. I. *poſt prædicationem Chriſti cœpit lux credentibus, quam antea geſtabat clauſam, apertam oſtendere fidem Euangelii*. Deferebatur olim omnibus ad oſculandum, ſed hodie circa ſacri Euangelii Codicis deoſculationem poſt cantatum a Diacono Euangelium, tenenda omnino Regula a noſtro Cæremoniali præſcripta Lib. I. Cap. XXIX. §. IX. ubi nos plura adnotavimus.

XIII. Ceterum cur Subdiaconus, finita lectione Euangelii, Librum ad Epiſcopum deferat deoſculandum, Diacono vacuo redeunte, varias myſticas ſignificationes affert Durandus Lib. IV. ſui Rationalis, Cap. XXXI. Fuiſſe enim morem, ut Subdiaconus Euangelium ipſum ad oſculandum deferret, *primum Epiſcopo, deinde omnibus per ordinem graduum, qui ſteterint, & univerſo Clero, necnon & populo*, & deinde recondi in loco ſuo, quia ſcilicet amplius Miſſæ non erat uſui, docent nos Romani antiqui Ordines, præſertim vero Ordo II. Pag. 46. nam, ut alibi notavimus, totius Miſſæ Ordo non erat in uno Libro deſcriptus, ſed in variis Codicibus, erantque idcirco peculiares Libri, in quibus erant ſola Euangelia deſcripta.

§. XLVII.

Diaconus, & alii cum debitis reverentiis eodem ordine revertuntur, & Presbyter aſſiſtens, accepto thuribulo de manu Cæremoniarii, vel Thuriferarii, ſtans thurificat Epiſcopum ſtantem.

COMMENTARIUS.

I. EUangelio ipſo cantato, Diaconus & alii factis debitis reverentiis eodem ordine quo venerant, revertuntur, excepto Cæremoniario, vel Thuriferario, qui accedit ad Presbyterum aſſiſtentem, qui e Solio deſcendens, ſumto thuribulo, Epiſcopum incenſat ritu ſuperius non ſemel explicato Lib. ubi nos etiam varia notavimus, ſacræque Rituum Congregationis Decreta deſcripſimus, quæ eum ritum ſpectant. Porro Ceroferarii finito Euangelio genuflectunt Epiſcopo, & recedunt etiam Altari genuflectentes. Incenſato autem Epiſcopo, Presbyter aſſiſtens reddit thuribulum Cæremoniario, ſive Thuriferario, quod congruo loco reponitur, uſui enim eſſe debet pro incenſatione Oblatorum, uti infra ex veteri, & novo Eccleſiæ ritu dicemus.

II. Perlecto etiam Euangelio, conſueviſſe populum *iterum ſe ſigno ſanctæ Crucis munire*, docet Romanus Ordo II. Pag. 46. quem ritum nos jam explicuimus in Opere noſtro, *De Codice ſancti Euangelii &c.* Lib. II. Cap. XXVI. ut quod ſcilicet audiens populus ex divinis eloquiis ad ſalutem percepit, ſignatum ſigillo Crucis, atque munitum permaneat, ne a mentibus eorum evacuari valeat. Similia docet Durandus Lib. IV. ſui Rationalis Cap. XXIV. Num. XXVIII. ſic inquiens: *Signo Crucis ſe in pectore muniunt contra diabolum, ne ſermo verbi Dei ſuffocetur in eis, & ne ſermonem Domini rapiat de pectoribus eorum, quaſi dicant: Deus nos faciat in doctrina Chriſti perſeverare, & ut ſignificent, ſe habere in corde, quod exprimitur in ore.*

§. XLVIII.

Si erit habendus ſermo, quem, Epiſcopo celebrante, ab eo fieri convenit, vel ab aliquo Canonico Presbytero, ſiquidem Epiſcopus erit concionaturus, id faciet in propria ſua Sede, quando eſt verſa ad populum; vel quando Altare adhæret parieti, apud ipſum Altare, ſedens ibi ſuper Faldiſtorio in ſuppedaneo ipſius Altaris, verſis Altari renibus.

§. XLIX.

Sedebunt ad ejus dexteram Presbyter aſſiſtens, & modicum poſt eum Diaconus Euangelii, & primus Diaconus aſſiſtens: a ſiniſtris vero ſedebunt Subdiaconus, & alter Diaconus pariter aſſiſtens.

COMMENTARIUS.

I. ABunde jam primo Libro hujus Cæremonialis, peculiari Capite, quod eſt XXII. de Concionibus dictum ſuit, ſeu Sermonibus intra Miſſam ſolemnem habendis. Ea itaque in ipſo Capite curioſus Lector inveniet, quæ in duobus hiſce Paragraphis dici poſſent. Uti-

Digitized by Google

Utinam aliquando Episcopi intelligant, quod post divinas Scripturas, sanctos Patres, ac varias Synodos, noviſſime edixit Oecumenica Synodus Tridentina, præcipuum esse Episcoporum munus prædicationem Verbi Dei; qua tamen neglecta non pauci Antistites augendæ rei familiari totam suam operam navant, ut alios omitam, qui grege neglecto, huc illucque discurrunt gratiam captantes, ut majores Dignitates adipiscantur. Qui ritus in Concione Episcopi servandi, non opus est hic explicare, quia scilicet eos fuse jam alias explicuimus. Videri tamen de ea re possunt Durandus in Rationali divinorum Officiorum Libro IV. Cap. XXVI. Ferrarius, *De ritu veteris Ecclesiæ Concionum*, præ aliis tandem sanctus Carolus in aureis Actis inclitæ Ecclesiæ Mediolanensis.

§. L.

Expleto Sermone, Diaconus, qui cantavit Evangelium, stans ad sinistram Episcopi aliquantulum inclinatus, faciet Confessionem ante Episcopum, ut in Cap. IX. §. III. Lib. I. De Officio Diaconi in Missa solemni explicatur: qua finita, Presbyter assistens, pronunciat Indulgentias, & Episcopus stans sine Mitra, in eodem loco legit Absolutionem, videlicet, *Precibus & meritis &c.* & inde, accepta Mitra, dat benedictionem; & si est Archiepiscopus, vel alias utens Cruce, portatur ante eum Crux per Capellanum, qui eam tenet genuflexus spatio congruenti, Imagine Crucifixi ad Archiepiscopum versa, cui ille caput inclinat, & detecto capite benedicit; statimque, si Episcopus ante Altare Sermonem habuit, revertitur ad Sedem suam, ubi dicit, *Credo*, vel *Dominus vobiscum*, prout convenit.

§. LI.

Si vero sermo habendus sit per Canonicum, qui eo casu debet esse in habitu Ordinis, seu Dignitatis suæ, suo tempore ibit ad osculum manus Episcopi, & ab eo profunde inclinatus petet benedictionem, & Indulgentias in forma, prout suo loco explicatur; & sic paratus ascendit Pulpitum, sive Ambonem, & faciet Sermonem; ac deinde finita per Diaconum Confessione, in eodem loco publicabit Indulgentias in forma, prout in suo loco dicitur, Episcopus vero legit Absolutionem, & dat benedictionem, ut supra.

COMMENTARIUS.

I. QUemadmodum supra Lib. I. explicati ritus fuere de Sermone, celebrante Episcopo, & ab ipso post Euangelium habendo, ita quoque & ii, qui expleto Sermone peragi solent. Tunc enim Diaconus, qui cantavit Euangelium, stans ad sinistram Episcopi aliquantulum inclinatus faciet Confessionem ante illum, eaque finita Presbyter assistens pronuntiat Indulgentias, & Episcopus stans sine Mitra, in eodem loco, ubi scilicet Concionem habuit, legit Absolutionem, *Precibus & meritis &c.* & dat benedictionem, scilicet, *inde accepta Mitra*, juxta novam additionem huic §. factam a Benedicto XIII. explicandæ rubricæ gratia; & si est Archiepiscopus, vel alias utens Cruce, defertur ante eum Crux per aliquem Capellanum, qui eam tenet genuflexus, & nudo capite dat benedictionem ob reverentiam Crucis, cui iccirco caput etiam prius inclinat; & statim si Episcopus ante Altare habuit Sermonem, redit ad Sedem suam, ubi dicit, *Credo*, si dicendum erit, vel *Dominus vobiscum*, prout convenit. Atque hic est ritus, qui ex præscripto nostri §. L. servari debet, ubi scilicet Sermonem habet Episcopus; nam si habendus sit Sermo per Canonicum, servari alius debet ritus in §. LI. notatus. Multa autem, quæ hic notari possent, prætereo, quod ritus circa Sermonem sive per Episcopum, sive per Canonicum post solemnem Euangelii lectionem habendum, sicut etiam & circa Indulgentiam, ac benedictionem Episcopalem post Sermonem expletum impertiendam, fuse jam Libro I. suis locis enarraverimus. Sunt plane antiqui Ritus, quorum & prisci Libri Rituales, & varii Auctores meminere.

§. LII.

Quod si sermo habendus non sit, ipse Episcopus statim incensatus post Euangelium conversus ad Altare, incipit cantando ex Libro per Presbyterum assistentem, aliis coadjuvantibus, ut supra, sustentato, *Credo in unum Deum*, quod cum suis Ministris

Digitized by Google

ſtris ſummiſſa voce proſequitur: pariter & Diaconus, & Subdiaconus apud Altare, & Canonici illud inter ſe dicunt, & ad Verſiculum, *Et incarnatus eſt &c.* Epiſcopus genuflectit, & pariter omnes de Choro genuflectunt.

COMMENTARIUS.

I. CAntato Euangelio, peractiſque ritibus, qui ex antiquo Eccleſiæ inſtituto poſt finem illius ſervari ſolent, *ſi Sermo habendus non ſit, ipſe Epiſcopus ſtatim incenſatus poſt Euangelium converſus ad Altare, incipit cantando ex Libro per Presbyterum aſſiſtentem, aliis coadjuvantibus, ut ſupra, ſuſtentato*, Credo in unum Deum, *quod cum ſuis Miniſtris ſummiſſa voce proſequitur*. Prima ritus origo, cantandi ſcilicet Symboli in Miſſa recte a Martenio Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo V. Num. IX. Timotheo Conſtantinopolitano Epiſcopo refertur. Ipſe enim ut ſcribit Theodorus Lector in ſuis Collectaneis Lib. II. *Symbolum Fidei trecentorum & octodecim Patrum in ſingulis Collectis recitari præcepit in odium Macedonii, quaſi ille non ſuſciperet id Symbolum, quod antea ſemel recitabatur quotannis die magnæ Paraſceves, ſive Dominicæ Paſſionis, dum Epiſcopus baptizandos catechizaret*. Scribit tamen poſtea idem Theodorus, Petrum Fullonem inſtituiſſe, *ut in omni precatione nomen Deiparæ proferretur, denique ut in ſingulis Collectis Symbolum recitaretur*. Sed ſubjicit citato loco Martenius, hæc invicem non pugnare, cum Petrus Antiochiæ, cujus erat Patriarcha, id inſtituere potuerit, quod Timotheus Conſtantinopoli inſtituit.

II. Idem cum Martenio ſentit Petrus Lebrun in ſua Liturgiæ explicatione Tomo I. Parte II. Articulo VIII. §. I. ubi poſtquam dixit, primis quinque ſeculis non fuiſſe Symbolum recitatum in Miſſa, ſubdit mox, memoratum Timotheum Epiſcopum Conſtantinopolitanum anno DX. juſſiſſe, ut in ſingulis Collectis Nicænum Symbolum diceretur, probatque ex recitato ſuperius teſtimonio Theodori Lectoris, ex quo etiam varia addiſcimus, præſertim vero hæc duo. Primum ſcilicet, in odium Macedonii, qui negabat Divinitatem Spiritus Sancti, inſtitutum fuiſſe a Timotheo eum ritum. Alterum vero, Orientales olim Epiſcopos ſemel tantum in anno, in magna Paraſceve Competentibus expoſuiſſe Symbolum prius ſolemniter recitatum. Sed hoc obiter notato, illud plane liquet ex teſtimonio Theodori Lectoris, S. Jacobi, S. Baſilii, S. Joannis Chryſoſtomi, & aliorum Græcorum Patrum antiquas Liturgias, in quibus hodie jubetur Symboli decantatio in Miſſa, auctas fuiſſe, & alteratas, tametſi a doctis Viris legitimæ cenſeantur, ut ſcite notat doctiſſimus Lupus Tomo I. Operum, in Diſſertatione, *De Symbolo Apoſtolico, & Nicæno*, Cap. VI.

III. Fallitur ergo in ſuis ad S. Irenæum Scholiis Joannes Fevardentius, ubi ait, Symbolum recitari in Miſſa, Apoſtolicum eſſe inſtitutum, eo quod S. Jacobi Apoſtoli Liturgia ita jubeat. Quis enim ignorat, ipſi Liturgiæ, ſicut & aliis antiquis plura alia præter Symbolum ingeſta fuiſſe additamenta? Errat præterea Honorius Auguſtodunenſis in ſua Gemma animæ, Lib. I. Cap. LXXXVIII. ubi ait, Damaſum Papam cantari ad Miſſam Conſtantinopolitanum Symbolum inſtituiſſe, tametſi ejuſdem ſententiæ ſint Stephanus Auguſtodunenſis Epiſcopus, Hugo de ſancto Victore in Opere, *De Sacramentis*, Innocentius III. *De Myſteriis Miſſæ*, & alii, inter quos Radulphus Tongrenſis Eccleſiæ Decanus, *De Canonum obſervantia*, Propoſitione XXIII. vult, Nicænum a S. Marco Pontifice, Conſtantinopolitanum vero Symbolum cantari juſſum a S. Damaſo. Id quod etiam complures alii cenſent, relati a Stephano Duranto, Lib. II. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XXIV. Numero XIV. quibus adde Joſephum Vicecomitem in Libro, *De ritibus Miſſæ*, & Jacobum Goar in ſuis ad Græcorum Euchologium Scholiis, qui pariter ſentiunt. S. Marcum Papam, S. Silveſtri ſucceſſorem juſſiſſe, ut in univerſa Eccleſia Symbolum Nicænum recitaretur.

IV. At certum eſt omnes errare; prima enim inter Latinas Eccleſias Hiſpana ritum ipſum admiſit, uti conſtat ex Concilio Toletano III. anni DLXXXIX. Can. II. his verbis: *Pro reverentia ſanctiſſimæ Fidei, & propter corroborandas hominum invalidas mentes conſultu piiſſimi, & glorioſiſſimi Domini noſtri Richaredi Regis ſancta conſtituit Synodus, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ, vel Galliæ, ſecundum formam Orientalium Eccleſiarum, Concilii Conſtantinopolitani, hoc eſt, centum quinquaginta Epiſcoporum, Symbolum Fidei recitetur, ut priuſquam Dominica dicatur Oratio, voce clara id populo decantetur, quo & Fides vera manifeſtum teſtimonium habeat, & ad Chriſti Corpus, & Sanguinem prælibandum pectora populorum Fide purificata accedant*. Quod Decretum ab aliis etiam Synodis in Hiſpania habitis confirmatum deinde fuit, nempe a Toletana VIII. ab Emeritenſi, a Bracarenſi III. a Toletana XII. XIII. & XIV.

V. Obſervandæ nunc ſunt tres eximiæ rationes, quibus permota laudata Synodus III. Toletana Decretum illud edidit de cantando Symbolo in Miſſa. Prima fuit, quod novella Gothorum Fides ita eſſet firmanda, uſque tunc enim Ariani-Gothi, & Nicænum, & Conſtantinopolitanum Symbolum peſſime oderant, ideoque ſtatuit Synodus conſultu etiam piiſſimi ac prudentiſſimi Principis, ſolemni cantu ab ipſis illud profitendum. Ratio altera fuit mos Orientalis Eccleſia; Gothi enim a Conſtantinopolitana Eccleſia Chriſtianam Religionem acceperant, ex Oriente venerant in Hiſpanias, plures Orientalis Eccleſiæ mores ſemper dilexerant, conſtanterque ſervabant. Tertia ratio erat neceſſaria ſumendæ Euchari-

Digitized by Google

chariſtiæ pietas, Euchariſtia enim digne ſumi non poteſt, niſi per fidem ipſam, & charitatem: fides autem in Symbolo, ſpes autem & charitas in Oratione Dominica exercetur; ideoque non Dominicam ſolum Orationem, ſed & Symbolum ſtatuit memorata Synodus III. Toletana communicaturo populo decantandum.

VI. De tempore, quo Romana Eccleſia Symbolum intra Miſſarum ſolemnia recitandum admiſerit, varia eſt Scriptorum ſententia. Berno Abbas Augienſis in ſuo Libro, *De rebus ad Miſſam pertinentibus*, Cap. II. ſcribit, Romanos uſque ad tempora Henrici Imperatoris Symbolum poſt Euangelium non decantaſſe, *ſed ab eo interrogati*, ſubdit mox idem Berno, *cur ita agerent, me coram aſſiſtente, audivi, eos hujuſmodi reſponſum reddere, videlicet, quod Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando ulla hæreſeos fœce infecta, ſed ſecundum S. Petri doctrinam in ſoliditate Catholicæ Fidei permaneret inconcuſſa; & ideo magis his neceſſarium eſſe illud Symbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæreſi potuerunt maculari: at Dominus Imperator non antea deſiit, quam omnium conſenſu id Domno Benedicto Apoſtolico perſuaſit, ut ad publicam Miſſam illud decantarent*. Iſtud Bernonis teſtis oculati teſtimonium eruditos Viros Cardinales Baronium, & Bonam, itemque Hugonem Menardum, ac alios veterum rituum ſcrutatores ſagaciſſimos adduxit, ut crederent, ante Seculum XI. cujus initio Benedictus Papa VIII. & Henricus Imperator floruerunt, nullum fuiſſe in Miſſa apud Romanos Symboli uſum.

VII. Verum antiquiorem eſſe in Romana Eccleſia eum ritum, quam memorati Auctores opinentur, conſtat plane ex antiquis Romanis Ordinibus II. V. & VI. a Mabillonio editis Tomo II. in quibus ritus ipſe præſcribitur, dicendi ſcilicet Symbolum poſt Euangelium; & ne quis in iis interpolationem irrepſiſſe ſuſpicetur, ſuſpicionem omnem removet Amalarii Abbatis Egloga in Ordinem Romanum edita a Baluzio in Appendice ad Capitularia Regum Francorum, & a Mabillonio Tomo II. Muſei Italici in fine, Pag. 553. Plura in ejus rei confirmationem veterum teſtimonia omni exceptione majora affert loco citato Martenius, qui etiam ſcite obſervat, non negare abſolute Bernonem, apud Romanos Symbolum fuiſſe dictum in Miſſa, ſed *decantatum*, quia revera ſolemni modulatione, ut in aliis Eccleſiis, non cantabatur, ſed ſolum recitabatur, ad eum fere modum, quo in Eccleſia Lugdunenſi Epiſtola, quæ alibi præcinitur a Subdiacono, alta, clara, & diſtincta voce, abſque cantus inflexione legitur.

VIII. Hujus reſponſionis teſtem mox profert Martenius Leonem III. Pontificem Maximum, qui in Collatione cum Legatis Concilii Aquiſgranenſis a Carolo Magno ad ipſum miſſis hunc in modum loquutus eſt: *Quod vero aſſeritis, ideo vos ita cantare Symbolum, quoniam alios in iſtis partibus vobis priores audiſtis cantaſſe. Quid ad nos? Nos enim idipſum non cantamus, ſed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo, aut docendo addere quidpiam eidem Symbolo inſerendo præſumimus*. Urgebant in ea Collatione Legati Leonem Pontificem, ut Gallicanis Eccleſiis permitteret Symbolum decantare cum ea additione, quæ mentionem facit proceſſionis Spiritus Sancti *a Filio* perinde ac *a Patre*. Quibus tamen reſpondit Pontifex, ſatis eis eſſe illud decantare, *quomodo in hujuſmodi decantando, & celebrando ſacroſanctis Myſteriis ſancta Romana tenet Eccleſia*, ideſt, ſine additione vocis illius *Filioque*. Porro Leo ipſe, teſte in ejus Vita Anaſtaſio, duas tabulas argenteas penſantes libras XCIV. & uncias VI. in Baſilica S. Petri prope ipſius Confeſſionem affigi mandavit, in quarum altera Latine, in altera Græce Symbolum legebatur abſque illo additamento, *Filioque*, tum ob venerationem antiquitatis, cujus tenaciſſimus fuit; tum quia minime neceſſarium putabat, ut omnia Fidei dogmata Symbolo inſererentur.

IX. Teſtis eſt autem Baronius ad annum DCCCIII. Romanorum Pontificum Decreto receptum poſtea fuiſſe ipſum additamentum, ad retundendam Schiſmaticorum pervicaciam, qui Catholicum dogma de proceſſione Spiritus Sancti a Patre, & Filio impugnabant. Quemadmodum vero ſine ulla additione olim Romæ Symbolum legebatur, ita poſtea non modo legi, ſed & decantari cum additione *Filioque* cœpit, de qua voce vide quæ diximus Tomo I. Conciliorum poſt Hiſtoriam Concilii I. Conſtantinopolitani Oecumenici, Cap. II. & III. itemque Cap. IV. ubi egimus de tempore, quo Symbolum Conſtantinopolitanum cani in Miſſa cœptum eſt, & de ritibus, quibus in quibuſdam Eccleſiis decantaretur. Neapoli olim in Paſchate decantatum illud Græce fuiſſe, teſtantur mſs. Conſtitutiones ejuſdem Eccleſiæ Neapolitanæ, citato Cap. IV. a nobis allatæ, *In die Reſurrectionis*, inquiunt, *dicto Euangelio, Dominus Archiepiſcopus incipit*, Credo, *in Græco ſermone, ſi placet; & ſupradictus Archiepiſcopus, Presbyter S. Georgii ad mercatum cum ſociis ſuis, & Archipresbyter Sanctæ Mariæ Rotundæ decantant in Græco ſermone in conſpectu Domini Archiepiſcopi alta voce, & deinde Miſſa finitur, ut conſuetum eſt*.

X. Quantum ad §. noſtri Rubricam, quando in Miſſa cantandum eſt Symbolum, Epiſcopus in ſua Sede ſtans converſus ad Altare, ex Libro per Presbyterum aſſiſtentem ſuſtentato, incipit cantando, *Credo in unum Deum*, quod cum ſuis Miniſtris ſummiſſa voce proſequitur, ideſt, cum duobus Diaconis aſſiſtentibus, juxta ritum Capellæ Pontificiæ, de quo Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. ſic inquit: *Papa dicit*, Credo in unum Deum, *& plane cum aſſiſtentibus tantum Cardinalibus perficit Symbolum; & cum cantatur*, Et incarnatus eſt, *cum Mitra caput verſus ad Altare humiliter inclinat, Cardinales autem, & alii omnes genuflectunt, quouſque dictum ſit*, Et homo factus eſt; *quo dicto, omnes ſurgunt, & ſedent*. Ex præſcripto noſtri §. non modo Epiſcopus cum ſuis Miniſtris, ſed Diaco-

Digitized by Google

nus quoque, & Subdiaconus apud Altare, & Canonici illud in locis ſuis inter ſe dicunt, ita tamen, ut non præire, ſed ſubſequi debeant Epiſcopum, ut dicitur ſupra Lib. I. Cap. IX. §. III. Et ad Verſiculum, *Et incarnatus eſt*, Epiſcopus genuflectit, & pariter omnes de Choro genuflectunt. Videſis Rubricas Romani Miſſalis, & quæ de eo Ritu mox explicato in eaſdem ſcripſere Gavantus, Quartus, Lebrun, & noviſſime Meratus in ſuis ad ipſum Gavantum Additionibus.

§. LIII.

Quo finito, ſedet Epiſcopus cum Mitra ſimplici, & omnes etiam ſedent; & cum prædictus Verſiculus cantatur a Choro, pariter Canonici ſedentes capite detecto, & Epiſcopus cum Mitra profunde inclinant caput verſus Altare; alii genuflectunt, donec perficiatur dictus Verſiculus. In nocte vero, & die Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac die Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, Epiſcopus cum Mitra apud ſuam Sedem, & Canonici, ac omnes alii in ſuis locis genuflectunt, quando cantatur dictus Verſiculus a Choro, & eo finito omnes ſedent.

COMMENTARIUS.

I. FInito Symbolo, quod ſcilicet Epiſcopus cum ſuis Miniſtris ſummiſſa voce legit, *ſedet Epiſcopus cum Mitra ſimplici, & & omnes etiam ſedent*. Verbum *ſimplici* additum eſt huic §. in novo noſtro Cæremoniali, nam in aliis antiquioribus deeſt. Sedet autem Epiſcopus non modo *cum Mitra ſimplici*, ut ait §. noſter, verum etiam cum Gremiali, ut notat Bauldryus. Cum vero prædictus Verſiculus, *Et incarnatus eſt*, cantatur a Choro, pariter Canonici ſedentes, capite detecto, & Epiſcopus cum Mitra inclinant caput verſus Altare, quia ſcilicet jam genuflexerunt, quando ſummiſſa voce Epiſcopus Symbolum recitavit. Quantum ad alios, qui non ſunt Canonici, genuflectere iterum omnes debent, donec perficiatur dictus Verſiculus, quamquam alias & ipſi ad privatam Symboli recitationem ab Epiſcopo factam jam antea una cum ipſo genuflexerunt.

II. Porro in nocte, & die Nativitatis Chriſti, ac die Annunciationis Deiparæ Epiſcopus cum Mitra apud ſuam Sedem, & Canonici, ac omnes alii in ſuis locis genuflectunt, quando cantatur dictus Verſiculus a Choro, & eo finito omnes ſedent, ut in hoc eodem §. edicitur, cui concinit Rubrica Miſſalis Romani, Parte I. Tit. XVII. Num. III. ubi notat Gavantus, ante Radulphum Tongrenſem Romanos nunquam ad ea verba, *Et incarnatus eſt*, genuflexiſſe, ritumque tamen hujus genuflexionis tradi ab Honorio Auguſtodunenſi in Gemma animæ Lib. I. Cap. CXVIII. Cur autem in memoratis diebus facienda ſit genuflexio juxta ritum Rubricæ Miſſalis, eam laudatus Gavantus rationem affert, *ut nimirum his diebus majori cum veneratione adoretur Myſterium Articuli, & Feſti propriiſſimum*.

III. Teſte tandem Petro Lebrun in ſua Liturgiæ explicatione, Tomo I. Parte II. Articulo VIII. §. VII. in Notis, ſervatur hic in multis Diœceſibus ritus, ut genuflectant omnes, dum dicitur in Miſſa, *Deſcendit de Cælis*, uſque ad *ſepultus eſt*, ut ſcilicet eo ritu ſignificent adorare ſe ſummam Chriſti Domini humiliationem in deſcenſu e Cælis ad terram, itemque ejus incarnationem, nativitatem, mortem Crucis, & ſepulturam; aitque hunc ritum qui hodieque in multis Eccleſiis viget, in variis antiquis Miſſalibus Libris reperiri. Sed peculiarium Eccleſiarum ſunt ritus, qui in ipſis ubi vigent, recte ſervantur, non tamen ad alias trahendi, in quibus ii tenendi ſunt ritus, quos Rubricæ Miſſalis Romani, & noſtri Cæremonialis præſcribunt.

§. LIV.

Diaconus, finito Verſiculo, ſurgit, ſurgente etiam Subdiacono, & ad abacum capit burſam cum Corporali, quam ambabus manibus elevatis uſque ad oculos cum decenti mora, & greſſu, ac cum debitis reverentiis portat ad Altare, ubi extrahit Corporale, idque explicatum ponit ſuper Altare in medio, burſam vero ſeorſim in eodem Altari collocat, itaut non præbeat impedimentum; & ſtatim redit ad locum ſuum, & ſedet; tunc ſedet Subdiaconus, ſi forte expectavit ſtans ex conſuetudine multorum.

§. LV.

Circa finem Symboli, ſurgunt omnes Miniſtri; eo vero prorſus a Choro cantato, ſurgit Epiſcopus, depoſitis Gremiali, & Mitra; & ſtans in ſua Sede cantat verſus

Digitized by Google

ſus populum, *Dominus vobiſcum*, & *Oremus*, manibus prius parumper extenſis, & mox ſtatim junctis, ut ſupra de Oratione dictum eſt.

COMMENTARIUS.

I. QUod in præſenti §. LIV. Cæremoniale noſtrum edicit, repetitio illius eſt, quod jam præſcripſit Lib. I. Cap. IX. §. III. in quem ſane videri poſſunt, quæ nos ibidem notavimus; nihil enim in ipſo §. præſenti occurrit, quod ibi minime explicatum fuerit. Unum eſt, de quo Lector admoneri debet, verba ſcilicet illa, quæ in fine noſtri hujus §. leguntur, nempe: *tunc ſedet Subdiaconus, ſi forte expectavit ſtans, ex conſuetudine multorum*, adjuncta primum fuiſſe in hoc novo Cæremoniali edito, atque probato auctoritate Benedicti XIII. Pontificis Maximi. Quantum vero ad §. LV. mandat ſane, ut circa Symboli finem omnes Miniſtri ſurgant, eo vero prorſus a Choro cantato, ſurgat Epiſcopus, depoſitis Gremiali & Mitra, & ſtans in ſua Sede cantet verſus populum, *Dominus vobiſcum*, & *Oremus*, manibus prius parumper extenſis, & mox ſtatim junctis. Id quod etiam tradit in ſuo Cæremoniali Craſſus Lib. II. Cap. I. his verbis: *In fine Symboli ſurgunt omnes Miniſtri, & finito totaliter Symbolo, ſublatiſque Gremiali, & Mitra Celebranti, ipſe ſurgit, & verſa facie ad populum, cantat*, Dominus vobiſcum, & Oremus.

II. Licet autem ex Rubricis tum noſtri Cæremonialis, tum Romani Miſſalis, dum cantatur Symbolum ſedeat Celebrans, ejuſque Miniſtri, forte olim ſtabat, uti moris erat, dum Hymnus Angelicus, ideſt, *Gloria in excelſis Deo &c.* a Choro decantaretur, de quo ritu ita quidem inquit Romanus Ordo III. Num. IX. *Sedere autem non oportet Pontificem, antequam dicant*, Amen, *poſt primam Orationem*. Quantum ad Symbolum is eſt ritus in Libro Uſuum Ciſtercienſium præſcriptus Cap. LIII. ut ſcilicet, *Sacerdos dum*, Credo in unum Deum, *dicitur a conventu, ſtet in eodem loco, donec illo cantato, dicat*: Dominus vobiſcum.

III. Ergo Symbolo a Choro cantato, ſalutat Epiſcopus populum, deprecando, ut Dominus ſit cum illo, Chorus e contra orat pro Sacerdote, ut ſimul cum ſuo ſpiritu ſit Dominus cum eis, juxta explicationem Amalarii Lib. III. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Cap. XIX. ubi etiam mox addit, eam Celebrantis ſalutationem demonſtrare introitum ad aliud Officium. Dicit itaque ex antiquo ritu Sacerdos poſt Symbolum, *Dominus vobiſcum*, & *Oremus*, occurritque in antiquis Ordinibus Romanis, & apud priſcos Scriptores Liturgicos, inter quos Innocentius III. Libro II. Myſteriorum Miſſæ, Cap. LIII. ita ritum ipſum explicat: *Sacerdos dicturus*, Oremus, *præmittit*, Dominus vobiſcum, *quia niſi nobiſcum ſit Dominus, ad ſalutem noſtram orare non poſſumus.* Stephanus Eduenſis, *De Sacramento Altaris*, Cap. XII. ait, Sacerdotem, ſalutatione præmiſſa, Fideles monere ad orandum, ut ſtabiles ſint in fide, quam profeſſi ſunt in ſermone; quibus verbis alludere videtur ad ritum quarundam Eccleſiarum, in quibus poſt decantatum Symbolum fieri prædicatio ſolebat, tametſi communiter poſt Euangelium peragretur, uti jam ſupra adnotavimus, & in Opere noſtro, *De Codice &c.*

§. LVI.

Quod ſi ſederet in Faldiſtorio, ut quia Legatus, vel Cardinalis adeſſet, ob cujus præſentiam abſtineret a ſua Sede Epiſcopali, tunc ſervabit regulam vertendo ſe ad populum, vel ad Altare, prout ſuo loco explicatur. Legit mox Offertorium ſummiſſa, ſed intelligibili voce ex Libro, quem tenet Capellanus de eo ſerviens.

COMMENTARIUS.

I. PRæſente Legato, vel Cardinali S. R. E. Miſſarum ſolemniis, ob eminentiam ipſorum gradus debere Epiſcopum a ſua Pontificali Sede abſtinere, & Faldiſtorio uti, non uno in loco Cæremoniale hoc noſtrum edixit. Ubi itaque ob eam cauſam in Faldiſtorio ſederet Epiſcopus, tunc ex præſcripto hujus §. ſervabit regulam vertendo ſe ad populum, vel ad Altare, ſupra Lib. I. Cap. XIX. traditam. Notandum autem, quod docet Bauldryus in ſuo Manuali, Parte V. ubi enarrat Librum II. noſtri Cæremonialis Cap. VIII. Articulo III. Num. XI. quod nempe quando dicitur, ut Epiſcopus ſive in Sede, ſive in Faldiſtorio ſedens dicat aliquid verſus Altare, hoc non eſt intelligendum, ut ſit omnino e regione Crucis Altaris, in medio ejus poſitæ, ſed itaut reſpiciat directe parietem, qui eſt collateralis Altari. Quando enim eſt in ſua Sede, & ibi cantat aliquid, eſt e regione partis Epiſtolæ; & quando dicit, *Dominus vobiſcum*, vel *Pax vobis*, aliquantulum convertit ſe ad populum.

II. Quod Offertorium ſpectat, poſtquam Epiſcopus dixit, *Dominus vobiſcum*, & *Oremus*, de quo ritu in ſuperiori Commentario jam dictum fuit, ex præſcripto hujus §. *legit mox*, ſtans ſcilicet, *Offertorium ſummiſſa, ſed intelligibili voce*

Digitized by Google

ex Libro, quem tenet Capellanus de eo ſerviens. Offertorium eſt Verſiculus ille, quem Celebrans ſummiſſa voce recitat ante oblationem, poſtquam ſcilicet dixit, *Oremus*. Appellatur autem Offertorium ab offerendo, quia ſcilicet, ut notum eſt, omnes olim, qui communicaturi erant, offerebant ad Altare panem pro ſe ipſis conſecrandum, & alia, de quibus videri inter alios poteſt eruditiſſimus Franciſcus Berlendi Clericus Regularis in ſuo doctiſſimo, & numeris omnibus abſoluto Opere, *De oblationibus*, quod a ſe Italice ſcriptum, atque ea lingua bis impreſſum, nuper ab ipſomet Latinitate donatum, auctumque iterum typis mandavit Venetiis anno MDCCXLII.

III. Offertorium inſtituiſſe, & ad Miſſam cantari præcepiſſe S. Gregorium Magnum, tradunt Hugo a S. Victore, Lib. II. Cap. XI. Honorius Auguſtodunenſis Lib. I. Cap. LXXXVIII. & alii. Putant nonnulli, primum ejus Auctorem fuiſſe Cæleſtinum Papam, quidam vero Eutychianum itidem Papam, alii alium, tametſi Durandus in ſuo Rationali Lib. IV. Cap. XXVII. ignorari inquiat, quis Offertorium inſtituerit. Quidquid ſit, meminit Offertorii Romanus Ordo II. Pag. 46. ſic inquiens: *Tunc canitur Offertorium cum Verſibus*; ſcilicet, poſtquam Epiſcopus dixit, *Dominus vobiſcum*, & *Oremus*. Offertorium, ideſt, Antiphonam cum verſibus canebat Chorus, dum populus ſua dona ad Altare ferebat. Hinc apud ſanctum Gregorium ſingula Offertoria plures habent verſus adjunctos; & quandoque integer Pſalmus, repetita poſt ſingulos verſus Antiphona, cantari ſolebat, ut toto illo tempore, quo populus offerebat, Pſallentium Clericorum voces audirentur; ſicut olim in veteri Teſtamento cum populus offerret Holocauſta, in voce, & tubis, & cymbalis laudes canebant Deo, ut ea nimirum modulatione ſe hilari mente munera Deo offerre indicarent. Vide S. Iſidorum Epiſcopum Hiſpalenſem Lib. I. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. XIV. quod eſt, *De Offertoriis*, inſcriptum, item Amalarium, & alios, quos laudat Durantus Lib. II. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XXVI. Num. VI.

IV. Eam ob cauſam ſolent Cantores eadem verba ſæpius repetere, ne citius finiat cantus, quam ſacra functio abſolvatur, ideoque non recte quidam recentiores critici, & zelantes, ſed non ſecundum ſcientiam, inter muſicæ hodiernæ abuſus enumerant hanc repetitionem, cum præſertim quædam ejus exempla habeamus in ipſo S. Gregorii Magni Antiphonario, ut in Offertorio Quinquageſimæ bis dicitur, *Benedictus es Domine, doce me juſtificationes tuas*. Et in Offertorio hebdomadæ XXI. poſt Octavam Pentecoſtes, in Verſu primo bis dicuntur hæc verba: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui*; verbum autem, *& calamitas*, ter repetitur. Crebræ etiam repetitiones fiunt in ſequentibus Verſiculis, in IV. *Quoniam non revertetur oculus meus, ut videam bona*, ter dicitur, *Quoniam*, & novies, *ut videam bona*. Rationem hujus repetitionis, ſed myſticam, ut ſolet affert laudatus Amalarius Lib. III. Cap. XXXIX. *Officii Auctor*, inquiens, *ut affectanter nobis ad memoriam reduceret ægrotantem Job, repetivit ſæpius verba more ægrotantium*.

V. Obſervat hæc doctiſſimus Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. VIII. Numero III. ubi etiam ſcite notat, ſublatos eſſe hodie ab Offertorio verſus, ſed his reſecatis ipſum Offertorium moroſius decantari debere, ut notavit Radulphus Tongrenſis Propoſitione XXIII. Addit etiam mox memoratus Bona, retineri hodieque Offertorii verſus a Lugdunenſibus in aliquot Miſſis; a Romanis autem, & ab aliis fuiſſe ſublatos, *tum quia populi oblationes ceſſarunt, quæ longam pſallendi moram exigebant.*; *tum quia Organa introducta ſunt, quæ cum pulſantur, nec ipſum quidem Offertorium decantatur*. Id quod etiam a noſtro Cæremoniali addiſcimus, in quo nihil edicitur de Offertorio cantando a Choro, imo potius, ut pulſetur Organum, uti habetur infra §. LVIII.

VI. Legendum eſſe ab Epiſcopo celebrante Offertorium ſtando, patet ex §. ſuperiori, & ex §. mox ſequenti. Quid autem, ſi non ipſe Epiſcopus celebret, ſed ſolemni Miſſæ aſſiſtat Pluviali, & Mitra, ſeu tantummodo Pontificali Cappa indutus? Docet ad Gavantum Meratus Parte II. de Miſſa cantata coram Epiſcopo agens, Tit. XIV. §. XXX. debere ipſum ſtare cum Mitra ad *Dominus vobiſcum*, & deinde ſedere, cum legit Offertorium. At huic ſententiæ non adhæreo, teneoque cum Bauldryo, & Pontificali majoris hebdomadæ Urbini impreſſo anno MDCCXXVII. ubi ajunt, etiam aſſiſtentem Epiſcopum, ut ſupra, debere Offertorium ſtando legere, ſicut legit ſtando, cum ipſe celebrat.

§. LVII.

Quo lecto, ſedet, & accipit Mitram pretioſam, deponitque Annulum, & Chirothecas, quæ omnia extrahuntur ab aſſiſtentibus Diaconis; & accedente Scutifero, vel alio nobili, lavat manus, & præbente mantile Presytero aſſiſtente, tergit, ut dictum eſt in principio hujus Capitis. Aſſiſtens vero, vel ſtatim poſtquam Epiſcopus legit Offertorium, præmittit Miniſtrum de Libro ſervientem, qui eum ferat ad Altare, vel ipſe, ubi primum mappam porrexit, recipit, portat illum cum pulvino cum debitis reverentiis, comitante eum Cæremoniario, illumque ſuppoſito pulvino, reponit in cornu Euangelii apertum eo loco, in quo continentur ea, quæ Celebrans eſt lecturus, ibique extra dictum cornu, expectat Celebrantem.

§. LVIII.

Digitized by Google

§. LVIII.

Interim, dum hæc omnia fiunt, pulſatur Organum, ſi illic habeatur, prout in Cap. XXVIII. §. IX. Lib. I. de Organo, & Organiſta præſcribitur.

COMMENTARIUS.

I. LEcto Offertorio, ſedet Epiſcopus, & accipit Mitram pretioſam, deponitque Annulum, & Chirothecas, quæ omnia extrahuntur ab aſſiſtentibus Diaconis, ut ait noſter §. LVII. cujus ritus deſumtus eſt ex Cæremoniali Capellæ Pontificiæ Auctore Patricio Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. ubi ita inquit: *Lecto Offertorio, ſedet, reponitur ſibi Mitra, & per Diaconos aſſiſtentes extrahuntur ei Annuli, & Chirothecæ, & Papa abluit manus ordine conſueto*. Debere tunc Epiſcopum ſedere *cum Mitra pretioſa, & depoſito Annulo, & Chirothecis*, lavare manus *ſolemniter*, edicit in ſuo Cæremoniali Craſſus Lib. II. Cap. I. Qui ritus in ea manuum lotione ſervandus ſit, explicatum jam fuit Lib. I. Cap. XI. & ſupra in principio hujus Capitis §. XI.

II. Cautum præterea eſt ex ipſo noſtro §. LXVII. ut Presbyter aſſiſtens, vel ſtatim poſtquam Epiſcopus Offertorium legit, præmittat Miniſtrum de Libro ſervientem, qui eum ferat ad Altare cum pulvino ſcilicet ei ſuppoſito, & factis debitis genuflexionibus tam Epiſcopo, quam Altari; vel ipſemet aſſiſtens Presbyter, ubi primum in memorata lotione manuum Epiſcopi porrexit mappam, & recepit, ſervatis ritibus alias explicatis, & poſtquam ſcilicet impoſuit ejus digito Annulum, Librum acceptum de manu miniſtri, cum debitis reverentiis eidem Epiſcopo exhibitis, comitem habens Cæremoniarium, una cum pulvino ad Altare deferat clauſum, facta prius profunda inclinatione Altari, reponatque in cornu Euangelii, in eo folio apertum, in quo ea continentur, quæ Celebrans lecturus eſt, ibique extra dictum Cornu expectet Celebrantem. Eadem plane ſunt, quæ docet Craſſus ſic inquiens loco citato: *Aſſiſtens acceptum Librum, & pulvinum, comitante Cæremoniario, portat cum reverentiis ad Altare, & ſuper cornu Euangelii apertum ponit, & deinde ſe extra cornu locat expectans ibi Celebrantem*. Interim dum hæc fiunt, ex præſcripto §. LVIII. pulſandum eſt Organum, ſi in illa Eccleſia extet, prout ſupra Libro I. Cap. XXVIII. §. IX. præſcriptum eſt. Si autem nullum illic Organum habeatur, poterit aliquid decantari, ut in Pontificia Capella ſervatur.

III. Præteriri tandem ſilentio non debent ea noſtri §. LVII. verba, quibus dicitur, *ſuppoſito pulvino*, Miſſalis librum deferri debere ad Altare, in eoque ſuper pulvino reponi. Eſt ritus profecto antiquus, ut ſacer Miſſalis Codex, in quo ſcripta ſunt Euangelia, non ſuper ligneo legili, ut hodie paſſim in Eccleſiis fit, ſed ſuper pulvinari collocaretur, ejuſque antiqui uſus mentionem facit in ſuo Cæremoniali Patricius, ubi ait, quod dum Papæ lotis manibus reponuntur Annuli per Diaconos aſſiſtentes, *interim duo Epiſcopi aſſiſtentes prævenientes Pontificem ponunt Miſſale ſuper Altare in cornu Euangelii ſuper pulvinum*. Meminit jam ante Patricium pulvini, ſeu pulvinaris, Durandus Lib. IV. ſui Rationalis Cap. XXIV. Numero XI. ubi etiam myſticam affert rationem, cur ſacro Euangelii Codici pulvinar ſupponatur, *ad notandum*, inquiens, *quod ſuave eſt jugum Domini illud portare volentibus*. Quocirca laudandi ſunt inter alios Canonici Regulares Lateranenſes, qui ſacrorum antiquorum Rituum tenaciſſimi Romæ in Eccleſia ſua S. Mariæ de Pace, non legilia in Altaribus, ſed pulvinaria adhibent.

§. LIX.

Epiſcopus ſtatim lotis manibus reaſſumit Annulum a Presbytero aſſiſtente porrectum, & ſurgit, accipiens manu ſiniſtra Baculum paſtoralem, & medius inter duos Diacono aſſiſtentes, ac ſubſequente Miniſtro de Mitra ſerviente, procedit ante infimum gradum Altaris in medio, ubi depoſitis Baculo, & Mitra, facta profunda reverentia Cruci, aſcendit ad Altare, auxiliantibus ipſi aſcendenti gradus Presbytero aſſiſtente a ſiniſtris, ſi per alium præmiſerat Librum, Diacono vero Euangelii a dexteris, & cum fuerit ante Altare, omnibus tunc in Choro ſedentibus, illud in medio oſculatur, poſitis hinc inde manibus.

COMMENTARIUS.

I. LOtis Epiſcopus manibus reaſſumit Annulum a Presbytero aſſiſtente porrectum, antequam ſcilicet is Codicem Miſſalis cum pulvino ſuppoſito deferat ad Altare, ut in ſuperiori §. dictum eſt. Surgit deinde Epiſcopus *accipiens manu ſiniſtra Baculum paſtoralem, & medius inter duos aſſiſtentes Diaconos, ac ſubſequente Miniſtro de Mitra ſerviente*, itemque aliis,

Digitized by Google

aliis, nempe de Baculo, de Libro, & de Candela, ut notat Bauldryus, *procedit ante infimum gradum Altaris in medio, ubi depositis Baculo, & Mitra, factaque profunda reverentia Cruci, ascendit ad Altare, Presbytero assistente a sinistris, si per alium præmiserat Librum, Diacono vero Euangelii a dexteris, & cum fuerit ante Altare, omnibus tunc in Choro sedentibus, illud in medio osculatur, positis hinc inde manibus*. Hæc nostri §. Rubrica, quam tamen aliter enarrat Crassus, quia scilicet supponit, Presbyterum assistentem gestasse Librum Missalis ad Altare, & adesse Pontificali Missæ Legatum: *Lotus*, inquit, *& tersus* Episcopus, *surgens cum Baculo in manu, solo Diacono a sinistris comitante, vadit ad Altare, & non ante medium Altaris, sed in angulari cornu Epistolæ ascendit primum gradum, ubi facta Legato solita reverentia, super illum gradum procedit ad medium Altaris, & ibi deposita Mitra, & Baculo, ascendit ad Altare, quod osculatur &c.* Ex Cæremoniali Patricii, ubi Papæ per Diaconos assistentes post lotionem impositi fuere Annuli, mox ille *ascendit ad Altare, duobus Auditoribus semper fimbrias elevantibus, ubi Diaconus Euangelii Latinus extrahit ei Mitram*. Ubi nota quod alias dixi, ritus pene omnes a Capella Papali procedere.

§. LX.

Subdiaconus postquam Episcopus lavit, & tersit manus, accedit ad Abacum, ubi velum illud sericeum, quo Calix, Patena, & alia super ipsa mensa cooperiebantur, circumcirca humeros accipit, adjuvantibus Acolythis, itaut longius pendeat a parte dextera; deinde capit manu sinistra Calicem cum Patena, super qua duæ sint Hostiæ mundæ palla coopertæ, ac dictam partem longiorem veli super ea extendit; dexteramque supra ipsum velum, & Calicem leviter apponit, ne aliquid decidat, & sic ad Altare procedit, quem sequitur Acolythus urceolos vini & aquæ portans sumtos ex eodem Abaco, & prægustatos a Credentiariis, itaut eodem tempore cum Episcopo ad Altare perveniant, ubi Subdiaconus Calicem cum Patena ponit in cornu Epistolæ remoto velo.

COMMENTARIUS.

I. REpetit hic §. quod jam dictum fuit supra Lib. 1. Cap. x. §. v. *Subdiaconus*, ait §. noster, *postquam Episcopus lavit, & tersit manus, accedit ad Abacum, ubi velum illud sericeum, quo Calix, Patena, & alia super ipsa mensa cooperiebantur, circumcirca humeros accipit, adjuvantibus Acolythis, itaut longius pendeat a parte dextera*, quia scilicet ab ea parte, ut mox subdit, cooperire Calicem debet: *deinde capit manu sinistra*, & quidem nuda, non tecta velo, per nodum *Calicem cum Patena, super qua duæ sint Hostiæ mundæ palla coopertæ*, relicto scilicet parvo Calicis velo super ipso Abaco, ut expeditius portetur Calix cum Patena, quam velo cooperit, *dexteramque supra ipsum velum, & Calicem leviter apponit, ne aliquid decidat, & sic ad Altare procedit*, nempe ad cornu Epistolæ Altaris, uti edicitur citato §. v. Libro 1. Cap. x. eumque *sequitur Acolythus urceolos vini, & aquæ portans sumtos ex eodem abaco, & prægustatos a Credentiariis*, juxta ritum a nobis jam Lib. 1. suo loco explicatum. Advertere autem Subdiaconus, & ipse Acolythus debent, *ut eodem tempore cum Episcopo ad Altare perveniant; ubi Subdiaconus Calicem cum Patena ponit in cornu Epistolæ, remoto velo*; nempe omnia illa remoto velo dat in manibus Diaconi, uti loco citato Libri 1. edicitur. Ceterum Rubricam nostri hujus §. ita enarrat Crassus Lib. 1. Cap. 1. *Subdiaconus, loto & terso..... Celebrante, subito accipit velum ad humeros, ac Calicem cum Patena, & suis requisitis, & habens post se Capellanum cum ampullis vini & aquæ, præveniens Celebrantem, vadit per gradus laterales ad cornu Epistolæ Altaris, ubi officium suum facit*. Vide Rubricam Missalis Parte II. Tit. VII. Num. IX. ubi ritus ipse describitur, quo Subdiaconus Calicem, & Acolythus ampullas vini, & aquæ de Abaco ad Altare deferre debent, itemque Gavantum, Meratum, ac alios plerosque Rubricam ipsam explicantes.

II. Sciendum vero hic illud est, aliter olim vel in Pontificia Capella servatum fuisse hunc ritum, etenim juxta Romanum Ordinem XIV. a Jacobo Gaetano enarratum labente Seculo XIII. *Subdiaconus accipiens dextera manu mediante mappula Calicem cum Patena, & Hostia superpositis, & cum sinistra manu vasculum cum aqua, quæ admiscenda est cum vino, stans in dextera parte Altaris*, præsentabat *Calicem & Patenam Diacono &c.* Ubi nota I. Subdiaconum non sinistra, sed *dextera manu* detulisse Calicem cum Patena & Hostia ad Altare. II. non manu nuda, sed *mediante mappula* Calicem ipsum gestasse. III. Subdiaconum ipsum manu sinistra attulisse *vasculum cum aqua*, non vero Acolythum. Sed hæ varietates sunt levis momenti.

§. LXI.

Diaconus vero capit de manu Subdiaconi Patenam cum Hostiis, ex quibus unam accipiens, & cum ea tangens alteram, ac Patenam, & Calicem intus, & extra, eandem

Digitized by Google

dem Sacriſtæ ibi præſenti prægustandam præbet: mox Patenam cum altera Hoſtia ad manus Epiſcopi cum oſculo porrigit, qui illam ambabus manibus ante pectus elevatam tenens, & oculos ſurſum dirigens, ac inde demittens, dicit, *Suſcipe ſancte Pater &c.* & in fine faciens cum ea ſignum Crucis, collocat Hoſtiam ſuper Corporali verſus ſe, Patenam vero ponit ad dexteram ſub Corporali.

COMMENTARIUS.

I. UBi Subdiaconus cum Calice, & Patena cum Hoſtiis juxta ritum in §. ſuperiori enarratum ad Altare, ideſt, in cornu Epiſtolæ pervenit, capit ſtatim Diaconus de manu illius *Patenam cum Hoſtiis, ex quibus unam accipiens, & cum ea tangens alteram, ac Patenam, & Calicem intus, & extra, eandem Sacriſtæ ibi præſenti prægustandam præbet.* Unde is ritus originem ſumſerit, jam nos explicuimus ſupra Lib. I. Cap. IX. §. IV. in cujus Commentarium curioſum Lectorem remittimus. Facta, mandante Diacono, unius Hoſtiæ prægustatione a Sacriſta, idem Diaconus *mox Patenam cum altera Hoſtia ad manus Epiſcopi cum oſculo porrigit*, oſculando ſcilicet prius Patenæ oram, & deinde manum Epiſcopi, ut jam notavimus ſupra Libro I. Cap. IX. in Commentario ad ipſum §. IV. ubi expreſſe præſcribitur Diacono ritus oſculandi Patenam ipſam, & manum Epiſcopi: *Tunc porrigit Epiſcopo Patenam cum altera Hoſtia pro Sacrificio offerendo cum oſculo Patenæ, & manus.*

II. Accepta a Diacono Patena, Epiſcopus ex præſcripto hujus noſtri §. *illam ambabus manibus*, ideſt, tribus digitis ambarum manuum, *ante pectus elevatam tenens, & oculos ſurſum dirigens, ac inde demittens*: (verba, *ac inde demittens* adjuncta ſunt huic §. in novo Cæremoniali) *dicit*, Suſcipe ſancte Pater &c. *& in fine faciens cum ea ſignum Crucis, collocat Hoſtiam ſuper Corporali verſus ſe.* Cui ritui concinit ſane Rubrica Miſſalis Romani Parte II. Tit. VII. Num. II. & III. eique egregie ſuffragatur inter alios antiquus Ordo Romanus XIV. Auctore Jacobo Gaetano apud Mabillonium Tomo II. Muſei Italici, Pag. 301. ubi ita a Pontifice ritus ipſe ſervandus eſt: *Patenam elevet cum Hoſtia, dicens Orationem illam*, Suſcipe ſancte Pater &c. *Capellano providente, quod Pontifex orationem illam, & ſequentem legere poſſit in Libro Miſſali, & circa finem prædictæ Orationis Pontifex colloccet Hoſtiam ſuper Corporale non directe contra faciem ſuam, ſed paululum ad ſiniſtram partem.* Variat nonnihil in ritu etiam deponendæ Patenæ, nam inquit: *& Patenam deponat in dextera parte extra Corporale*, cum alias ex præſcripto noſtri §. Patenam ponat Epiſcopus ad dexteram quidem, ſed *ſub Corporali*.

III. Verum quidquid ſit de parvis hiſce variationibus, conſtat ex laudato Romano Ordine elevandam eſſe Patenam cum Hoſtia, & dicendam Orationem, *Suſcipe ſancte Pater &c.* de qua Joannes Hoffmeiſter Ordinis S. Auguſtini in Expoſitione Miſſæ ſibi cum Viro docto magnam fuiſſe diſceptationem ſcribit, objiciente illo, mirari ſe, quomodo auderemus panem, & vinum vocare Hoſtiam immaculatam, quam Deus ſuſcipiat pro ſalute vivorum, & defunctorum, cui ille reſpondit: *Non panem, & vinum vocamus immaculatam Hoſtiam, ſed Corpus, & ſanguinem Domini, quæ ex illo conficiuntur. Igitur non ab hoc, quod jam ſunt, ſed quod paulo poſt futura ſunt, tali digna æſtimantur appellatione, locutionis quodam modo a ſacris literis non alieno. Sicut Judas ab initio ſuæ vocationis vocatus eſt proditor, quia talis futurus erat.* Dicimus ergo immaculatam Hoſtiam per relationem ad terminum ſubſtantiæ panis & vini mox ſubrogandum: neque enim aliter pertinent panis, & vinum ad rem immolatam, niſi quia ex Chriſti inſtitutione in his conficitur Sacrificium, & ſub eorum ſpeciebus per verba conſecrationis Chriſti Corpus & Sanguis vera, & reali tranſubſtantiatione collocantur; ut ſcite obſervat Joannes Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Capite IX. Numero III.

IV. Tandem poſtquam Epiſcopus Celebrans dixit, *Suſcipe ſancte Pater &c.* tum ex præſcripto hujus §. tum Rubricæ Miſſalis Parte II. Tit. VII. Num. III. facit cum Patena ſignum Crucis, & collocat Hoſtiam ſuper Corporali verſus ſe, Patenam vero ponit ad dexteram ſub Corporali. Meminit ejus ritus Innocentius Papa III. Lib. II. *Myſteriorum Miſſæ*, Cap. LVIII. & Durandus Lib. IV. ſui Rationalis Cap. XXX. Num. XVII. ubi ita ait: *Diſponit autem, & collocat Hoſtiam cum ſigno Crucis, quia ſicut Chriſti oblatio in Cruce facta fuit, ſic & oblatio Sacerdotis, quæ in illius memoriam fit, cum ſigno Crucis fieri debet.* Et mox: *Collocat etiam illam directe ſuper Crucem in conſecratione Altaris cum Chriſmate factam, quia & Chriſtus carnem ſuam Cruci affixit.* Tum Num. XXII. ait, conſueviſſe ſuo ævo Romæ poni Hoſtiam ad ſiniſtram Calicis, communiter tamen alibi inter Sacerdotem, & Calicem. Quod demum Patena ſub Corporali ponatur, ritus item antiquus eſt, quem etiam ipſe Durandus, Micrologus, & alii paſſim Scriptores Liturgici varie exponunt.

V. Neque vero hic omittendum, quod ex variis Auctoribus tradit Meratus in Additionibus ad Gavantum, ubi explicat ipſam Miſſalis Rubricam, nempe, Celebrantem utraque manu tenentem Patenam cum Hoſtia, facere debere cum ea Crucem mediocrem, diſtinctam, & extenſam ſuper Corporale, non per quatuor puncta: ſed per lineas ✠ æquales, itemque advertere in facienda hujuſmodi Cruce, ne excedat longitudinem unius palmi, & ne Patena Corporale tangat; tenendam enim Patenam inquit quaſi per pal-

Digitized by Google

palmum ſuper Corporale, deponendam vero Hoſtiam in medio ipſius Corporalis in parte anteriori, itaut ab ora Altaris, quaſi per palmum diſtet, ut ita commodius Sacerdos oſculari poſſit Altare, quando opus erit; & inſuper, ut Hoſtia vicinior ſit Cruci, quæ eſt in medio Aræ conſecratæ, ſuper quam etiam convenientiſſime deponitur.

§. LXII.

Interim Diaconus parum vini, & aquæ ex ampullis, quas ibidem Acolythus tenet, in aliquem cyatum infundit, ex quo Sacriſta illud bibit, mox Calicem tergit Purificatorio, & accepto de manu Subdiaconi urceolo vini, quem illi Acolythus miniſtrat, imponit vinum in Calicem, quantum ſufficiat, Epiſcopo inſpiciente, Subdiaconus vero urceolum aquæ parumper verſus Epiſcopum elevans, dicit, *Benedicite Pater Reverendiſſime*. Epiſcopus autem, facto verſus eum ſigno Crucis, dum infundit pauculum aquæ in Calicem, dicit Orationem, *Deus qui humanæ ſubſtantiæ &c.*

COMMENTARIUS.

I. INterim ac Epiſcopus oblationem Hoſtiæ facit, *Diaconus parum vini, & aquæ ex ampullis, quas ibidem Acolythus tenet, in aliquem cyathum infundit, ex quo Sacriſta illud bibit*. Eſt ritus, quem nos jam explicuimus ſupra Lib. I. Cap. IX. in Commentario ad §. IV. ubi poſtquam Diaconus præguſtandum dedit Sacriſtæ unam ex duabus Hoſtiis a Subdiacono ſuper Patena allatis, *idem ſimiliter* facere jubetur *de vino, & aqua, modicum de illis effundens in pateram ad id paratam*, ut ita ſcilicet evitaretur veneni periculum, quod ſic in Sacriſtæ caput recidiſſet, uti jam notatum fuit ſupra Lib. I. Cap. VI. in Commentario ad §. III. ubi plura de ea re ſcripſimus. Ritus proceſſiſſe videtur a Pontificia Capella, in qua ideo forte conſtitutus fuit, quod ut quidam Auctores ſcribunt in Vitis Romanorum Pontificum, inter alias Victor Papa III. qui floruit poſt medium Seculum XI. veneno in ſacrum Calicem, dum celebraret, injecto, extinctus eſt.

II. Sunt qui docent, Subdiaconum quendam ad necandum Victorem II. Papam, toxicon miſiſſe in ejus Calicem ſacrum, ſed miraculo ſervatum fuiſſe a morte. Non eſt ſane dubium, quin & Pontifex ipſe, & plures ejus prædeceſſores, ac ſucceſſores modico admodum tempore vixerint. Quæ res tunc adeo multos turbavit, ut hujus divinæ providentiæ cauſas a variis Doctoribus perquiſierit Alexander Papa II. & varias adduxerit S. Petrus Damiani Lib. I. Epiſtola XVII. Hinc perfidus, ac maledicus Cardinalis Benno anſam ſumſit blaterandi, quod a degradato Pſeudo-papa Theophylacto, ſeu Benedicto IX. & Gerardo Brazuto adjutus Hildebrandus, qui fuit poſtea Papa Gregorius VII. intra tredecim annos veneno ſuffocaſſet ſex Romanos Pontifices, atque ita ſibi viam ad Papatum aperuiſſet. Verum hæc adeo aperta mendacia ſunt, ut nec Henricus IV. Imperator, nec Venericus Vercellenſis, nec quis alius Henricianus Epiſcopus, aut Apologus auſus fuerit uti ipſis mendaciis, ut ſcite obſervat Lupus Tomo V. Operum editionis Venetæ in Victoris II. Concilium Florentinum.

III. Hiſce notatis, ut nunc ritum §. noſtri enarremus, facta præguſtatione vini & aquæ a Sacriſta, Diaconus *mox Calicem tergit Purificatorio*; qui ritus peculiaris eſt ſolemnis Miſſæ Pontificalis, nam alias in ſolemni ceterorum Sacerdotum Miſſa, ex Rubrica Miſſalis, Parte II. Tit. VII. Num. IX. *Subdiaconus extergit Calicem Purificatorio*, dum ſcilicet Diaconus dat Patenam cum Hoſtia Celebranti. Sed hoc quoque obiter notato, ex præſcripto ejuſdem noſtri §. Diaconus ipſe, qui Calicem terſit Purificatorio, *accepto de manu Subdiaconi urceolo vini, quem illi Acolythus miniſtrat, imponit vinum in Calicem, quantum ſufficiat*: hoc eſt, ut ſcite notavit Gavantus in ipſam Miſſalis Rubricam, Diaconus manu ſiniſtra Calicem per nodum tenens, accipit ampullam vini de manu Subdiaconi, qui eandem de manu Acolythi ſumit (uterque vero capit ipſam ampullam ſine oſculis, nec ampullæ ſcilicet, nec manuum) & infundit vinum in Calicem. Diaconi enim eſt componere Calicem in Altari, ut docent Codices antiqui Miſſarum, & varii rerum Liturgicarum Scriptores, inter quos videri poteſt Innocentius Papa III. Lib. II. *Myſteriorum Miſſæ*, Cap. LIX. & Durandus Lib. IV. ſui Rationalis, Cap. XXX. Porro ex noſtro hoc §. Diaconus *imponit vinum iu Calicem, quantum ſufficiat, Epiſcopo inſpiciente*; quæ poſtrema verba, nempe, *Epiſcopo inſpiciente*, addita primum §. ipſi fuere in novo Cæremoniali, & quidem recte, ne ſcilicet Diaconus in quantitate excedat, deficiatve, ſicut enim non decet Calicem vino implere, ita quoque paucas guttulas in illum imponere. Puto equidem, tantum vini debere immitti, quantum uno hauſtu ſine interruptione ſumi poſſit a Celebrante.

IV. Poſito a Diacono in Calicem vino, *quantum ſufficiat, Epiſcopo inſpiciente, Subdiaconus urceolum aquæ parumper verſus Epiſcopum elevans, dicit*, Benedicite Pater Reverendiſſime: *Epiſcopus autem, facto verſus eum ſigno Crucis, dum infundit pauculum aquæ in Calicem, dicit Orationem, Deus qui humanæ ſuſtantiæ &c.* Qui ritus reperitur etiam in Rubrica Miſſalis Parte II. Tit. VII. Num. IX. & deſumtus eſt ex antiquis Miſſarum

Digitized by Google

ſarum Codicibus relatis a Martenio Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. ut Auctores pleroſque omittam, qui eundem ritum ſive potius multos in eo contentos explicant. Teſte Gavanto in ipſam Miſſalis Rubricam, ubi etiam citat Innocentium III. aquam olim Subdiaconus quidem tradebat Celebranti, ſed infundendam ab ipſo Celebrante. Idem conſtat ex Ordine Romano XIV. exarato labente Seculo XIII. Pag. 331. Verum variabant in eo ritu Eccleſiæ, etenim ex antiqua Miſſa Mathiæ Illyrici exarata circa VII. Seculum, Diaconus accipiebat a Subdiacono vinum, & miſcebat cum aqua in Calicem, dicens, *Deus qui humanæ ſubſtantiæ &c.* juxta formulam, qua hodieque utimur. Juxta pervetuſtam S. Joannis Chryſoſtomi Liturgiam ipſe quoque Diaconus *facit commixtionem in Calicem, mittens vinum, & aquam, & dicit*: Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis, & aqua; *& in dicendo quidem*, exivit ſanguis, *infundit vinum*; *& in dicendo*, aqua, *effundit aquam*. Porro putat Lebrun Parte III. Articulo VI. §. III. labente Seculo XIV. cœpiſſe eum ritum, ut Subdiaconus Romano more aquam imponeret.

V. Cur aqua benedicatur, non vero vinum, exponit in ſuo Rationali Durandus Lib. IV. Cap. XXX. Num. XXI. quia ſcilicet vinum Chriſtum ſignificat, qui nulla benedictione eget, aqua populum, qui ex eo quod nequit eſſe abſque peccato, ideo indiget benedictione, ut reddatur dignus ad unionem cum Chriſto. Neque vero parvi pendenda eſt hæc interpretatio; multis enim ante ſeculis idem myſterium eo ritu exprimi docuit in Epiſtola ſua LXIII. S. Cyprianus ad Cæcilium, quæ eſt de Sacramento Dominici Calicis, ubi inter alia ſic inquit: *Aquas namque populos ſignificare in Apocalypſi* (Cap. XVII.) *Scriptura divina declarat dicens*: Aquæ, quas vidiſti, ſuper quas ſedet meretrix illa, populi, & turbæ, & gentes Ethnicorum ſunt, & linguæ. *Quod ſcilicet perſpicimus & in Sacramento Calicis contineri*. Qua ratione autem id fiat, ſic idem S. Pater exponit: *Nam quia nos omnes portabat Chriſtus, qui & peccata noſtra portabat, videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi Sanguinem Chriſti. Quando autem in Calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & conjungitur. Quæ copulatio, & conjunctio aquæ, & vini, ſic miſcetur in Calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ab invicem ſeparari*.

VI. Multus eſt in eo exponendo argumento, ac Myſterio Cyprianus, ſed ſatis eſt nobis ea verba attuliſſe contra tum nonnullos Catholicos, qui eruditos ſe putant & doctos, ubi myſticas omnes Liturgicorum Scriptorum, quos etiam perperam viſionarios vocant, interpretationes ſugillant, tum potiſſimum contra Lutheruin ineptiſſime aſſerentem, *aquam in ſcripturis ſiniſtram, imo peſſimam ſemper habere ſignificationem*. Sed quidquid ſit de hujuſmodi ingeniis, Patrum omnium temporum, omniumque Liturgiarum conſenſu vinum conſecrandum fuit ſemper aqua temperatum, juxta Apoſtolorum, & ipſius Chriſti traditionem, uti fuſe oſtendimus noſtro II. Tomo Conciliorum, in Commentario ad Canonem XXXIII. Trullanum, Pa. 105. & ſeqq. ubi forte plura ſcitu digna curioſus Lector inveniet; ibidem enim inter alia hæreticos quoſdam perſtrinximus, qui vel ſolum vinum, vel ſolam aquam non ſine impio errore in Sacrificio conſecrabant. Ceterum cur aqua cum vino miſceatur, præter alias myſticas ſignificationes, quas Patres docent, & rerum Liturgicarum Scriptores, alludit profecto ritus ad illum Euangelii locum a S. Joanne Chryſoſtomo in ſua Liturgia allatum, nempe, quod *unus militum lancea latus ejus aperuit*, ſcilicet Chriſti Domini, *& continuo exivit ſanguis, & aqua*.

VII. Quantum ad quantitatem aquæ vino conſecrando permiſcendam, modiciſſima quidem eſſe debet; unde jure ac merito nonnullos, qui plus aquæ, quam vini Calici immittebant, Honorius Papa III. in Cap. XIII. *De celebratione Miſſarum*, verbis hiſce proſcripſit: *Pernicioſus inolevit abuſus, videlicet, quod majori quantitate aqua ponitur in Sacrificio, quam de vino, cum ſecundum rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ generalis, plus in ipſo ſit de vino, quam de aqua ponendum*. Idem IX. Seculo Concilium Triburienſe habitum ſcilicet anno DCCCXCV. Can. XIX. definierat, præcipiens, ut *duæ ſint partes vini, quia major eſt majeſtas Sanguinis Chriſti, quam fragilitas populi; tertia aquæ, per quam intelligitur fragilitas humanæ naturæ*. Quæ verba, uti jam notavimus in laudato Commentario ad Canonem XXXIII. Trullanum, Num. XV. non ita intelligenda ſunt, ut Patres ipſius Concilii Triburienſis velint, tertiam Calicis conſecrandi partem neceſſario debere aqua conſtare, ſed hoc unum ſtatuere, ut aqua tertiam ejuſdem Calicis partem minime excedat. Porro Concilium Colonienſe anno MCCLXXX. Can. VII. mandat, ut *de aqua duæ guttulæ, vel tres apponantur*. Ad quem ritum alluſiſſe videtur Eugenius Papa IV. ubi in ſua Inſtructione ad Armenos dixit: *Vino ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri ſolet*.

VIII. Varias rationes, cur plus de vino, quam de aqua in Calice ponendum ſit, percenſent Magiſter ſententiarum Lib. IV. Diſtinctione XII. Albertus Magnus in Libro, *De Miſſa*, ſanctus Thomas III. Parte, Quæſtione LXXIV. Articulo VIII. Alexander de Ales IV. Parte, Quæſtione XXXII. Membro V. Articulo III. & alii. Videtur autem plus de vino miſceri, quam de aqua, duabus ex cauſis, quarum prior ex Phyſica petitur, poſterior vero ex myſterio, quod ea permixtione repræſentatur. Volunt nonnulli Philoſophi, vinum magna aquæ quantitate delibutum propriam vini ſpeciem minime retinere, proindeque aptam non eſſe Calicis conſecrandi materiem. Quantum vero ad myſterium præter ſignificationem ex Canone Concilii Triburienſis ſuperius allatam, aqua, uti ſuperius etiam ex S. Cypriano obſervatum eſt, populum fidelem exhibet, vinum autem ipſummet Chriſtum; decet vero,

Digitized by Google

ut expreſſius ipſemet Chriſtus in Calice repræſentetur, quam populus, qui illi adunatur. Sancti Cypriani ad Cæcilium ſcribentis ea ratio eſt, cui etiam & hæc alia addi poteſt, quia nempe in Calice, quem Chriſtus in ultima cœna conſecravit, major erat vini, quam aquæ quantitas, alioquin non vini, ſed aquæ Calix denominari debuiſſet; cum denominatio, ut Logici docent, ex majori ſubjecti parte ſumi debeat.

IX. Obſervat hæc inter alios Jueninus in Opere, *De Sacramentis*, Diſſertatione IV. *De Euchariſtia*, Quæſtione II. Cap. II. Articulo II. & III. ubi fuſe ac egregie agit de variis, quæ ad Euchariſtiæ materiam ſpectant, itemque alii complures Theologi, qui de eadem re diſſerunt juxta antiquam & probatam diſciplinam a ſanctis Patribus, & a priſcis Ritualibus Libris traditam, ii itaque conſulendi, non autem quidam alii Scriptores, qui res pro ſuo ingenio enarrant, ignorantes penitus, vel temere contemnentes, quid antiquæ Liturgiæ, aliique priſci Sacramentorum Codices, Summi vero præſertim Romani Pontifices, ac ſacræ Synodi, & Patres de ſacris Ritibus, Cæremoniiſve ſervandis præſcripſerint.

§. LXIII.

Diaconus deinde porrigit Epiſcopo celebranti Calicem cum oſculo Calicis, & manus, quem Epiſcopus ambabus manibus capiens, dextera ſcilicet nodum, ſiniſtra pedem, illum offert ſimul cum Diacono tangente pedem Calicis, ſeu brachium dexterum Epiſcopi ſuſtentante, ſimulque cum illo dicit Orationem, *Offerimus tibi Domine Calicem &c.* Qua dicta, eundem Calicem, facto cum eo ſigno Crucis, ponit Epiſcopus ſuper Corporali in medio retro Hoſtiam, itaut Hoſtia ſit inter ipſum Celebrantem, & Calicem, quam Diaconus Palla cooperit. Tum idem Diaconus capiens Patenam, ponit illam in manu dextera Subdiaconi, ac extremitate veli ab ea parte pendentis contegit, quam Subdiaconus ſtans poſt Epiſcopum, & Diaconum ſpatio congruenti, ſuſtinet elevatam, uſque ad *Pater noſter*, ut infra dicetur.

COMMENTARIUS.

I. TAmetſi de hoc eodem ritu loquuti ſuerimus ſupra Lib. I. Cap. IX. in Commentario ad §. V. ut ordinem noſtri Cæremonialis ſequamur, nonnulla hic etiam adnotabimus. Diaconus itaque, poſtquam Epiſcopus, infundente Subdiacono aquam in Calicem, dixit Orationem, *Deus qui humanæ ſubſtantiæ &c.* quæ in multis antiquis Miſſarum Codicibus reperitur, *porrigit Epiſcopo celebranti Calicem cum oſculo Calicis*, ideſt, pedis ipſius Calicis, *& manus, quem Epiſcopus ambabus manibus capiens, dextera ſcilicet nodum, ſiniſtra pedem, illum offert ſimul cum Diacono, tangente pedem Calicis*, manu ſcilicet dextera, ſiniſtra infra pectus admota, *ſeu brachium dexterum Epiſcopi ſuſtentante; ſimulque cum illo dicit Orationem*, Offerimus tibi, Domine, Calicem &c.

II. Legitur ſimilis Rubrica in Miſſali Romano Parte II. Tit. VII. Num. IX. videturque ritus eſſe antiquiſſimus, ut Diaconus Celebranti Calicem tradat; nam ut ait S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis Lib. II. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. VIII. *ipſis Sacerdotibus non licet de menſa Domini tollere Calicem, niſi eis traditus ſit a Diacono*. In antiqua Miſſa Illyrici Diaconus Calicem offerebat ſuper Altari, dicebatque Epiſcopo, *Immola Domino ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota. Sit Dominus adjutor tuus, mundum te faciat, & dum oraveris ad eum, exaudiat te.* Sacerdos vero Calicem offerens, dicebat Orationem, qua hodieque in ipſo offerendo Calice utimur, nempe: *Offerimus tibi Domine Calicem &c.* Extant ea in re in Codicibus antiquis Miſſarum variæ formulæ, quæ olim in variis Eccleſiis ad offerendam tum Hoſtiam, tum Calicem in uſu erant. Ex Miſſali vetuſto Ambroſiano juſſu S. Caroli anno MDLX. impreſſo cautum eſt, ut *offeratur panis azymus cum Patena, elevando oculos ad Cælum moderate, & dicendo*, Suſcipe clementiſſime Pater hunc panem ſanctum, ut fiat Unigeniti tui Corpus. In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ Amen. *Ad offerendum vinum aqua mixtum dicatur*: Suſcipe clementiſſime Pater hunc Calicem vinum aqua mixtum, ut fiat Unigeniti tui Sanguis. In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ Amen.

III. Forte autem quiſpiam quærat, cur Epiſcopo offerente Calicem, & in noſtro hoc §. & in Rubrica Miſſalis, jubetur Diaconus Calicem ipſum una cum illo offerre, tangens pedem Calicis, ſeu brachium dexterum Epiſcopi ſuſtentans, itemque ſimul cum Epiſcopo dicere Orationem, *Offerimus tibi Domine Calicem &c?* Dicam primo, ritum hunc inde exortum, quod Caliçes olim magni ponderis eſſent, uti ex Libro Pontificali conſtat, ideoque opus erat, ut in elevando Calice Diaconus Celebrantem juvaret, Calicis pedem tenendo, vel brachium Sacerdotis ſuſtentaret. Ad ſecundum reſpondeo, ideo una cum Epiſcopo Diaconum offerre Calicem, quia ſcilicet munus olim fuit Diaconi ſacratiſſimum Chriſti Sanguinem populo miniſtrare, ut non uno in loco noſtrorum Operum, & noviſſime Tomo II. Conciliorum ad Canonem LVIII. Trullanum oſtendimus. Nota etenim eſt illa S. Laurentii Diaconi & Martyris incliti querimonia ad S. Sixtum Romanum Pontifi-

Digitized by Google

tificem, quem cum ad martyrium properantem videret, ipſe ejuſdem martyrii cupidus, ſic illum alloquutus eſt: *Quo Sacerdos ſancte ſine Diacono properas? numquid degenerem me probaſti? experire, utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem?*

IV Itaque merito Diaconus Calicem offert una cum Celebrante, ſimulque cum illo dicit Orationem, *Offerimus tibi Domine Calicem &c.* Qua tamen dicta, ut hic §. noſter inquit, *eundem Calicem, facto cum eo ſigno Crucis, ponit Epiſcopus ſuper Corporali in medio retro Hoſtiam &c.* Idem præſcribit Rubrica Miſſalis Parte II. Tit. VII. Numero v. his verbis: *Oratione dicta, facit ſignum Crucis cum Calice ſuper Corporale, & ipſum in medio poſt Hoſtiam collocat.* Putat eruditus Lebrun in ſua Liturgiæ explicatione Tomo I. Parte III. Articulo VI. §. IV. ritum faciendi Crucem cum Calice ſuper Corporali, inde originem ſuam trahere, quod juxta antiquos Miſſarum Codices in Hiſpaniis Oratio illa, *Offerimus tibi Domine Calicem ſalutaris &c.* incipiebat ab iis verbis, *In nomine Patris &c.* In Miſſali antiquo Ambroſiano a S. Carolo anno MDLX. impreſſo formula Orationis, qua Calicem offert Sacerdos, finitur cum ipſis verbis, *In nomine Patris &c.* & in fine cujuſque divinæ Perſonæ ſignum Crucis cernitur.

V. Collocatur tandem ex antiquo ritu Calix poſt Hoſtiam, ejuſque meminit, ac rationem aſſignat Durandus in ſuo Rationali Lib. IV. Cap. XXX. Num. XXIII. poſtquam tamen dixit, Calicem Romæ ad dexterum latus Hoſtiæ collocari conſueviſſe. Hæc ejus verba: *Calix autem ponitur Romæ ad dexterum latus Oblatæ.* Tum paulo inferius addit: *Communiter tamen alibi ponitur Hoſtia inter Sacerdotem, & Calicem.* Ritum Romanum ponendi ſcilicet Calicem a latere dextero Hoſtiæ, mutatum tandem fuiſſe Seculo XV. ex eo conjicimus, quod in Romano Pontificali edito primum Romæ anno MCDLXXXV. ritus ille præſcribitur, qui communiter in Eccleſiis ſervabatur, in quibus ſcilicet poni ſolebat Calix retro poſt Hoſtiam. Quod quidem recte inſtitutum eſt, tum quia prius conſecratur Hoſtia, quam Calix; tum vero potiſſimum, ne, ſi propinquior eſſet Sacerdoti Calix, motu manus illius decideret.

VI. Notandum præterea hic illud eſt, faciendam eſſe Crucem cum Calice ſuper Corporali ambabus manibus, non autem una tantum, ut male quidam faciunt; itemque non debere Crucem ipſam excedere altitudinem palmi, in utraque linea, neque illam fieri per puncta, ſed per lineas æquales, ut ſupra de facienda Cruce cum Patena dictum eſt. Calicis quoque pes, cum facienda eſt Crux, detineri elevatus debet a Corporali ad altitudinem trium circiter digitorum, uti poſt alios notat Meratus in Additionibus ad Gavantum Parte II. Tit. VII. ad Rubricam v. ubi etiam minutiſſimas alias cæremonias dilucidat, quæ tamen ſervari a Celebrante debent. Ceterum tum ex Rubricis Miſſalis, tum ex præſcripto noſtri hujus §. poſito a Celebrante Calice ſuper Corporali retro poſt Hoſtiam, Calicem ipſum Diaconus Palla cooperit. Cooperitur autem Calix non tam cauſa Myſterii, quam cautelæ, uti docet Micrologus, Cap. x.

VII. Quod tandem eum ritum ſpectat, ut ſcilicet Diaconus capiens Patenam ponat illam in manu dextera Subdiaconi, ac extremitate veli ab ea parte pendentis contegat, quam Subdiaconus ipſe ſtans poſt Epiſcopum, & Diaconum ſpatio congruenti, ſuſtinet elevatam uſque ad *Pater noſter*, ut infra dicetur, ſupervacaneum eſt de ritu ipſo in hoc Commentario diſſerere, cum jam illum abunde explicuerimus Lib. I. Cap. x. in Commentario ad §. VI. Eo etiam ſunt referenda, quæ de Patena ſcripſimus Tomo II. noſtri Romani Pontificalis ad Titulum IX. qui inſcribitur, *De Patenæ, & Calicis conſecratione*, ubi, & ejus antiquitatem, & alia ſcitu digna, quæ ad eam rem pertinent, notavimus ex antiquis Eccleſiarum monumentis, & Ritualibus Libris, in quibus varia Patenarum genera occurrunt; aliæ enim erant Patenæ quotidianæ, aliæ miniſteriales. Conſtat ſane, plures olim adhibitas fuiſſe in Sacrificio Miſſæ Patenas, quia ſcilicet ingens olim erat Fidelium numerus, qui in Miſſa communicabant, cum enim panis Patenæ impoſitus conſecraretur; uti jam alibi oſtenſum eſt, neceſſe iccirco fuit, ut plures ad impertiendam fideli populo Euchariſtiæ communionem Patenæ adhiberentur. Sed de his jam alibi fuſius.

§. LXIV.

Proſequitur interim Epiſcopus cum cæremoniis prout in Miſſali Orationes, videlicet, *In ſpiritu humilitatis &c.* Et, *Veni ſanctificator &c.* Et cum dixerit, *Benedic hoc Sacrificium tuo ſancto nomini præparatum*, miniſtrante Diacono naviculam, & dicente, *Benedicite Pater Reverendiſſime*, Acolytho vero thuribulum ſuſtinente, dicit, *Per interceſſionem &c.* & alia, prout in Miſſali; & accipiens thuribulum de manu Diaconi, thurificat Oblata, & Altare juxta formam in ſuo particulari Cap. XXIII. §. IX. Lib. I. traditam, dicens interim Verſiculos, *Dirigatur Oratio mea &c.* Quo thurificato, reddit thuribulum Diacono in cornu Epiſtolæ, dicens, *Accendat in nobis Dominus &c.* Et accepta Mitra pretioſa ab Aſſiſtentibus, vel ipſis deficientibus, de manu Cæremoniarii, vel alterius, thurificatur in eodem loco ſtans a Diacono triplici ductu, & ſtatim lavat manus more ſolito, dicens Pſalmum, *Lavabo &c.* miniſtrante mappulam pro illis tergendis Presbytero aſſiſtente.

Digitized by Google

§. LXV.

Diaconus vero interim thurificat Prælatos, Dignitates, Canonicos, Magiſtratus, & alios de Choro, ordine, prout late ſuo loco explicatur.

COMMENTARIUS.

I. CAlice Palla cooperto a Diacono, *proſequitur interim Epiſcopus cum Cæremoniis, prout in Miſſali*, *Orationes &c.* nempe, *junctis manibus ſuper Altare poſitis*, *aliquantulum inclinatus dicit ſecreto*, In ſpiritu humilitatis &c. *Poſtea erectus elevans oculos*, *manuſque expandens*, *& ſtatim jungens ante pectus*, *quod ſemper facit*, *quando aliquid eſt benedicturus*, *dicit*, Veni Sanctificator &c. *Cum dicit*, Et benedic, *ſignat manu dextera communiter ſuper Hoſtiam*, *& Calicem*, *ſiniſtra poſita ſuper Altare*. Hactenus Rubrica Miſſalis Parte II. Tit. VII. Num. V. in quam jam plura adnotarunt Gavantus, Quartus, Meratus, & alii, qui Miſſalis Rubricas enarrant.

II. Quantum ad Orationes ipſas, *quas proſequitur interim Epiſcopus cum Cæremoniis*, præſcriptum nihil reperiri in antiquioribus Romanis Ordinibus, ſed neque in Gelaſii, & Gregorii Magni Sacramentariis, teſtatur Martenius Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo VI. Num. XVI. Meminit nihilominus ſecundæ Orationis, ideſt, *Veni Sanctificator &c.* Romanus Ordo VI. Pag. 74. aliique priſci Miſſarum Codices, ambarum vero Orationum Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gaetano Pag. 302. ubi etiam de ſecunda loquens, ritum ipſum in Miſſalis Rubricis præſcriptum ſervari mandat: *Deinde*, inquit, *faciens ſignum Crucis unum ſuper Calicem*, *& Hoſtiam*, *ſimiliter dicat Orationem illam*: *Veni Sanctificator &c.* Signum Crucis ex recitata a nobis ſuperius Miſſalis Rubrica fieri debet a Sacerdote, cum ad ipſam Orationem, *Veni Sanctificator &c.* dixerit, *& benedic &c.*

III. Tradit Micrologus Cap. XI. recitari hanc Orationem *juxta Gallicanum Ordinem*, quam etiam ita deſcribit: *Veni Sanctificator Omnipotens æterne Deus*, *& benedic hoc Sacrificium tuo nomini præparatum*. *Per Chriſtum Dominum noſtrum*. Paulo diverſius eandem affert Orationem Ordo VI. Romanus; hæc enim illius verba: *Veni Sanctificator omnipotens æterne Deus*, *benedic hoc Sacrificium tibi præparatum*: *Qui vivis*, *& regnas in ſecula ſeculorum*. Totidem verbis habetur hæc ipſa Oratio in pervetuſta Miſſa a Mathia Flacco Illyrico edita, & in aliis Codicibus antiquis Miſſarum. Quod autem ait Micrologus, dici ipſam Orationem *juxta Gallicanum Ordinem*, idem eſt, ac ſi diceret, juxta Ordinem Romanum; nam ut fatetur eruditus Lebrun, Gallicana Eccleſia jam longe ante annum Chriſti milleſimum juxta Romanæ Eccleſiæ Ritus divina Officia peragebat.

IV. Abſoluta Oratione, *Veni Sanctificator &c.* in qua nulla ad finem extat concluſio, *Per Chriſtum &c.* vel, *Qui vivis &c.* mox ex præſcripto noſtri §. *miniſtrante Diacono*, *& dicente*, Benedicite Pater Reverendiſſime, *Acolytho vero thuribulum ſuſtinente*, *dicit*, Per interceſſionem &c. *& alia prout in Miſſali*, ubi ſcilicet agitur de thurificatione Oblatorum, quæ antiquiſſima eſt in Eccleſia, uti ſupra oſtendimus Libro I. Cap. XXIII. in Commentario ad §. X. ubi etiam fuſe explicuimus antiquam illam Orationem, *Per interceſſionem &c.* in qua licet juxta varios recentiores Miſſalium Libros, mentio fiat, *Beati Michaelis Archangeli*, in antiquis tamen Miſſarum Codicibus, & in memorata Miſſa ab Illyrico edita legitur nomen, *Sancti Gabrielis Archangeli*; & quidem rectius, ut ibidem notavimus. Non enim dubium eſt, quin Angelus, qui Zachariæ apparuit, ſtans a dexteris Altaris incenſi, fuerit Angelus Gabriel, uti habetur in Euangelio Lucæ Cap. I. *Ego ſum Gabriel &c.* ad quem locum ea Oratio alludit.

V. Plura, quæ de incenſatione Oblatorum, ejuſque ritu hic dici poſſent, ſicut & de aliorum thurificatione, quæ ex antiquo Eccleſiæ more fieri aſſolet, jam fuſe explicuimus in Commentariis ad ipſum Caput XXIII. Lib. I. Ad manuum quoque lotionem quod attinet, quas nempe Celebrans Epiſcopus poſt ſuam thurificationem lavat, enarratum etiam ſuperius fuit Lib. I. Ex Rubrica Miſſalis Parte II. Tit. VII. Num. VI. Sacerdos Miſſam privatam celebrans, ubi dixit, *Veni Sanctificator &c.* accedens ad cornu Epiſtolæ, ibique ſtans, miniſtro aquam fundente, *lavat manus*, *ideſt*, *extremitates digitorum*, *pollicis*, *& indicis*, *dicens Pſalmum &c.* Verum in Miſſa ſolemni ex eadem Miſſalis Rubrica, loco citato Num. X. *Celebrans poſtquam incenſatus fuerit*, *lavat manus*, totas ſcilicet manus, non vero, *extremitates digitorum pollicis*, *& indicis*, ut in Miſſa privata dicitur. Quocirca contra Rubricam faciunt Sacerdotes Miſſam ſolemniter Celebrantes, qui poſt thurificationem non totas quidem manus, ſed ſolum extremitates digitorum pollicis, & indicis lavant.

VI. Quantum ad recitationem Pſalmi, *Lavabo inter innocentes &c.* dum Celebrans manus lavat, eſt is utriuſque Eccleſiæ Ritus, Græcæ, ac Latinæ, uti præſertim videre eſt in antiquis Liturgiis ſanctorum Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi, in quibus totus ille Pſalmus, *Lavabo inter innocentes &c.* ad eam manuum lotionem, quæ fit poſt Offertorium, legitur. Ejus etiam Pſalmi meminit S. Germanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum, cum agit de ea manuum ablutione. Legitur etiam in multis Liturgiis Latinis, quamvis

Digitized by Google

vis in quibuſdam non totus Pſalmus, ſed aliquis ejus verſiculus recitaretur, uti notat inter alios Petrus Lebrun in ſua Explicatione Liturgiæ, Parte III. Articulo VIII. §. I. Omiſſum fuiſſe in nonnullis Eccleſiis Pſalmum ipſum, teſtatur Joannes Bona Cardinalis, Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. IX. Num. VI. & conſtat ex variis Miſſarum Ordinibus, quos affert Martenius Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. Quidquid ſit de ea varietate, ex noſtro §. LXV. dum Epiſcopus manus ſuas lavat, *Diaconus interim thurificat Prælatos, Dignitates, Canonicos, Magiſtratus, & alios de Choro, ordine, prout late ſuo loco explicatur*, ideſt, Cap. XXIII. Lib. I. ubi nos fuſe eum ritum explicuimus, allatis etiam variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis.

§. LXVI.

Poſtquam Epiſcopus laverit, & abſterſerit manus, aufertur ei Mitra a præfatis Aſſiſtentibus, vel illis abſentibus, a Cæremoniario, vel altero, qui eam illi proxime impoſuit, quam Miniſter de ea ſerviens reportat ad Abacum; Epiſcopus vero rediens ad medium Altaris, inclinatus, & junctis manibus, dicit Orationem, *Suſcipe ſancta Trinitas &c.* qua dicta, oſculatur Altare; deinde erectus convertit ſe, junctis manibus, ad populum per latus ſuum dexterum, dicens voce intelligibili, ac manibus parumper extenſis, *Orate Fratres;* & ſtatim eas jungens perficit circulum, proſequendo, *ut meum, ac veſtrum &c.* Tum manibus ante pectus extenſis, ut ſit ad Orationem, ſtans in medio Altaris verſus Librum, dicit abſolute, ſine, *Oremus*, & ſine alia interpoſitione Orationem, vel Orationes ſecretas. Cum dicit, *Per Dominum*, jungit manus; & cum dicit, *Jeſum Chriſtum*, caput inclinat, quod facit in prima Oratione, & in ultima, ſi plures ſint dicendæ.

COMMENTARIUS.

I. LOtis, & abſterſis ab Epiſcopo manibus juxta ritum jam alias explicatum, *aufertur ei Mitra a præfatis aſſiſtentibus, vel illis abſentibus, a Cæremoniario, vel altero, qui eam illi proxime impoſuit* (poſtquam ſcilicet ipſe a Diacono thurificaretur, ut in §. ſuperiori edicitur) *quam Miniſter de ea ſerviens*, factis ſcilicet debitis Epiſcopo, & Altari genuflexionibus, *reportat ad Abacum*, & ibi ſtat, ut notat Bauldryus. *Epiſcopus vero rediens ad medium Altaris inclinatus, & junctis manibus, dicit Orationem*, Suſcipe ſancta Trinitas &c. *qua dicta, oſculatur Altare*. Ita Rubrica hujus noſtri §. quam lubet explicare Rubrica Miſſalis Parte II. Tit. VII. Numero VII. ubi Ritus ipſe ſic enarratur: *Manibus ante pectus junctis, revertitur ad medium Altaris, ubi ſtans, oculoſque ad Deum elevans, & ſtatim demittens, manibus junctis ſuper Altare, aliquantulum inclinatus dicit*, Suſcipe ſancta Trinitas &c. *qua dicta, manibus hinc inde extenſis, & ſuper Altare poſitis, oſculatur illud in medio.*

II. Ergo poſt lotionem manuum recitat Sacerdos hanc Orationem, *Suſcipe ſancta Trinitas &c.* qua rurſum dona ſacranda offert Deo in memoriam Paſſionis Chriſti, & in honorem beatæ Virginis, S. Joannis Baptiſtæ, ſanctorumque Apoſtolorum Petri, & Pauli, *& iſtorum*, quorum ſcilicet Reliquiæ in eo Altari conditæ ſunt. Franciſcus Archiepiſcopus Rothomagenſis in Collationibus, *De Miſſa*, Parte II. Articulo III. ait, quoſdam pro *iſtorum*, legere *juſtorum*, eamque lectionem vulgatæ præfert; *ſed perperam*, inquit laudatus Bona loco citato, *nam illa vox juſtorum non bene cohæret, & ſuperflua foret, cum ſtatim ſequatur: & omnium Sanctorum*. Quam antiqua ſit hæc Oratio, non liquet, extat tamen, ut idem Bona Cardinalis obſervat, paucis mutatis in Codice Tiliano apud Menardum, & in Miſſa Illyrici, *quotidiana & generalis* nuncupatur, ſitque in ea expreſſa mentio Sanctorum, quorum Feſtivitas ea die celebrabatur, & quorum Reliquiæ ibi habebantur.

III. Meminit quoque ejus Orationis Micrologus Cap. XI. qui floruit Seculo XI. aitque, illam dici a Sacerdote inclinato ad Altare, *non ex aliquo Ordine, ſed ex Eccleſiaſtica conſuetudine.* Quantum ad illius ſenſum, legitur quoque in Liturgiis Græcis, ut videre eſt apud S. Maximum, & ſanctum Germanum in ſuis Theoriis. Sed iis omiſſis, legitur paucis immutatis in Miſſali Ambroſiano, uti obſervat Lebrun Tomo I. Parte III. Articulo IX. ubi etiam in Nota ait, tribui a quibuſdam ipſam Orationem S. Ambroſio, quia ſcilicet in quodam antiquo Miſſali Antiſiodorenſi legitur: *Levando Calicem, dicat Orationem S. Ambroſii: Suſcipe ſancta Trinitas &c.* Sed quid alios Codices memorem, videri poſſunt varii Ordines Miſſarum a laudato Martenio allati, in quibus paſſim ea Oratio occurrit, una cum aliis ritibus in eiſdem Ordinibus notatis. De ritu inclinationis Sacerdotis ad eam Orationem, & oſculandi Altaris poſt dictam ipſam Orationem, mentionem facit Durandus Lib. IV. Cap. XXXII. Num. I. ubi addit, Sacerdotis inclinationem ſignificare humilitatem Chriſti, qui exinanivit ſemetipſum uſque ad mortem, & inclinavit ſe ad pedes diſcipulorum; deoſculationem vero Altaris fieri, ad notandum, quod per Paſſionem Chriſti, populus libe-

Digitized by Google

liberatus est, & Deo Patri reconciliatus. Sunt quidem mysticæ interpretationes, minime tamen omnino contemnendæ.

IV. Quamquam autem ex Concilio Carthaginensi III. anni CCCXCVII. Can. XXIII. cautum sit, *ut in Altari semper ad Patrem dirigatur Oratio*, dirigitur nihilominus nostra ipsa Oratio, *Suscipe &c.* ad totam Trinitatem, quia scilicet, nullum est hodie periculum, quod ea Oratione quis credat, plures esse Deos, ut olim putabant Gentiles, quorum errorem ut Ecclesia destrueret, ideo abstinebat sanctissimam Trinitatem invocare, ut observant Vigilius Tapsensis, & Florus Lugdunensis, *De actione Missæ*. Ceterum in ipsum Carthaginensem Canonem notat Auctor Delectus Actorum Ecclesiæ universæ, ita ordinandas esse ad Deum preces in Altari, seu Missæ Officio, ut ad Patrem dirigantur; quia scilicet cum Filius in Sacrificio considerandus sit ut Deus homo, vel ut factus victima, vel ut Sacerdos, sub iis tantum, quæ tunc obit, officiis debet spectari, non autem ut finis, ad quem Sacrificium referatur, nisi quatenus cum Deo unus est. Certe si antiquos Codices Missarum spectemus, Orationes, quæ in ipsis reperiuntur, omnes ad Patrem directæ sunt; estque recentior Ecclesiæ disciplina, ut quædam Orationes ad Jesum Christum, vel ad Spiritum Sanctum dirigantur.

V. Dicta Oratione, *Suscipe sancta Trinitas &c.* & osculato Altari, Episcopus, *deinde erectus, convertit se, junctis manibus, ad populum per latus suum dexterum, dicens voce intelligibili, ac manibus parumper extensis*, Orate Fratres, *& statim eas jungens perficit circulum, prosequendo*: ut meum ac vestrum &c. In Rubrica Missalis Ritus hic ita exprimitur: *Junctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram, a sinistra manu ad dexteram vertit se ad populum, & versus eum extendens, & jungens manus, dicit voce aliquantulum elata*, Orate Fratres, *& secreto prosequens*, ut meum, ac vestrum Sacrificium &c. *perficit circulum, revertens junctis manibus ante pectus a manu dextera ad medium Altaris*. Multa plane in hac Rubrica Missalis sunt, quibus Rubrica nostri §. egregie explicatur, ideoque a nobis hoc loco, sicut & alibi passim eandem ob causam descripta.

VI. Circa originem illorum verborum, *Orate Fratres*, & ritum, quo Sacerdos conversus ad adstantes, tum Ministros, tum ceteros Fideles ea profert, testem inter alios antiquum habemus Joannem Belethum Scriptorem Seculi XII. qui in sua Explicatione divinorum Officiorum, Capite XLIV. eum ritum ita enarrat: *Cum autem ait Sacerdos*, Orate Fratres, *statim incipit orare, & nos similiter hoc audientes secreto orare debemus, ac duos Psalmos canere, nempe*, Exaudiat te Dominus, *& sequentem. Sed quando interim dicit*, Orate Fratres, *perinde est, ac si diceret*, Dominus vobiscum, *tacite, cum se se vertat ad populum*. Plura in eum ritum tradit Durandus Lib. IV. Cap. XXXII. Num. III. ubi etiam docet, monito populo a Sacerdote ad orandum, per ea verba, *Orate Fratres*, statim revolvi ad Altare per sinistram partem. Ex sententia Crassi Lib. II. Cap. IV. debet Celebrans, ubi conversus ad populum dicit, *Orate Fratres*, morulam facere, ideest, stare aliquantulum, manusque aliquantulum extendens ante pectus, atque easdem jungens, illico circulum perficere versus ad cornu Euangelium, ante Altare autem prosequi, *ut meum, ac vestrum sacrificium &c.*

VII. Olim in multis Ecclesiis juxta præscriptum Romani Ordinis VI. Pag. 74. Episcopus conversus ad populum sola illa verba dicebat, *Orate pro me*; sive etiam, *Orate pro me peccatore*, ut in Sacramentario Trevirensi, & in aliis antiquis Missarum Codicibus apud Petrum Lebrun Tomo I. Parte III. Articulo IX. §. I. Non desunt vero Liturgiæ etiam antiquæ, in quibus ea quæ hodie sequuntur verba, *ut meum, ac vestrum Sacrificium &c.* leguntur, & quidem totidem fere verbis. Putat memoratus Lebrun, Remigium Antisiodorensem primum fuisse, qui circa annum DCCCLXXX. ea verba exhibuit: *Orate Fratres*, ideest, *ut meum, ac vestrum pariter Sacrificium acceptum sit Domino*. Similem formulam legere est in aliis priscis Missarum Ordinibus, ac præsertim in pervetusta Missa ab Illyrico edita, ubi ita legitur: *Sacerdos humillime se convertat ad circumstantes, dicens*: Orate pro me peccatore Fratres, & Sorores, ut meum, & vestrum Sacrificium acceptum fiat Domino Deo omnipotenti ante conspectum suum.

VIII. Legitur eadem formula in antiquo Missali Ultrajectensi circa Seculum IX. exarato, in quo scilicet Sacerdos dicit, *Orate pro me peccatore Fratres, & Sorores &c.* Ea formula usam fuisse Ecclesiam Parisiensem usque ad annum MDCXV. & Metensem ad annum MDCXL. testis est laudatus Lebrun loco citato, ubi etiam mox subdit, ubique locorum servari hodie antiquum morem, dicendi scilicet, *Orate Fratres*, sine illo additamento, *& Sorores*, quia scilicet satis est, ut Sacerdos verba sua dirigat ad principalem sexum, qui alium minime excludit; nam, ut ait Apostolus in Epistola ad Galatas, Cap. III. *Non est masculus, neque femina, omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*. Porro vocat Sacerdos adstantes, *Fratres*, more ejusdem Apostoli, qui eo nomine appellitabat Fideles, ut in ejus Epistolis videre est, & in Actis Apostolorum; quem morem inter alios Patres sequutus sanctus Cyprianus, ita in Libro, *De oratione Dominica* scribit: *Sacerdos parat Fratrum mentes*.

IX. Christianos quoque se invicem olim Fratres mutuæ charitatis causa vocasse, scitissime notat Joannes Bona Cardinalis Lib. II. Cap. IX. Num. VI. sed quia Gentiles sacris nominibus Fratris, & Sororis ad libidines tegendas abutebantur, ut ex Petronio, & Martiali, aliisque constat, ideo Cæcilius apud Minutium Felicem hanc *Fratris*, & *Sororis* nomenclaturam Christianis exprobrat, inde arguens stupra, & libidines ab illis perpetrari. Cui tamen respondens Octavius ait: *Sic nos, quod invidctis, Fratres vocamus, ut*

Digitized by Google

ut unius Dei parentis homines, ut consortes Fidei, ut spei cohæredes. Recte quoque Arnobius in Psalmum CXXXIII. inquit: *Unde estis omnes Fratres? De uno patre Christo, de una matre Ecclesia.* Refert hæc loca doctissimus Bona, ex quibus etiam addiscimus, quam ob causam invitans ad Orationem Fideles adstantes in Missa, dicat Sacerdos, *Orate Fratres.*

X. Dicet autem fortasse quispiam, si offerre Sacrificium, ad Sacerdotes solum pertineat, cur dicit Sacerdos, *Orate Fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium &c.* Respondeo cum Innocentio III. Lib. III. *Mysteriorum Missæ*, Cap. VI. & Alberto Magno in Libro de celebratione Missæ, *quod adimpletur proprie ministerio Sacerdotum, generaliter agi fide, & devotione cunctorum.* Ordo quoque Cameracensis, & Stephanus Eduensis in Libro, De Sacramento Altaris, Cap. XIII. ita ad rem inquiunt: *Non solum Sacerdotes, & Clerus, qui secundum diversos gradus divinis occupantur Officiis, offerunt, sed etiam audientes, qui votis, & orationibus assistunt cooperantes.* Alia de ea re veterum Scriptorum testimonia videri possunt apud Durantum Lib. II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXXIV. Num. VII. & seq. & novissime apud Lebrun in Explicatione Liturgiæ Tom. I. Parte IV. Articulo III. ubi explicant verba illa Canonis, *vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.*

XI. Sed tempus est, ut cetera nostri §. verba explicemus, in quo edicitur, ut dicto ab Episcopo, *Orate Fratres &c.* & perfecto circulo juxta ritum jam superius explicatum, *tum manibus ante pectus extensis, ut sit ad Orationem, stans in medio Altaris* dicat *absolute sine* Oremus, *& sine alia interpositione Orationem, vel Orationes &c.* Eadem plane verba leguntur in Rubrica Missalis Parte II. Tit. VII. Num. VII. Secretam Orationem ideo nominari, *quia secreto dicitur*, docet Amalarius Lib. III. *De Ecclesiasticis Officiis*, Capite XX. ubi etiam antiquum illum ritum explicat. Certe cum paratur consecratio, Sacerdotem jam primis seculis precari tacite consuevisse, testatur pervetustus Auctor Apostolicarum Constitutionum Lib. VIII. Cap. XII. constatque ex Concilio Laodiceno anni CCCXIV. Can. XIX. ubi habetur, preces quasdam in Missa cum silentio fieri. Quocirca recte ait Concilium Tridentinum Sessione XXII. Can. V. piam matrem Ecclesiam ritus quosdam instituisse, ut scilicet quædam summissa voce, alia vero elata, in Missa pronunciarentur. Rideant itaque quantum volunt hæretici, qui tamen egregie a Majoribus nostris confutantur, qui & secretæ Orationis meminere, & rationem quoque ejus ritus explicuere.

XII. Quod hujusmodi ritus non vacet mysterio, docet nos Innocentius III. Libro II. *Mysteriorum Missæ*, Cap. LIV. *Silentium Sacerdotis*, inquiens, *latibulum Christi designat*; vel, ut ait S. Thomas III. Parte, Quæstione LXXXIII. Articulo IV. ad VI. *Secreto aliqua Sacerdos dicit, quod circa Christi passionem, discipuli nonnisi occulte confitebantur Christum.* Ante Innocentium III. & S. Thomam Ivo Carnotensis primum Canonicus Regularis, tum Episcopus, in Libro, *De convenientia veteris, & novi Sacrificii*, ritum ipsum enarrat his verbis: *Secretæ Orationes, quas post Offertorium facit Sacerdos, in quibus panis, & vinum, quæ in Christi Corpus, & Sanguinem Dominicis verbis commutanda sunt, Hostiæ, vel Oblationes, vel Sacrificia nominantur, quod cum Euangelio simile habeant videamus. In Euangelio quippe legimus, quod Dominus facta cœna in hortum cum discipulis exivit, & ibi, antequam ad eum pervenirent, qui comprehensuri eum erant, remotus a discipulis, eandem Orationem in silentio ter oravit &c.*

XIII. His adde, quod de eodem ritu scripsit Hildebertus Cenomacensis in suo Carmine, *De Mysterio Missæ.*

His ita præmissis secreto Presbyter orat:
Secretas memorans, assimilansque preces,
Quas egit Christus, cum te jam Juda remoto,
Abscessit modicum, terque precatus ait.

Similia quoque docent Rupertus Abbas Tuitiensis Lib. II. *De divinis Officiis*, Cap. IV. Belethus, Durandus, aliique celebres, ac prisci Auctores, qui ritus sacros exposuere. Quocirca non modo hæretici, sed & quidam præsertim Catholici, qui intemperanter Critici, mysteria ipsa parvipendunt, quæ sacris ritibus continentur, rejiciendi sunt, ac penitus contemnendi: non enim tanti eos facimus quanti veteres, ac religiosos Scriptores rerum liturgicarum.

XIV. Ne demum quid omittamus, quod in hoc nostro §. expressum est, nempe secretam Orationem dicendam esse *absolute sine*, Oremus, *& sine alia interpositione*, est & is antiquus ritus ab antiquis Scriptoribus jam explicatus, tametsi vox ipsa, *Oremus*, in compluribus etiam Missalibus legeretur, teste Petro Lebrun in sua Liturgiæ explicatione Tomo I. Parte III. Articulo XI. Ut ut sit ea variatio, ex nostro §. & Rubrica Missalis Parte II. Tit. VII. Num. VII. Celebrans *manibus ante pectus extensis, stans in medio Altaris, versus Librum*, hoc est, versa facie ad Librum, qui iccirco aptandus est prope Corporale, ut commodius legatur, *dicit absolute sine*, Oremus, *& sine ulla interpositione, Orationem, vel Orationes secretas: cum dicit*, Per Dominum, *jungit manus; cum dicit*, Jesum Christum, *caput inclinat, quod facit in prima Oratione, & in ultima, si plures sint dicendæ*; quo casu etiam ubi duæ, vel plures recitentur Orationes secretæ, debet Celebrans primam Orationem terminare secrete per illa verba, *Per omnia sæcula sæculorum*, & debet ipse respondere sibi, *Amen*. Ipsa quoque verba, *Per omnia sæcula sæculorum*, quæ ad postremam Orationem secretam dicuntur, quamvis, si proprie loquamur, non sint initium Præfationis, sed finis Orationum, vult tamen Innocentius III. Libro II. Cap. LXI. esse simul finem Orationum, & principium Præfationis, ut ostendatur scilicet, Christum lapidem esse angularem, qui fecit utraque unum. Similia plane legere est apud alios antiquos Mysteriorum Missæ Expositores.

§. LXVII.

Digitized by Google

§. LXVII.

Cum autem pervenerit in fine ultimæ Secretæ, ad *Per omnia ſecula*, excluſive, ſtans in medio Altaris, poſitis hinc inde ſuper Altari manibus, clara voce cantando, illa profert; deinde, *Dominus vobiſcum*, cum Præfatione competenti; & dicens, *Surſum corda*, manus aliquantulum elevat; ac dicens, *Gratias agamus &c.* manus elevatas jungit in verbo, *Deo noſtro*, oculos elevans, & ſtatim caput aliquantulum inclinans; mox disjungit manus, eaſque expanſas tenet uſque ad finem Præfationis; & iterum, cum dicit, *Sanctus, Sanctus &c.* illas jungit, capite aliquantulum inclinato, proſequens cetera cum Miniſtris, ſummiſſa voce, videlicet, aſſiſtente Presbytero, & Diacono, qui tunc ad eum accedit. Et cum dicit, *Benedictus*, erigens ſe, facit ſibi ſignum Crucis a fronte ad pectus, ſiniſtra infra pectus poſita; tum manibus junctis, & ſuper Altari poſitis, devote inclinatus, extollit ad Crucem oculos, & eos ſtatim demittit, & incipit, ac proſequitur ſecrete totum Canonem, illumque adjuvat Diaconus, elevando Dalmaticam ad brachium, & diſcooperiendo, & cooperiendo Calicem, dum ſignat, & alios actus facit, prout in Miſſali, attente, & devote uſque ad elevationem. Presbyter vero aſſiſtens advertat ad illa verba, *una cum famulo tuo &c.* & *Antiſtite noſtro &c.* ut eas proferat, ſecundum regulas in Rubricis Miſſalis poſitas; videlicet, *me indigno ſervo tuo &c.*

COMMENTARIUS.

I. FInita Oratione ſecreta, ſive ultima, ſi plures ſint, Celebrans ad ea concluſionis verba, *Per omnia ſecula ſeculorum*, excluſive, ut ait etiam Rubrica Miſſalis, ſtans in medio Altaris, poſitis hinc inde ſuper eo manibus, & quidem ex ritu antiquo, quem explicat Durandus Lib. IV. Cap. XXXII. Num. XII. clara voce cantando, verba illa profert, *Per omnia ſecula ſeculorum*; deinde, *Dominus vobiſcum*, cum Præfatione competenti. Nomine Præfationis hic intelligitur Proloquium, quo Fideles, qui tremendis adſunt Myſteriis, excitantur, ac diſponuntur ad Canonem, Conſecrationem, & Communionem, quæ præcipuum in Sacrificio locum tenent. Appellatur autem Præfatio variis nominibus, *Inlatio*, ut in Miſſali Mozarabico, quia, ut putat Joannes Bona Cardinalis Lib. II. Cap. X. Num. I. ex verbis Fidelium infert Sacerdos, vere dignum, & juſtum eſſe, Deo omnipotenti gratias agere, ipſumque laudare, & prædicare. In Gellonenſi Ordinario, antiquiſque Liturgiis Gallicanis, uti & apud S. Gregorium Turonenſem Lib. II. *De miraculis S. Martini*, Cap. XIV. *Conteſtatio*, rurſuſque in aliis Miſſarum antiquis Codicibus, *Immolatio*, dicitur, quia ſcilicet in ea Sacerdos, audita voce populi, vel Cleri, ſive Miniſtri aſſerentis, dignum, & juſtum eſſe, Deo gratias agere, conteſtatur, veram eſſe hanc populi aſſertionem, tum ſolemni gratiarum actione ſe, & Fideles diſponit ad tremenda Myſteria, quibus Chriſti Corpus immolatur.

II. Teſte Walafrido Strabone in Libro, *De rebus Eccleſiaſticis*, Cap. XXII. Præfationes *quis primus ordinaverit*, *nobis ignotum eſt*. Sunt qui earum inſtitutionem S. Gelaſio Papæ I. tribuunt, ea ducti ratione, quod in Libro Pontificali, ubi de ejuſdem Vita agitur, Sacramentorum Præfationes, & Orationes cauto ſermone compoſuiſſe dicatur. Sed quamvis concedamus, plures a Gelaſio, plures item a S. Ambroſio, & a S. Gregorio Magno, aliiſque Patribus editas fuiſſe, certum nihilominus eſt, quod ait memoratus Bona, in ipſis Eccleſiæ primordiis jam uſum Præfationum in Miſſa extitiſſe, earumque inſtitutionem, vel Apoſtolis, vel Apoſtolicis Viris tribuendam; quod facile probari poteſt, nam integra, noſtræque Præfationi ſimillima legitur in pervetuſta S. Jacobi Apoſtoli Liturgia, ejuſque mentio reperitur apud ſanctos Patres Gregorio, Gelaſio, & Ambroſio ipſo vetuſtiores, præſertim vero apud S. Cyprianum, qui in Libro, *De oratione*, ſic loquitur: *Quando ſtamus ad Orationem Fratres dilectiſſimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis, & ſecularis abſcedat, nec quidquam tunc animus, quam id ſolum cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante Orationem, Præfatione præmiſſa, parat Fratrum mentes, dicendo*, Surſum corda, *ut dum roſpondet plebs*, Habemus ad Dominum *admoneatur, nihil aliud ſe, quam Dominum cogitare debere.*

III. Alios Patres tum Latinos, tum Græcos, qui ejuſmodi Præfationis meminere, longo agmine affert Durantus Lib. II. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. XXX. itemque poſt eum memoratus Bona, ac alii eruditi recentiores rerum Liturgicarum Scriptores. Si veterem Eccleſiæ diſciplinam ſpectemus, mos olim apud Latinos omnium Eccleſiarum fuit, ut propria in ſingulis Miſſis Præfatio diceretur; id enim aperte conſtat ex Ordine Gelaſiano, Sacramentario S. Gregorii, atque ex multis antiquis Miſſalibus, quibus etiam

Digitized by Google

etiam addi poſſunt Miſſales Codices, Ambroſianus, & Mozarabicus. Sed tandem Concilium Weſtmonaſterienſe anno MCLXXV. ſtatuit, ut Præfationes nonniſi decem poſtmodum canerentur, cujus Decretum confirmavit Concilium Copriniacenſe Can. XXII. Apud Burchardum Wormacienſem Lib. III. Decretorum, Cap. LXIX. Pelagius Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ, novem Præfationes enumerat, ideſt, *unam in Albis Paſchalibus*, *aliam de Aſcenſione Domini*, *tertiam de Pentecoſte*, *quartam de Natali Domini*, *quintam de apparitione Domini*, *ſextam de Apoſtolis*, *ſeptimam de ſancta Trinitate*, *octavam de Cruce*, *nonam de jejunio in Quadrageſima tantummodo dicendam.* Concludit deinde Epiſtolam Pelagius ſic inquiens: *Has Præfationes tenet, & cuſtodit ſancta Romana Eccleſia. Has tenendas eſſe vobis mandamus.*

IV. Falſam eſſe hanc Epiſtolam, vel ex ejus poſtremis verbis conſtat, non enim Romana Eccleſia novem illas Præfationes ſolas cuſtodiebat, tenebatque, ſed longe plures, uti jam ſuperius notatum eſt ex Ordine Gelaſiano, in quo tot ſunt Præfationes, quot Miſſæ. Quando Præfationum multiplicitas deſierit, conjici poteſt ex laudato ſuperius Weſtmonaſterienſi Concilio, quod ſcilicet anno MCLXXV. celebratum fuit, ubi ſtatuit, ut Præfationes dumtaxat decem canerentur. Porro præter novem enumeratas a Pelagio ceteras delendas eſſe ſuadet Hoſtienſis in Cap. *Conſilium*, *De celebratione Miſſarum*, ſed additæ novem illis fuere aliæ duæ, una communis antiquiſſima, quæ S. Gelaſii Papæ, ſive S. Gregorii creditur eſſe, altera de Beata Virgine ab Urbano II. inſtituta; & hæ undecim ſunt, quibus omnes Eccleſiæ ritui Romano adhærentes hodie utuntur, tametſi Fratres Eremitæ Auguſtiniani, & Fratres Minores peculiares habeant Præfationes, quas dicunt in Feſto S. Auguſtini, & S. Franciſci.

V. Hiſce ad habendam notitiam Præfationum notatis, ut noſtrum §. enarremus, cum pervenerit Celebrans Epiſcopus in fine ultimæ ſecretæ Orationis, ad illa videlicet verba, *Per omnia ſecula ſeculorum*, excluſive, ſtans in medio Altaris, facie ſcilicet ad Librum converſa, ut Præfationem legat, poſitis hinc inde ſuper Altari manibus, ideſt prope Corporale extenſis, clara voce cantando, illa profert, nempe, *Per omnia ſecula ſeculorum*, ſive ipſa verba ſint finis ultimæ Orationis ſecretæ, ſive principium Præfationis; deinde, eum eadem voce, *Dominus vobiſcum*, & Præfationem. Advertere tamen illud debet, ut, cum dicit, *Surſum corda*, manus aliquantulum elevet, ſcilicet uſque ad pectoris terminos, & non ultra, itaut palma unius manus, digitis junctis in ſuis extremitatibus, reſpiciat palmam alterius manus, uti poſt alios notat Meratus in Additionibus ad Gavantum, ubi explicat Rubricam ſuperius citatam Miſſalis. Cum vero Celebrans dicit, *Gratias agamus &c.* manus elevatas jungit in verbo, *Deo noſtro*, oculos elevans, ad Crucifixum ſcilicet, qui eſt in Altari, & ſtatim caput aliquantulum inclinans, mox disjungit manus, eaſque expanſas tenet uſque ad finem Præfationis; nullo modo ſcilicet ſe ad aliud divertens, nec caput inclinans, niſi in Præfatione occurrat nomen Jeſus, vel Mariæ juxta regulam generalem Rubricæ jam alibi traditam.

VI. Præfatione finita, cum dicit ſcilicet, *Sanctus, Sanctus &c.* iterum Celebrans manus jungit ante pectus, capite aliquantulum inclinato, proſequens cetera cum Miniſtris, ſummiſſa voce, aſſiſtente Presbytero, & Diacono, qui tunc ad eum accedit, nimirum ad latus dexterum, cum debitis ſcilicet reverentiis, & paulo ante, quam dicat, *Sanctus &c.* Et cum dicit, *Benedictus qui venit &c.* facit ſibi ſignum Crucis a fronte ad pectus, ſiniſtra infra pectus poſita; quem ritum ſervabunt Presbyter ipſe aſſiſtens, & Diaconus, qui etiam, uti habetur ſupra Lib. I. Cap. IX. §. v. poſtquam dixit cum Epiſcopo, *Sanctus*, *Sanctus &c.* ſtatim redit ad locum ſuum, poſt ipſum Epiſcopum celebrantem, Presbytero aſſiſtente ad ſiniſtram Epiſcopi ſtante, eique ad Librum inſerviente, vertendo folia, uti alias diximus.

VII. Quantum ad Hymnum, *Sanctus*, *Sanctus &c.* occurrit in omnibus Liturgiis vetuſtioribus tum Latinæ Eccleſiæ, tum Græcæ, uti videre eſt in Liturgiis SS. Jacobi, Baſilii, & Joannis Chryſoſtomi, itemque apud antiquum Auctorem Apoſtolicarum Conſtitutionum, & apud S. Cyrillum Hieroſolymitanum, quorum primus Libro VIII. Cap. XVI. ita Hymnum ipſum deſcribit: *Te adorant innumerabiles Angelorum copiæ*, *Archangelorum*, *Thronorum*, *Dominationum*, *Poteſtatum*, *Virtutum*, *æternorum exercituum*, *Cherubim*, *& ſenis alis præditi Seraphim*, *binis quidem tegentes pedes*, *binis vero capita*, *binis item volantes*, *& dicentes una cum mille millibus Archangelorum*, *& centum millibus Angelorum*, *nullo puncto temporis intermiſſo*, *& ſine intercapedine vocis clamantium*, *& omnis populus dicat*, *Sanctus*, *Sanctus Sanctus*, *Dominus Deus Sabaoth. Plenum eſt Cælum gloria ejus*, *Benedictus in ſecula &c.* Eodem fere modo, ac ordine meminit hujus Hymni memoratus Cyrillus in Cateheſi XXII. Myſtagogica V. Num. VI. Quibus addi etiam poteſt S. Dionyſius, vel alius antiquus Auctor Libri, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Cap. III.

VIII. Additum primo apud Latinos fuiſſe Hymnum, *Sanctus*, *Sanctus &c.* Sacrificio Miſſæ a S. Sixto I. plerique ſcribunt, ſed Liber Pontificalis in ejus Vita hoc ſolum a Sixto conſtitutum ait, ut Sacerdote ipſum incipiente etiam populus eundem cantaret; qui ritus etiam in uſu fuit apud Græcos, uti liquet ex laudato Auctore Apoſtolicarum Conſtitutionum, cujus locum jam ſupra deſcripſimus. Porro quia progreſſu temporis quidam abuſus irrepſerat, ut nonniſi in ſolemnibus Miſſis diceretur, eidem occurrens Vaſenſis Synodus celebrata anno DXXIX. Can. III. ſtatuit, *ut in omnibus Miſſis*, *ſive Matutinis*, *ſive Quadrageſimalibus*, *vel quæ in Defunctorum commemorationibus fiunt*, *ſemper*, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *eo ordine quoad Miſſas publicas dici debeat*, *quia tam dulcis*, *& deſiderabilis vox etiamſi*

Digitized by Google

diu noctuque posset dici, fastidium non potest generare. Hactenus Canon Synodi Vasensis.

IX. Siquis de origine ejus Hymni interroget, ipsam plane inveniet apud Isaiam, qui, ut ait Cap. VI. vidit Dominum sedentem super Solium excelsum, & audivit Seraphicos Spiritus alterna modulatione psallentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloria ejus.* Altera pars Hymni, *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis*, Christo Domino a turbis in solemni Hierosolymæ ingressu ante passionem decantata fuit. Cum hanc Hymni partem dicit Episcopus Celebrans, erigit se, inquit noster §. & concinit Rubrica Missalis Parte II. Tit. VII. Num. VIII. *Facit sibi signum Crucis a fronte ad pectus, sinistra infra pectus posita*, non vero, *super Altari extra corporalia*, ut ajebat Crassus Lib. II. Cap. IV. Ritus faciendi ad ea verba, *Benedictus &c.* signum Crucis memorat inter alios Honorius Augustodunensis in sua Gemma Lib. II. Cap. XLII. & Durandus in suo Rationali Lib. IV. Cap. XXXIV. Numero VII. dicens, quod cum ea verba *sint de Euangelio, debemus signum, seu vexillum Crucis nobis facere, seu imponere, quia Christus per Crucem triumphavit, & nos triumphare facit &c.* Docet autem Meratus, quod in formando tunc signo Crucis, debet Sacerdos tenere hanc regulam, ut scilicet, dum profert vocem, *Benedictus*, signet frontem; ad vocem, *Qui venit*, pectus; ad vocem, *In nomine Domini*, humerum sinistrum; ad vocem, *Osanna in excelsis*, humerum dexterum.

X. Fuse de ipso Hymno agunt passim tum prisci, cum recentiores rerum Liturgicarum Scriptores, præsertim vero Durantus Lib. II. Capite XXXI. & Cardinalis Bona Lib. II. Cap. X. Num. IV. Notandum a nobis illud, quod licet hodie Hymnum ipsum præcinat Chorus, dum Celebrans incipit Canonem, hunc tamen ritum, qui etiam aliquando in usu fuit, improbavit in suo Capitulari Herardus Turonensis Archiepiscopus, Capite XVI. *ut Secreta*, idest Canonem Missæ, *Presbyteri non inchoent antequam*, Sanctus, *finiatur, sed cum populo*, Sanctus, *cantent.* Quibus in verbis duo observat Martenius Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV Articulo VIII. Primum, quod alias a nobis superius notatum fuit, Hymnum ipsum non solum a Choro, sed ab omni populo fuisse decantatum, id quod etiam confirmat S. Gregorius Turonensis Lib. II. *De miraculis sancti Martini*, Cap. XIV. Alterum, Sacerdotem ipsum populi cantibus vocem suam admiscuisse. Utrumque perspicue constat ex Libro I. Capitularium Regum Francorum, Cap. LXVI. *Ipse Sacerdos cum sanctis Angelis, & populo Dei communi voce*, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *decantet*. Id quod legitur Lib. V. Cap. LXXXVI. extatque pene totidem verbis in Capitulari Walterii Aurelianensis Episcopi Cap. I.

XI. Hymnum ipsum ubi recitavit Celebrans, Episcopus, unaque cum ipso Presbyter assistens a sinistris, & Diaconus a dexteris, remanente illo ibidem ad Librum, Diacono vero ad locum suum redeunte, idest, post Celebrantem, Celebrans *tum manibus junctis, & super Altari positis, devote inclinatus, extollit ad Crucem oculos, & eos statim demittit, & incipit, ac prosequitur secrete totum Canonem.* Id quod hucusque §. noster, docet etiam Rubrica Missalis Parte II. Tit. VIII. Num. I. itemque Crassus Lib. II. Cap. IV. ac alii non modo recentiores, sed & prisci Scriptores rerum Liturgicarum, qui etiam singulos ritus in Canonis Missæ recitatione contentos variis interpretationibus illustrant,

XII. Canon Missæ variis nominibus appellatus est, Vigilius Papa in Epistola II. ad Eucherium, & S. Gregorius Lib. VII. Epistola LXIV. ipsum Missæ Canonem, *Precem, Canonicam precem*; nonnulli *Secretam, Secretum*; alii *Actionem* appellant. Canon vero ideo nominatur, quia in eo est legitima, & regularis Sacramenti confectio, ut docet Walafridus Strabo in Libro, *De rebus Ecclesiasticis*, Cap. XXII. itemque Micrologus in Libro, *De Ecclesiasticis observationibus*, Cap. XII. his verbis: *Orationem, quam Canonem, sive Actionem, propter regularem Sacramentorum confectionem, Romano more appellamus.* Dicitur præterea, *Actio*, quia, ut idem Walafridus Strabo tradit, in eo conficiuntur sacramenta Dominica, vel quia gratiarum actionem continet; nam & Missæ Sacrum totum est gratiarum actio, ut colligere licet ex S. Irenæo Lib. IV. Cap. XXXIV. & ex aliis Patribus passim. Atque hinc intelligitur, quod observat Joannes Bona Cardinalis Libro II. Cap. XI. Num. I. in fine, qua scilicet de causa cum aliquid in ipso Canone, in Oratione, quæ incipit, *Communicantes* addendum est, quod in Christi Domini Festivitatibus fieri solet, titulus apponatur, *Infra actionem*, quia nimirum actio Sacrificii ibi proprie continetur. Hic vero titulus, *Infra actionem* ante ipsum *Communicantes* in editis Missalibus passim reperitur.

XIII. Appellatur tandem Canon Missæ *Secreta*, vel *Secretum*, quia secreto pronunciandus est ex pervetusto Ecclesiæ ritu, & variis rationibus, quas latissime percensent Innocentius Papa III. Lib. III. *Mysteriorum Missæ*, Cap. I. Belethus, Durandus, S. Thomas, Alexander de Ales, Gabriel Biel, & ante hos omnes Amalarius Lib. III. *De Ecclesiasticis Officiis*, Cap. XXIII. & Remigius Antisiodorensis in Explicatione super Canonem Missæ, ita inquiens: *Idcirco venit consuetudo in Ecclesia, ut tacite ipsa obsecratio, atque consecratio a Sacerdote cantetur, ne verba tam sacra vilescerent.* Sed & longe ante Remigium asseruerat idipsum Anonymus Scriptor Missæ Romanæ, quam ex ms. Codice Monasterii sancti Albini Andegavensis edidit Martenius, inseruitque Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo XI. Sic autem Anonymus ille ait: *Consecrationem Corporis, & Sanguinis Dominici ideo semper in silentio arbitror celebrari, quia Sanctus in eis manens Spiritus eundem Sacramentorum latenter operatur effectum.*

XIV. In quibusdam Orientis Ecclesiis consueviſſe Canonem Missæ alta voce pronunciari, testis

Digitized by Google

teſtis locuples eſt Joannes Moſchus In Prato ſpirituali, Cap. CXCVI. *Conſuetudo fuit in Eccleſia, ut pueri in Miſſis ante Sacrarium aſſiſterent, primique poſt Clericos communicarent ſanctis Chriſti Dei noſtri, venerandiſque Myſteriis. Quoniam vero conſueverunt quibuſdam in locis alta voce Presbyteri ſancti Sacrificii Orationes pronunciare, pueri ut propius adſtantes ſæpius ea audiendo dicerent.* Narrat deinde miraculum, quod Apameæ pueris Miſſam joco celebrantibus contigit. Quocirca merito Oxionenſis Synodus habita anno MCCXXII. Can. XXIII. monet Archidiaconos, ut provideant, *quod Sacerdotes rite proferre noverint ſaltem verba Canonis.* Docet autem & illud Craſſus loco citato, *de præcepto eſſe, ut hæc omnia, quæ ſecreta vocantur, etiam omnia ſecrete, & non intelligibiliter a Sacerdote proferantur, quia, ſicut ait Innocentius Tertius*: Ne ſacroſancta verba vileſcerent, dum omnes per uſum ſcirent, & ea in plateis, & in locis non ſacris decantarent, decrevit Eccleſia, ut ſecrete dicantur: *Unde ferunt, quod cum ante hujuſmodi Decretum quidam paſtores talia decantarent, divinitus fuerunt percuſſi.*

XV. Quis fuerit Canonis Miſſæ Auctor, recte ait Martenius Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo VIII. Num. III. fruſtra id inquiri a Scriptoribus. Vigilius Papa in laudata ſuperius Epiſtola II. ad Eucherium Cap. V. *ex Apoſtolica traditione* Canonem ſuſceptum tradit; conſtat tamen multa poſt Apoſtolos eidem fuiſſe adjuncta; ut enim alia omittam, de S. Leone Magno legimus, ſtatuiſſe illum, *ut in actione Myſterii diceretur*, ideſt in Canone, *ſanctum Sacrificium, immaculatam Hoſtiam.* Et de ſancto Gregorio itidem Magno, præcepiſſe & ipſum, ut adderetur in Canone, *dieſque noſtros in tua pace diſponas.* Quocirca recte ait Tridentina Synodus Oecumenica, Seſſione XXII. Can. IV. conſtare Canonem ex ipſis Domini verbis, ex Apoſtolorum traditionibus, ac ſanctorum Pontificum inſtitutionibus. Unicum fuiſſe omnibus Miſſis in Eccleſia Romana, teſtis eſt idem Vigilius Papa loco citato, ubi ita inquit: *Ordinem quoque purum in celebritate Miſſarum nullo nos tempore, nulla feſtivitate ſignificamus habere diverſum, ſed ſemper eodem tenore oblata Deo munera conſecrare.* Unicus etiam habetur in Miſſali Ambroſiano, ut in antiquis Gallicanæ Eccleſiæ Liturgiis proprium ad ſingulas Miſſas fuiſſe Canonem aſſignatum, ex variis priſcis monumentis oſtendit memoratus Martenius.

XVI. Longum eſſet, ſi hic varios ritus vellem deſcribere, qui ipſum Canonem ſpectant, videri apud laudatos hactenus Auctores poſſunt, dum nos interim alios enarramus ritus, de quibus agit hic noſter §. in quo edicitur, ut dum Epiſcopus proſequitur Canonem, adjuvet illum Diaconus, *elevando Dalmaticam ad brachium, & diſcooperiendo, & cooperiendo Calicem, dum ſignat, & alios actus facit, prout in Miſſali*; & ſupra Lib. I. Cap. IX. §. V. ubi idem ritus a Diacono ſervandus præſcribitur. Quantum vero ad Presbyterum aſſiſtentem a ſiniſtris Epiſcopi ad Librum, ex præſcripto noſtri hujus §. advertere ipſe debet, ut verba illa, *una cum famulo tuo &c.* & *Antiſtite noſtro &c.* proferat Epiſcopus ſecundum Regulas in Rubricis Miſſalis poſitas, videlicet, *Me indigno ſervo tuo &c.* Sane Rubrica Miſſalis Parte II. Tit. VIII. Num. II. de eo ritu hæc habet: *Si celebrans eſt Epiſcopus, Archiepiſcopus, vel Patriarcha, omiſſis prædictis verbis*, ideſt, & Antiſtite noſtro N. *eorum loco dicit*: Et me indigno ſervo tuo. *Summus autem Pontifex cum celebrat, omiſſis verbis*, una cum famulo tuo Papa noſtro N. *dicit*: una cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo præeſſe voluiſti.

XVII. Nominis Papæ recitatio in Canone Miſſæ, quamquam non ſatis conſtet, quando inceperit, eſt tamen omnino antiquiſſima; nam Concilium Vaſenſe II. anno DXXIX. habitum ſub Felice Papa IV. (non vero Vaſenſe I. tempore Leonis I. anno CDXLII. celebratum, ut male notat Gavantus in Rubricas Miſſalis, Parte II. Tit. VIII. Num. II.) Can. IV. ſtatuit: *Et hoc nobis juſtum viſum eſt, ut Nomen Domni Papæ, quicumque Sedi Apoſtolicæ præfuerit, in noſtris Eccleſiis recitetur.* Eſt hæc plane teſſera unitatis Eccleſiæ, ut Sacerdos in Miſſa primo pro Eccleſia offerat, deinde vero pro Papa, juxta illud Iſidori dictum, quod refert Hugo Flaviniacenſis in Chronico Pag. 228. *Noverit, ſe a communione totius orbis ſeparari, quicumque Nomen Apoſtolici pro qualicumque diſſenſione in Canone non recitaverit.* Id quod etiam teſtatur Pelagius Papa I. qui cum ubique veluti Chalcedonenſis Concilii proditor traduceretur, eamque ob cauſam Epiſcopi Tuſciæ, illius Nomen, uti moris erat, inter ſacra Myſteria recitare recuſabant, ita in Epiſtola ſua VI. ad eoſdem data XI. Kal. Martii, anno XV. poſt Conſulatum Baſilii, ideoque anno DLVI. ſcripſit: *Quomodo vos ab univerſi Orbis communione ſeparatos eſſe non creditis, ſi mei inter ſacra Myſteria, ſecundum conſuetudinem, nominis memoriam reticetis, in quo licet indigno, Apoſtolicæ Sedis per ſucceſſionem Epiſcopatus præſentis temporis videtis conſiſtere firmitatem?* Ea quoque Epiſtola Pelagius ipſorum Tuſciæ Epiſcoporum contumaciam ita perſtrinxit: *Diviſionem veſtram a generali Eccleſia, quam tolerabiliter ferre non potero, vehementer ſtupeo.*

XVIII. Meminit ejus Epiſtolæ creditus Alcuinus in Libro, *De divinis Officiis*, Cap. X. & inter alios Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus in Epiſtola ad Ludovicum Pium Imperatorem, ubi etiam partem memoratæ Epiſtolæ Pelagii Papæ deſcribit. Plura autem ſunt, quæ in ipſam Pelagii Epiſtolam adnotemus. I. jam anno DLVI. generalem viguiſſe in Eccleſia conſuetudinem, ut Nomen Papæ inter ſacra Myſteria recitaretur. II. ſeparatos dici ab Eccleſia, quicumque eam diſciplinam omitterent. III. jam olim Papam, ubi pro ſe in Canone orabat, indignum ſe nominare conſueviſſe; ex quo patet veteri diſciplinæ concinere, quod ait Rubrica Miſſalis, ut ſcilicet Summus Pontifex cum celebrat, dicat, *una cum me indi-*

Digitized by Google

indigno famulo tuo &c. quo titulo etiam ex eadem Rubrica ſe nominat Epiſcopus dicens: *Et me indigno ſervo tuo*. Eſt quidem & is ritus antiquus, ut Epiſcopi in ſingularis modeſtiæ, & humilitatis argumentum, non modo in Canone ſummiſſa voce indignos ſe nominarent, ſed & peccatores quoque Conciliis ſe ſubſcriberent, uti videre eſt in ſubſcriptionibus Conciliorum, ac præſertim Turonenſi II. ubi legitur, *Prætextatus etſi Peccator in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Rhothomagenſis &c.*

XIX. Aliquando quoque reverentiæ cauſa ſolum in Canone conſueviſſe recitari nomen Romani Pontificis, teſtantur Legati Apoſtolici in ſuggeſtione II. ad Hormiſdam Pontificem: *Confitemur*, inquiunt, *Beatitudini veſtræ, tantam devotionem, tantas laudes, tantas lacrymas, tanta gaudia difficile in alio populo vidimus*, Scampinæ ſcilicet Civitatis, cum Trojus Epiſcopus Eccleſiæ Romanæ reconciliatus eſt: *Prope omnes cum Cleris, viri cum mulieribus, milites cum Crucibus in civitate nos ſuſceperunt. Celebratæ ſunt Miſſæ. Nullius nomen obnoxium religioni eſt recitatum, niſi tantum Beatitudinis veſtræ.* Atque hinc forte ortum eſt, ut nomen Epiſcopi, quod poſt Papam recitare ſolemus, in aliquibus Miſſarum Codicibus deſiderari videamus; & forte etiam inde occaſionem ſumſit S. Gregorius VII. ut in ſuo Dictatu, Can. x. ſtatuerit, *Quod Papæ ſolus Nomen in Eccleſiis recitetur*, in quem locum multa ſcitu digna docet eruditiſſimus Lupus Tomo v. Operum editionis Venetæ, Pag. 202. & ſeqq.

XX. Verum ſive ex Eccleſiæ conſuetudine, ſive ex privilegio Romanorum Pontificum, multis jam ab hinc ſeculis, non modo Papæ Nomen, ſed & Epiſcopi, imo & Regis recitatur, teſte Durando Lib. IV. Cap. XXXVI. Num. XVI. ubi etiam duo tradit, I. Epiſcopum cum ipſe celebrat, non debere ſe nominare, quod tamen contrarium eſt ex præſcripto noſtri §. & Cæremonialis Craſſi Lib. II. Cap. IV. ubi Epiſcopus dicit: *Et me indigno Antiſtite ſervo tuo*. II. recitationem nominis Principis auctoritate Apoſtoli niti, qui in Epiſtola I. ad Timotheum Cap. II. ait: *Obſecro primo omnium fieri obſecrationes, orationes, & poſtulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt conſtituti &c.* locus tamen non videtur ad rem eſſe opportunus, aliud enim eſt ſimplex Oratio, aliud Oratio cum recitatione, & expreſſione nominis, quam ſanctus Cyprianus intitulat, *nominis oblationem*.

XXI. Tandem S. Pius V. qui nihil addi voluit in Canone, conceſſit tamen Hiſpaniarum Regibus, ut in Hiſpaniis eorum nomen ad Canonem recitaretur. Cavendum Regularibus, ne in Canone ipſo Superiores ſuos nominent, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die XII. Novembris anni MDCXV. In vetuſto tamen Miſſali Caſſinenſi apud Angelum de Nuce in Notis ad Chronicum Caſinenſe, Pag. 106. poſt illa verba, *pro Papa noſtro* N. additur: *Et Abbate noſtro* N. omiſſo Epiſcopo. Idem in Miſſali ms. Codice S. Germani a Pratis annorum circiter DCCC. ſe deprehendiſſe ait Martenius Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo VIII. Num. VII. Quidquid ſit, ſine ſpeciali Papæ licentia nefas eſt, & peccatum lethale Canoni quidpiam addere. Quod Epiſcopos ſpectat, tametſi ex Rubricis Miſſalis eorum nomen in ſuis Dioeceſibus recitetur, tamen ſiquis deputatus eſſet adminiſtrator alterius Eccleſiæ in functionibus Eccleſiaſticis, non debet nomen ejus a Sacerdotibus celebrantibus in Canone memorari, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Sarſanaten. die XXII. Auguſti, anni MDCCXXII.

§. LXVIII.

Dicto *Sanctus &c.* vel incepto Canone, quatuor, ſex, aut ad ſummum octo Miniſtri Cottis induti afferant totidem funalia ceræ albæ accenſa, & factis debitis reverentiis, collocant ſe genuflexi hinc inde a lateribus Subdiaconi tenentis Patenam, vel ſi magis commodum, ad latera Altaris.

COMMENTARIUS.

I. PRæſcribit hic primum Rubrica noſtri §. tempus, quo deferri funalia, ſeu intorticia debent ad elevationem ſacræ Euchariſtiæ: *Dicto*, Sanctus, *vel incepto Canone, quatuor &c.* inquit, & nota, verba hæc in novo Cæremoniali juſſu Benedicti XIII. edito, quod nos explicamus, majoris explicationis gratia initio hujus §. fuiſſe appoſita, nam alias in antiquis Cæremonialibus, ideſt, in illis ante hoc novum editis ita legitur: *Interim quatuor &c.* Concinit noſtro §. Rubrica Miſſalis, Parte II. Tit. VIII. §. VIII. ubi agens de ſolemni ceterorum Sacerdotum Miſſa, ita inquit: *In Miſſa ſolemni ad finem Præfationis accenduntur duo ſaltem intortitia ab Acolythis &c.* Idem addiſcimus ex Cæremoniali Pontificiæ Capellæ Auctore Patricio Libro II. Sectione I. Cap. XIII. ex cujus præſcripto, dum dicitur, *Sanctus &c. Clerici Capellæ in tempore accendunt octo intorticia &c.*

II. Cum itaque in Capella Pontificia ad Euchariſtiæ elevationem octo accendi debeant intorticia, recte cautum eſt ex noſtro §. ut celebrante Epiſcopo numerus ipſe funalium, ſive intorticiorum non excedatur: *quatuor*, inquit, *ſex, aut ad ſummum octo Miniſtri Cottis induti afferant totidem funalia ceræ albæ accenſa*: in Sacriſtia ſcilicet accenſa, vel in alio loco retro Altare, ubi Miſſa celebratur. Octo itaque ad ſummum in Miſſa

Digitized by Google

Missa Pontificali accendi possunt funalia ad elevationem a Ministris Episcopi Cottis indutis, licet in multis Ecclesiis, ubi Principes Pontificali Missæ præsentes sunt, soleant honorarios aulæ suæ Ephebos ad elevationem mittere gestantes & ipsos funalia sua accensa ad Altare, eademque usque ad elevationem ipsam tenentes.

III. Commendandus autem hoc loco Georgius Barnius Episcopus Placentinus, qui insignis Ecclesiæ suæ Consuetudinis, & Cæremonialis ritus servator ac tenax, ubi Missarum solemnia celebrabat, adhiberi semper voluit ad elevationem octo Ministros Cottis indutos, ac totidem funalia manu tenentes; qui etiam cum aliquando de ea re argueretur, quod cum sex aulici Ducis Placentiæ ac Parmæ cum totidem funalibus elevationi interessent, ipse vero Episcopus numerum illum excederet, recte respondit, servare se ritum sibi a Cæremoniali permissum, suæque Ecclesiæ morem, in arbitrio autem Ducis esse, si plures, quam octo mittere vellet. Hanc mihi notitiam una cum aliis communicavit Vir Clarissimus Alexander Josephus Chlappinus Abbas Ecclesiæ S. Mariæ de Pace Urbis, Procurator Generalis inclitæ Congregationis Lateranensis, Religiosorum omnium Ordinum principis, cujus tum in re sacra, cum in profana summa est eruditio, quippe quippe qui nec sumtibus, nec tempori parcens, tametsi gravibus suæ Congregationis distentus curis, libros e longinquis regionibus congregans eximiam sibi Bibliothecam construxit non modo ad ornatum, sed ad suum indesinens studium, & amorem semper discendi profanarum æque ac sacrarum antiquitatum origines.

IV. Quantum ad Clericos funalia ad elevationem gestantes, ii qui a dexteris incedunt, hunc ritum servabunt, ut ea manu dextera deferant, sinistra infra pectus posita, qui vero a sinistris, dextera infra pectus locata, sinistra manu funalia sua gestent, aliquantulum scilicet inclinata, quæ etiam ita ab illis, qui incedunt a dexteris, deferri debent. Omnes autem bini incedentes, ubi ad Altare pervenerint, *factis debitis reverentiis*, nempe Choro prius ab utraque parte, si sit ante Altare, tum ipsi Altari, unico genu flexo in plano Capellæ, ac deinde sibi ipsis invicem inclinatione capitis facta, omnes dispositi in recta linea *collocant se genuflexi hinc inde a lateribus Subdiaconi tenentis Patenam, vel, si sit magis commodum, ad latera Altaris*, extrema scilicet intorticiorum parte pavimento adhærente, quæ tamen ab ipsis Ministris, uti mos est, & docet etiam Gavantus, *cum elevatur Hostia, elevantur etiam usque ad depositionem Calicis inclusive*.

§. LXIX.

Tunc vero omnes tam in Choro, quam extra genuflectunt, præter Presbyterum, & Diaconos assistentes, & Diaconum, ac Subdiaconum, qui nonnisi cum Celebrante genuflectunt. Cum Celebrans profert verba Canonis, *Quam oblationem &c.* & dum elevatur Sanctissimum Sacramentum, Diaconus accedit ad ejus dexteram, advertens ad discooperiendum, & cooperiendum Calicem, cum Episcopus super eo signat; & cum Sanctissimum Sacramentum elevatur, genuflexus sublevat extremitatem Planetæ Episcopi celebrantis, prout de his plenius in Cap. IX. Lib. I. §. V. De officio Diaconi dictum fuit.

COMMENTARIUS.

I. Dicto, *Sanctus &c.* ex præscripto hujus §. *tunc omnes tam in Choro, quam extra genuflectunt præter Presbyterum, & Diaconos assistentes, & Diaconum*, Euangelii scilicet, *ac Subdiaconum, qui nonnisi cum Celebrante genuflectunt*, excepta scilicet elevatione Hostiæ, & Calicis, in qua & ipsi genuflexi manent, cum interim stans Celebrans verba utriusque consecrationis profert, incipientes scilicet suam genuflexionem ad ea Canonis verba, *Qui pridie &c.* Ceterum, quantum ad Diaconum, juxta Rubricam nostri §. *Cum Celebrans profert verba Canonis*, Quam oblationem &c. *& dum elevatur Sanctissimum Sacramentum, Diaconus accedit ad ejus dexteram, advertens ad discooperiendum, & cooperiendum Calicem &c.* Id quod expressius dicitur in Rubrica Missalis, Parte II. Tit. VIII. Num. VIII. ubi agitur de ritu in solemni Missa servando: *Cum autem celebrans dicit*, Quam oblationem &c. *Diaconus accedit ad ejus dexteram, & ibi in superiori gradu Altaris genuflexus, cum Sacramentum elevatur, fimbrias Planetæ elevat; & quando opus est, se erigens, Calicem discooperit, & cooperit, & cum Celebrante genuflectit.* Sed hi ritus passim explicantur ab iis qui pro instituto Missalis Rubricas enarrant. Quod de elevatione extremitatis Planetæ Episcopi celebrantis per Diaconum genuflexum facienda, dum scilicet fit elevatio Sanctissimi Sacramenti, in hoc §. edicitur, jam alibi etiam dictum fuit, præsertim vero Cap. IX. Lib. I. §. V. in quem videri quoque Commentarius noster poterit.

II. Quoniam vero hoc loco facta mentio est elevationis Sanctissimi Sacramenti in Missa, sciendum est, ritum hunc esse antiquum Ecclesiæ tum Latinæ, tum Græcæ, tametsi una in eo ab altera differat, quod, uti observat Joannes Bona Cardinalis Lib. II. Cap. XIII. Num. II. Græci paulo ante communionem, ut ex Liturgiis sanctorum Jacobi, Basilii, & Chrysostomi manifestum est, Cor-

Digitized by Google

Corpus Dominicum, & Calicem elevent, ut a populo adoretur, Latini vero ſtatim poſt peractam conſecrationem uniuſcujuſque materiæ. Notat & aliud diſcrimen Martenius Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo VIII. Numero XXII. elevationem ſcilicet, quæ apud Latinos fit ab ipſo Celebrante, apud Græcos agi Diaconi miniſterio. Sed de eo elevationis ritu videri inter alios poteſt Joannes Baptiſta Thierſius in Libro, *De expoſitione Euchariſtiæ*, Cap. VI. aliique eruditi rerum Liturgicarum Scriptores, Durantus, Bona, Lebrun, & alii complures.

§. LXX.

Interim Cæremoniarius, ſeu aliquis Acolythus, impoſito a ſe ipſo, vel ab alio, thure, abſque benedictione, in thuribulum, thurificat Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini, dum elevatur, ter pro unoquoque ducens thuribulum. Chorus proſequitur cantum uſque ad *Benedictus qui venit &c.* excluſive; quo finito, & non prius, elevatur Sacramentum. Tunc ſilet Chorus, & cum aliis adorat. Organum vero ſi habetur, cum omni tunc melodia, & gravitate pulſandum eſt.

COMMENTARIUS.

I. DUm elevatur Sacramentum poſt Conſecrationem, incenſandum illud eſſe ab Acolytho, poſtquam ſcilicet aliquis alius poſuit thus in thuribulum; ex ritu in Pontificia Capella ſolito haberi, tradit in ſuo Cæremoniali Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. XIII. *Cum elevatur*, inquit, *Sacramentum, poſito per aliquem incenſo, Acoluthus incenſat more conſueto*; non benedicto prius ſcilicet thure, ut una cum noſtro §. conſentit Rubrica Miſſalis Parte II. Tit. VIII. Num. VIII. his verbis: *Thuriferarius genuflexus in cornu Epiſtolæ ter incenſat Hoſtiam, cum elevatur, & ſimiliter Calicem, poſito incenſo in thuribulo abſque benedictione*; ad majorem ſcilicet reverentiam Sanctiſſimi Sacramenti, a quo omnis benedictio manat, ut in ipſam Miſſalis Rubricam notavit Gavantus.

II. Ritus in ea thurificatione a Cæremoniario, ſive ab aliquo Acolytho ſervandus, uti notant ii, qui Rubricas enarrant, is plane eſt. Paulo ante conſecrationem ponit Thuriferarius incenſum abſque benedictione in thuribulum, & ad elevationem genuflexus ad cornu Epiſtolæ ante infimum gradum in plano Sanctiſſimum Sacramentum thurificat triplici ductu pro unaquaque elevatione; nempe primo incenſat unico ductu, & capitis inclinatione profunda ante & poſt, quando Celebrans adorat Hoſtiam conſecratam prima ſua genuflexione; ſecundo incenſat altero ductu, quando elevatur Hoſtia; tertio tandem ductu thurificat, cum Celebrans poſt elevatam Hoſtiam genuflectit. Docent hæc quidem varii Auctores, ſed conſultius crederem, incipiendam eſſe thurificationem cum attolli incipit ſacra Hoſtia, ſecundo cum eſt jam elevata, tertio, cum Sacerdos eſt ipſam ſuper Altare depoſiturus. Eodem modo alius Acolythus ter tintinnabulum pulſabit, juxta ritum jam alio loco explicatum.

III. Ad Chori tandem diſciplinam quod attinet, finita Præfatione, cantabit ille alternatim cum Organo, ſi ſcilicet in Eccleſia Organum habeatur, *Sanctus &c.* uti edicit noſtrum Cæremoniale ſupra Lib. I. Cap. XXVIII, §. IX. ubi etiam ait, pulſandum eſſe Organum, *dum elevatur Sanctiſſimum Sacramentum, graviori & dulciori ſono.* Ceterum ſi Organum in Eccleſia non extet, *Chorus proſequitur cantum*, inquit hic §. noſter, *uſque ad* Benedictus qui venit &c. *excluſive*; ſive proſequitur Chorus cantum uſque ad primum *Oſanna in excelſis*, incluſive; *quo finito & non prius elevatur Sacramentum*, nempe Hoſtia. *Tunc ſilet Chorus, & adorat cum aliis.*

§. LXXI.

Elevato Sacramento, Chorus proſequitur cantum, *Benedictus qui venit &c.* Miniſtri funalia habentes ſurgunt, & factis debitis reverentiis diſcedunt, ac funalia extra Presbyterium extinguunt, niſi facienda ſit communio, quia tunc remanent genuflexi cum funalibus accenſis uſque ad finitam communionem; & pariter tunc omnes ſurgunt, & ſtant uſque ad communionem incluſive. Celebrans continuat Canonem Miſſæ cum ſignis, & cæremoniis, prout in Miſſali. Diaconus vero advertit ad tegendum Calicem, cum opus eſt, aliaque faciendum, quæ latius in ſuperiori Capite, de officio Diaconi in Miſſa ſolemni, explicantur.

COMMENTARIUS.

I. ELevato Sacramento, hoc eſt, elevato, ac depoſito Calice, Chorus, qui genuflexerat initio Canonis, ſive poſt dictum *Sanctus &c.* uſque ad primum, *Oſanna in excelſis*, excluſive, ſurgit, & dicit, *Benedictus qui venit &c.* Surgunt tum pariter omnes, & ſtant in

Digitized by Google

in locis ſcilicet ſuis, uſque ad Communionem inclusive. Depoſito itidem Calice poſt ejus elevationem ſurgunt Miniſtri funalia habentes, & factis debitis reverentiis, diſcedunt, ac funalia extra Presbyterium extinguunt; ſive, uti mos eſt, in Sacriſtia, vel ubi ipſa funalia accepere; niſi ſcilicet facienda ſit communio, quia tunc remanent genuflexi cum funalibus accenſis uſque ad finitam communionem.

II. Idem præterea docet Rubrica Romani Miſſalis Parte II. Tit. VIII. Num. VIII. ubi etiam poſtquam dixit, extingui ipſa funalia poſt elevationem Calicis, & niſi aliqui ſint communicandi, quia tunc poſt communionem extinguerentur; ita ſtatim ſubjicit: *In diebus etiam jejuniorum, & in Miſſis pro Defunctis tenentur accenſa uſque ad communionem*; exceptis ſcilicet Vigilia Nativitatis Dominicæ, Sabbatis Paſchæ, & Pentecoſtes, ut ibidem notat Gavantus; itemque Feria V. in Cœna Domini, cum quatuor temporibus Pentecoſtes, ut ait Bauldryus in ſuo Manuali Parte I. Cap. XIV. Articulo III. Num. XIX. quia ſcilicet his diebus, licet jejuniorum dies ſint, in Choro non genuflectitur. Quantum ad Feriam V. in Cœna Domini, quidquid Auctores ſcribant, tenenda ſunt ipſa intorticia, quia facienda eſt Communio, nam licet multum intercedat temporis a conſecratione uſque ad ipſam Communionem propter ſacrorum Oleorum benedictionem, videtur nihilominus rationi congruum, & diei ſolemnitati, ut ipſi Acolythi maneant tunc genuflexi cum intorticiis accenſis ob reverentiam Sanctiſſimi Sacramenti, cujus illa die a Chriſto Domino facta eſt inſtitutio. Ceterum quod Celebrantem ſpectat, continuat ipſe Canonem Miſſæ cum ſignis, & cæremoniis, ut in Miſſali, Diacono ei inſerviente ad diſcooperiendum, vel cooperiendum Calicem cum Palla, quando opus eſt, itemque ad alia peragenda, quæ ſupra Lib. I. Cap. IX. De officio Diaconi in Miſſa ſolemni explicantur.

§. LXXII.

Cum Celebrans pervenerit ad Verſiculum, *Per omnia ſecula &c.* manibus ſuper Altari hinc inde intra Corporalia poſitis, dicit intelligibili voce, *Per omnia ſecula ſeculorum*; cum dicit, *Oremus*, jungit manus, caput Sacramento inclinans; cum vero incipit, *Pater noſter*, elevat illas ante pectus, eaſque ſic elevatas, extenſaſque tenet uſque ad finem dictæ Orationis Dominicæ,

COMMENTARIUS.

I. ENarrat hunc Ritum Craſſus Libro II. Cap. I. ubi etiam complurium ſui ævi abuſum refellit, ſic dicens: *Celebrans dicturus Orationem Dominicam, ideſt*, Pater noſter, *non tenet Hoſtiam in manu, ut quaſi omnes faciunt, ſed illa repoſita, ambas manus ſuper Altari, extra Corporalia, ut ſupra dictum eſt, tenens, cantat*, Per omnia ſecula ſeculorum, & Oremus, *uſque ad* Pater noſter, *quod antequam incipiat, manibus devote ante faciem junctis, & capite ſimul inclinato reverenter illud incipit*. Sed audiamus Rubricam Miſſalis, Parte II. Tit. IX. Num. I. *Manibus*, inquit, *extenſis hinc inde ſuper Altare intra Corporale poſitis, dicit intelligibili voce*, Per omnia ſecula ſeculorum; *& cum dicit*, Oremus, *jungit manus, caput Sacramento inclinans*. Eadem hæc prorſus ſunt, quæ & noſter hic §. edicit, ex quo etiam, ſicut & ex Rubrica Miſſalis corrigendus in eo eſt Craſſus, ubi ait, manus teneri debere *extra Corporalia*; tenendæ enim ſunt intra, ob reverentiam Sacræ Hoſtiæ, quam pollicibus ſuis, atque indicibus Celebrans non modo tetigit, ſed & intus ipſos aliquando tenuit.

II. Porro cum Celebrans dicit, *Oremus*, ex eodem noſtro §. & ex ipſa Miſſalis Rubrica, *jungit manus, caput Sacramento inclinans*, nempe, cum dicit, *Oremus*, caput inclinans, ac ſtatim illud erigens, ut notat Gavantus, elevat manus de Altari, eaſque ſimul jungit, ac junctas tenet, quouſque Præfationem illam dixerit, *Præceptis ſalutaribus moniti &c.* quæ quidem in Miſſa vetuſtior eſt, quam quidam arbitrantur, utpote cujus meminere Amalarius Lib. III. Cap. XXIX. vulgatus Alcuinus, Ordines antiqui Romani, & alii Auctores paſſim, inter quos etiam Durandus Lib. IV. Cap. XLVII. Num. I. & Radulphus Tongrenſis Propoſitione XXIII. S. Gregorio Papæ tribuunt. Verum non dubito, quin ſit Gregorio antiquior; ad eam enim videtur alludere S. Hieronymus, ubi ita contra Pelagianos ſcribit: *Sic docuit Apoſtolos*, ideſt Chriſtus, *ut quotidie in Corporis illius Sacrificio credentes audeant loqui, Pater &c.* cui adde teſtem de eo ritu antiquiſſimo omnium locupletiſſimum S. Cyprianum, qui Præfationem ipſam iiſdem fere terminis expreſſit in Libro, *De Oratione Dominica*, ubi de Chriſto ejus Orationis Auctore, ſic inquit: *Qui inter cetera ſalutaria ſua monita, & præcepta divina, quibus populo ſuo conſuluit ad ſalutem, etiam orandi ipſe formam dedit*. Et poſtea: *Quod nomen nemo noſtrum in Oratione auderet attingere, niſi ipſe nobis permiſiſſet orare &c.*

III. Hujuſmodi Præfatione finita, *cum incipit*, Pater noſter, *elevat illas*, manus nempe, *ante pectus, eaſque ſic elevatas, extenſaſque tenet uſque ad finem dictæ Orationis Dominicæ*. Concinit his Rubrica Miſſalis dicens breviter, ſed aliquid amplius explicans: *Cum incipit*, Pater noſter, *extendit manus; & ſtans oculis ad Sa-*

Digitized by Google

Sacramentum intentis, prosequitur usque ad finem. Ejus ritus tenendi scilicet manus elevatas ad Orationem Dominicam, antiqui etiam Auctores meminere, & inter alios Jacobus Gaetanus in Ordine suo XIV. Romano, Pag. 306. ubi postquam dixit, debere celebrantem Pontificem, *depositis manibus*, idest, super Altari, *elevata voce*, dicere, *Per omnia sæcula sæculorum*, & ita prosequi, *Oremus*, *Præceptis salutaribus moniti &c.* sic statim subjicit: *Cum incipit*, Pater noster, *elevet manus*. Monet idipsum Durandus Lib. IV. Cap. XLVII. Num. I. dicens: *Sed & proferens*, Pater noster &c. *iterum*, *sicut prius*, *extendit*, *ac sursum elevat manus*.

IV. Nulli autem dubium est, quin Oratio ipsa Dominica ab Apostolis ipsis usurpata fuerit in Missa; id enim præter alios priscos Auctores testatur S. Gregorius Lib. VII. Epistola LXIV. dicens: *Orationem Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo Orationem Oblationis Hostiam consecrarent*. Quæ verba qua ratione intelligenda sint, scite explicat Joannes Bona Cardinalis Lib. I. *Rerum liturgicarum*, Cap. V. Num. III. additque Lib. II. Cap. XV. Num. I. dictionem illam exceptivam, *solummodo*, aut irrepsisse in textum Gregorii, aut ad alias Orationes restringendam esse, quæ consecrationem antecedunt, & subsequuntur. Nam verba, quibus Christus hoc Sacrificium instituit, Apostoli procul dubio recitabant, non omissa memoria Passionis ejus, sicut ille præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Hieronymus etiam Lib. III. adversus Pelagianos ait, Apostolos quotidie Orationem Dominicam solitos dicere in Sacrificio, sed non addit *solam*.

V. Docet hæc loco citato Auctor Eminentissimus, variaque loca Patrum describit de prisco ejus in Missa usu; id quod ante ipsum præstitit eruditissimus Durantus Lib. II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XLVI. Quod ritum spectat, quo ipsa Oratio diceretur, audiendus est S. Gregorius, qui Lib. VII. Epistola LXIV. hoc utriusque Ecclesiæ, Græcæ scilicet, ac Latinæ affert discrimen: *Dominica Oratio apud Græcos ab omni populo dicitur; apud nos vero a solo Sacerdote*. Quod non solum de solemnibus Missis, sed etiam de privata intelligendum esse, ex Vita S. Joannis Eleemosynarii notat Martenius Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo VIII. Num. XXVII. ubi etiam ait, Græcorum morem sequutas fuisse Gallicanas Ecclesias, probatque ex S. Gregorio Turonensi Lib. II. *De miraculis S. Martini*, Cap. XXX. Romanum vero morem Ecclesias Africanas, quia scilicet id innuere videtur S. Augustinus Sermone LVIII. ubi hæc habet: *In Ecclesia enim ad Altare Dei quotidie dicitur ista Dominica Oratio, & audiunt illam Fideles*. Nam si ab omni populo, ut apud Græcos pronunciabatur, non dixisset utique Augustinus: *audiunt illam Fideles*, sed, *Fideles illam recitant*.

VI. Ille vero singularis est ritus insignis Ecclesiæ Viennensis in Gallia, in qua scilicet, ut idem refert Martenius, postquam Sacerdos cum Hostia solitas in fine Canonis Cruces perfecit, eamdem super Calicem manu sustentat, prosequendo Orationem Dominicam usque ad verba illa, *Sicut in cælo, & in terra*, quibus illam una cum Calice ad pectoris altitudinem elevat, ac super Corporale deponit, genuflectensque cetera prosequitur. Neque demum omittenda est hic observatio Joannis Belethi, qui in sua divinorum Officiorum explicatione Cap. CXX. in fine ait, Orationem Dominicam, quæ ad Horam Primam dicitur voce summissa, ideo alta voce expressa pronunciari in Missa, *ut vel eo pacto adhortentur, qui in fraterno sunt odio, & ad concordiam discordes excitentur, antequam communicent*.

§. LXXIII.

Cum dicit, *Et dimitte nobis &c.* Subdiaconus, facta Altari reverentia cum genuflexione, accedit cum Patena cooperta ad cornu Epistolæ Altaris, ubi Diaconus, remoto velo ex Patena, illam capit de manu Subdiaconi, quam abstergit, osculatur, & cum manus osculo porrigit Episcopo celebranti, statim finita Oratione Dominica, qui illam inter indicem, & digitum medium dexteræ manus capiens absque eo, quod indicem a pollice disjungat; incepta Oratione, *Libera nos quæsumus &c.* antequam dicat verba, *Da propitius pacem &c.* signat se cum ea a fronte ad pectus, & reliqua dicit, & facit, quæ in Missali ponuntur.

§. LXXIV.

Subdiaconus statim reddita Patena Diacono, deponit velum ad manus Cæremoniarii, vel alicujus Acolythi, qui illud ad abacum reportat, ipse vero ad locum suum retro Celebrantem redit.

COMMENTARIUS.

I. VAria quæ ad hosce Paragraphos spectant, & quæ idcirco hoc loco explicanda a nobis essent, suis jam propriis locis enarrata fuere, nempe Lib. I. Cap. IX. & X. in quorum altero de officio Diaconi in Missa solemni, Episcopo, vel alio Celebrante, agitur; in

Digitized by Google

in altero vero de officio Subdiaconi in eadem Miſſa Pontificali ſolemni. Conſulenda itaque ea a Lectore ſunt loca, nempe §. v. Cap. IX. & §. VI. Cap. X. ubi duos hoſce Paragraphos explicatos reperiet. Ut autem hic nonnulla dicamus, quæ Celebrantem ſpectant, ſtatim is finita Oratione Dominica, Patenam a Diacono accipit *inter indicem, & digitum medium dexteræ manus, abſque eo quod indicem a pollice disjungat*; quam etiam ex Rubrica Miſſalis Parte II. Tit. IX. Num. I. *tenens ſuper Altare erectam ſiniſtra ſuper Corporale poſita, dicit ſecreto*, Libera nos quæſumus &c.

II. Incepta hac Oratione, *Libera nos quæſumus &c.* quam memorat Amalarius Lib. I. *De divinis Officiis*, Cap. XXXIV. quæque, ut ait Anonymus Turonenſis in ms. Speculo, *in Mediolanenſi Eccleſia alta voce depromitur*; ex præſcripto noſtri §. LXXIII. ſive potius ex Rubrica Miſſalis loco citato, Num. II. *antequam Celebrans dicat*, Da propitius pacem, *elevat manu dextera Patenam de Altari, & ſeipſum cum ea ſignat a fronte ad pectus ſigno Crucis, dicens*, Da propitius pacem in diebus noſtris; *cum ſignat ſe, manum ſiniſtram ponit infra pectus; deinde Patenam ipſam oſculatur; & proſequens*, Ut ope miſericordiæ tuæ, *ſubmittit Patenam Hoſtiæ, quam indice ſiniſtro accommodat ſuper Patenam &c.* Sunt omnes antiqui ritus, tametſi in aliquo varient antiqui Romani Ordines, Codiceſque varii antiqui Miſſarum, necnon Scriptores Liturgici. Teſte Innocentio Papa III. Lib. v. Myſteriorum Miſſæ, Cap. I. & Durando Lib. IV. in ſuo Rationali, Cap. L. Num. III. ſignat tunc Celebrans faciem tantum ſigno Crucis cum ipſa Patena, congruentior tamen viſus eſt ritus, ut Sacerdos ſe cum ea ſignaret, ſigno quidem Crucis a fronte ad pectus, & ab humero ſiniſtro ad dexterum, ut docet Gavantus in Notis ad memoratam Rubricam Miſſalis, ubi etiam in ejus Ritus confirmationem citat Sacræ Rituum Congregationis declarationem editam XIII. Martii MDCXXVII. Eſt & antiquum Patenæ oſculum, uti videre eſt in Ordinibus antiquis Romanis, & apud Scriptores, qui ſacros Eccleſiæ Ritus enarrant, qui etiam docent, per ipſum oſculum pacem a Deo peti, ut ex verbis illis patet, *Da propitius pacem in diebus noſtris &c.*

III. Tandem quod attinet antiquitatem ipſius Orationis, *Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis &c.* quæ ſtatim poſt Orationem Dominicam dicitur, volunt aliqui, ac præſertim Honorius Auguſtodunenſis in ſua Gemma, Lib. I. Cap. XC. additam illam fuiſſe a S. Gregorio. Quidquid ſit, habent eam Ordines plures antiqui Romani, varii Miſſarum antiqui Codices, ut omittam multos Scriptores Liturgicos, qui de ea mentionem faciunt, eamque etiam explicant. Quæri hic ſolet, cur in ea Oratione ſolus Andreas cum Petro & Paulo Apoſtolis nominatur? Reſpondet Gavantus, S. Gregorium ejus Orationis Auctorem ob ſingularem ſuam erga S. Apoſtolum Andream devotionem, cujus etiam nomine ædificavit Monaſterium ad Clivum Scauri, Apoſtolis Petro & Paulo adjunxiſſe Andream. Porro venerata eſt ſemper ſpeciali cultu Romana Eccleſia S. Andream utpote germanum fratrem S. Petri Principis Apoſtolorum, ut conſtat ex antiquo Romano Ordine XI. ubi ita legimus: *In feſtivitate S. Andreæ debet eſſe Romanus Pontifex cum omnibus Scholis ad S. Andream in Vaticano, ibique honorifice, ſicut in feſtivitate S. Petri, Veſperas, & Vigilias celebrare, Matutinum vero ad fratrem ejus facere, ideſt, ad Altare S. Petri.*

IV. Erat tamen antiquus uſus, ut ad ipſam Orationem, ubi una cum B. Virgine nominantur ſancti Apoſtoli Petrus, Paulus, & Andreas, plures alios Sanctos expreſſe nominare ad arbitrium Sacerdotis, ut ait Micrologus Cap. XIII. *Aliorum Sanctorum nomina annumerare non debemus, niſi quos in Canone invenimus antiquitus deſcriptos, excepto poſt*, Pater noſter *in illa Oratione*, Libera nos, *ubi juxta Ordinem, quorumlibet Sanctorum nomina internumerare poſſumus.* Idem teſtatur in Gemma ſua Honorius Auguſtodunenſis Lib. I. Cap. CIX. vetuſque Miſſale ms. Bibliothecæ Vaticanæ Palatinæ Num. CDLXXXIII. ubi poſt hæc verba, *atque Andreæ*, ait: *Hic nominat quotquot Sanctos voluerit.* Teſtis præterea eſt eruditiſſimus Joannes Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XV. Num. II. ad finem, in aliis pleriſque mſs. Miſſarum Codicibus legi Patronos illius Eccleſiæ, ad quam Codex ille pertinebat. Ambroſiani addunt Ambroſium, ut in eorum Miſſali videre eſt. In Miſſali Theſauri S. Dionyſii in Gallia poſt Andream legi ait Petrus Lebrun, Dionyſium, Ruſticum, & Eleutherium.

§. LXXV.

Cum Celebrans dixerit, *Hæc commixtio &c.* dicit, *Agnus Dei &c.* ſimul cum Aſſiſtente, & Diacono; quibus dictis, Presbyter aſſiſtens, facta genuflexione Sacramento, accedit ad dexterum latus Celebrantis, Diaconus vero ſimiliter ad ſiniſtrum, ubi ſupplet ad Librum loco Aſſiſtentis; ipſe vero Aſſiſtens, dicta per Celebrantem Oratione, *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti &c.* genuflectit, & ſtatim ſurgit, oſculatur Altare ſimul cum Celebrante, a quo dicente ei, *Pax tecum*, accipiet pacem, cui ipſe reſpondet, *Et cum ſpiritu tuo*; dumque Pacem accipit, appropinquat ſiniſtram genam ſuam ſiniſtræ Celebrantis, itaut ſe invicem leviter tangant; & iterum ante Sacramentum genuflectens, ac ſtatim ſurgens, recedit,

Digitized by Google

& comitante Cæremoniario, Pacem in Choro distribuit, sicut in Cap. XXIV. §. III. Lib. I. de ordine dandi Pacem, plene demonstratur.

COMMENTARIUS.

I. Dicta Oratione, *Libera nos quæsumus &c.* ac ritibus in ea servatis, quos supra explicuimus, ut filum Canonis Missæ non disrumpamus, submittit Celebrans Patenam Hostiæ, quam indice sinistro accommodat super Patenam, & discooperto per Diaconum Calice, genuflexus Sacramentum adorat; tum se erigens, accipit inter pollicem, & indicem dexteræ manus, & cum illis, ac pollice, & indice sinistræ manus eam super Calicem tenens, reverenter frangit per medium, dicens, *Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*, & mediam partem, quam inter pollicem, & indicem dexteræ manus tenet, ponit super Patenam: de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum pollice, & indice dexteræ manus particulam, prosequens, *Qui tecum vivit, & regnat &c.* & eam inter ipsos dexteræ manus pollicem, & indicem retinens, partem majorem, quam sinistra tenet, adjungit mediæ super Patenam positæ, interim dicens, *In unitate Spiritus sancti Deus*, & particulam Hostiæ, quam in dextera manu retinuit, tenens super Calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce cantat, *Per omnia secula seculorum*. ℟. *Amen*; & cum ipsa particula signans ter a labio ad labium Calicis, cantat, *Pax Domini sit semper vobiscum*. ℟. per Ministrum, *Et cum spiritu tuo*: particulam, quam dextera manu tenet, immittit in Calicem, dicens secreto, *Hæc commixtio, & consecratio &c.*

II. Hactenus Rubrica Missalis ex Ordinibus, & Codicibus antiquis Missarum concinnata, in quam notandum nobis illud est primum, fractionem Hostiæ, quam facit Celebrans ad ea verba, *Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*, ritum esse antiquissimum, & cum ipsa hujus Sacramenti institutione exortum. Christus enim, ut scitissime observat post alios Joannes Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XV. Num. III. in mystica cœna accepit panem, benedixit, & fregit, deditque Discipulis suis, dicens: *Hoc est Corpus meum*. Et quia præcepit Apostolis, ut idem in ejus commemorationem facerent, eundem morem & ipsi sequuti sunt, & Ecclesiæ tradiderunt. Ideo in Actis ipsorum legimus Cap. XX. quod die Dominico conveniebant cum Fidelibus ad frangendum panem; ipsique Fideles in eisdem Actis Cap. II. perseveraſſe narrantur *in communicatione fractionis panis*; non utique panis communis, sed Eucharistici, de quo ait Apostolus in Epistola I. ad Corinthios Cap. X. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?*

III. Hunc igitur ritum, ut mox memoratus Auctor subjicit, ex Domini traditione accepimus, qui Passionem suam mox futuram ea fractione designavit; ideoque Ecclesia, quæ hoc Sacrificio incruento eandem Passionem quotidie repræsentat, Corpus ejus sub specie panis immolatum quotidie frangit, quia quæ fiunt in speciebus panis, in Christi Corpore dicuntur fieri, quod sub illis reipsa existere non dubitamus. Frangitur autem, & dividitur ad divisionem specierum, ipso in se integro permanente, & in qualibet particula existente, sicut anima rationalis, ut præclare dixit S. Augustinus, Lib. VI. *De Trinitate*, Cap. VI. *& in toto corpore tota est, & in qualibet ejus parte tota est*. Sed egregium est S. Joannis Chrysostomi dictum, qui Homilia XXIV. in I. Epistolam ad Corinthios, exponens ea Apostoli Pauli verba, *Panis quem frangimus &c.* ita inquit: *Hoc licet videre fieri in Eucharistia; in Cruce autem non item, sed utique ei contrarium*: Os, *enim, inquit*, ejus non conteretur. *Sed quod non est passus in Cruce, hoc in Oblatione patitur propter te, & patitur frangi, ut omnes impleat*.

IV. Omissis aliis, quæ circa hujus Mysterii explicationem fuse enarrant Theologi, ad ritum fractionis Hostiæ quod attinet, semper ipse in Ecclesia, & ubique usitatus fuit, utpote cujus mentionem faciunt sancti Patres, & Ecclesiastici prisci Scriptores, quos longo agmine recensent doctissimus Durantus Lib. II. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. LI. Gavantus, Vicecomes, Bona, & alii passim eruditi Viri. Sane, uti post Bonam notat Martenius Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo IX. Num. III. Græci Hostiam in quatuor partes dividunt, Mozarabes in novem, Latini communiter in tres. Servatur & ille apud Græcos ritus, ut Hostiam statim post elevationem frangant hoc modo. Diaconus stans a dexteris Sacerdotis ait: *Divide Domine panem sanctum*. Sacerdos autem frangit in quatuor partes, dicens: *Frangitur, & dividitur Agnus Dei Filius Patris, qui frangitur, & non comminuitur: qui semper comeditur, & non consumitur; sed eos, qui sunt participes, sanctificat*. Tum accipit partem unam, & in manu tenet, & Diaconus ostendens sacrum Calicem dicit: *Imple, Domine sacrum Calicem*. Ait tunc Sacerdos: *Plenitudo fidei Spiritus Sancti*; & exprimens signum Crucis immittit in sanctum Calicem. Quid vero per plenitudinem Spiritus Sancti, Patres Græci hoc loco intelligant, luculenter inter alios edisserit Habertus ad Partem X. Liturgiæ Ordinandorum Observatione IV.

V. Ritu Ambrosiano post illam Orationem, *Per quem hæc omnia*, Sacerdos dividit Hostiam super Calicem, dicens, *Corpus tuum frangitur Christe, Calix benedicitur*. Tum aliam detrahit particulam, dicens: *Sanguis tuus sit semper nobis ad vitam, & ad salvandas animas Deus noster*. Mox particulam ponens in Calicem ait: *Commixtio*

Digitized by Google

xtio consecrati Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi nobis edentibus, & sumentibus proficiat ad vitam, & gaudium sempiternum. Interim Chorus concinit Antiphonam, quam vocant, *Confractorium*; statimque sequitur Oratio Dominica, & post eam, *Libera nos*; deinde, *Pax, & communicatio Domini nostri Jesu Christi sit semper vobiscum*. Et Diaconus subdit: *Offerte vobis pacem*, Choro respondente, *Deo gratias*. Vide Martenium Lib. I. Cap. IV. Articulo XII. Ordine III. ubi affert Missale Ambrosianum jussu sancti Caroli impressum anno MDLXVI.

VI. In longum profecto nostra abiret oratio, si hunc ritum fractionis Hostiæ luberet describere ex variis Liturgiis, tum Græcis, sive Orientalibus, tum Latinis, quæ videri possunt apud Viros Clarissimos Petrum Lebrun, & Eusebium Renaudotium. Non omittendus est autem Ritus Romanus, quo olim, fracta Hostia, una pars quidem servabatur usque ad finem Missæ, ut ex Sergio Papa refert Gratianus Can. XXII. *De consecratione*, Distinctione II. quam pro infirmis reservatam fuisse asserit Micrologus. Ordo quoque Romanus V. Num. X. ait, particulas Oblatæ, seu Hostiæ, quam frangit Pontifex, ab eo super Corporale relinqui: *Episcopus rumpit unam Oblatam, & ex ea particulam unam in Corporale mittat, & aliam in Calicem, dicendo*, Pax Domini sit semper vobiscum, *venientesque &c.*.

VII. Circa Hostiæ divisionem notanda hic est observatio Ernulfi Roffensis Episcopi in Epistola ad Lambertum, quæ legitur Tomo II. Spicilegii Dacheriani: *Nonnullæ*, inquit, *Ecclesiæ illum habent usum, ut Hostiam non per medium dividant, sed eam trium æqualitate partium comminuant*. Et paulo post exponens rationem, cur Hostia tres dividatur in partes, hæc habet: *Ecclesiastica inolevit consuetudo, ut Episcopo, aut Presbytero sacrificante, & Diacono, ac Subdiacono cooperante, ejusdem obsequii nemo, aut raro quisquam a sanctæ communionis excipiatur participatione. Quia ergo ipsis tribus Dominici Altaris servitoribus commissa sunt Dominica Sacramenta, quibus Scriptura communicare jubet, statutum est, ut arcanæ recordationis Hostia in tres partes dividatur, quæ divisæ, a singulis servitoribus singulæ suscipiantur; quarum una Sacerdos in Calice securius sibi reservata, ceteras in Patena Ministris, si præsentes fuerint, porrigendas custodit. Eis absentibus, sicut agit, quæ erant acturi, ita accipit, quod erant accepturi*.. Deinde alias mysticas rationes adducit, quas apud ipsum Lectores pii consulere poterunt.

VIII. Juxta hodiernum ritum, qui etiam habetur in Ordine XIV. Romano, Sacerdos fracta Hostia in duas partes æquales, unaque deposita super Patena, ex altera parte, quam tenet sinistra manu, aliam particulam decerpit, qua ter signans Calicem, dicit: *Pax Domini &c.* quæ salutatio, non modo in laudato Romano V. Ordine, & in aliis, sed & in omnibus antiquis Missalibus reperitur. Illam vero particulam mittit in Calicem, dicens: *Hæc commixtio, & consecratio Corporis &c.* Abest a quibusdam Codicibus vox *Consecratio*, quæ quidem, ut docet Bona, de exteriori quadam consecratione ex Corporis, & Sanguinis mixtione intelligenda est; quamvis enim nec Corpus sine Sanguine, nec Sanguis sine Corpore sit, quia tamen seorsum Corpus sub specie panis, & Sanguis sub vini specie consecrantur, justis de causis, quas tradunt Missæ expositores, & videri possunt apud Lebrun Tomo I. Parte V. Articulo V. statutum est, ut Corpus Sanguini misceretur; qui ritus tum in Græcis, tum in Latinis Liturgiis reperitur, licet Oratio, quæ in ea mixtione dicitur, in diversis Codicibus, diversis verbis concepta sit, quæ tamen idem significant, uti in Codicibus ipsis, & in Liturgiis a doctis Viris descriptis videre est.

IX. Facta commixtione cum particula Hostiæ immissa in Calicem, duabus aliis partibus super Patenam depositis, & cooperto interim a Diacono Calice ipso cum Palla, mox Celebrans ex §. nostri Rubrica, *dicit*, Agnus Dei &c. *simul cum Assistente, & Diacono*; juxta ritum scilicet jam superius explicatum Lib. I. Cap. VII. & IX. in quorum altero de Presbytero assistente, ejusque officio, in altero de Diacono, & ejus muniis in Missa Pontificali actum fuit. Ritus dicendi, *Agnus Dei &c.* reperitur in omnibus fere antiquis Missarum Codicibus, in nonnullis scilicet semel, in aliis tertio repetendus; & quidem, ut ait Anonymus Turonensis, *non continue, sed interpolate, & mixtim cum privata Oratione*. Ejus ritus Auctor fuisse videtur Sergius I. Papa, qui circa annum Christi DCLXXXVII. Summum Pontificatum iniit, de quo Liber Pontificalis in ejus Vita sic inquit: *Hic statuit, ut tempore confractionis Dominici Corporis*, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, *a Clero, & populo decantetur*. Ter ex antiquo instituto dicitur saltem in multis Ecclesiis, & cum ea semper clausula, *miserere nobis*, olim pronunciabatur; sed multis postea ingruentibus Ecclesiæ adversitatibus, ut ait Innocentius III. Lib. VI. *De Mysteriis Missæ*, Cap. VI. sive ad tollendum schisma, ut alii scribunt, statutum fuit, ut in tertio diceretur, *Da nobis pacem*.

X. Pluribus jam ab hinc seculis is ritus receptus, hodieque etiam ubique servatur, excepta Basilica Lateranensi, in qua, ut scribit Paulus Diaconus in Libro, *De Ecclesia Lateranensi*, Cap. VI. *non cantatur ad Missas*, Agnus Dei qui tollis peccata mundi dona nobis pacem, *quoniam ibi summa pax Justorum ipse Christus erit*. Servatur hic idem hodieque ipsa Lateranensi Basilica ritus, cujus etiam meminit Libellus continens ordinem recitandi divinum Officium, qui quotannis pro eadem Basilica imprimi solet, ibi enim legitur: *Ad Agnus Dei non dicitur*, dona nobis pacem, *sed semper*, miserere nobis, *Ecclesiæ ritu antiquo servato*. In Missis Defunctorum ex antiquo pariter ritu ad *Agnus Dei*, non dicitur miserere nobis, *verum ter cum dona eis requiem*, ut tradit Belethus in explicatione divinorum Officiorum, Cap. XLVIII. Idem & aliquid amplius do-

Digitized by Google

doc et Durandus Lib. IV. ſui Rationalis, Cap. LII. Num. IV. *In Miſſa*, inquit, *pro Defunctis dicitur bis*, Agnus Dei, *cum* dona eis requiem; *tertio additur*, ſempiternam; *nec dicitur*, dona nobis pacem; *quia tunc imitamur exequias Salvatoris*. In Miſſali Ambroſiano ad tertium, *Agnus Dei*, in Miſſa ſcilicet pro defunctis ita legitur: *Dona eis requiem ſempiternam, & locum indulgentiæ cum Sanctis tuis in gloria*.

XI. Ritus qui a Celebrante in dicendo, *Agnus Dei*, ſervari debet ex Rubrica Miſſalis, Parte II. Tit. X. Num. II. is eſt: *Stans junctis manibus ante pectus capite inclinato verſus Sacramentum, dicit intelligibili voce*, Agnus Dei qui tollis peccata mundi, *& dextera percutiens ſibi pectus, ſiniſtra ſuper Corporale poſita, dicit*, Miſerere nobis; *& deinde non jungit manus, ſed iterum percutit ſibi pectus, cum dicit ſecundo*, Miſerere nobis; *quod & tertio, facit, cum dicit*, Dona nobis pacem. Qui ritus in omnibus Miſſis ſervatur, iis exceptis, quæ pro Defunctis celebrantur, in quibus etiam ad verba, *dona eis requiem*, pectus minime percutitur, id quod etiam notat Craſſus Lib. II. Cap. III. quamquam recens ſit inſtitutum, ut cum in aliis Miſſis dicitur bis, *Miſerere nobis*, & ultimo, *dona nobis pacem*, pectus pecutiatur; non enim eum ritum legi apud antiquos Scriptores, nec in priſcis Miſſarum Ordinibus. Meminit nihilominus ejus ritus Craſſus Lib. II. Cap. IV. Sane illud conſtat ex S. Auguſtino in Sermone CCCLI. fieri olim conſueviſſe pectoris tunſionem tum a Celebrante, tum a circumſtantibus ad ea Dominicæ Orationis verba: *Dimitte nobis debita noſtra*.

XII. Dicto a celebrante Epiſcopo, *Agnus Dei &c.* una cum aſſiſtente Presbytero, & Diacono, ex præſcripto noſtri §. *Presbyter aſſiſtens facta genuflexione Sacramento*, (quæ verba, *facta &c.* adjuncta huic §. ſunt in novo noſtro Cæremoniali a Benedicto XIII.) *accedit ad dexterum latus Celebrantis, Diaconus vero ſimiliter ad ſiniſtrum, ubi ſupplet ad Librum loco Aſſiſtentis, ipſe vero aſſiſtens dicta per Celebrantem Oratione*, Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti &c. *genuflectit, & ſtatim ſurgit, oſculatur Altare ſimul cum Celebrante, a quo dicente ei*, Pax tecum, *accipiet Pacem, cui ipſe reſpondet*, Et cum ſpiritu tuo; *dumque pacem accipit &c.* Ritus a Presbytero aſſiſtente, & a Diacono ſervandi in Miſſa Pontificali poſt dictum, *Agnus Dei &c.* cum Celebrante, jam ſupra Lib. I. explicati ſunt, Cap. VII. & IX. ubi de eorum muniis actum eſt in Miſſa Pontificali ab eiſdem peragendis; ſicut etiam de ordine dandi Pacem eodem Lib. I. Cap. XXIV. plene demonſtratum eſt. Porro licet ſolus Presbyter aſſiſtens accepturus pacem a Celebrante oſculetur Altare, ut in hoc §. & ſupra Lib. I. Cap. XXIV. §. III. non tamen duo Diaconi aſſiſtentis, ſicut nec Diaconus Euangelii, & Subdiaconus Epiſtolæ, qui quidem pacem a Celebrante accipiunt, ſed non oſculantur Altare, ſciendum nihilominus in Miſſa ſacræ Ordinationis, ut in Romano Pontificali habetur, dari *primo ex ſingulis Ordinatis Altare prius deoſculantibus pacem*, eſtque hic peculiaris ejus Miſſæ Ritus; nam alias ſervari debent generales Cæremonialis, ac Miſſalis Rubricæ.

XIII. Ergo ut aliquid hic de Celebrante dicamus, & de Orationibus ab ipſo recitandis, finito, *Agnus Dei*, ex Rubrica Miſſalis, Parte II. Tit. X. Num. III. *manibus junctis ſuper Altare poſitis, oculiſque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit ſecreto*, Orationem ſcilicet, *Domine Jeſu Chriſte &c.* Hanc Orationem, quæ eſt pro Pace, non haberi quidem apud antiquos, ſed obiter indicari a Durando, ait Gavantus, qui tamen errat, nam invenitur in antiqua Miſſa ab Illyrico edita, & in aliis priſcis Codicibus, ut notat Petrus Lebrun, Tomo I. Parte V. Articulo VII. ubi etiam docet, alteram Orationem, quæ incipit, *Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi &c.* in ipſa quoque Illyrici Miſſa, & in aliis quoque priſcis Sacramentariis extare, mentionemque de ea fieri a Micrologo, qui Cap. XVIII. ait, dici eam Orationem, *non ex Ordine, ſed ex Religioſorum traditione*. Ad tertiam tandem Orationem quod attinet, teſtatur Gavantus in Rubricas Miſſalis, Parte II. Tit. X. Num. IV. nullum Auctorem ſe inveniſſe, qui eam Orationem indicet, legiſſe tamen ſe ipſam in ms. Miſſali Codice Bibliothecæ Vaticanæ, Num. 4743. Sane Sacerdotes Ordinis Prædicatorum ſecundam tantum dicunt in Miſſa. Ritu Romano ſemper prædictæ tres Orationes dicuntur, exceptis Miſſis Defunctorum, in quibus prima, quæ eſt de Pace omittitur, quia ſcilicet, ut alibi dictum eſt, in ipſis Defunctorum Miſſis non datur Pax.

§. LXXVI.

Quo facto, revertitur ad locum, & officium ſuum. Interim Diaconus ſupplet ad Librum loco Presbyteri aſſiſtentis a ſiniſtris, & Subdiaconus a dexteris ſervit diſcooperiendo Calicem, & alia faciendo, quæ erunt opportuna, donec Epiſcopus communicet. Celebrans proſequitur Miſſam prout in Miſſali; & cum ſacram communionem Corporis, & Sanguinis ſumſerit, ac ſe purificaverit, digitoſque abluerit, accedit Acolythus de Mitra ſerviens, illamque porrigit Diacono, & Diaconus eam imponit Celebranti, fimbrias elevante Diacono aſſiſtente, vel Cæremoniario, qui ſtans in cornu Epiſtolæ lavat manus, afferente lances Scutifero, ſeu Nobili, ordine ſuperius dicto; & Presbyter aſſiſtens transfert Librum ex latere Euangelii ad latus Epiſtolæ, niſi jam translatus fuerit a Diacono.

§. LXXVII.

Digitized by Google

§. LXXVII.

Subdiaconus vero complicat Corporale, tergit, & mundat Calicem, & omnia, quæ prius attulerat, colligit, & componit, velum, & burſam ſuper Calicem reponendo, eaque ad abacum reportat, ſine tamen velo humerali, per gradus anteriores Altaris, facta illi reverentia.

COMMENTARIUS.

I. POſtquam Presbyter aſſiſtens, comitante eum Cæremoniario, ac ſervatis ritibus ſupra Lib. I. Cap. XXIV. §. III, deſcriptis, Pacem, quam a Celebrante acceperat, in Choro diſtribuit, *revertitur ad locum, & officium ſuum*, ſuppletque interim Diaconus ad Librum loco ipſius aſſiſtentis Presbyteri a ſiniſtris, & Subdiaconus a dexteris ſervit diſcooperiendo Calicem, & alia faciendo, quæ erunt opportuna, donec Epiſcopus communicet, ut ait hic noſter §. ex cujus etiam præſcripto Epiſcopus ipſe *celebrans proſequitur Miſſam prout in Miſſali*, Nempe, dictis duabus Orationibus pro communione, ut ſupra, ideſt, *Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi &c.* & *Perceptio Corporis tui &c.* ut verbis utar Rubricæ Miſsalis, Parte II. Tit. X. Numero IV. ad quam §. noſter ſe refert, *genuflectens Sacramentum adorat, & ſe erigens, dicit ſecreto*, Panem cæleſtem accipiam &c. *quo dicto dextera manu accipit de Patena reverenter ambas partes Hoſtiæ, & collocat inter pollicem, & indicem ſiniſtræ manus, quibus Patenam inter eundem indicem, & medium digitos, ſupponit; & eadem manu ſiniſtra tenens partes hujuſmodi ſuper Patenam inter pectus, & Calicem, parum inclinatus dextera tribus vicibus percutit pectus ſuum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum elevata*, Domine non ſum dignus; *& ſecreto proſequitur*, ut intres &c.

II. Multa ſunt, quæ in hanc Rubricam nos adnotemus, ſed illud præcipuum eſt, verba illa, *Panem cæleſtem accipiam &c.* quemadmodum & ea quæ ſequuntur, *Domine non ſum dignus &c.* legi apud Durandum in ejus Rationali Lib. IV. Cap. LIV. Num. X. In Miſſa ab Illyrico edita, & in aliis Miſſarum antiquis Codicibus, verba illa, *Panem cæleſtem &c.* dicit Sacerdos, *quando Corpus Dominicum in manus accipit*, uti in Miſſa ipſa Illyrici videre eſt apud Martenium Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo XII, Ordine IV. & apud Joannem Bonam Cardinalem in appendice ad ſuum Librum, *Rerum liturgicarum*. Quamobrem errat Lebrun, cum in ſua Liturgiæ explicatione Tom. I. Parte V. Articulo IX. §. I. in Nota ait, loco ipſorum verborum hanc orationem legi: *Ecce Jeſu benigniſſime, quod concupivi, jam video, quod ſperavi, jam teneo; hinc tibi quæſo jungar in Cælis, quod tuum Corpus, & Sanguinem, quamvis indignus cum gaudio ſuſcipio in terris. Ave in ævum ſanctiſſima caro, mea in perpetuum ſumma dulcedo*. Quæ quidem Oratio & in aliis antiquis Miſſalibus legitur.

III. Verba, *Domine non ſum dignus &c.* non modo extant apud Durandum, ſed etiam in Miſſali Ambroſiano, in quo præſcribitur, ut ipſa Celebrans, *percutiendo pectus, dicat ter*. Idipſum præſcribunt alii mſs. antiqui Libri Miſſales, quamvis in aliis ritus ille deſideretur. Ejus tamen uſum commendat Origenes Homilia V. in diverſa loca Euangelii, ita inquiens: *Quando ſanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum; quando vitæ pane, & poculo frueris, manducas, & bibis, Corpus, & Sanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum ingreditur. Et tu ego humilians teipſum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.* Chryſoſtomus quoque in Homilia de S. Thoma Apoſtolo exhortans Fideles, ut puri accedant ad Dominum ait: *Dicamus Redemtori noſtro, Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum animorum noſtrorum; quia tamen tu a nobis teneri vis, de tua freti indulgentia ad te accedimus*; Ex antiquiſſimo ergo ritu procedit, ut communicaturi dicant, *Domine non ſum dignus &c.* In multis Miſſalibus antiquis variæ reperiuntur Orationes ante communionem recitandæ, quas longum eſſet hoc loco deſcribere.

IV. Ubi Celebrans inclinatus dicit ter, *Domine non ſum dignus &c.* ſtant inclinati etiam, & manibus junctis, Diaconus qui ſupplet ad Librum loco Presbyteri aſſiſtentis a ſiniſtris, & Subdiaconus a dexteris. Celebrans ubi tertio dixit, *Agnus Dei &c.* juxta eamdem Miſſalis Rubricam, *ex ſiniſtra accipit ambas partes prædictas Hoſtiæ inter pollicem, & indicem dexteræ manus, & cum illa ſupra Patenam ſignat ſeipſum ſigno Crucis, ita tamen ut Hoſtia non egrediatur limites Patenæ, dicens*, Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam meam in vitam æternam, Amen; *& ſe inclinans, cubitis ſuper Altare poſitis, reverenter eaſdem ambas partes ſumit*. Sunt ritus hi plane antiqui, quos fuſe exponit in ſuo Rationali Durandus Lib. IV. Cap. LIV. ubi etiam Num. XI. ait, Corpus, & Sanguinem Domini ſumturum, ſe cum illis ante faciem Cruce ſignare; quia ſcilicet, *ſicut prius* Celebrans *Cruces faciendo active tanquam Miniſter illa ſanctificavit, ſic ſe eis nunc Cruce ſignando paſſive petit ſanctificari*. Quamquam ex Rubrica Miſſalis manu dextera admovenda ſit ori Hoſtia a Celebrante illam ſumturo; ſiniſtra tamen accipiunt Dominicani; qui ritus etiam antiquus eſt, quin & ab Ordine XIV. Romano præſcriptus, Cap. LIII. *Subſequenter*, inquit, *accipiens cum digitis ſiniſtræ manus illas*

duas

Digitized by Google

duas partes Hostiæ, quæ sunt supra Patenam, sumat easdem cum omni devotione, & reverentia.

V. Formula illa verborum, *Corpus Domini nostri &c.* habetur Lib. VIII. *Constitutionum Apostolicarum*, Cap. XIII. in Sacramentario sancti Gregorii, & in aliis antiquis Missalibus, quamquam in multis aliis varia legatur formula, ut in Missa Illyrici, ubi Celebrans cum Corpus Christi sumit, ita dicit: *Corpus D. N. J. C. sit mihi remedium sempiternum in vitam æternam.* In Missali Ambrosiano a S. Carolo Mediolani impresso anno MDLXVI. *Corpus Domini nostri Jesu Christi proficiat mihi sumenti, & omnibus, pro quibus hoc Sacrificium obtuli, ad vitam, & gaudium sempiternum.* Varias id genus formulas legere est in antiquis variis Missarum Ordinibus a Martenio editis dicto Lib. I. Cap. IV. Articulo XII. Porro tenetur, qui Sacrificium celebravit, semper communicare, tametsi pluries una die celebret juxta Decretum Concilii Toletani XII. anni DCLXXXI. Can. V. quo Sacerdotes quosdam carpit, qui cum plurima una die offerrent Sacrificia, in sola tantum extrema Sacrificii oblatione communicabant. Relatus est ipse Canon a Gratiano in suum Decretum, *De Consecratione*, Distinctione II. Estque Canon XI. qui incipit, *Relatum est nobis*, ubi edicitur, *ut quotiescumque sacrificans Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi in Altario immolat, toties perceptionis Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi participem se præbeat.* Id quod hodie rite fit in tribus Missis, quas in die Natali Domini ex antiquissimo Eccle- instituto celebrare solemus.

VI. Sumto Corpore Domini, ex ejusdem Missalis Rubrica Celebrans *deponit Patenam super Corporale, & erigens se, junctis indicibus, & pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit, & aliquantulum quiescit in meditatione sanctissimi Sacramenti.* Est & is antiquus ritus, qui tamen, ut tradit Durandus, non quidem post, sed ante perceptionem sanctissimi Christi Corporis servabatur. Sic enim ille Lib. IV. Cap. LIV. Num. X. *Hoc autem breviter notandum, quod Sacerdos ante perceptionem Corporis, & Sanguinis Christi debet dicere orationes a sanctis Patribus institutas; deinde meditari debet in Incarnatione, in Passione, in virtute hujus Sacramenti, dicens &c.* Tum vero Num. XI. nulla facta mentione meditationis, de qua loquitur Rubrica Missalis, faciendæ scilicet aliquantulum post sumtionem sanctissimi Christi Corporis, ita subjicit: *Dicto,* Corpus Domini &c. *sumat Eucharistiam; deinde junctis manibus inclinans Sanguini &c.* Quidquid sit, idem fere quod Rubrica Missalis, præscribit etiam Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gaetano, Cap. LIII. prope finem: *Dum habet in ore sacrum Domini Corpus, teneat manus ante pectus junctas in modum orantis.* Expressius eumdem hunc ritum exponit Crassus Lib. II. Cap. IV. *Devote inclinatus ambas partes Hostiæ accipiat in ore, & erigens se, stet modicum, quasi contemplando, donec ipsam Hostiam desumserit.*

VII. Rursus ex memorata Rubrica Missalis, ubi post sumtionem Christi Corporis aliquantulum quievit Celebrans manibus ante faciem junctis (non ita tamen faciei proximis, ut os, vel nares tangant, uti est complurium abusus) in meditatione sanctissimi Sacramenti, deinde illis depositis, *dicit secreto*: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi; *& interim* discooperiente Calicem Subdiacono, qui uti in nostro §. LXXVI. edicitur, *a dexteris servit, discooperiendo Calicem, & alia faciendo, donec Episcopus communicet*, Celebrans ipse *genuflectit*, ut ait ipsa Missalis Rubrica, *accipit Patenam, inspicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, si quæ sint in eo, Patenam quoque diligenter cum pollice, & indice dexteræ manus super Calicem extergit, & ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.* Hæc sane concinunt iis, quæ Ordo ipse Romanus XIV. monet a Celebrante præstanda ante sumtionem Calicis: *Detecto Calice*, inquit, *poterit super eum detergere paululum Patenem cum pollice dextero; ut siquid in ea remansit de Hostia, cadat in Calicem, & dicat illos versus*, Quid retribuam &c. Calicem &c. *& alia dicenda ante sumtionem Sanguinis, prout in Libro habentur.* Sed rectius ait Rubrica Missalis, non modo ex Patena, verum & ex ipso Corporali colligenda esse sacræ Hostiæ fragmenta, *si quæ sint in eo*; necessarium enim est, ut ea diligentia adhibeatur, ut scite notat Gavantus.

VIII. Oratio, *Quid retribuam Domino &c.* non modo extat in ipso Romano Ordine XIV. & apud Durandum, verum in Missali Ambrosiano, in pervetusta Missa Illyrici, & in aliis priscis Codicibus, & Ordinibus Missarum, tametsi alii non desint Codices, in quibus alii leguntur versus. Ut ut sit ea variatio, post exterionem Patenæ ex præscripto Rubricæ Missalis, Parte II. Tit. X. Num. V. Celebrans, *junctis pollicibus, & indicibus, Calicem dextera manu infra nodum Cuppæ accipit, sinistra Patenam, dicens*, Calicem salutaris &c. *& signans se signo Crucis cum Calice, dicit*, Sanguis Domini nostri &c. *& manu sinistra supponens Patenam Calici, stans reverenter sumit totum Sanguinem cum particula*, Hostiæ scilicet, quam fregerat. Verba, *Calicem salutaris &c.* extant plane in citatis superius Missarum Codicibus, post illa verba, *Quid retribuam Domino &c.* Ex Durando Lib. IV. Cap. LXIV. Num. XII. *Sacerdos Sanguinem sumens, propter majorem securitatem Calicem cum utraque manu tenere debet.* Ad quem ritum forte alludit Romanus Ordo XIV. ubi ita de ea re inquit: *Demum sumat Sanguinem cum parte Hostiæ, quæ in Calice est, cum omni reverentia, & cautela.*

IX. Formula verborum, quam in Calice sumendo Celebrans dicit, non eadem est in antiquis Missis, sicut nec illa, qua Corpus sumitur, uti supra notatum est. In antiqua Missa Illyrici, & in aliis plerisque, cum Sanguinem sumit, dicit Sacerdos: *Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat me in vitam æternam.* Ita etiam dicunt hodieque Dominicani. Sed audiamus Durandum, qui ita ritum exponit in Sanguinis sumtione servandum,

Digitized by Google

vandum, loco citato Num. XI. *Dicto*, Corpus Domini cuſtodiat &c. *deinde junctis manibus inclinans Sanguini dicat*: Quid retribuam &c. *Et dicens*, Calicem Domini accipiam, *& non prius, accipit, & elevat Calicem de Altari; poſtea vero dicens*, Laudans invocabo Dominum, *ſe ſignat cum illo; quo verſu expleto, Sanguinem ſumit*. Sumto Sanguine, dicit deinde Celebrans ſecreto: *Quod ore ſumſimus Domine &c.* quæ Oratio legitur in variis Ordinibus Romanis, & apud Micrologum, Cap. XIX. tum ſuper Altare porrigit Calicem Subdiacono, qui in eum vinum imponat pro purificatione, *niſi prius redierit ad locum ſuum Presbyter aſſiſtens*, qui in Chorum iverat ad diſtribuendam Pacem, *quia tunc hoc facit Diaconus reverſus ad dexteram Epiſcopi*, uti edicitur ſupra Lib. I. Cap. X. §. VI.

X. Ritus purificationis cum vino non eſt ita antiquus, uſque enim ad XII. Seculum ſoliti erant Sacerdotes poſt acceptam Euchariſtiam manus lavare, aquam in ſacrarium projicere. Mandat nihilominus Innocentius III. in Epiſtola ad Epiſcopum Magalenſem data, quæ relata eſt in Cap. *Ex parte*, V. *De celebratione Miſſarum, quod ſemper Sacerdos vino perfundere debet, poſtquam totum acceperit Euchariſtiæ ſacramentum, niſi cum eodem die aliam Miſſam debuerit celebrare, ne ſi forte vinum perfuſionis acciperet, celebrationem aliam impediret*. Hinc in die Nativitatis Dominicæ, quo tres Sacerdos celebrat Miſſas, in prima, & ſecunda non accipit purificationem. Ceterum non eſt hic omittendum, quod ad rem noſtram obſervat eruditus Henricus Valeſius in Notis ad Hiſtoriam Euſebii Libro VI. Cap. XLIII. nempe, quod poſtquam Diaconi laicis Euchariſtiam præbere deſierunt, conceſſum illis eſt, ut vinum laicis poſt communionem præberent. Qui ritus ſervatur hodieque in multis Eccleſiis, ubi poſt datam a Sacerdote laicis Euchariſtiam, ejus miniſter præbere ſolet vas cum vino, ut inde aliquid vini ſumant ad ſe purificandum.

XI. Sumta purificatione, abluit mox Celebrans pollices, & indices ſuper Calicem, miniſtrante ei vinum, & aquam Subdiacono, ſive Diacono, uti notatum eſt ſuperius; eamque ablutionem ſumit, licet olim non ſumeretur, ſed in ſacrarium, ſeu in piſcinam Eccleſiæ projici ſoleret, ſicut & purificatio, quæ fiebat cum ſolo vino. Utramque nunc ablutionem ſumit Sacerdos, & in medio Altaris, ut ait Durandus Libro IV. Cap.XV. Extat & de utraque ſumtione teſtimonium Ordinis XIV. Romani Cap. LIII. prope finem, ubi poſt ſumtionem ſanctiſſimi Chriſti Sanguinis, ita ſubjicit: *Quo ſumto, recipiat modicum de vino in Calice, infundente illud Subdiacono, & illud ſumat ad abluendum os ſuum. Poſtea dicendo illas Orationes*, Quod ore ſumſimus &c. *&* Corpus tuum, *tenens ſuper Calicem digitos utriuſque manus, quibus tetigit Hoſtiam, abluat ipſos modicum, Subdiacono iterum infundente vinum, & antequam illud ſumat, abluat iterum digitos cum aqua, quam infundat Capellanus cum pelvibus, & ipſa aqua projiciatur in loco mundo*. Ubi nota, tum purificationem, tum ablutionem ſuper Calicem factam olim fuiſſe cum ſolo vino.

XII. Quantum ad Orationem illam, *Corpus tuum Domine, quod ſumſi*, quam ex Rubrica Miſſalis dicit Celebrans, cum vino, & aqua abluit pollices, & indices ſuper Calicem, occurrit in multis antiquis Libris Miſſalibus, licet aliquantulum diverſa, ut in Miſſa ab Illyrico edita, ubi poſt aliam prolixiorem Orationem dicendam poſt perceptam communionem, ita legitur: *Corpus tuum Domine, quod accepi, & Calix, quem potavi, adhæreant in viſceribus meis, & præſta, ut nulla ibi remaneat peccati macula, ubi tua ſanta introierunt Sacramenta. Qui vivis &c.* In aliquibus Miſſalibus, ut in Ambroſiano præter alias Orationes poſt digitorum, & Calicis purificationem, dici etiam ſolebat: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Deo gratias. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*.

XIII. Ablutis a Celebrante cum vino, & aqua digitis ſuper Calicem, eaque ablutione ſumta, ac digitis ipſis Purificatorio abſterſis, ex præſcripto noſtri §. LXXVI. *accedit Acolythus de Mitra ſerviens, illamque porrigit Diacono, & Diaconus eam imponit Celebranti, fimbrias elevante Diacono aſſiſtente, vel Cæremoniario, qui ſtans in cornu Epiſtolæ lavat manus &c.* Pretioſam tunc Mitram imponendam eſſe capiti Epiſcopi, dictum eſt ſupra Lib. I. Cap. IX. §. VII. his verbis: *Poſtquam Celebrans digitos abluerit, Diaconus translato Libro ad cornu Epiſtolæ, imponit Mitram pretioſam in capite Epiſcopi, qui abluit manus &c.* Libri translatio proprie pertinet ad Presbyterum aſſiſtentem, qui tamen ſi occupatus adhuc fuerit in diſtribuenda Pace per Chorum, tunc Liber ipſe a Diacono transfertur, uti habetur ſupra eodem Libro I. Cap. VII. §. VI. itemque in hoc præſenti noſtro §. LXXVI. in fine: *Presbyter aſſiſtens transfert Librum ex latere Euangelii ad latus Epiſtolæ, niſi jam translatus fuerit a Diacono*.

XIV. Mitra pretioſa ornatus Epiſcopus, *ſtans in cornu Epiſtolæ*, inquit §. noſter LXXVII. *lavat manus, afferente lances Scutifero, ſeu Nobili, ordine ſuperius dicto*, nempe ſupra Lib. I. Cap. XI. §. XI. & ſeq. *Subdiaconus vero*, nempe dum Epiſcopus lavat manus, uti edicitur in ipſo Lib. I. Cap. X. §. VI. *tergit Calicem, plicat Corporalia; illaque ſimul cum Palla, Purificatorio, & burſa ad abacum reportat, cum debitis reverentiis, mox redit ad locum ſuum poſt Epiſcopum, & ibi ſtat uſque ad finem Miſſæ, & ea finita, adjuvat Diaconum in exuendo Epiſcopum*. Eadem præſcribit noſter hic §. LXXVII. in quo etiam & illud adjungitur, reportandum eſſe quidem a Subdiacono Calicem cum burſa, & velo ad Abacum, *ſine tamen velo humerali, per gradus anteriores Altaris, facta illi reverentia*. Porro juxta Ordinem XIV. Romanum Auctore Jacobo Gaetano, Cap. LIII. munus erat Diaconi, *Corporalia complicare, & reponere in loculo, in quo ſervari debent*. Subdiaconus autem abluebat Calicem cum aqua munda, quæ deinde in loco mundo projicieba-

Digitized by Google

ciebatur, tum ipſum abſtergebat Calicem, decenterque obvolvebat ipſum ſimul cum Patena, & tradebat Acolytho reponendum. Cujus ritus veſtigium legere eſt etiam in aliis Ordinibus Romanis antiquioribus a doctiſſimo Mabillonio in ſuo Muſeo Italico allatis Tomo II.

§. LXXVIII.

Epiſcopus vero, terſis manibus, deponit Mitram, legitque Communionem ex Libro, quæ etiam cantatur a Choro poſt, *Agnus Dei*, poſtquam Epiſcopus ſumſerit Communionem; & ea cantata Epiſcopus accedit ad medium Altaris, quod oſculatur more ſolito, & vertens ſe ad populum per latus ſuum dexterum, cantat, *Dominus vobiſcum*; & reverſus ad Librum per eandem partem, dicit, *Oremus*, verſa facie ad Crucem Altaris; deinde Orationem, ſeu Orationes competentes: quibus cum ſua concluſione finitis, redit iterum ante medium Altaris, quod ut prius oſculatur, & rurſus ad populum verſus, cantat, *Dominus vobiſcum*; & reſponſo per Chorum, *Et cum ſpiritu tuo*, Diaconus vertit faciem ad populum, renes autem Celebranti, vel alias juxta diſpoſitionem Altaris; & regulariter ſtat verſus, prout Celebrans, & cantat, *Ite Miſſa eſt*, in tono feſtivo; quo dicto, ipſe, & Celebrans ſimul vertunt ſe per latus Epiſtolæ ad Altare, & Celebrans dicit, *Placeat tibi ſancta Trinitas &c.*

COMMENTARIUS.

I. LOtis jam manibus, ac terſis, *deponit Epiſcopus Mitram*, quam ei ſcilicet aufert Diaconus, uti habetur ſupra Libro I. Cap. IX. §. VII. *legitque Communionem ex Libro, quæ etiam cantatur a Choro poſt*, Agnus Dei, *poſtquam Epiſcopus ſumſerit Communionem.* Communio hæc, eſt Antiphona, ſeu Verſiculus, utplurimum olim e Pſalmis excerptus, qui decantabatur, dum ſacra Communio diſtribueretur Fidelibus, uti ex Micrologo addiſcimus, qui in Libro, *De Eccleſiaſticis obſervationibus*, ita inquit: *Debent omnes communicare interim cum Antiphona cantatur, quæ de communione nomen mutuavit, cui & Pſalmus ſubjungendus eſt cum* Gloria Patri, *ſi neceſſe fuerit*. Præclarius eundem ritum referunt Ordines antiqui Romani, inter quos Ordo II. Num. XIV. hæc habet: *Mox ut Pontifex cœperit communicare populo in Senatorio, ſtatim Schola incipit Antiphonam ad Communionem, & pſallunt uſque dum communicato omni populo &c.* Ordo III. de ipſa re ſic ait Numero XVIII. *Cum cœperit Pontifex Clerum, ſive populum communicare, Schola incipit Antiphonam ad Communionem pſallere &c.*

II. Conſtat itaque ex memoratis Ordinibus Romanis, aliiſque etiam inſequentibus, cantatam Antiphonam a Choro, non autem a Celebrante lectam in Libro, ut etiam in hoc noſtro §. præſcribitur, quia ſcilicet olim regulariter, quod canebatur a Choro, minime a Celebrante legebatur. Sed hoc omiſſo, morem fuiſſe antiquum in Eccleſia Græca ſervatum, ut ad Communionem invitaretur populus a Pſalmiſta per illum Pſalmi XXXIII. Verſiculum nonum, *Guſtate, & videte, quod bonus eſt Dominus*, diſerte docet S. Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus, Catecheſi XXIII. Myſtagogica V. Num. XX. Id quod jam ante Cyrillum tradidit Auctor Apoſtolicarum Conſtitutionum Lib. VIII. Cap. XIII. ubi ait cantandum eſſe Pſalmum XXX. ex quo Verſiculus ille, *Guſtate &c.* deſumtus eſt. En ergo unde ſuam trahat originem, *Communio*, ſeu *Poſtcommunio*, ideſt Verſiculus, ſeu Antiphona, quæ hodie poſt acceptam Euchariſtiam, & ablutas manus, & a Celebrante in Altari voce ſummiſſa dicitur, & a Choro alta voce cantatur. Sed audiamus Durandum, qui ita ad rem ait Lib. IV. ſui Rationalis, Cap. LVI. Num. I. *Antiphona, quæ* Poſtcommunio *a pluribus nuncupatur, ideo ſic appellata eſt, quod poſt communicationem, ſive in ſignum, quod communicatio expleta eſt, concinitur.*

III. Antiphona, ſive Communione, vel Poſtcommunione ipſa cantata, ex præſcripto noſtri hujus §. & ex generali Miſſalis Rubrica, *Epiſcopus accedit ad medium Altaris, quod oſculatur more ſolito, & vertens ſe ad populum per latus ſuum dexterum cantat*, Dominus vobiſcum, *& reverſus ad Librum per eandem partem dicit*, Oremus, *verſa facie ad Crucem Altaris, deinde Orationem, ſeu Orationes competentes*. Quemadmodum Antiphona, de qua ſuperius dictum eſt, ita & Orationes pro communicantibus inſtitutæ ſunt, quando ſcilicet omnes, ut fuit antiquus mos, vel multi, qui aderant, Sacrificio communicabant; nam & ipſum communionis vocabulum improprie hic uſurparetur, niſi plures de eodem Sacrificio communicarent, uti ſcite notat Joannes Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XX. Num. II. ubi mox etiam ſubdit, quod quamvis mos ille deſierit, nihil tamen in Orationibus immutatum eſt; ſed ideo retentæ ſunt, ut ſciamus quid olim factum ſit, & ex ipſo precationum tenore ad priſtinum fervorem excitemur. De poſtremis hiſce Orationibus vide Durandum Lib. IV. Cap. LVII. ubi inter alia inquit, dicendas eſſe ipſas ad cornu Altaris dexterum, præmiſſo, *Dominus*

Digitized by Google

minus vobiſcum, & deoſculatione Altaris, ut præſcribunt Rubricæ Miſſalis. In antiquis Miſſarum Codicibus Orationes iſtæ, *ad Complendum*, vocantur, quia ſcilicet illis Miſſa terminabatur.

IV. Finitis Orationibus cum ſua concluſione, ex iiſdem Miſsalis Rubricis, & noſtri §. hujus præſcripto, Sacerdos *redit iterum ante medium Altaris, quod, ut prius oſculatur, & rurſus ad populum verſus, cantat*, Dominus vobiſcum; *& reſponſo per Chorum*, Et cum ſpiritu tuo, *Diaconus vertit faciem ad populum*, facta ſcilicet prius Altari reverentia, *renes autem Celebranti, vel alias juxta diſpoſitionem Altaris, & regulariter ſtat, prout Celebrans, & cantat in tono Feſtivo*, Ite Miſsa eſt. Eſt plane & hic antiquus ritus, ut Diaconus ad finem Miſsæ populum dimittens, dicat, *Ite Miſſa eſt*. Idem enim eſt Miſsa, ac miſſio, ſive dimiſſio, ut docet Bonà initio Libri I. ſuarum rerum liturgicarum. Græci quoque in fine Liturgiæ, *Apolyſin* canunt, ideſt, dimiſſionem; nam peracta communione Sacerdos dicit ſecreto Orationem pro gratiarum actione; hortaturque poſtea Diaconus populum ad gratias agendas, eumque dimittit his verbis: *In pace procedamus*. Cui reſpondet Chorus: *In nomine Domini*. Deinde Sacerdos benedicit populum, & diſtributis Eulogiis, facit *Apolyſin*, cujus varias formulas legere eſt in Euchologio apud eruditiſſimum Goar. Communis autem hæc eſt: *Gloria tibi Chriſte, Deus noſter, ſpes noſtra, gloria tibi*. Apud pervetuſtum Apoſtolicarum Conſtitutionum Auctorem, ut alias formulas omittam, populi dimiſſio his verbis fit: *Ite in pace*.

V. Antiquum eſse Eccleſiæ Latinæ ritum, ut Diaconus dicat, *Ite Miſſa eſt*, conſtat ex Ordine antiquo I. Romano, Num. XXI. ubi præſcribitur, quod *finita Oratione*, cui præceperit *Archidiaconus e Diaconibus, aſpicit ad Pontificem, ut ei annuat, & dicit ad populum*: Ite Miſsa eſt. *Reſpondent*: Deo gratias. Sed dignum eſt, ut hic deſcribamus, quod mox ſubjicit Num. XXIV. ubi agit de Feria IV. initio Quadrageſimæ: *Finita Oratione dicit Diaconus*: Ite Miſsa eſt. *Simili modo agitur ſecunda Feria, quarta Feria, ſexta Feria, & Sabbato per totam Quadrageſimam*. Rurſus Num. XXV. ait: *Miſſa finita, dicit Diaconus*: Humiliate capita veſtra Deo. *Et inclinant ſe omnes ad Orientem. Et dicit Pontifex Orationem ſuper populum. Diaconus*: Ite Miſsa eſt. Fuit itaque antiquus ritus, ut Diaconus ad finem Miſsæ diceret, *Ite Miſſa eſt*, & quidem non modo Dominicis, Feſtiſque diebus, ſed etiam *per totam Quadrageſimam*. Quod tamen hodie non eſt in uſu, tunc enim dicitur, *Benedicamus Domino*, quod etiam dici hodieque ſolet, quoties in Miſsa non dicitur, *Gloria in excelſis Deo*, exceptis Miſſis Defunctorum, in quibus nec *Gloria in excelſis*, neque *Benedicamus Domino* dicitur, ſed *Requieſcant in pace*.

VI. Cur autem certis diebus omiſsa dimiſſione per verba, *Ite Miſſa eſt*, dicat Diaconus, *Benedicamus Domino*, hanc rationem affert Micrologus, qui floruit Seculo XI. Cap. XXVI. *Concruc in feſtivis diebus*, Ite Miſsa eſt, *dicitur, quia tunc generalis conventus celebrari ſolet, qui per hujuſmodi denunciationem licentiam diſcedendi accipere ſolet. Ad quotidiana autem Miſſarum ſolemnia non generaliter ab omnibus, ſed a Religioſis convenitur, qui plus ſpiritualibus negotiis, quam ſecularibus invigilant, qui & reliqua, dum licet, officia frequentant. Ergo convenienter illis poſt Miſſam, non ut ſtatim diſcedant, ſed ut Dominum benedicant, denuntiatur. Huic aſſertioni & Eccleſiaſtica conſuetudo videtur adſtipulari; quia cum*, Ite Miſsa eſt, *dicimus, ad populum vertimus, quem diſcedere jubemus. Cum autem*, Benedicamus Domino, *dicimus, non ad populum, ſed ad Altare, ideſt, ad Dominum vertimur, noſque ipſos non ad diſcedendum, ſed ad benedicendum Domino adhortamur. Sciendum tamen, quod* Ite Miſsa eſt, *infra Adventum Domini, & Septuageſimam non recitetur, non quaſi eo tempore nullus fiat conventus, qui ſit dimittendus, ſed potius pro triſtitia temporis inſinuanda*. Hæc Micrologus, cui etiam adhæret Durandus Lib. IV. Cap. LVII. ſed non ſatis appoſite, nam uti recte obſervat doctiſſimus Bona Lib. II. Cap. XX. illi probandum erat, quod olim quotidianis Miſſarum ſolemniis populus non intereſſet. Sed dato, quod ceteris intra hebdomadam diebus populus ſolemniis Miſſarum non intereſſet, certo nemo inficias iverit, quin Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ interfuerit, in quibus tamen non, *Ite Miſſa eſt*, ſed *Benedicamus Domino* dici ſolet.

VII. Eſt ergo ejus ſententiæ laudatus Bona, potius tum omiſſam dimiſſionem per ea verba, *Ite Miſſa eſt*, cum Fideles Miſſa peracta, non ſtatim abibant, ſed permanebant in Eccleſia, donec recitatis canonicis precibus, & Statione ſoluta abire fas erat; deinde extenſum hunc morem ad Miſſas minus ſolemnes, & quotidianas. Quidquid ſit, antiquiſſima eſt ejus dimiſſionis formula apud Latinos, uti probavimus ex Ordine I. Romano, cui addi poſſunt priſci Miſſarum Codices, ac præſertim Miſſa ab Illyrico edita; licet non extet in Sacramentariis Summorum Pontificum Gelaſii, & Gregorii. Ceterum in Miſſali Mozarabico ad finem Miſsæ ita præſcriptum lego: *Dicat Presbyter, vel Diaconus*: Solemnia completa ſunt in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, votum noſtrum ſit acceptum cum pace. ℟. Deo gratias. *Iſta Oratio ſupradicta fit in medium Altaris*. Factam ſemper ad finem Miſſæ populi dimiſſionem, addiſcere etiam licet ex Tertulliano in Libro, *De anima*, his verbis: *Poſt tranſacta ſolemnia, plebe dimiſſa &c.* & ex S. Cypriano in Libro, *De ſpectaculis*, ubi de quodam ait: *Dimiſſus, & adhuc gerens ſecum, ut adſolet, Euchariſtiam*. Quæ eſſet apud Latinos ſecundo, & tertio Chriſti ſeculis, quibus Tertullianus, & Cyprianus floruere, dimiſſionis formula, incertum eſt.

VIII. Demum dicto a Diacono, *Ite Miſſa eſt*, in tono feſtivo, *ipſe, & Celebrans*, inquit noſter §. *ſimul vertunt ſe per latus Epiſtolæ ad Altare, & Celebrans dicit*: Placeat tibi ſancta Trinitas &c. quæ Oratio occurrit paſſim in antiquis

Digitized by Google

Missalibus, & in ipsa Missa ab Illyrico edita, paucis immutatis. In Liturgia S. Joannis Chrysostomi orat similiter Sacerdos pro omnibus, pro quibus obtulit Sacrificium; eundemque ritum legere est in aliis passim Orientalium Liturgiis. Apud nos Latinos non fuisse ipsam Orationem, *Placeat tibi sancta Trinitas &c.* institutam, ut diceretur ad Missam, sed solum post ipsam Missam omnino absolutam, testatur Micrologus, *De Ecclesiasticis observationibus*, Cap. XXII. *Sacro peracto Sacerdos osculatur Altare, dicens*, Placeat tibi Domine sancta Trinitas. *Deinde sacris vestibus se exuens cantat Hymnum*, Trium puerorum, *juxta* XIII. *Canonem Concilii Toletani* IV.

§. LXXIX.

Quo dicto, si adsit Cardinalis non Legatus, seu Archiepiscopus suus, aut alius Superior, retrocedit paululum ad latus Epistolæ, quasi benedictionem ipsi Superiori dandam remittens. Ipse tamen Superior omnino illam ipsi Episcopo relinquat. Sed præsente Legato de Latere convenit, ut ipse Legatus benedicat, etiamsi Episcopus sit Cardinalis. Cum vero Episcopus benedictionem daturus est, sumta Mitra in medio Altaris, benedicit more solito, prout in Vesperis dictum est.

COMMENTARIUS.

I. BEnedictio populi in Missa tum apud Græcos, tum apud Latinos antiquissima est in Ecclesia, tametsi non omnes circa tempus conveniant, quo ipsa benedictio impertiri debeat. Certe meminit ejus ritus benedicendi populo S. Isidorus Episcopus Hispalensis, *De officiis Ecclesiasticis*, Cap. XVII. sed nihil dicit de tempore, quo a Sacerdote danda est: *Benedictionem*, inquit, *in populo dari a Sacerdotibus, antiqua per Moysen benedictio pandit, & comprobat, qua benedicere populo sub Sacramento trinæ invocationis jubetur &c.* Puto equidem, dari benedictionem in Missa consueviisse in Hispaniis post Orationem Dominicam, ut constat ex Canone XVIII. Concilii Toletani IV. quod paulo post obitum S. Isidori celebratum est, anno scilicet DCXXXVI.

II. Plura de Episcopali benedictione, & de ritibus ad eam spectantibus supra Lib. I. Cap. XXV. Ne eadem itaque repetamus, sciendum hoc loco est, Romæ morem olim fuisse, ut cum Pontifex absoluta penitus Missa, de Altari ad Sacrarium rediret, Episcopi, qui Missæ intererant, aliique etiam benedictionem ab eo peterent, juxta ritum in Ordine I. Romano præscriptum Numero XXI. in fine: *Descendente autem illo in Presbyterium, Episcopi primum dicant*, Jube Domne benedicere. *Resp.* Benedicat nos Dominus. *Resp.* Amen. *Post Episcopos Presbyteri, deinde Monachi &c.* Idipsum edicunt Romanus Ordo II. Numero XV. itemque Ordo III. Num. XVIII. & V. Num. XI. ex quo tamen illud cautum est, ut, *peracta Missarum solemnitate, procedente Pontifice, occurrat ei Cantor cum Schola, & dicat*, Jube Domne benedicere; *respondeaturque a Pontifice*, Benedicat nos Deus; *& tota Schola alta dicat voce*, Amen. *Simili etiam ratione fiat, dum ingredi in Secretarium debet.*

III. Sciendum præterea hic illud est, quod licet Glossa in Canone, *Abbates*, *De privilegiis &c.* in VI. doceat, solemnem illam benedictionem, quæ incipit per ea verba, *Sit nomen Domini benedictum*, reservatam esse solis Episcopis; notat nihilominus Biel, qui floruit labente Seculo XV. Lectione LXXXIX. benedictionem solemnem, sive Episcopalem, nequaquam in illis verbis consistere, *Sit nomen Domini &c.* sed eam dumtaxat intelligi, quæ ab ipsis Episcopis dabatur antequam dicerent, *Agnus Dei &c.* Verum ut aliquod discrimen haberetur inter Episcopum, ac ceteros Sacerdotes, circa benedictionem dandam in fine Missæ, ita statuit Concilium Narbonense anni MDCIX. Cap. XIX. *Sacerdotibus quacumque dignitate fulgentibus, nisi fuerint Episcopi, aut Abbates usum Mitræ habentes, in fine Missæ hac sola benedicendi forma uti mandamus.* Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen. *Et hoc non admodum sonora, sed nihilominus intelligibili voce fiat.* Sane Sacerdotes Dominicani in fine Missæ benedictionem populo impertiunt sub hac formula: *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, descendat super vos, & maneat semper.*

IV. Omissis aliis, quæ de hujusmodi benedictione explicata jam sunt Lib. I. Cap. XXV. mandat hic §. noster, ut Episcopus benedictionem in fine Missæ largiturus, si adsit Cardinalis non Legatus, seu Archiepiscopus suus, aut alius Superior, retrocedat paululum ad latus Epistolæ, quasi benedictionem ipsi Superiori dandam remittens, Superior tamen ipse omnino illam Episcopo celebranti relinquat. Præsente autem Legato de Latere, convenire ait noster §. ut ipse Legatus benedictionem impertiat etiamsi Episcopus Celebrans sit Cardinalis. Ceterum cum Episcopus benedictionem daturus est, sumta Mitra in medio Altaris benedicit servatis ritibus jam alias explicatis, eo vero potissimum ritu servato, ut si Celebrans sit Archiepiscopus sine Mitra benedictionem det, ob reverentiam Crucis, quam, ut non uno loco jam notavimus, præsentem ante se habebit. Id quod etiam in hoc Cap. edicitur infra §. LXXXI.

§. LXXX.

Digitized by Google

§. LXXX.

Et si Indulgentia non fuit publicata post Sermonem, publicatur ibi tunc per Presbyterum assistentem in cornu Epistolæ versus populum: qua publicata, Episcopus, deposita Mitra, dicit versus cornu Euangelii, *Dominus vobiscum*, summissa voce, & facto signo Crucis super Altari dicit: *Initium sancti Euangelii secundum Joannem*; quod prosequitur sumta Mitra, & Baculo, procedendo ad locum, ubi a principio accepit paramenta, associatus a Canonicis; ibique per eosdem Ministros exuitur sacris paramentis: Canonici vero deponunt sua paramenta ibidem in locis suis.

COMMENTARIUS.

I. SUpervacanei plane fuerit laboris ritum publicandæ Indulgentiæ hoc loco iterum exponere, utpote quem fuse jam explicuimus non uno in loco supra Lib. I. præsertim vero Cap. XXV. Ut alios ergo enarremus Ritus in hoc præsenti §. præscriptos, publicata ait Indulgentia, ac deposita Mitra, debere Episcopum dicere versus cornu Euangelii, *Dominus vobiscum*, voce summissa, & facto signo Crucis super Altari, dicere, *Initium sancti Euangelii secundum Joannem*, illudque prosequi, *sumta Mitra, & Baculo*, procedendo ad locum, ubi a principio accepit paramenta &c. Verba illa, *sumta Mitra, & Baculo*, adjuncta huic §. sunt in novo hoc nostro Cæremoniali, jussu Benedicti XIII. edito. Ceterum viget hodieque in Capella Pontificia ritus, ut Celebrans ab Altari ad Sacrarium procedens recitando Euangelium, discooperto capite incedat, eumque etiam ritum servat, si Euangelium ipsum in Sacrario legit, ob reverentiam scilicet sacri Euangelii, de qua jam alibi fusius.

II. Circa recitationem Euangelii S. Joannis, ideſt, *In principio erat Verbum &c.* legi illud primum præcepit S. Pius V. in novissima recognitione Missalis, cum antea sine certa lege ex sola consuetudine a quibusdam dici, ab aliis omitti pro cujusque arbitrio soleret. Meminit ejus tamen ritus Durandus Libro IV. sui Rationalis, Cap. XXIV. Num. V. ubi ait, quod *quidam volentes dicere post Missam Euangelium S. Joannis, vel aliud, imprimunt primo signum Crucis super Altare, & postea in fronte*. Ante Constitutionem S. Pii V. constat ex Constitutionibus Patrum Societatis Jesu, eorum arbitrio fuisse relictum dicere ipsum S. Joannis Euangelium, vel aliud quod est de Beata Virgine, nempe, *Loquente Jesu &c.* In plerisque Missalibus tam editis, quam mss. & tam Romanis, quam aliarum Ecclesiarum, nihil de eo decernitur, sed dicta Oratione, *Placeat tibi sancta Trinitas &c.* Osculetur, inquiunt, Altare, & recedens dicat Canticum, *Trium puerorum*. Ita sane Missale Romanum a Paulo III. recognitum, & Lugduni editum anno MDL.

III. Ex Rubrica Missalis, Parte II. Tit. XII. Num. I. quæ hodie pro lege habetur, Sacerdos post datam benedictionem, *circulum perficiens, dicto*, Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo, *pollice dextero signans primum signo Crucis Altare, seu Librum in principio Euangelii, deinde frontem, os, & pectus, dicit*, Initium sancti Euangelii secundum Joannem, *vel*, Sequentia sancti Euangelii, *ut dictum est in Rubricis generalibus*, & ℟. Gloria tibi Domine, *junctis manibus legit Euangelium*, In principio, *vel aliud, ut convenit. Cum dicit*, Et Verbum caro factum est, *genuflectit, versus cornu Euangelii, & surgens prosequitur, ut prius &c.* Sed hæc locum habent in ceterorum Sacerdotum Missa, nam alias in Missa Pontificali, Episcopus deposita quidem Mitra dicit versus cornu Euangelii summissa voce, *Dominus vobiscum*, & facto signo Crucis super Altari, vel super Libro, seu tabella, ubi est Euangelium scriptum, itemque in fronte, ore, & pectore, licet hoc non dicat §. noster, dicit, *Initium sancti Euangelii secundum Joannem*, quod prosequitur sumta Mitra, & Baculo, procedendo ad locum &c. Qui ritus etiam traditur a Crasso, Lib. II. Cap. III. ubi ait, Episcopum prosequi Euangelium, *per gradus laterales, non per medios eundo ad Faldistorium*. Plane fateor, me nescire, cur auferatur Mitra Episcopo, quum Euangelium signat, deinde vero ei imponatur, quum illud recitat, quando lecturus Euangelium Dominicæ currentis in fine Missæ, nudo capite stat? Dices, quia est in Altari, sed depositio Mitræ non quidem fit respectu Altaris, sed potius Euangelii; quare non improbarem, si in aliqua Ecclesia retineatur is ritus, ut Euangelium in fine Missæ, sive in Altari, sive incedendo recitetur, sit Celebrans sine Mitra, ob reverentiam sancti Euangelii, quod, uti alias fuse ostendimus, debet recitari, & audiri nudo capite.

IV. Ubi Episcopus prosequendo Euangelium, si scilicet sit illud S. Joannis, quod dici solet in fine Missæ, pervenit ad locum, ubi a principio accepit paramenta associatus a Canonicis, ibi ex præscripto nostri hujus §. per eosdem Ministros, ut initio, exuitur sacris paramentis; Canonici vero deponunt paramenta sua ibidem in locis suis. Ceterum si aliud Euangelium sit dicendum, tunc illud totum dicit in cornu Euangelii, eoque dicto, recedit, ut prius. Vide quid de ipso Euangelio ad finem Missæ dicendo, scripsimus nos in Opere nostro, *De Codice sancti Euangelii, atque servatis in ejus lectione, & usu vario ritibus*.

Digitized by Google

§. LXXXI.

Si Celebrans ſit Archiepiſcopus, dat benedictionem ſine Mitra verſus ad ſuam Crucem, & deponit Pallium ſuper Altari, ac poſtea dicit, *Initium ſancti Euangelii &c.*

§. LXXXII.

Quod ſi in hujuſmodi Miſſa eſſet facienda communio generalis, vel particularis aliquorum, obſervabuntur ea, quæ in Cap. XXIX. hujus Libri II. §. III. de Miſſa ſolemni in die Paſchæ, Epiſcopo celebrante, dicuntur.

COMMENTARIUS.

I. NIhil profecto occurrit in Rubrica §. noſtri LXXXI. quod paucis abſolvi non poſſit; ait, quod ubi Celebrans ſit Archiepiſcopus, dare benedictionem debet ſine Mitra verſus ad ſuam Crucem, & Pallium deponere ſuper Altari, tum vero poſtea ſolito more, ac ritibus ſupra explicatis dicere, *Initium ſancti Euangelii &c.* Unum eſt, quod nos adnotemus, nempe, verba illa, *ac poſtea dicit &c.* adjuncta fuiſſe huic §. in novo Cæremoniali, ne quis ſcilicet putaret, recitationem illius Euangelii omitti, ubi Archiepiſcopus celebraret, finirique illius Miſſam ſolemni ejus benedictione, & depoſitione Pallii ſuper Altari. Nihil præterea occurrit in poſtremo Capitis hujus §. edicit ſolum, quod ſi in hujuſmodi Miſſa Pontificali ſolemni eſſet facienda communio generalis, vel particularis aliquorum, obſervanda eo caſu ſint, quæ infra Cap. XXIX. §. III. ejuſdem hujus Libri II. dicentur, ubi ſcilicet enarratur Ritus Miſſæ ſolemnis in die Paſchæ Epiſcopo celebrante. Ibi itaque Lector inveniet, & quid Rubrica ipſius §. III. præſcribit, & quæ nos ad eum illuſtrandum §. afferemus.

CAP. IX.

Miſſæ ſolemni quomodo Epiſcopus aſſiſtat. Convenit, ut ſacra indumenta adhibeat in Feſtis ſolemnioribus pro eadem aſſiſtentia. Diaconi aſſiſtentes in habitu Canonicali inſervire debent. Ordo procedendi ad Eccleſiam. Quando Epiſcopus aſſiſtat cum Cappa. Quid ſervandum ſi Miſſa celebretur per alium Epiſcopum, ſeu Suffraganeum. Thurificatio qua ratione facienda.

§. I.

Quemadmodum ſuperius de Veſperis ſolemnibus coram Epiſcopo celebrandis diximus, Epiſcopum Pluviali, ac aliis paramentis ibidem expreſſis indutum convenienter intereſſe, & officium facere, ſic etiam, cum ipſemet non erit celebraturus, ſed Miſſæ per alium celebrandæ intererit, iiſdem ſacris indumentis veſtitus eſſe poterit, eodemque modo, ordine, & loco ea ſumere, prout ibidem demonſtratum fuit.

§. II.

Quo caſu debent ei aſſiſtere duo antiquiores Diaconi, ſive ex Dignitatibus, ſive, his deficientibus, ex Canonicis, & his deficientibus, juniores Presbyteri in eorum habitu Canonicali, ſed ſine ſacris paramentis.

§. III.

Ordo autem quoad acceſſum in Eccleſiam, deductionem, & obviationem Canonicorum, ac reditum in fine, idem erit, prout ſupra in Cap. XV. §. I. & XI. Libri I. declaratur.

COMMENTARIUS.

I. EXplicuimus jam toto Cap. VIII. ritum ſolemnis Miſſæ Pontificalis, quam proprius Epiſcopus in ſua Cathedrali Eccleſia celebrat ipſe per ſemetipſum. Agitur nunc in hoc Capite de Miſſa itidem ſolemni, cui Epiſcopus ipſe aſſiſtit, alio illam Celebrante. Quemadmodum

Digitized by Google

modum ergo ſuperius, Capite I. atque II. de Veſperis ſolemnibus coram proprio Epiſcopo celebrandis dictum eſt, Epiſcopum Pluviali cum pectorali in conjunctura illius, ac aliis paramentis ibidem expreſſis, nempe Amictu, Alba, Cingulo, Cruce pectorali, & Stola e collo pendente indutum convenienter intereſſe, & officium facere; ſic etiam cum ipſemet non erit celebraturus, ſed Miſſæ per alium celebrandæ intererit, iiſdem ſacris indumentis veſtitus eſſe poterit, eodemque modo, ordine, & loco, ea ſumere, ut ibidem dictum eſt; nempe, depoſita Cappa capiet ſacra indumenta, in Sede ſua ſtans, ordine ſumta ex Altari ab Acolythis, & Miniſtris juxta ritum citato Cap. I. §. IV. præſcriptum hujus Lib. II. ad quem ſe præſens §. I. remittit; eoque caſu, ut inquit noſter hic §. II. debent ei duo antiquiores Diaconi, ſive ex Dignitatibus, ſive his deficientibus, ex Canonicis, & his dificientibus, juniores Presbyteri, in eorum habitu Canonicali, ſed ſine paramentis aſſiſtere.

II. Quantum denique ad ordinem circa acceſſum Epiſcopi ad Eccleſiam, ejuſque deductionem, & obviationem Canonicorum, ac reditum in fine, cum ipſum ordinem eumdem eſſe debere præſcribat noſter §. III. prout ſupra in Cap. XV. §. I. & XI. Lib. I. declaratur, ad ea loca nos Lectorem remittimus, addentes hic Sacræ Rituum Congregationis Decretum in Aquilana XXII. Januarii MDCCXXXV. ubi ad Dubium V. edixit, Archidiaconum, & Canonicos teneri capitulariter in habitu Canonicali, recipere Epiſcopum a ſuo cubiculo, & aſſociare ad Eccleſiam Cathedralem, ſimilique modo eundem reducere, quando vult Pontificaliter celebrare tam in ſolemnibus a Pontificali Romano præſcriptis, quam in aliis ſolemnitatibus ex conſuetudine, vel devotione in Civitate introductis, vel occaſione univerſalis Jubilei, vel alia rationabili cauſa Epiſcopo beneviſa, Cautum eſt rurſus ex eodem Decreto in Reſponſione ad Dubium VI. idem eſſe ſervandum, quando Epiſcopus ad eandem Eccleſiam accedit cum Cappa, vel ut aſſiſtat Miſſæ cantatæ, vel Veſperis, vel Proceſſioni, vel ut Concionem audiat, vel alia de cauſa. Quamquam id genus Decreta afferri quamplura poſſent, Epiſcopali dignitati alias conſentanea, & a Clero eidem debita, mirum eſt, Canonicos inveniri, qui eum honorem Epiſcopo ſuo exhibere detrectent, liteſque frequenter non ſine Fidelium ſcandalo excitent.

§. IV.

In ſolemnibus Feſtivitatibus Epiſcopus erit ſemper cum Pluviali. Poterit tamen, ſi magis placuerit, hujuſmodi Miſſæ in Feſtis minus ſolemnibus cum ſua Cappa Pontificali intereſſe, & tunc etiam debent ei aſſiſtere præfati duo Diaconi, & Presbyter aſſiſtentes.

COMMENTARIUS.

I. QUænam ſint ſolemniores Feſtivitates, jam ſupra explicatum eſt hoc eodem Lib. II. Cap. III. §. XVI. In iis ergo ex præſcripto præſentis hujus §. & ut etiam inter alios luculentius docet Caſtaldus in ſua Cæremoniarum praxi Lib. II. Sectione IX. Cap. IV. Num. I. Epiſcopus cum Veſperarum officio, vel ſolemnis Miſſæ celebrationi in propria Dioeceſi intereſſe voluerit, a Canonicis aſſociatus ad Eccleſiam procedit, ibique Pluviali, ac Mitra indutus in Solio coloris aliorum paramentorum ornato aſſiſtet: diebus minus ſolemnibus eodem ordine procedens non cum Pluviali, & Mitra, ſed cum Cappa, & bireto aſſiſtere poterit. Semper tamen hinc inde habebit duos Diaconos ex antiquioribus ſuo habitu Canonicali indutos. Ita ſane laudatus Caſtaldus conſentanee ad Rubricam noſtri hujus §. ex cujus etiam præſcripto, non modo Epiſcopus duos tunc aſſiſtentes Diaconos, ex illis, quos ſuperius præſcripſit §. noſter II. ſed Presbyterum quoque Aſſiſtentem habebit. Atque hic nota, poſtrema illa hujus §. verba, *& tunc etiam debent ei aſſiſtere præfati duo Diaconi, & Presbyter aſſiſtens*, addita primum §. noſtro fuiſſe in novo Cæremoniali Benedicti XIII. auctoritate editi, non enim in aliis ante ipſum editis Cæremonialibus antiquioribus reperiuntur, uti illa conſulenti patet.

§. V.

Quæ autem ab Epiſcopo agenda, exercendave erunt in hujuſmodi Miſſa, diverſo modo ſtatuuntur. Nam aut Miſſa celebrabitur per aliquem alium Epiſcopum, ſeu Suffraganeum, & tunc Epiſcopus proprius intereſſe debet cum Cappa, & omnia deferre Epiſcopo celebranti, præter abſolutionem, & benedictionem poſt Sermonem, ac Indulgentiarum conceſſionem, quæ omnino ab ipſo proprio Epiſcopo peragenda ſunt.

§. VI.

Cætera in Miſſa occurrentia, ut benedictionem incenſi, & aquæ, benedictionem Diaconi ante Euangelium, deoſculationem manus, quæ fit ab eodem Diacono, & Subdiacono,

Digitized by Google

diacono, benedictionem in fine Missæ, & similia relinquit Episcopo celebranti, qui in benedictione solemni in fine Missæ, vertens se versus Episcopum, quasi veniam petet, & ipse nutu annuet. Circuli tamen Canonicorum fient ante ipsum Episcopum proprium, quamvis Cappa indutum,

COMMENTARIUS.

I. ENarrat nostrum v. & VI. §. laudatus superius Andreas Castaldus Lib. II. Sectione IX. Cap. IV. Num. XVII. *Si Missa*, inquit, *coram Episcopo loci ab alio Episcopo non Suffraganeo celebretur, tunc non decet Episcopum loci Pluviali, & Mitra indutum assistere, sed cum Cappa, & omnia debet deferre Episcopo celebranti præter absolutionem, & benedictionem post Sermonem, atque concessionem Indulgentiarum, quæ omnia a proprio Episcopo peragenda sunt, ad quem debent Canonici ad Circulum accedere. Episcopus vero Celebrans daturus in fine Missæ benedictionem solemnem, vertet se inclinans versus Episcopum loci, quasi veniam petens, & ille annuet.* Hæc Castaldus, qui tamen in eo labitur, cum inquit, servanda hæc esse, *si Missa coram Episcopo loci ab alio Episcopo non Suffraganeo celebretur*; cum alias ex nostro §. v. nulla fiat distinctio inter Episcopum non Suffraganeum, & Suffraganeum; eodem enim modo se geret Episcopus loci, sive Suffraganeus, sive non Suffraganeus Episcopus coram ipso celebret; cui etiam ex præscripto nostri §. VI. proprius ipse loci Antistes, *cetera in Missa occurrentia, ut benedictionem incensi, & aquæ benedictionem Diacono ante Euangelium, osculationem manus, quæ fit ab eodem Diacono, & Subdiacono, benedictionem in fine Missæ, & similia relinquit*; eo tamen servato ritu a Celebrante Episcopo, sive Suffraganeus sit, sive alius quispiam, ut in benedictione solemni, quæ in fine Missæ datur, vertat se versus Episcopum loci, quasi veniam ab eo petens, cui tamen ipse actu annuat, ut scilicet benedictionem solemnem populo non suo impertiri valeat juxta regulam jam etiam a nobis alias explicatam.

II. Audiamus nunc vero Crassum, Lib. II. *De cæremoniis Cardinalium, & Episcoporum, in eorum Diœcesibus*, Cap. XIV. ubi postquam fuse egit de Missa, & Vesperis per Prælatum Pontificaliter celebrandis coram Cardinali, & de disciplina, ac delationibus celebrantis Prælati adversus Cardinalem Episcopum scilicet loci, ita demum concludit: *Secus autem fiet, si Episcopus Bononiensis non esset Cardinalis, nam tunc alius Episcopus, vel etiam Suffraganeus celebrans præsente Episcopo Bononiensi non Cardinali, habebit omnes prærogativas honoris, de licentia, & consensu tamen Ordinarii id expresse concedentis ab initio semel, & simul omnia.* Hæc ille, in quibus duo præsertim adnotanda sunt. Primum est, non omnes prærogativas honoris relinqui Episcopo extero celebranti, nam, uti ait noster §. v. absolutio, & benedictio post Sermonem, ac Indulgentiarum concessio, *omnino ab ipso proprio Episcopo peragendæ sunt*; &, uti habetur in §. VI. Circuli quoque Canonicorum ante ipsum Episcopum proprium fieri debent, tametsi hic eum Cappa intersit, & Episcopus celebrans non sit Suffraganeus. Alterum est, quod licet initio Episcopus loci extraneo Episcopo etiam non Suffraganeo facultatem concesserit, ut possit coram ipso Pontificali, ac solemni ritu Missam celebrare, adhuc opus est, ut ipse Celebrans daturus benedictionem solemnem in fine Missæ, vertat se versus Episcopum loci præsentem, quasi veniam ab eodem petens benedicendi populo, cui ille nutu annuat.

§. VII.

Sed si Episcopus proprius forte vellet esse paratus in hujusmodi Missa ab alio Episcopo celebrata, quod non convenit, nisi Celebrans sit Suffraganeus, vel alias subditus Episcopo, deberet omnia prædicta ipse facere.

COMMENTARIUS.

I. POstquam supra actum est de iis, quæ servanda sunt, ubi extraneus Episcopus, vel Suffraganeus solemniter Missam celebret præsente, & consentiente scilicet Episcopo loci Cappa induto, ait hic noster §. quod si Episcopus proprius forte vellet esse paratus Pluviali scilicet, & Mitra, atque hujusmodi Missæ ab alio Episcopo celebratæ assistere, quod tamen non convenit, nisi Celebrans sit Suffraganeus, vel alias subditus Episcopo, deberet omnia prædicta ipse facere, non modo scilicet absolutionem, & benedictionem post Sermonem, ac Indulgentias elargiri, verum prærogativas ceteras omnes habere, notatas supra in §. VI. Notanda autem sunt ea verba nostri hujus §. quibus dicitur, non convenire, ut Episcopus paratus assistat Missæ, quæ ab alio Episcopo celebratur, *nisi Celebrans sit Suffraganeus, vel alias subditus Episcopo*; quia scilicet vetus est Ecclesiæ disciplina, Metropolitam, Patrem, Magistrum, ac Judicem esse Episcoporum suorum, qui scilicet illius subditi, vel Suffraganei sunt; ideoque non mirum, si celebrante Suffraganeo, vel alias subdito, Metropolita ejus assistens Missæ in Ecclesia præsertim

Digitized by Google

ſertim propria, Pluviali, & Mitra indutus aſſiſtat, omneſque ipſe prærogativas habeat.

II. Jam non opus eſt hoc loco referre, quanta olim eſſet ſubjectio Suffraganeorum Epiſcoporum erga ſuos Metropolitas. Late de ea quidem re egit Thomaſſinus in ſua vetere, ac nova Eccleſiæ diſciplina. Certe, ut alia omittam veterum Pontificum Decreta, Innocentius III. ad Suffraganeos Arelatenſis Metropolitæ Lib. I. Epiſtola CDLXVI. ſcribens, ipſum Suffraganeorum Prælatum vocat, eiſque mandat, ut ipſi Metropolitæ, *tamquam Patri, & Epiſcopo animarum ſuarum devote ſtudeant, & humiliter obedire.* Idem quoque Pontifex Lib. II. Epiſtola CLIX. ad Suffraganeos Acheruntini Metropolitæ ſcribens, eiſdem præcipit, ut erga Archiepiſcopum ipſum Acheruntinum, *ſicut Patrem, & Paſtorem, pium gerant devotionis reſpectum.* Scio equidem, jam ex Oecumenica Synodo Tridentina in multis limitatam fuiſſe Metropolitarum ſupra Suffraganeos ſuos poteſtatem, ſed tenenda eſt Regula noſtri hujus §. quo permittitur Epiſcopo loci paratum aſſiſtere in Miſſa, quam in ipſius Eccleſia Suffraganeus, vel alias Subditus, eo conſentiente celebraret, omnibuſque ipſum prærogativis gaudere, notatis ſupra §. V. & VI. Atque his non modo varii Auctores concinunt, ſed & varia Sacræ Rituum Congregationis Decreta.

§. VIII.

Si vero Epiſcopus intererit Miſſæ celebratæ per aliquem inferiorem Epiſcopo, ſive cum Pluviali, & Mitra, ſive cum Cappa, omnes præeminentiæ, honores, & actus præfati conveniunt ipſi ſoli Epiſcopo, excepto quoad thurificationem; quia quando non eſt paratus, ut ſupra, non debet thurificari, niſi poſt thurificationem Oblatorum tantum.

§. IX.

An autem, quomodo, & a quibus Epiſcopo non celebranti fiat aſſiſtentia, tam Presbyteralis, quam Diaconalis, ſuis locis explicatum fuit.

COMMENTARIUS.

I. EXplicatis hucuſque ritibus, qui ſervari debent, ubi præſente Epiſcopo loci exterus aliquis Epiſcopus, vel Suffraganeus Miſſarum ſolemnia celebraret; enarratur nunc in §. VIII. ritus ſervandus, ſi Epiſcopus ſcilicet proprius intererit Miſſæ celebratæ per aliquem Sacerdotem Epiſcopo inferiorem, & edicitur paucis verbis, quod ſive ipſe Epiſcopus loci cum Pluviali, & Mitra, ſive cum Cappa aſſiſtat, omnes præeminentiæ, honores, & actus præfati conveniunt ipſi ſoli Epiſcopo, excepto quoad thurificationem, quia ſcilicet quando non eſt paratus cum Pluviali, & Mitra, non debet thurificari niſi poſt thurificationem Oblatorum tantum, ut alias dictum eſt; & tunc Celebrans non incenſatur initio Miſſæ, nec poſt Euangelium, ut notat Baudryus, Parte V. ubi enarrat Cap. IX. Libro II. Cæremonialis Articulo I. Num. VI.

II. Quoniam vero ſæpe accidit, ut Epiſcopus in diverſis Eccleſiis ſuæ Diœceſis aſſiſtat ad Miſſas ſolemnes ſive paratus, ſive non, & Cæremoniale noſtrum Epiſcoporum nihil fere de Cæremoniis tunc ſervandis præſcribat, abs re non erit, ſi aliqua hoc loco ſubjiciamus, quæ in hujuſmodi Miſſis agenda ſunt. Ne quis autem putet me hominem nullius auctoritatis velle ritus præſcribere, nihil profecto de meo afferam, ſed ea tradam, quæ ſparſim docent tum noſtrum Cæremoniale, tum Cæremoniale Pontificiæ Capellæ, Paris de Craſſis, Caſtaldus, Bauldryus, aliique probati Scriptores, qui de ipſa Miſſa ſcripſerunt, quæ in diverſis Eccleſiis celebratur coram Epiſcopo in ſua Diœceſi, aliis a Cathedrali.

III. Ergo, uti poſt alios docet Bauldryus loco citato, Articulo II. antequam ad Eccleſiam accedat Epiſcopus, paretur ei ante Altare Faldiſtorium, ad quod cum acceſſerit factis, ei debitis honoribus in acceſſu, & obviatione, ut ſuo loco diximus, cui dignior ad portam Eccleſiæ offert Aſperſorium &c. genuflexus orat, & interim Celebrans, qui eum expectat in cornu Epiſtolæ, facta ei reverentia deſcendit in planum per partem lateralem Epiſtolæ, & cum Miniſtris eum ſequentibus, accedit ad ſiniſtram Epiſcopi nudo capite, ſed paulo poſt eum.

IV. Surgente autem Epiſcopo, removetur Faldiſtorium, & ſine Mitra incipit: *In nomine Patris &c.* ſe ſignans, & peragit ea, quæ ſunt Celebrantis propria, ac ſi ipſe eſſet Miſſam celebraturus, faciens Confeſſionem uſque ad *Indulgentiam*, incluſive, cui ipſe Celebrans reſpondet cum Miniſtris ſacris, interim genuflexis poſt ipſum Celebrantem, quia forte non ſunt Canonici, nam alias non genuflecterent.

V. Dicto per Epiſcopum, *Indulgentiam abſolutionem &c.* Celebrans paululum ſe retrahit, cedens locum Epiſcopo, qui de medio Altaris recedit verſus Sedem, ubi cum ſuis Aſſiſtentibus perficit reliqua uſque ad *Aufer a nobis &c.* excluſive, ex Cæremoniali Papæ, Lib. II. Cap. II. tum aſcendit ad Sedem, caudam Cappæ ſibi trahens, ob reverentiam Miſsæ jam inchoatæ; vel ſi utitur Mi-

Digitized by Google

Mitra, eam capit, antequam aſcendat ad Sedem, quæ regulariter eſt parata ad cornu Euangelii, vel in alio loco, prout commodius erit.

VI. Tum Celebrans accedit ad medium plani, & medius inter Miniſtros ſacros tunc ſtantes, proſequitur reliqua de more; deinde aſcendit ad Altare, quod oſculatur ad ea ſcilicet verba: *Quorum Reliquiæ hic ſunt*. Deinde Diaconus, & Thuriferarius, comite Cæremoniario, accedunt ad Epiſcopum ſedentem cum Mitra, qui, Diacono miniſtrante naviculam, & Thuriferario genuflexo thuribulum, imponit thus cum benedictione in thuribulum; Diaconus autem offerens cochlear, dicit: *Benedicite Pater Reverendiſſime*, vel, ſi ſit Cardinalis, dicit: *Eminentiſſime*. Impoſito, & benedicto thure, recedunt cum debitis reverentiis ad Altare, ubi Celebrans, ſumto thuribulo cum oſculis ſolitis, illud thurificat; & poſtea Diaconus illum incenſat duplici ductu, & poſt eum Epiſcopum, ſi ſit paratus, ut ſupra, alias non; & tunc nullus initio Miſsæ thurificatur, ſed Cardinalis ſemper incenſatur, niſi etiam ſint plures Cardinales, quia tunc nullus.

VII. Si Epiſcopus habeat Presbyterum aſſiſtentem, qui ſit ex ſuis Canonicis, Diaconus non accedit ad Epiſcopum pro imponendo thure, ſed ſufficit Thuriferarius cum Cæremoniario; & tunc Epiſcopum idem Presbyter incenſat, ſi eſt paratus Epiſcopus. Si tamen adſit Legatus a Latere, videtur incenſandus ob ejus dignitatem; quod tamen relinquitur definiendum Superioribus.

VIII. Dum Celebrans incipit Introitum, Epiſcopus eum legit ex Libro allato per Miniſtrum de eo ſervientem, cum eo, qui ſervit de candela, ſi velit Epiſcopus. Idem faciet ad Graduale, & Symbolum, & Offertorium, & Communionem: reliqua fiunt de more uſque ed Epiſtolam, & antequam Subdiaconus eam cantet, genuflectit Altari, & Epiſcopo, niſi ſit Canonicus; eaque finita, ipſe Subdiaconus accedit cum debitis reverentiis ad Epiſcopum, ubi manum ejus ſuper Librum poſitam oſculatur, & ab eo benedicitur, & facta ei debita genuflexione, vel inclinatione, ſi eſt Canonicus, recedit.

IX. Cum inchoatur in Choro Verſus Gradualis, aut citius, prout videbitur, poſt reditum Subdiaconi, Diaconus defert Librum Euangeliorum ad Altare cum debitis reverentiis, etiam Epiſcopo; & inde comite Cæremoniario accedit ad Epiſcopum, ubi genuflexus, vel inclinatus oſculatur manum ejus; tum, facta debita reverentia, redit ad Altare, ubi genuflexus in infimo gradu, dicit: *Munda cor meum &c.* Tum ſurgens capit Librum, & facta genuflexione, accedit ad partem Epiſtolæ, ubi expectat tempus eundi ad Euangelium. Interim Thuriferarius accedit ad Epiſcopum cum Cæremoniario, ubi Epiſcopus ponit de more thus in thuribulum, miniſtrante Presbytero aſſiſtente naviculam, ſi adſit, alias tantum Cæremoniario. Tum cum debita reverentia redit ad Diaconum, qui ſuo tempore cum aliis Miniſtris procedit ad Epiſcopum, a quo & benedictionem ſumit de more, & deinde Euangelium decantat eo loco, & modo, & converſus, ut ſupra, ſive ad parietem, ſive ad Aquilonem.

X. Si non ſit Presbyter aſſiſtens, ipſe Diaconus, poſito Libro ſuper Altare, offert prius Epiſcopo thus benedicendum, cum debitis reverentiis, & oſculis; quo facto, dicit: *Munda cor meum &c.* accipit Librum, & cum aliis Miniſtris accedit ad Epiſcopum, a quo benedictionem accipit, & Euangelium decantat, converſus ad parietem Altaris, vel alio modo, ut ſupra diximus; ſed ita tamen, ut nec Altari, nec Epiſcopo terga vertat.

XI. Cantato Euangelio, Ceroferarii genuflectunt Epiſcopo; defertur Liber oſculandus a Subdiacono ad Epiſcopum, ſine ulla reverentia, niſi poſt oſculum Libri, quo clauſo, & non prius, vel ſe inclinat, vel genuflectit: nec incenſatur Epiſcopus, niſi ſit paratus ut ſupra, neque etiam Celebrans; & tunc Celebrans non incipit, *Credo*, nec, *Dominus vobiſcum*, niſi poſt oſculum Libri, aut Epiſcopi ipſius incenſationem, ſi facienda ſit.

XII. Poſtquam Diaconus impoſuerit vinum in Calicem, Subdiaconus in cornu Epiſtolæ (non enim eſt neceſſe, ut accedat ad Sedem Epiſcopi) elevat ampullam aquæ coram Epiſcopo, dicens: *Benedicite Pater Reverendiſſime*, vel *Eminentiſſime*, caput profunde inclinans, uti in Capella Sanctiſſimi; ſed ſi non ſit Canonicus, ei genuflectit, dum hæc dicit, ex Craſſo, Lib. II. Cap. XXXI.

XIII. Subdiaconus, poſtquam Patenam a Diacono de more accepit, deſcendit in planum, debitam faciens reverentiam Altari, & Epiſcopo, ſtatque ibi in ea diſtantia, ut Faldiſtorium Epiſcopi poſſit collocari ante eum, itaut ſit poſt Epiſcopum ad elevationem Sanctiſsimi Sacramenti, quod decet, uti ex Cæremoniali Papæ Libro II. Cap. II. & alibi conſtat.

XIV. Paulo ante incenſationem Oblatorum, Diaconus cum Thuriferario, & Cæremoniario, ſi non adſit Presbyter aſsiſtens, accedunt ad Epiſcopum, ut ſupra, eique miniſtrant naviculam, & thuribulum. Tum impoſito thure cum benedictione ab Epiſcopo dicente, *Per interceſſionem &c.* redeunt ad Celebrantem, qui thurificat Oblata, & Altare; ipſe poſtea incenſatur duplici ductu a Diacono, & Presbyter aſsiſtens, ſi adſit, thurificat Epiſcopum triplici ductu, qui caput detegit, & eo deficiente, incenſatur ab ipſo Diacono, qui prius genuflectit, & poſt, accepta benedictione ab Epiſcopo; proſequitur incenſationem de more, ſtantibus omnibus de Choro, & aliis, dum Epiſcopus ſtans, & nudo capite thurificatur.

XV. Ad elevationem Epiſcopus genuflectit in loco ſuo ſuper cuſſinum ad id paratum, vel decentius, paulo ante elevationem paratur ei Faldiſtorium ſuum in plano, ad quod cum Mitra deſcendit, adjutus a Capellanis ſuis: ibique genuflectit, habens poſt ſe Subdiaconum genuflexum medium inter Acolythos funalia deferentes, niſi ipſi ſint genuflexi a lateribus Altaris, vertentes faciem ad ſe invicem, quod videtur decentius, ne Acolythi videanrur ei quaſi collaterales; &

hi

Digitized by Google

hi ſtatim facta elevatione diſcedunt, & funalia extinguunt, niſi facienda ſit Communio, quia tunc remanent ad Altare, uti alias dictum eſt.

XVI. Facta elevatione, ſurgunt, & Epiſcopus ſtans ſumta poſt genuflexionem Mitra, redit ad Sedem ſuam, ubi depoſita Mitra, modo ea utatur, ſtat nudo capite, & aufertur Faldiſtorium de medio Altaris. Celebrans reliqua peragit uſque ad, *Agnus Dei*, incluſive, ut in Miſſali.

XVII. Subdiaconus, ſumtâ pace, dat eam Epiſcopo, niſi ſit Presbyter aſſiſtens; cui poſt datam pacem genuflectit tantum, & eam dat poſtea in Choro, ut alias diximus. Si cum Epiſcopo proprio alii ſint Prælati minores, dabit eam Miniſter primo ſtanti in ſua Sede, & hic aliis eam dabit; & ſi ſint ſcamna, in quibus ſint multi Prælati, eam dabit primo cujuſque ſcamni. Si ſit Presbyter aſſiſtens, Subdiaconus accipit ab eodem aſſiſtente pacem, & eam in Choro diſtribuit; tum eam dat Diacono, qui eamdem dat Cæremoniario dandam aliis, ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum XVI. Maji MDCLXVIII.

XVIII. Dicto, *Placeat*, a Celebrante, & facta reverentia in medio Altaris, retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, & deſcendit ad ſecundum gradum, ad cujus ſiniſtram ſtat Diaconus, & Subdiaconus a ſiniſtris hujus; & dum Epiſcopus benedicit, Celebrans ſolus ſe inclinat, niſi Miniſtri ſacri, & Clerici de Choro ſint Canonici, quia tunc tantum ſe profunde inclinant, & etiam ſe ſignant. Tum Celebrans, & Miniſtri accedunt cum debitis reverentiis ad cornu Euangelii, & ibi Celebrans de more legit Euangelium.

XIX. Si Epiſcopus remittat ad Celebrantem, ut det ipſe benedictionem, tunc dicto, *Omnipotens Deus*, ad Prælatum ſe convertit, & inclinat, & proſequitur, *Pater, & Filius &c.* benedicens tantum aſſiſtentes, qui non ſunt ad partem Epiſcopi. Sed decentius eſt, ut ſemper Epiſcopus benedicat.

XX. Finito Euangelio, Celebrans vertit ſe ad Epiſcopum, ad quem ſe profunde inclinat, & omnes alii, ibique expectant, quouſque Epiſcopus receſſerit. Interim Miniſter de Faldiſtorio defert illud ad Altare, ut ibi Epiſcopus oret, qui facta Oratione genuflexus, ſurget, & facta iterum profunda reverentia, vel genuflexione, ſi ſit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, recedet comitatus a Clericis de Eccleſia. Interim Celebrans, & Miniſtri accedunt ad medium Altaris, deſcendunt, & facta iterum reverentia, ſumtiſque biretis, in Sacriſtiam redibunt.

XXI. Quod ad reverentias exhibendas Epiſcopo ſpectat, Celebrans tantum ſe ei profunde inclinat, reliqui vero, etiam Diaconus, & Subdiaconus, ſi non ſint Canonici, genuflectunt ei in acceſſu, & receſſu; unde Diaconus Epiſcopum thurificaturus genuflectit ante, & poſt, & quando accedit pro benedicendo incenſo, & quando alias notatur; genuflexiones enim iſtæ præcipiuntur jam variis locis noſtri hujus Cæremonialis Epiſcoporum.

XXII. Hi actus reverentiales exhibendi ſunt Cardinali ubique gentium, & præcipue in Eccleſia ſua Titulari Urbis, & etiam Archiepiſcopo in tota ſua Provincia. Item hi actus reverentiales, ſeu genuflexiones, videntur exhibendi Epiſcopo a Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ, niſi alia ſit conſuetudo, ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum, & etiam a Regularibus.

XXIII. Si Epiſcopus præſens ſit Miſſæ, quæ celebratur pro Defunctis, vel diebus jejuniorum, exceptis Feria v. in Cœna Domini, Sabbato Paſchæ, & Penteçoſtes, & Vigilia Nativitatis Domini, & quatuor Temporum Pentecoſtes, & in Feriis Adventus; dum cantatur ultimum, *Kyrie eleiſon*, in Miſſa, per Miniſtrum defertur Faldiſtorium ante medium Altaris, cum pulvinis duobus, ut in eo genefleçtat Epiſcopus, accedens ad illud, dum Chorus reſpondet, *Et cum ſpiritu tuo*, ante Orationem, & dictis Orationibus, illud reportat ad locum ſuum.

XXIV. Quando dicendi ſunt Verſus, *Adjuva nos Deus &c.* in Quadrageſima, vel aliquando, *Veni ſancte Spiritus*, *reple &c.* illud defertur ad medium Altaris, eoque dicto, reportatur ad locum ſuum. Item cum dicitur Præfatio, ſemper, & in qualibet Miſſa, etiam de Feſtis, eodem modo defertur, & ibi relinquitur uſque ad, *Pax Domini*, & tunc aufertur. In Feſtis tamen, & aliis diebus ſupradictis, aufertur ſtatim poſt utramque elevationem, quia tunc Epiſcopus ſtare debet ad Sedem ſuam. Item iterum etiam defertur paulo ante Orationes poſt Communionem, quia Epiſcopus ad Orationes genuflectit, quibus dictis, redit ad Sedem ſuam, ſed ibi relinquitur Faldiſtorium, ut ibi demum Epiſcopus genuflectat poſt finem Miſſæ.

XXV. Hæc ſupra dicta hoc Capite præcipue intelliguntur, quando Epiſcopus adeſt Miſſæ in Eccleſia, vel Collegiali, vel Parochiali, vel Conventuali, non vero in Cathedrali, quia quando intereſt in hac, habet Presbyterum aſſiſtentem, de quo ſatis diximus ſuo Capite, & duos Aſſiſtentes Diaconos, ut etiam ſuo loco diximus, qui omnes a ſua parte exercent ſua munia.

XXVI. In aliis vero Eccleſiis regulariter tales non habet Aſſiſtentes, niſi ſint cum eo Canonici ſuæ Cathedralis Eccleſiæ, vel niſi ipſe velit uti aliorum Clericorum aſſiſtentia; qui tamen biretum ei non auferent, quia ipſe ſibi illud auferre debet. In his etiam Eccleſiis non fiunt Circuli ante Epiſcopum, ſed tantum in ſua Cathedrali, niſi forte eum Canonici comitentur, ut quando vadit proceſſionaliter ad Eccleſiam aliquam in Civitate. Poteſt etiam in prædictis Eccleſiis legere Introitum, & alia, quæ diximus ſupra, ſi velit; ſed non præſente majori ſe.

XXVII. Si facienda ſit Proceſſio, Epiſcopus procedit poſt omnes Clericos cum Cappa; aut ſi dicenda ſit Hora aliqua ante Miſſam, finita Proceſſione, vel Hora prædicta, Epiſcopus accedit ad Altare, ubi incipit Miſſam, & facit Confeſſionem, & reliqua, ut ſupra.

XXVIII. Si poſt Miſſam dicenda ſit aliqua Hora, non omnes Clerici comitantur Epiſcopum

Digitized by Google

redeuntem, nam aliqui remanere debent, qui cantent prædictam Horam; vel si omnes cum comitantur, omnes postea redeunt dicturi Horam debitam.

XXIX. Si celebretur Missa solemnis coram aliis Episcopis extraneis, pauciores illis debentur honores; non enim faciunt Confessionem, nec benedicunt incensum, nec osculantur Librum Euangeliorum; denique ita agenda fere sunt omnia, ac si non essent præsentes, nisi quia incensantur ante Canonicos, & alios, tripliçi ductu; & tunc Celebrans etiam triplici ductu, vel saltem duplici. Ante Missam Celebrans eos salutat nudo capite, & benedicit populum undique, ac si non essent præsentes. Post Missam etiam eos iterum salutat. Defertur eis pax ante omnes alios.

XXX. Si sit Cardinalis, honores ei adhibendi sunt, qui Episcopo proprio, & inclinationes profundiores ei fieri debent. Incensatur ante Introitum Missæ, & post Euangelium.

XXXI. Faldistorium ei defertur ante elevationem: in fine Missæ Celebrans non benedicit, nisi Cardinalis det illi licentiam benedicendi, & tunc benedicit, ut supra, præsente Episcopo; si tamen Cardinalis est tantum Diaconus, Celebrans quicumque dat benedictionem.

XXXII. Dicto ultimo Euangelio, Celebrans se convertit ad Prælatum extraneum, & se inclinans eum salutat descendentem; quo facto ipse etiam redit in Sacristiam: ipsis autem Prælatis extraneis nunquam fit genuflexio, nisi ipsi celebrent.

XXXIII. Quoad Principes Laicos, fit etiam reverentia cum inclinatione: Principes summi triplici ductu thurificantur, & Celebrans etiam triplici ante eos. Alii minores Principes, sicut diximus Capite de Thurificatione, thurificantur, vel servetur laudabilis consuetudo, ut pax conservetur inter Clericos, & Laicos.

XXXIV. Quod ad Pacem spectat, Subdiaconus, sumta Pace a Diacono per osculum, & osculato ab eodem Pacis instrumento, accedit ad Principem, seu Principissam, eique offert prædictum instrumentum osculandum, exterso prius sericeo velo coloris convenientis instrumento illius manubrio appenso, ut alias, dicens: *Pax tecum*. Deinde Pacem dat in Choro. Aliis Principe inferioribus Pacem dabit Cæremoniarius cum dicto instrumento a Diacono prius osculato.

XXXV. Notandum obiter, quod in Ecclesiis Regularium, Abbates Commendatarii non debeant osculari Librum Euangeliorum in fine Euangelii, etiam in Monasteriis, quæ dantur illis in Commendam, de jure, ex Sacra Congregatione Rituum, ut jam alias diximus supra, nec incensari ullo modo a fortiori, cum Episcopus non paratus non debeat incensari eo loco, nec initio Missæ, sed tantum post Oblata tripliçi ductu, post Celebrantem, qui etiam triplici ductu thurificatur ante quoscumque præsentes Commendatarios, nisi adsit Episcopus proprius, quia duplici ductu tantum tunc debet thurificari.

XXXVI. Similiter incensum benedicere non debent, nec dare benedictionem, nec deferre paramenta Pontificalia, nec uti Mitra, nec Baculo, contra quosdam, qui sine Mitra Baculum pastoralem abusive deferunt, vel deferre faciunt ante se ad Vesperas, & Missam; nam hæc jurisdictionis sunt insignia, quam non habent, nisi ex dispensatione Apostolica; quia Baculus, & Mitra sunt correlativa, præsertim in Monasteriis, in quibus Abbates Regulares, & benedicti habent usum Mitræ, & Baculi. Ideoque etiam ab usu Mozzettæ abstinere debent, sicut Episcopi in Curia Romana ab ea abstinent, propter reverentiam Summi Pontificis, nisi sint Regulares. Possunt tamen Abbates prædicti Commendatarii in suis Ecclesiis tantum, si sint benedicti, ex dispensatione Apostolica benedicere, Pontificalia exercere, & uti Mitra, & Baculo.

XXXVII. Dicta hucusque licet peculiari Capite in nostro Cæremoniali non sint expressa, sunt tamen illi in omnibus conformia, ex eoque colligi possunt; ut omittam varia sacræ Rituum Congregationis Decreta, ac probatas Scriptorum Liturgicorum sententias, quibus ea nituntur, quæ ex memorato Bauldryo descripsimus in hoc Commentario, quem judicio Superiorum subjicimus.

CAP. X.

Vesperis Defunctorum in eorum generali Commemoratione Episcopus assistit cum Cappa lanea Pontificali. Quo ritu Episcopus in iisdem Vesperis, & in Matutinis Officium faciat. Quæ servanda ad Laudes, & ad Canticum, Benedictus. *Ordo celebrandi Vesperas, & Matutinum Defunctorum aliis temporibus.*

§. I.

Quia in Officiis Defunctorum diversæ ab aliis Cæremoniæ in multis observantur, ideo de eis est subjungendum, & primo de Vesperis, & Matutinis, quæ celebrantur quotannis pro Commemoratione, & suffragiis omnium fidelium Defunctorum immediate post secundas Vesperas Festivitatis Omnium Sanctorum, quæ simul, & junctis in multis Ecclesiis recitari solent; hoc est, statim post Vesperas Omnium Sanctorum, Vesperæ, & Matutinæ Defunctorum, ad hoc, ut populi commodius, & frequentius illis

Digitized by Google

illis intereſſe poſſint, & tunc ſi Epiſcopus ipſemet erit in Craſtinum celebraturus Miſſam ſolemnem pro Defunctis, debebit etiam in his Veſperis, & Matutinis Officium facere, & quidem hoc pacto,

COMMENTARIUS.

I. SI veterem Eccleſiæ diſciplinam ſpectemus, & antiquorum Patrum ſcripta volvamus, perſpectum profecto habemus duplex genus precationum, Sacrorumque pro mortuis, quæ vel primis Chriſti ſeculis in uſu fuerunt. Primum ſcilicet pro ſingulis, ſeu pro aliquo ſigillatim. Alterum vero pro omnibus ſimul, qui ſcilicet præceſſerunt cum ſigno Fidei, & dormiunt in ſomno pacis. Quantum ad primum genus, teſtem inprimis ejus antiquiſſimi ritus habemus Tertullianum, qui in Libro, *De exhortatione Caſtitatis*, Cap. XI. dum Virum alteram uxorem ducentem exagitat, & Sacrificii pro utraque poſt mortem faciendi meminit: *Stabis ergo ad Deum*, inquit, *cum tot uxoribus, quot illas ratione commemoras, & offeres pro duabus, & commemorabis illas duas per Sacerdotem de monogamia.*

II. Tertulliano adjungimus S. Cyprianum, qui in Epiſtola LXVI. ad Clerum, & Plebem Furnis conſiſtentem, de ea veteri diſciplina luculentiſſimum nobis exhibet teſtimonium, cum Victori cuidam, qui Presbyterum liberorum tutorem teſtamento inſtituerat, quamquam mortuo, interdixit communione Eccleſiæ, edixitque, ne qua ejus oblatio in Sacrificio offerretur, vel nomen adhiberetur, quod Sacrum faciendum non eſſet pro requie illius, qui Sacerdotes ab Altari abduceret: *Quod Epiſcopi anteceſſores noſtri religioſe conſiderantes, & ſalubriter providentes cenſuerunt, nequis Frater excedens, ad tutelam, vel curam Clericum nominaret, ac ſiquis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & Miniſtros voluit avocare.* Et mox: *Et ideo Victor, cum contra formam nuper in Concilio a Sacerdotibus datam Geminium Fauſtinum Presbyterum auſus ſit tutorem conſtituere, non eſt, quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Eccleſia frequentetur.* Ubi nota I. jam olim conſueviſſe defuncti nomen proferri in Miſſa. II. non ſolum Miſſam oblatam olim pro mortuo, ſed etiam & alias preces fuſas fuiſſe pro ipſo ad Deum.

III. Patrum loca, & veterum exempla in confirmationem ejus diſciplinæ innumera pene afferri poſſent, quæ tamen recenſent paſſim Theologi, ubi contra hæreticos Purgatorium propugnant. Celeberrimum eſt, quod memoriæ prodidit S. Auguſtinus Lib. IX. *Confeſſionum*, Cap. ultimo, ubi ait, optimam ejus matrem S. Monicam, dum ageret animam, optaſſe in Sacrificiis nominari: *Tantummodo memoriam ſui ad Altare tuum fieri deſideravit.* Et paulo poſt: *Inſpira Domine famulis tuis, ut quotquot hæc legerint, meminerint ad Altare tuum Monicæ famulæ tuæ cum Patricio quondam ejus conjuge.* Docet & illud quoque Auguſtinus, quod jam alias ceteri Patres tradidere, prodeſſe mortuis precationes, Sacra, & eleemoſynas. Sic enim ait tum alibi, tum vero in Enchiridio, Cap. CIX. *Neque negandum eſt, Defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, quum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt.*

IV. Quantum ad alterum genus precationum, Sacrorumque pro mortuis, quod priſcis etiam Patribus perſpectum fuit, profecto illud eſt, quum omnes univerſe mortui commemorantur ab Eccleſia, rationem habente eorum maxime, quibus nulli ſunt propinqui, vel neceſſarii, qui eis ſtudeant. Ita Auguſtinus ipſe in Libro, *De cura pro mortuis*, Cap. IV. *Non ſunt prætermittendæ*, inquit, *ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana, & Catholica ſocietate Defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcumque ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, ut quibus ad iſta deſunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati, vel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi.* Orabat ergo Eccleſia, & Sacris operabatur pro omnibus etiam Defunctis generatim, neminem in ejus ſocietate mortuum rejiciendo ante Auguſtini tempora. Id quod etiam perſpicue liquet ex antiquiſſimis Liturgiis, ac præſertim ex ea, quæ legitur apud Auctorem Conſtitutionum Apoſtolicarum. Sanctus Chryſoſtomus Homilia LXIX. ad populum Antiochenum conſtanter aſſerit, quod *ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis Myſteriis, Defunctorum agatur commemoratio.* Id quod etiam teſtatur S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis, Lib. I. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. XVIII. ſic dicens: *Sacrificium pro Defunctorum fidelium requie offerri, vel pro eis orari, quia per totum hoc orbem cuſtoditur, credimus, quod ab ipſis Apoſtolis traditum ſit &c.*

V. Licet autem vel in Eccleſiæ primordiis preces, & Sacra pro mortuis tam ſingulatim, quam univerſe inſtituta eſſent, & in quibuslibet Liturgiis defunctorum generatim memoria recoleretur, minime tamen comperimus, Patres, Synodoſque conſulentes, ſtato aliquo die omnium generatim Defunctorum commemorationem, preceſque pro omnibus illis, ac Sacrificia, ut ſcite notat Thomaſſinus Lib. II. *De dierum Feſtorum celebratione*, Cap. XXI. Sane tradit S. Petrus Damianus res geſtas S. Odilonis Abbatis Cluniacenſis enarrans, primum ipſum fuiſſe, qui ritum hunc anno CMXCVIII. in ſua Cœnobia invexerit: *Venerabilis Pater Odilo*, inquit, *per omnia Monaſteria ſua conſtituit generale Decretum, ut ſicut primo die menſis Novembris juxta univerſalis Eccleſiæ regulam, Omnium Sanctorum ſolemnitas agitur,*

Digitized by Google

agitur, ita ſequenti die in Pſalmis, & eleemoſynis, & præcipue Miſſarum ſolemniis, omnium in Chriſto quieſcentium memoria celebretur. Scitiſſime & illud obſervat Thomaſſinus in recitatum locum, complures dies Feſtos privato quodam, pioque ſtudio Monachorum, & peculiarium Eccleſiarum primum inſtitutos, ab univerſa Eccleſia poſt diuturnum examen celebratos fuiſſe. Sed hoc obiter dicto, tametſi Libri Canonicas preces jam ante Odilonem pro Defunctis complecterentur, ut patet ex Amalario, qui longe ante illum floruit, ſciendum tamen, adhibitas tantum preces illas fuiſſe, dum aliqui e vivis exceſſiſſent, non vero, ut ſtato aliquo anni die, ut poſtea factum eſt, generalis Defunctorum omnium commemoratio ſolemni ritu celebraretur.

VI. Fuit ergo ejus ritus primus omnium Auctor S. Odilo, a quo in univerſam Eccleſiam diffuſus eſt auctoritate Apoſtolica, eſtque hæc communis ſententia; licet non deſint, qui S. Bonifacio Papæ IV. inſtitutori Feſti Omnium Sanctorum, inſtitutionem quoque Commemorationis Fidelium omnium Defunctorum tribuant, uti videre eſt apud Gavantum in Rubricas Breviarii Romani, Sectione VII. Cap. XIII. Num. II. ubi etiam ait, alios facere ritus illius Auctorem Joannem Papam XVI. ſuadente Odilone. Quicquid ſit inficiari illud non auſim quin Officium pro Defunctis longe antiquius Odilone ſit, cum ejuſdem Officii veluti ritus jam ſuo ævo uſitati expreſſe meminerit laudatus ſuperius Amalarius, *De ordine Antiphonarii*, Cap. LXV. ubi ita inquit: *Poſt Officia Sanctorum, inſerui Officium pro mortuis; multi enim tranſierunt de præſenti ſeculo, qui non illico Sanctis conjunguntur, pro quibus ſolito more Officiorum agitur.*

VII. Recitata hæc Amalarii verba ſat nobis jam aſtruunt antiquum uſum Officii Defunctorum, quod prædictus Auctor ſuo Antiphonario inſeruit poſt Officia propria, & communia Sanctorum, uti etiam nunc inſertum habetur noſtris Breviariis; nequaquam vero nos docent, dicendum ejuſmodi Officium poſtridie Feſti Omnium Sanctorum, cum nullatenus ibi agatur de Sanctorum omnium celebritate, ſed de Officiis dicendis in Feſtis Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum &c. ut patet ex præcedenti Cap. LXIV. cujus Titulus eſt, *De Reſponſoriis communibus Sanctorum*. Et vero non habetur in Amalario, *poſt Officium Sanctorum*, ut non recte legunt Baronius in Notis ad Martyrologium die II. Novembris, Gavantus, & Thomaſſinus; ſed *poſt Officia*, ut ſcite obſervat Guyetus. Sunt qui ejus Officii originem Apoſtolis tribuunt, auctumque deinde fuiſſe ajunt ab Origene. Alii Auctorem faciunt S. Auguſtinum, alii alios, de quibus vide Radulphum Tungrenſem in Libro, *De Canonum obſervantia*, Cap. XX. Gazæum in Diſquiſitione, *De Officio Defunctorum*, & Gavantum loco citato, Sectione IX. Cap. II. Numero II.

VIII. Quod attinet Officium commemorationis Fidelium omnium Defunctorum, quod quotannis poſt celebritatem Omnium Sanctorum celebrari ſolet, ita ritum enarrat Udalricus Libro I. Cap. XLII. *Pulſatis omnibus ſignis diutius cantantur quoque Veſperæ Defunctorum, & in nocte poſt Matutinas de Omnibus Sanctis, Officium ſimul cum Matutinis laudibus, & Matutinalis Miſſa, ſolemniſſimo pro omnibus fidelibus Defunctis, pro quibus & ſinguli Sacerdotes privatas Miſſas ſunt cantaturi. Sed nec ad Veſperas, nec ad alias vices de Collectis eſt amplius dicendum, quam una tantummodo Collecta &c.* In multis Eccleſiis mos ille invaluit, ut, quemadmodum etiam Rubrica noſtri §. teſtatur, ſtatim poſt ſecundas Veſperas Feſtivitatis Omnium Sanctorum, Veſperæ, & Matutinæ Defunctorum junctim recitentur; *ad hoc ut populi commodius, & frequentius illis intereſſe poſſint.* Atque is plane ritus hodieque ſervatur in Pontificia Capella ex antiquo more, cujus meminit in ſuo Cæremoniali Patricius, Lib. II. Sectione II. Cap. XXIV. & ante ipſum Petrus Amelius in ſuo Ordine XV. Romano, Capite CXXXI. Porro ubi in Eccleſiis Veſperæ, & Matutinæ Defunctorum ſtatim poſt ſecundas celebritatis Omnium Sanctorum Veſperas conjunguntur, ex præſcripto ejuſdem noſtri §. *tunc, ſi Epiſcopus ipſemet erit in craſtinum celebraturus Miſſam ſolemnem pro Defunctis, debebit etiam & in his Veſperis, & Matutinis Officium facere.* Quo plane ritu peragenda ſit ea functio ab Epiſcopo, deſcriptum habes in Rubrica ſequentium Paragraphorum, in quos nos plura notabimus.

IX. Unum eſt quod adnotemus demum ad calcem hujus Commentarii, quodque forte multi adhuc eruditi ignorant, Commemorationem ſcilicet omnium Fidelium Defunctorum, quæ alias die II. Novembris generaliter poſt annum Chriſti milleſimum quotannis ſolita erat celebrari, Seculo tamen XIV. in aliis Eccleſiis, aliis diebus celebratam fuiſſe. Id plane conſtat ex Provinciali Synodo VI. Beneventana anni MCCCLXXIV. Tit. XVII. Cap. III. *Feſtum*, inquit, *Commemorationis Animarum Defunctorum generaliter celebratur in craſtinum omnium Sanctorum, & in quibuſdam partibus in craſtinum Beati Hilarii, & etiam de conſuetudine ſpeciali quorumdam locorum in craſtinum octavarum Paſchæ, & octavarum Pentecoſtes.*

X. Sed nec Seculo ipſo XIV. ubique locorum recepta fuit ea diſciplina, ut aliqua anni die ſolemnis ipſa omnium Defunctorum Commemoratio celebraretur, nam ita ſtatim prædicta Synodus ſubjicit: *Et ſi ubique fieret, laudabile, & ſanctum eſſet, quoniam* ſalubris eſt Oratio pro Defunctis, ut a peccatis ſolvantur; *& ad hoc quilibet tenetur, & animari debet, tum quia omnia, quæ poſſidemus, Defunctorum fuerunt, tum quia ſperamus, pro nobis Orationes fieri, omnes enim morimur, tum quia mortui etiam pro orantibus orant, & pro non orantibus imprecantur tamquam male contenti, potiſſime, qui hæredes, & ſucceſſores divites reliquerunt; propter quod ad preces Defunctorum Deus quandoque multas tribulationes mittit ad multos; & nos plures caſus habuimus a multis etiam palam revelatos.* Hiſce argu-

Digitized by Google

argumentis usa est Synodus ipsa Beneventana, ut ad Commemorationem ipsam Fidelium omnium Defunctorum celebrandam Ecclesias, in quibus nullatenus celebrabatur, induceret.

XI. Tria adhuc in eo Capite laudata Synodus docet, quæ minime hic sunt omittenda. Primum est, quod alias præscriptum a Rubricis, & variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis decisum habemus, nempe, quod *si in prædictis diebus Commemorationis Defunctorum*, quia scilicet non una die tunc temporis ea Commemoratio celebrabatur, *Festum aliquod duplex caderet, transfertur ipsa Commemoratio in diem sequentem*. Alterum est, *Festa hæc Commemorationis Defunctorum*, celebrata fuisse *usque post Missas; & tunc laborari potuisse sine offensa*. Tertium tandem, *propter hujusmodi Officium Defunctorum non debere omitti dictis diebus Officium regulare*, quod scilicet diebus ipsis occurrit celebrari. Idem Decretum eisdem verbis legere est in statutis Ecclesiæ Cadurcensis apud Martenium Tomo IV. Anecdotorum Col. 766.

§. II.

Postquam enim in secundis Vesperis Omnium Sanctorum observaverit ea omnia, quæ supra expressa sunt in Cap. 1. hujus Libri II. de Vesperis solemnibus Episcopo in crastinum celebraturo; & ipsis secundis Vesperis expletis, si eis Episcopus interfuerit cum Pluviali, & Mitra, ea deponit, & assumit Cappam Pontificalem laneam, & descendens ad suam Sedem Choralem, ibi parumper sedebit, nullis tamen tunc ei Canonicis a lateribus assistentibus, sed tantummodo aliquibus Capellanis Ministris cum Cottis, præsertim qui de Libro serviunt, & cum eis Cæremoniario indicante quid, & quomodo agendum sit; & cum opus est, Cappæ fimbrias aptant, atque interim mutari poterit pallium Altaris, & candelæ; videlicet, remotis albis, apponi ex cera communi. Interim, dum Episcopus, & Canonici paramenta deponunt, Mansionarii, seu Capellani, vel Seminaristæ in Secretario recitabunt Completorium.

COMMENTARIUS.

I. Præscribit hic noster §. Ritum, qui servari ab Episcopo debet in Vesperarum celebratione solemnis Commemorationis Fidelium omnium Defunctorum, ubi scilicet absolutæ secundæ Vesperæ fuere celebritatis Sanctorum, quibus ipse indutus Pluviali, & Mitra interfuerit. Iis enim in Sede Pontificali depositis assumit mox Cappam Pontificalem laneam, & descendens ad suam Sedem Choralem parumper sedebit, nullis ei a lateribus tunc assistentibus Canonicis, sed solum aliquibus Capellanis Ministris cum Cottis, præsertim iis, qui de Libro, & Candela inserviunt, & Cæremoniario, qui ei indicet quid, & quomodo agendum, & Cappæ fimbrias cum opus est aptante una cum ipsis Ministris; ac interim Sacrista, vel alio, cui id competat, pallium Altaris mutante, & Candelas; adhibendum tunc enim est pallium nigri coloris, remotisque Candelis albis, apponendæ aliæ Candelæ sunt ex cera communi. Hæc sane §. noster; verum ex Ordinario Argentino, & ex Silvanectensi, ut testatur Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXXIV. Num. XXX. Vesperis de Omnibus Sanctis solemnes quidem subjungebantur Vesperæ de Fidelibus omnibus Defunctis, sed *cum iisdem Cappis, quibus Cantores in omnium Sanctorum Officio usi fuerant*.

II. Usam nigro colore Ecclesiam in Officio Defunctorum, testem habemus Durandum tum in suo Pontificali, tum in Rationali suo divinorum Officiorum Lib. I. Cap. XVIII. & Lib. VII. Cap. XXXV. aliosque antiquos Auctores Romanorum Ordinum XIV. & XV. itemque in suis Cæremonialibus Augustinum Patricium, & Paridem Crassum, quorum alter Lib. II. Cap. XXIX. loquens de ornatu Altaris in Officio pro Defunctis, diserte ait, omnia paramenta tam Altaris, quam Celebrantis, ac Ministrorum, Librorum, & Faldistorii nigra esse debere, Candelas vero *ex cera communi*. Tum Cap. XLI. de Vesperis, & Matutinis pro ipsis Defunctis per Episcopum celebrandis differens, paratum ait illum esse debere *cum Amictu, & aliis, ac Pluviali, & Mitra alba*, nullis ei assistentibus Ministris paratis, sed solis Capellanis novem. Deinde vero ita addit: *Si autem noluerit esse paratus, tunc nullo modo incboet illas*, Vesperas scilicet, vel Matutinas; *nec Officium faciat, sed dimittat per alium coram se fieri*.

III. Sed hæc a nostro §. correcta sunt, quantum scilicet ad ornatum Episcopi, ubi expresse edicitur, quod si Episcopus secundis Vesperis Festi Sanctorum interfuerit cum Pluviali, & Mitra, *ea deponit, & assumit Cappam Pontificalem laneam*. Quæ dispositio consona est Cæremoniali Pontificiæ Capellæ, Auctore Patricio Libro II. Sectione II. Cap. XXIV. ubi agens de Vesperis, & Matutinis Defunctorum, Papa celebrante, ita inquit: *In sero in Capella majori Palatii cantantur Vesperæ, & Matutinæ Mortuorum hoc ordine. Papa induitur Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, & Cappa de rosato sine Mitra &c.* Quidquid

Digitized by Google

quid ſit de ritu, quem tradit Craſſus, quemque §. noſter corrigit, non omittendum hic nobis illud, poſtrema illa ejuſdem §. noſtri verba, *Interim dum Epiſcopus, & Canonici paramenta deponunt, Manſionarii, ſeu Cappellani, vel Seminariſtæ in Secretario recitabunt Completorium*, adjuncta in novo Cæremoniali a Benedicto XIII. fuiſſe; non enim in antiquioribus inveniuntur.

§. III.

Poſt pauculum moræ ſurgit Epiſcopus, & detecto capite verſus Altare, abſolute Chorus incipit Antiphonam, *Placebo Domino &c.* illam integre recitando; qua finita, & incepto Pſalmo, *Dilexi &c.* Epiſcopus caput cooperit, & ſedet, & ſic ſedens manet, quouſque inchoetur a Choro, *Magnificat &c.* tunc ſurgit, & ſtat detecto capite, uſque in finem; & cum repetitur per Chorum Antiphona poſt *Magnificat*, ſedet; & ea finita ſurgit, detecto capite, & competenti voce dicit, *Pater noſter*, quod ſecrete complet genuflexus, genuflectentibus omnibus.

§. IV.

Interim duo Acolythi Ceroferarii accedunt ante Epiſcopum, cum candelabris, & cereis accenſis, qui ſolent fieri ex cera communi, & inter eos erit medius Capellanus de Libro ſerviens. Epiſcopus alte pronunciat ea verba Orationis Dominicæ, *Et ne nos inducas &c.* cum aliis Verſiculis, reſpondente Choro, quæ habentur in Breviario poſt Veſperas Defunctorum; & inde ſurgens ad *Dominus vobiſcum*, dicit Orationem, *Fidelium Deus &c.* qua finita, ſubjunget Verſiculum, *Requiem æternam &c.* Choro reſpondente, *Et lux perpetua &c.* Deinde Chorus, *Requieſcant in pace &c.*

COMMENTARIUS.

I. OFficium Mortuorum incipere a Veſperis, docet in ſuo Rationali Durandus Lib. VII. Cap. XXXV. Num. XXXIII. additque mox Num. XXXIV. non habere ipſum Officium ſecundas Veſperas, imo nec alias Horas Canonicas præter Matutinum, & Laudes, ob minorem ſcilicet ejus Officii ſolemnitatem. Eſtque is hodie uſus Eccleſiæ, ſicut etiam olim fuit, ut Mortuorum Officium ſolis primis Veſperis, & Matutino, ac Laudibus celebretur. Sciendum hic tamen eſt, ſervatam alicubi fuiſſe hanc olim diſciplinam, ut Officium Defunctorum cum primis, & ſecundis Veſperis, horiſque diurnis celebraretur, ut ex mſs. S. Dionyſii conſuetudinibus perſpicue oſtendit Martene Libro III. *De antiquis Monachorum Ritibus*, Cap. XXIV. Num. IX. ubi agit de Anniverſario ſolemni, quod quotannis pro Dagoberto Rege Francorum celebrabatur ad diem XIX. Januarii. Conſtat nihilominus, antiquum, & communem fere fuiſſe morem, ut ſolæ Veſperæ cum Matutino, ac Laudibus, & cum iiſdem fere Antiphonis, Pſalmis, Lectionibus, Reſponſoriis, atque Orationibus, quibus hodieque utimur, recitarentur, quamquam, ut infra dicemus, adhuc nonnullæ Eccleſiæ in eo ritu, ſicut & in aliis pluribus, variare ſolerent.

II. Quod Rubricam noſtri §. III. & IV. attinet, paulo fere variat a ritu Pontificiæ Capellæ, de quo loquens Patricius in ſuo Cæremoniali Lib. II. Sectione II. Cap. XXIV. hæc habet: *Poſtquam Papa aliquantulum quieverit, ſurgit, & ſtans capite ſemicoperto*, Caputio ſcilicet, de quo paulo ſuperius dixerat, *verſus ad Altare, dicit ſecrete*, Pater noſter; *quo ad finem completo, ſibi ipſi caput cooperiet: tum Cantores incipient pro Veſperis Antiphonam*, Placebo Domino; *qua dicta, & incepto Pſalmo, Papa ſedet, ſic manens, quouſque incipiatur*, Magnificat. *Tunc ſurgit Papa a ſe ipſo ſemi, vel totaliter capite diſcooperto, prout ſibi placet. Finito*, Magnificat, *Papa ſedet cooperto ſibi capite, ſic manens uſque ad finem repetitionis Antiphonæ. Tunc accedunt duo Acolythi in eorum Cappis, cum duobus candelabris more ſolito. Surgit Pontifex diſcooperto capite, & ſtans verſus ad Altare dicit competenti voce*, Pater noſter, *quod ſecrete complet. Interim accedunt duo Epiſcopi aſſiſtentes cum Libro, & Candela, & Papa, completo* Pater noſter, *dicit Verſiculum*, Et ne nos inducas in tentationem. *Reſponſ.* Sed libera nos a malo. *Verſ.* A porta inferi. *Reſp.* Erue Domine animas eorum. *Verſ.* Requieſcant in pace. *Reſp.* Amen. *Verſ.* Domine exaudi Orationem meam. *Reſp.* Et clamor meus ad te veniat. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Fidelium Deus omnium &c. Qui vivis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum. *Reſp.* Amen. *Verſ.* Requiem æternam dona eis Domine. *Reſp.* Et lux perpetua luceat eis. *Tum duo ex Cantoribus dicunt Verſiculum*: Requieſcant in pace. *Reſp.* Amen.

III. Hactenus Ritus Pontificiæ Capellæ, in qua illud eſt obſervandum, recitari a Papa Veſperas Defunctorum, præmiſſa Oratione Dominica, quæ tamen tum ex præſcripto Breviarii Romani,

Digitized by Google

mani, tum etiam noſtri §. III. omnino omittitur: *Abſolute*, inquit, *Chorus incipit Antiphonam*. Placebo Domine &c. *illam integrę recitando &c.* Errat itaque Gavantus, ubi in Rubricas Breviarii ſcribens, Sectione IX. Cap. II. Num. V. ait, quod *exemplo Capellæ idem præſcribitur in Cæremoniali Lib.* II. *Cap.* X. ut ſcilicet præmittatur Oratio Dominica, *etiamſi Veſperæ Defunctorum jungantur Veſperis de Feſto*, ideſt, Omnium Sanctorum. Ut enim cuique Rubricam noſtri §. III. imo totius Capitis X. legenti patet, nulla exſtat obligatio præmittendæ Veſperis Defunctorum Orationis Dominicæ, imo potius expreſſe eam dici ibidem prohibetur, ut ſupra notatum eſt. Porro Antiphona ipſa, *Placebo Domino &c.* in Veſperis Officii Defunctorum antiqua eſt, ejuſque meminit in ſua Explicatione divinorum Officiorum Belethus Cap. CLI. *Officium*, inquit, *Mortuorum a Veſperis incipit, quas in hunc modum auſpicamur*, Placebo Domino.

IV. Recitatis Pſalmis, ubi inchoatur a Choro Canticum, *Magnificat*, Epiſcopus ex Rubrica ejuſdem noſtri §. III. *tunc ſurgit, & ſtat detecto capite uſque in finem*, ob reverentiam ſcilicet ipſius Cantici, quod ex Euangelio deſumtum eſt; *& cum repetitur per Chorum Antiphona poſt* Magnificat, *ſedet, & ea finita ſurgit, detecto capite, & competenti voce dicit*, Pater noſter, *quod ſecrete complet genuflexus, genuflectentibus omnibus*. Poſtrema hæc verba, *genuflexus, genuflectentibus omnibus*, addita primum fuere huic §. in novo noſtro Cæremoniali a ſanctæ memoriæ Benedicto XIII. in aliis enim antiquioribus deſiderantur; tametſi ex Rubrica Breviarii Romani, Oratio ipſa Dominica cum aliis precibus, quæ ſequuntur, flexis genibus dicenda ſit. Gavantus loco citato Num. III. videns quod in Cæremonialibus ſui ævi genuflexio ipſa Epiſcopis, quam alias §. noſter expreſſit, minime ipſis præciperetur, hanc generalis regulæ exceptionem ad Epiſcoporum dignitatem retulit: *In fine Veſperarum, & Laudum dicuntur preces ſemper genibus flexis, etiam quando omittuntur Pſalmi. Epiſcopis autem in Cæremoniali Epiſcoporum Libro* II. *Cap.* X. *pro eorum dignitate præſcribitur, ut ſtantes dicant preces, quod non debet eſſe commune reliquo Clero*. Sed ea ratio a Gavanto excogitata, dignitatis ſcilicet Epiſcopalis, nullius hodie momenti eſt, cum Epiſcopi ipſi juxta Rubricam novi Cæremonialis, debeant, ſicut ceteri omnes, genuflectere poſtquam intonarunt, *Pater noſter*, genuflexique manere cum preces dicuntur in Breviario Romano præſcriptæ. Quod tamen nec in Pontificia Capella, nec in Patriarchalibus, vel aliis Eccleſiis Urbis ſervatur, ob eam forte rationem, quia in Abſolutione omnium Fidelium Defunctorum poſt Miſſam, & eam, quæ fit præſente cadavere, genuflecti non ſolet, & tamen tunc etiam eædem dicuntur preces.

V. Sed ut ad §. IV. me conferam, dum ſecrete Epiſcopus Orationem Dominicam complet genuflexus, genuflectentibus omnibus, *interim duo Acolythi Ceroferarii*, comite ſcilicet Cæremoniario, *accedunt ante Epiſcopum cum candelabris, & cereis accenſis, qui ſolent fieri ex cera communi, & inter eos erit medius Capellanus de Libro ſerviens*. Sequitur: *Epiſcopus alte pronuntiat, verba Orationis Dominicæ*. Et ne nos inducas &c. *cum aliis Verſiculis, reſpondente Choro, quæ habentur in Breviario poſt Veſperas Defunctorum; & inde ſurgens* ad Dominus vobiſcum, *dicit Orationem*. Verba hæc, *& inde ſurgens &c.* merito huic §. in novo noſtro Cæremoniali fuere adjuncta, quum enim ex præſcripto §. III. poſt intonatum competenti voce, *Pater noſter*, debeat Epiſcopus genuflectere, genuflexuſque ad preces manere, iccirco in hoc §. cautum eſt, ut precibus ipſis abſolutis, ubi dicendum eſt, *Dominus vobiſcum*, ad Orationem, ſurgat tunc Epiſcopus; dicendas enim ſtando Orationes, docent nos paſſim generales Rubricæ.

VI. Oratio, *Fidelium Deus omnium conditor &c.* quæ poſt ipſas preces dici debet, eſt plane antiqua, legiturque in pervetuſto Sacramentario S. Gregorii Papæ, & in aliis multis priſcis Codicibus. In die Commemorationis Fidelium Defunctorum, in qua hæc ſola Oratio dicitur, ex præſcripto Romani Breviarii terminari debet cum hac concluſione: *Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia &c.* licet in Cæremoniali Patricii dicta, Oratio hanc habeat concluſionem: *Qui vivis, & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum*. Sed attendi debet Breviarium Romanum, quod in Officio Commemorationis omnium Defunctorum ſervari mandat §. noſter. Dicta Oratione, ſubjungit Epiſcopus, Verſiculum, qui etiam in Sacramentario S. Gregorii legitur, nempe, *Requiem æternam dona eis Domine*, & reſpondente Choro, *Et lux perpetua luceat eis*, Chorus deinde, ſive, ut ait Patricius in ſuo Cæremoniali, duo ex Cantoribus dicunt Verſiculum, *Requieſcant in pace*; iſque eſt hodie uſus complurium inſignium Eccleſiarum.

§. V.

Quo dicto, ſedet Epiſcopus cooperto capite, & poſt modicam moram ſurgit, abſoluteque Chorus incipit Invitatorium, *Regem cui omnia vivunt &c.* pro Matutinis cum Pſalmo, *Venite exultemus Domino &c.* Cum Chorus incipit Pſalmum primi Nocturni, Epiſcopus ſedet cooperto capite, & ſic manet, quouſque dicatur per Chorum Reſponſorium Verſiculi ante primam Lectionem primi Nocturni; tunc ſurgit, & detecto capite, dicit ſecrete, *Pater noſter*, uſque in finem: mox ſedet capite

Digitized by Google

pite cooperto, quousque dictum fuerit Responsorium Versiculi ante quartam Lectionem secundi Nocturni; & tunc pariter surgit, detecto capite dicens, *Pater noster*; mox sedens, prout in primo Nocturno; idem facit post Responsorium Versiculi tertii Nocturni ante septimam Lectionem.

COMMENTARIUS.

I. IDem ritus in hoc §. expressus, ita enarratur in Cæremoniali Pontificiæ Capellæ Auctore Augustino Patricio Lib. II. Cap. XXIV. *Deinde*, inquit, ideſt, absolutis Vesperis, *sedeat Pontifex cooperto capite, & aliquantum quiescat; tum surgat, & capite semicoperto stans versus ad Altare dicit secrete*, Pater noster. *Quo completo, caput sibi ipsi cooperiat, & Cantores incipiant pro Matutinis Invitatorium*, Regem cui omnia vivunt &c. *Incepto Psalmo primi Nocturni, videlicet*, Verba mea, *Papa sedet sic manens, quousque ad responsionem Versiculi ante primam Lectionem. Tunc surgit, & capite semidiscooperto stans versus ad Altare, dicit secrete*, Pater noster, *& illud secrete complet: quo completo, caput sibi ipsi cooperiens sedet. Tunc unus ex Cantoribus stans in eorum loco versus ad Altare, facta prius Altari, & Papæ reverentia, ex Libro dicat primam Lectionem, & alia dicuntur, prout in Ordinario. Post Versiculos secundi, & tertii Nocturni surgit Pontifex, & dicit*, Pater noster; *deinde sedet, prout supra in primo Nocturno dictum est.* Sicut in Vesperis, præmittitur in Capella Pontificia, Oratio Dominica, quæ tamen ex hoc nostro §. omittenda est, nam ut ibidem dicitur, *absolute Chorus incipit Invitatorium.*

II. Recitatio Invitatorii non ita antiqua est in Officio Defunctorum, omittendum quippe esse illud, sicut & alia, quæ recitationi Officii ex prisco instituto præmitti solent, non sine ratione docet in sua Explicatione divinorum Officiorum Joannes Belethus, qui floruit Seculo XII. Cap. CLXI. *Officium*, inquit, *mortuorum imitatur triduanam Christi sepulturam, & illius omnino vestigia sequitur.* Et mox: *Sicut ergo tribus illis diebus, ita & in hoc Officio omnia Cantica lætitiæ subticemus. Inde etiam est quod*, Domine labia mea aperies, *ad Matutinas, vel Vigilias Mortuorum, &* Deus in ajutorium, *non dicatur in principiis Horarum, neque*, Venite exultemus, *neque*, Gloria Patri, *ad Responsorium, aut sub finem Psalmorum.* Et paulo post: *Posset tamen & alia ratio reddi, quamobrem in Officio Mortuorum hæc taceantur; quum enim Mortuorum exequias celebramus, ad plangendum venimus, & lacrymandum, non ad solemnizandum. Ob quam rem sane lætitiæ Cantica subticemus. Nam non bene convenit huic Officio*, Venite exultemus; *nec* Domine labia mea; *sed potius cum eo videntur repugnare.* Officium Mortuorum tum Belethus, tum alii appellant, *Vigilias*, quia olim nocte, quæ funebrem pompam præcedebat, veteres vigilasse, nocturnasque Vigilias canendis Psalmis egisse, addiscimus plane a S. Gregorio Nyssæno in Epistola ad Olympium de morte sororis suæ Macrinæ, cujus meminit Durantus Lib. I. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXIII. Num. XV. & Bonartius, *De Horis Canonicis*, Lib. I. Cap. XXXI. Num. X.

III. Eadem quæ Belethus, docet Durandus Lib. VII. *Rationalis divinorum Officiorum*, Cap. XXXV. Num. XXVII. negans inter alia, dicendum Invitatorium, *Venite exultemus &c.* sed hanc statim exceptionem subjicit: *Nisi corpus præsens sit, & etiam in Vigiliis*, ideſt, ut ait Gavantus in Rubricas Breviarii Sectione IX. Cap. II. Num. III. in die depositionis tertio, septimo, trigesimo, anniversario, & regulariter quando tres Nocturni dicuntur, quia ad solemnius Officium invitandi sunt plures. Edmundus Martene in Libro, *De antiqua disciplina in divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXXIV. Num. XXXI. de Officio Defunctorum loquens, Matutinarum exordium ait dictum quidem fuisse ab Invitatorio, quod non idem tamen ubique erat; quia scilicet quidam hoc utebantur Versiculo, *Regem vivorum, ac quiescentium Dominum venite adoremus.* Alii isto: *Circumdederunt me gemitus mortis, & dolores inferni circumdederunt me.* Ait quoque, dici ab aliis consueviſse ipsum Versiculum, qui hodie communis est in Matutino Mortuorum, *Regem cui omnia vivunt, venite adoremus*; verum neque Codices memorat laudatus Martene, in quibus recitati Versiculi reperiuntur, neque ætatis, qua cœperunt dici.

IV. Antiphonæ, & Psalmi, iidem pene olim, qui nunc usurpantur, uti mox citatus Auctor testatur Num. XXXII. ubi tamen illud etiam docet, quosdam in I. Nocturno & hosce adhibuisse Psalmos, *Lauda anima mea*, & *Nisi quia Dominus erat in nobis*; in II. Nocturno istos, *Usquequo Dominine oblivisceris me in finem*, & *Conserva me Domine*; in III. Nocturno apud ipsos ait septimum Psalmum fuisse, *Domine ne in furore*, II. Octavum Psalmum, *Beatus qui intelligit.* Nonum tandem, *Quemadmodum desiderat.* Addit, nonnullos pro septimo Psalmo dixisse, *Expectans expectavi*; pro octavo, *Quemadmodum desiderat*; pro nono, *Audite hæc omnes gentes.* Sed longum esset, nec plane tam utile, aliorum varietatem recensere. Porro quod Lectiones attinet, mira certe fuit Ecclesiarum varietas: *In quibusdam enim Ecclesiis*, teste Beletho, Cap. CLXI. *novem leguntur Lectiones ex Job; in aliis vero totidem, sed ex Libro Sapientiæ. Incipiunt autem hoc pacto*: Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. *Sunt rursus aliæ Ecclesiæ, in quibus itidem novem recitantur Lectiones, verum ex sermone quodam S. Augustini, quem ille composuit de mortuis, & quem finivit in hunc modum*: Beati mortui, qui in Domino moriuntur;

Digitized by Google

tur; *quod a quibuſdam dicitur ſub fine Lectionum, loco*, Tu autem Domine &c.

V. Eadem, quæ docet laudatus Belethus Seculi XII. Scriptor, tradit etiam Durandus, qui floruit labente Seculo XIII. Lib. VII. ſui Rationalis, Cap. XXXV. Num. XXXIII. Cornelius autem Scultingus has Officii Mortuorum Lectiones deſignat; primam ſcilicet ex Libro Proverbiorum, Cap. v. *Ne des alienis &c.* ſecundam ex Libro Eccleſiaſtici, Cap. VII. *Melius eſt nomen bonum &c.* tertiam ex Libro Eccleſiaſtis, Cap. XII. *Memento Creatoris tui &c.* quartam ex Iſaia, Cap. XXVI. *Vivent mortui, Domine &c.* quintam in Oſee, Cap. XIII. *Hæc dicit Dominus de manu mortis*; ſextam ex Daniele, Cap. XII. *Multi de his qui dormiunt &c.* ſeptimam ex Epiſtola I. ad Corinthios, Cap. XV. *Multi de his, qui dormiunt &c.* octavum ex Epiſtola ad Corinthios, Cap. XV. *Ecce myſterium vobis dico &c.* nonam ex Epiſtola I. ad Theſſalonicenſes, Cap. v. *Ipſi fratres diligenter ſcitis &c.* Ex Ordinario Eccleſiæ Rotomagenſis novem Lectiones ex Epiſtolis Pauli pronunciari debent in pulpito. Ex mſs. S. Dionyſii Conſuetudinibus apud Martenium Lib. III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. XXIV. Num. IX. in ſolemni anniverſario pro Dagoberto Rege, Francorum ſex primæ Lectiones erant, *De expoſitione Euangelii, ſcilicet, Audiſtis, Fratres cariſſimi ..... tres extremæ lectiones de vita ipſius.* Quidquid ſit de variis Eccleſiarum ritibus circa Pſalmos, & Lectiones ipſas, tradit Durandus loco citato Num. XXVII. nec *Gloria Patri*, ad Reſponſoria, vel in fine Pſalmorum, nec ad Lectiones benedictionem peti, vel dari, nec dici, *Tu autem*, vel *Deo gratias*, in Officio ſcilicet Defunctorum.

§. VI.

Lectiones ipſæ cantantur per Cantores, vel per Canonicos juxta conſuetudinem loci in tono conſueto Lectionum, & Reſponſoria Lectionum per Chorum. Dicuntur deinde Pſalmi cum ſuis Antiphonis pro Laudibus; & cum inchoatur Canticum, *Benedictus &c.* Epiſcopus ſurgit detecto capite uſque in finem; & cum repetitur Antiphona, ſedet cooperiens caput.

§. VII.

Interim accedunt duo Ceroferarii cum Capellano Librum tenente ante Epiſcopum, & omnia fiunt, prout ſupra dictum fuit in fine Veſperarum hujuſmodi. Quibus finitis, Epiſcopus diſcedit cum aliis ad ſuas manſiones; nec datur benedictio, nec publicantur Indulgentiæ.

COMMENTARIUS.

I. RItus Pontificiæ Capellæ eſt, ut Lectiones ipſæ per Cantores canantur, & Reſponſoria Lectionum per Chorum. Sed quantum ad alias Eccleſias, mandat Rubrica noſtri §. VI. ſervandam eſſe earum conſuetudinem, adeoque ubi Canonici ſoliti ſunt cantare Lectiones, ibi ipſi eaſdem cantent. Ad Laudes quod attinet, tum earum Antiphonæ, tum Pſalmi iidem hodie ſunt ac olim. Cum inchoatur Canticum, *Benedictus &c.* ex Rubrica ejuſdem §. VI. *Epiſcopus ſurgit, detecto capite uſque in finem*, quia ſcilicet ex Euangelio deſumtum eſt, ad quod ſtandum eſſe capite nudo, jam alibi oſtenſum a nobis fuit, præſertim vero in Opere noſtro, *De Codice Sancti Euangelii, atque ſervatis in ejus lectione, & uſu vario ritibus*, Lib. II. Cap. XXIII. Hinc in ipſa Pontificia Capella, teſte Patricio Libro II. Sectione II. Cap. XXIV. *incepto Pſalmo*, Benedictus, *Papa ſurgit ſtans verſus ad Altare capite ſemicooperto, vel totaliter diſcooperto uſque ad finem Pſalmi: quo finito ſedet cooperto capite.*

II. Idipſum & in noſtro §. VI. de Epiſcopo præſcriptum eſt, *Cum repetitur*, inquit, *Antiphona, ſedet cooperiens caput*; & interim, ut in ſequenti §. VII. ſubjicitur, *accedunt duo Ceroferarii cum Capellano Librum tenente ante Epiſcopum, & omnia fiunt &c.* Deſumta hæc plane ſunt ex ipſo Pontificiæ Capellæ ritu, quem ita enarrat laudatus Patricius loco citato: *Repetita Antiphona poſt* Benedictus, *accedunt duo Acoluthi in eorum Cappis cum luminaribus ad locum conſuetum; ſurgit Pontifex, & ſtans verſus ad Altare dicit*: Pater noſter, *& alia omnia, prout ſupra in Veſperis ordinatum eſt. Dicto a Cantoribus*, Requieſcant in pace, Amen. *Papa ſedet cooperto capite, & aliquantulum quieſcit; deinde vadit ad Faldiſtorium, orat, ſurgit, & redit in cameram ordine, quo venit, digniore ex Epiſcopis aſſiſtentibus fimbrias, ut ſuperius, portante.* Addit §. noſter, non dari tunc ab Epiſcopo benedictionem, nec publicari Indulgentias. Id quod jam alibi notatum fuit, ob eam ſcilicet rationem, quod in ſignum mœroris hujuſmodi ſolemnitates, aliæque complures Cæremoniæ in aliis Miſſis uſitatæ, ac præſcriptæ, in Defunctorum Miſſis omitti debent. Id plane docent Auctores paſſim, veteres æque ac recentiores qui de exequiis Defunctorum tractant; unde ſatis mirari non poſſum, quod multi hodieque ſummo cum faſtu, ac ſæculari pompa exequias peragant.

Digitized by Google

§. VIII.

Si autem Epiſcopus Officium faciet in ſua Sede Pontificali, tunc ad preces Epiſcopus cum Capellanis deſcendit ad Faldiſtorium, ubi cum illis, & reliquis de Choro, dicens, *Pater noſter*, genuflectet; & ad *Dominus vobiſcum*, ſolus ſurget, & cantabit Orationem, ad quam Acolythi cum Ceroferariis neceſſarii non erunt.

COMMENTARIUS.

I. TOtus hic præſens §. omnino deſideratur in antiquis Cæremonialibus, fuit enim primum huic Capiti adjunctus a Benedicto XIII. in editione novi hujus Cæremonialis, eſtque Rubricis Breviarii, ac Ritualis Romani conſentaneus, quas etiam egregie enarrant ii, qui de ſacris Ritibus tractant. Videri autem inter alios poteſt, quæ de precibus hiſce, quarum hic noſter §. meminit, notavit Meratus apud Gavantum Tomo II. editionis Venetæ, Sectione IX. Cap. II. ubi inter alia dicitur, præter diem Commemorationis omnium Fidelium Mortuorum, & diem obitus, ſeu depoſitionis Defuncti, poſſe aliis temporibus in Mortuorum Officio Antiphonas duplicari, & nulla duplicandarum Antiphonarum habita ratione, debere ad preces ſemper genuflecti; & cum genuflexio ex communi Patrum, & Liturgicorum Scriptorum ſententia indicet mœrorem precum, & mœſtis, flebilibuſque precibus ſemper addantur Pſalmi, æquum & juſtum erit, ut Ritualis Romani diſpoſitione, cui varia Sacræ Rituum Congregationis Decreta acceſſere, ſervata, Pſalmi, *Lauda anima mea Dominum*, & Pſalmi, *De profundis*, recitatione ſemper dicantur poſt Veſperas, & Laudes Defunctorum, etiamſi pro temporis opportunitate, & Eccleſiarum conſuetudine fiat pro iis Agenda cum tribus Nocturnis, & Antiphonarum duplicatione.

II. Porro in recitato apud Meratum loco mentio fit Decretorum Sacræ Rituum Congregationis, nempe in Einſidlenſi XXIII. Junii, anni MDCCXXXVI. & in Nolana III. Auguſti, anni MDCCXXXVII. ut nimirum Pſalmi prædicti, *Lauda anima mea Dominum*, & *De profundis*, omittantur in die Commemorationis omnium Fidelium Mortuorum, & in die obitus, & Depoſitionis Defuncti dumtaxat, ceteris autem diebus ſemper, & omnino dicantur.

§. IX.

Cum vero Veſperæ, & Matutinæ hujuſmodi recitandæ erunt aliis temporibus, quam prædicta die anniverſaria omnium Defunctorum, tunc ſervandæ erunt Rubricæ poſitæ in Breviario in ipſo Officio Defunctorum, niſi eſſent celebrandæ pro Anniverſario Epiſcopi prædeceſſoris, vel pro aliquo ſummo Viro Principe, vel Prælato proxime defuncto, quo caſu quædam ſpecialia obſervantur, quæ ſuo loco explicantur.

COMMENTARIUS.

I. OFficium Defunctorum, quod in calce Breviarii poſitum eſt, dicitur quidem vel pro omnibus Defunctis generatim, vel pro aliquibus ſpeciatim. Pro omnibus generatim dicitur in univerſali Eccleſia die II. Novembris, & extra tempus Paſchale prima cujuſque menſis die non impedita novem Lectionum, alioquin alia ſequenti die ſimiliter non impedita. In Adventu autem, & Quadrageſima Feria II. cujuslibet hebdomadæ, modo & ipſa pariter impedita non ſit, præter quam in hebdomada majori. Ita Rubrica huic Officio præpoſita, quam præclare firmat S. Auguſtini auctoritas in Libro, *De cura pro mortuis agenda*, Cap. IV. ubi ita inquit: *Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana, & Catholica ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcumque ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, ut quibus ad iſta deſunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati, vel amici, ab una eis exhibeantur pia matre communi.*

II. Pro Defunctis vero ſpeciatim dicitur primo in die obitus, ſeu depoſitionis Defuncti (qui ritus quorundam Parochorum ſocordia intermiſſus, a Benedicto XIII. ſicut & alii antiqui piique ritus, reſtitutus fuit). Secundo in die Tertio, Septimo, Trigeſimo, ac demum in Anniverſario, ſeu etiam quocumque alio die, in quo videlicet ex legato, ſeu fundatione, teſtamento, aut alio quovis pacto exiſtit obligatio, aut devotio illius recitandi. Notandum hic tamen eſt illud diſcrimen, quod obſervat Guyetus in ſua Heortologia Lib. IV. Cap. XXIII. Quæſtione I. inter Officium pro Defunctis generatim, & Officium pro aliquibus ſpeciatim, nempe, quod hujus obligatio, ſiqua ſit, ad aliquos quidem ſpectet, ex pacto ſcilicet, fundatione, præſcripto Regulæ, aut alio ſimili titulo: illius vero ad omnes, & in die quidem Commemorationis omnium Fide-

Digitized by Google

Fidelium Defunctorum, tam privatim extra Chorum, quam publice in Choro, ut docet Suarez Lib. IV. *De Horis Canonicis*, Cap. XXV. Num. VIII. & IX. & post illum Gavantus; aliis vero diebus in Choro tantum ex relaxatione S. Pii Papæ V. in Bulla Breviarii, uti observat memoratus Guyetus, Cap. XXII. ubi multas Quæstiones dilucidat, quæ ad recitationem ipsius Officii Defunctorum spectant.

III. Sive autem Vesperæ, & Matutinæ hujus Officii aliis temporibus, sive ipsa die anniversaria omnium Defunctorum recitentur, semper servandæ sunt Rubricæ Breviarii in ipso Officio Defunctorum, quas inter alios enarrant Gavantus, & Meratus; *nisi essent celebrandæ pro Anniversario Episcopi prædecessoris, vel pro aliquo summo Viro Principe vel Prælato proxime defuncto, quo casu*, ut ait hic §. noster, *quædam specialia observantur, quæ suo loco explicantur*, nempe infra hoc eodem Libro II. Cæremonialis, Cap. XXXVI. & XXXVII.

§. X.

Hæc, ut dixi, servantur, si ipse Episcopus sit in his Vesperis, & Matutinis Officium facturus; sin minus, posset manere cum Cappa in Choro, & loco suo, & Canonicus hebdomadarius paratus Pluviali nigro supra Rocchettum, vel Cottam, aut saltem Stola nigra, faceret, aut diceret omnia prædicta. Neque hoc casu requiritur, ut aliqui Canonici, vel Beneficiati cum eo parentur, prout in aliis Vesperis solemnibus. Et idem fiet in Collegiatis, vel Cathedralibus absente Episcopo.

COMMENTARIUS.

I. EXplicata hucusque servanda sunt quidem, ut ait Rubrica hujus §. *si ipse Episcopus sit in his Vesperis, & Matutinis Officium facturus; sin minus, posset manere cum Cappa in Choro, & loco suo, & Canonicus hebdomadarius paratus Pluviali nigro supra Rocchettum, vel Cottam, aut saltem Stola nigra, faceret, aut diceret omnia prædicta*. Recte autem & illud mox subdit, non requiri hoc casu, ut aliqui Canonici, vel Beneficiati cum eo parentur, prout in aliis Vesperis solemnibus, quia scilicet, hujusmodi Officium est Feriale, & ut docent Belethus, ac Durandus, & alii Auctores passim, imitatur Officium tridui ante Pascha, in quo Ecclesia celebrat Jesu Christi Domini nostri exequias, quæ quidem ex antiquo instituto sine paramentis Ministrorum peraguntur.

II. Servandum eundem ritum *in Collegiatis, vel Cathedralibus, absente Episcopo*, ex nostro hoc eodem §. cautum est. Celebrans itaque absolutis secundis Vesperis Celebritatis Sanctorum, postquam scilicet dictum est, *Benedicamus Domino*, alba paramenta deponit, quibus ad Vesperas ipsius Festi usus est, eaque tradit Sacristæ, aut alteri Ministro asportanda in Sacristiam; & statim per eundem, sive per alium ministrum Stola, & Pluviali nigri coloris allatis induitur; amotisque interim cereis albis de Altari, sex cerei ceræ communis super eodem in candelabris ponuntur, & accenduntur; itemque cereis albis amotis, duo etiam cerei communis ceræ in Ceroferariorum candelabris affigentur, accendendi postea ad finem Cantici, *Magnificat*, ut infra suo loco dicemus.

III. Interim quoque removetur de Altari pallium album, & nigrum ponitur; Tabernaculum vero Sanctissimi Sacramenti, si fieri potest, violaceo velo tegetur; & si sit consuetudo, tunc etiam per alios Ministros in medio Ecclesiæ apponi poterit *Lectica mortuorum*, seu *Castrum doloris*, in ejusque angulis quatuor saltem intorticia, & super ipsum pannus nigri coloris Crucem habens in medio acu depictam, serico rubeo, & violaceo intextam, nullatenus tamen ei similem, quæ super Altari poni solet, cum imagine Crucifixi; cavendumque est denum, ne in paramentis Altaris, aut Ministrorum imagines ullæ conspiciantur, mortis, aut ossium mortuorum, aliorumve similium; id enim vetat nostrum Cæremoniale infra Cap. XI. §. I. Paranda autem hæc omnia adeo tempestive sunt, ut statim dicto, *Benedicamus Domino*, post quod Celebrans non addit Versum, *Fidelium animæ &c.* nulla vel brevissima mora interposita inchoari possint ipsæ Vesperæ Defunctorum.

IV. Omnibus hisce paratis, Assistens aliquis Cotta indutus accedit ad Celebrantem, cui cum debitis reverentiis, ut ait Bauldryus in suo Manuali, Parte IV. Cap. XVIII. præintonat Antiphonam, *Placebo*; qua intonata a Celebrante, & tota per Chorum recitata, seu cantata, Cantores inchoant Psalmum, *Dilexi &c.* eoque incepto omnes tecto capite sedent usque ad initium Cantici, *Magnificat*, nisi, ut idem Auctor subjicit, unus ex Clericis Antiphonas præintonet, juxta ritum alias jam explicatum. Absolutis Psalmis, cum Versiculo ad eorum finem, *Requiem æternam &c.* Celebrans surgens, aliis etiam de Choro surgentibus, incipit Antiphonam ad *Magnificat*, sibi ab aliquo præintonatam, quæ dum a Choro repetitur, sedet, sedentque etiam alii de Choro, qui tamen omnes mox surgent, ubi Canticum ipsum inchoatur, stabuntque capite detecto usque ad finem ipsius Cantici; tum enim iterum omnes sedebunt, & caput tegent dum prædicta Antiphona repetitur.

V. Circa finem ipsius Cantici Ceroferarii accensis cereis suis, accedunt cum illis ante Celebran-

Digitized by Google

lebrantem, cui ſe inclinabunt. Ipſe vero, finita Antiphona, incipit alta voce, *Pater noſter*, quod ſecreto complet, eoque finito dicit, *Et ne nos*, & proſequitur non quidem Pſalmum, *Lauda anima mea &c.* ſed tantum Verſus, & Orationem, ut in Breviario. Tum finita Oratione, & dicto, *Requiem æternam dona eis Domine*; ac reſponſo per Chorum, *Et lux perpetua luceat eis*, duo ei Aſſiſtentes, vel duo ex Cantoribus cantant, *Requieſcant in pace*, reſpondente Choro, *Amen*. Porro ad Orationem, poſtquam ſcilicet Celebrans competenti voce intonavit, *Pater noſter*, genuflectit tum ipſe, tum alii omnes, ſicque manebunt uſque ad Orationem, ad quam etiam manentibus ceteris genuflexis, Celebrans ſurgit, cum ſcilicet dicturus eſt, *Dominus vobiſcum*. Sed de hac re vide quod ſuperius notatum fuit in Commentario ad §. III.

VI. Dictis Veſperis pro Defunctis, Celebrans cum Miniſtris, debitis reverentiis Altari factis, recedit cum ſilentio in Sacriſtiam; ſtatimque removenda ſunt ab Altari paramenta nigra, & reponenda alba uſque ad Matutinum pro Defunctis ſequentis diei; non enim Matutinum Defunctorum pro generali eorum Commemoratione debet cantari pridie Veſperi in Feſto omnium Sanctorum, ſed dicendum eſt mane, die ſcilicet ſecunda Novembris poſt Laudes officii ejus diei juxta Decreta Sacræ Rituum Congregationis die XXIII. Maji anni MDCIII. & die I. Septembris MDCVII. apud Gavantum, & Meratum in Rubricas Breviarii, & apud Barboſam in Summa Apoſtolicarum Deciſionum Collectan. DXXXIII. Num. VIII. In Cathedralibus quidem præſente Epiſcopo poteſt dici ante Completorium Feſti diei omnium Sanctorum, uti conſtat ex noſtro Cæremoniali, ſupra Cap. X. & ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die V. Julii MDCXCVIII. cui quidem non officit aliud Decretum ejuſdem Sacræ Congregationis editum die XXII. Januarii anni MDCCI. nam ut notat Meratus in ſuis ad Gavantum Additionibus, loquitur de Officio extra Cathedralem, & non præſente Epiſcopo, cum ſit in una Camaldulenſium Montis Coronæ.

VII. Juxta ejuſdem Sacræ Rituum Congregationis Decreta die XXIV. Septembris MDCV. & I. Septembris MDCVII. quorum poſt Gavantum, atque Barboſam meminit etiam Meratus, Commemoratio ipſa omnium Fidelium Defunctorum non eſt celebranda, nec facienda in die Dominico, ſed transferri debet in Feriam ſecundam ſequentem, niſi ſcilicet adſit conſuetudo immemorialis in contrarium, uti ex alio prædictæ Congregationis Decreto in Auguſtana VII. Octobris MDCVI. conſtat penes Barboſam, Collectan. CLXXXVI. Num. I. Tandem quod in ipſa Commemoratione ſolemni omnium Defunctorum poſſit fieri Officium de Feſto Duplici minori, modo celebrentur Miſſæ de *Requiem*, edixit iterum atque iterum Sacra Rituum Congregatio, ac præſertim XXVII. Septembris MDCXCVI. XIX. Junii MDCC. & V. Maji MDCCXXXVI. apud Meratum in Additionibus ad Gavantum, & in ſuo Indice Decretorum.

CAP. XI.

Quæ præparanda ad Miſſam Pontificalem pro Defunctis. Ceræ qualitas. Epiſcopus Sandaliis, & Cbirotbecis, & Baculo paſtorali non utitur. Pſalmos pro præparatione omittit. Habitus Miniſtrorum aſſiſtentium. Manus Epiſcopi non oſculandæ. Epiſtola, & Euangelium, ubi cantentur. Candelæ quando diſtribuendæ, & accendendæ. Thurificatio quomodo facienda. Exequiæ ad Tumulum, ſeu Caſtrum doloris, quo ritu peraguntur. Ordo Abſolutionis pro Summo Pontifice, S. R. E. Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Principibus. Miniſtri pro hac ipſa Abſolutione, & eorum indumenta. Incenſum quomodo miniſtrandum. Oratio in fine dicenda. Ordo recedendi. Quando hæ Abſolutiones faciendæ ſint.

§. I.

Si velit Epiſcopus celebrare die anniverſaria omnium Defunctorum, vel alias quandocumque pro Defunctis, hæc præparentur, & fiant; videlicet Altare nullo ornatu feſtivo, ſed ſimpliciter, & nullis Imaginibus, ſed ſola Cruce, & ſex candelabris paretur; & duo ſuper credentia cum candelis ex cera communi; ſuper ea nulla ornamenta ponantur, ſed tantum, quæ ſunt neceſſaria; videlicet bacile, & buccale ſimplex, Miſſale, vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, thuribulum cum navicella, item pannus niger, extendendus pro Abſolutione facienda, finita Miſſa, niſi adeſſet Lectus, ſeu Lectica mortuorum, aut Caſtrum doloris; gradus Altaris, & totum Presbyterium ſit nudum, excepto, quod unum tapete ſub Faldiſtorio, & aliud ſuper primo gradu ſuppedaneo apud Altare ponetur: omnia paramenta, tam Altaris, quam Celebrantis, & Miniſtrorum, Librorum, & Faldiſtorii ſint nigra, & in his

Digitized by Google

his nullæ imagines mortuorum, vel Cruces albæ ponantur. Canonici parentur paramentis ſacris, prout in aliis Miſſis, celebrante Epiſcopo

COMMENTARIUS.

I. MUlta quidem, quæ in hoc Capite de Miſſa Pontificali pro Defunctis præſcripta ſunt, enarravit jam in ſuo Cæremoniali Pontificiæ Capellæ Auguſtinus Patricius Lib. II. Sectione II. Cap. XXVI. XXVII. & XXVIII. quæ etiam Cæremoniali ſuo inſeruit Craſſus Lib. II. *De cæremoniis Cardinalium, & Epiſcoporum in eorum Diœceſibus*, Cap. XXXIX. ubi ita inquit: *Si Cardinalis noſter*, ideſt, Epiſcopus Bononienſis, de eo enim loquitur, in ejuſque præſertim gratiam, Cæremoniale ſuum, quo nos paſſim in hoc Opere uſi ſumus, ſcripſit, *omnino in die Commemorationis univerſalis Defunctorum, aut quandocumque celebrare voluerit, hæc parentur, & fiant; videlicet, Altare nullo cum ornatu feſtivo, ſed ſimpliciter paretur, ſex candelabra ſuper Altari, & duo ſuper abaco cum candelis ex cera communi, & ſimiliter funalia pro elevatione Sacramenti. Nullæ Imagines ſuper Aitari, omnia paramenta nigra tam Altaris, quam Celebrantis, & Miniſtrorum, ac Librorum, & Faldiſtorii. Canonici non induuntur paramentis, ſicut in aliis Miſſis feſtivis celebrante Cardinali dictum eſt. Ex paramentis ſolitis pro Cardinali non habeantur Sandalia, nec Sotulares, nec Chirothecæ, nec Mitra pretioſa, nec Baculus paſtoralis. Miniſtri utentur Tunicella, & Dalmatica, & Aſſiſtens Pluviali. Super abaco nulla ornamenta pro pompa, ſed tantum quæ ſunt pro neceſſitate, nec duo bacilia, quæ fontes dicuntur, ſed bacile, & buchale, ut vocant, ſimplex; nec velum pro Patena tenenda, ſed apud abacum pannus niger, qui poſt Miſſam ante Cardinalem Celebrantem proſternetur, ut infra, & Liber Orationum, & aſperſorium, ac thuribulum parabitur: gradus Altaris, ac totum Presbyterium nudum erit, excepto, quod unum tapete ſub Faldiſtorio, & aliud ſuper primo gradu ſuppedaneo apud Altare ponetur. Totidem tamen Capellani, & Scutiferi, ut ſupra, ordinabuntur. Miſſa erit ſimplex, & mœſta, & abſque pompa omnino per Celebrantem, & per Miniſtros, ac per Chorum cantanda.* Hactenus ille, ſive potius Auguſtinus Patricius, locis citatis, ex quibus non modo hic noſter 1. §. ſed etiam alii, qui ſequuntur deſumti ſunt, eorumque narrationi Auctores paſſim illi adhærent, qui ſacras Cæremonias explicant, quæ ad Defunctorum Officium pertinent.

II. Unum eſt, cujus nullam memoratus Auctor mentionem facit, nempe, *Caſtrum doloris*; ut vocant, quod etiam alio nomine appellatur, *Tumulus*, vel *Lectus*, ſeu *Lectica mortuorum*. Lectica, vel Lectus dictum eſt feretrum, quo defuncti cadaver effertur, ut in ſuo Gloſſario ad eas voces docet Dufreſne, pluribus veterum allatis teſtimoniis. Meminit inter alios S. Epiphanius Lecticarum mortuorum Hæreſi LXXVI. ubi exagitat hominem avariſſimum Georgium Alexandrinum Epiſcopum, qui *Lecticas excogitavit corporibus eorum, qui efferuntur, ad numerum certum facere, & ſine his, quæ ab ipſo ordinatæ erant, non efferebantur corpora mortuorum maxime peregrinorum, non propter hoſpitalitatem, ſed quæſtus gratia: ſiquis enim ſepeliiſſet per ſeipſum corpus, periculum ſubibat; ſic autem a ſingulis, qui efferebantur, lucri aliquid ipſi accedebat.* Ita Epiphanius de Georgio Epiſcopo Alexandrino. Longe plura dicere poſſemus de variis turpibus, & importunis, ac graviſſimis quorumdam Parochorum noſtri ævi exactionibus, occaſione funerum, in quas merito invectus eſt Philippus Solombrinius in Neapolitano Foro cauſarum Patronus. Sed his obiter notatis, *Lectus*, ſeu *Lectica*, itemque *Tumulus*, & *Caſtrum doloris*, in hoc noſtro §. idem plane ſignificant, molem ſcilicet ligneam, quæ in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in illorum Anniverſariis poni ſolet in medio Eccleſiæ panno coloris nigri cooperta, de qua egimus ſupra Cap. x. in Commentario ad §. x. & dicemus etiam nonnihil inferius in Commentario ad §. XIII. & XIV.

III. Plura vero in hoc Commentario omitto circa eorum explicationem, quæ in præſenti §. præſcripta ſunt de præparandis ſcilicet ad Miſſam Pontificalem Defunctorum, quia ſcilicet ſupra diverſis in locis ſparſim, ac fuſe, de Cæremoniis Pontificalis Miſſæ pro Defunctis celebrandæ tetigi, & explicavi. Videri tamen inter alios poſſunt Gavantus, Quartus, & noviſſime Meratus in ſuis ad ipſum Gavantum Additionibus.

§. II.

Epiſcopus ipſe non utatur in hac Miſſa Sandaliis, & Chirothecis, nec Baculo paſtorali: non dicet Antiphonam, *Ne reminiſcaris*, nec leget Pſalmos, *Quam dilecta &c.* nec Orationes, quæ in aliis Miſſis dicendæ ſunt, antequam induatur, ſed dicet tantummodo Orationes pro paramentis, incipiendo ab ea, *Exue me Domine &c.* & tunc deponit Cappam, & lavabit manus, ac parabitur, dicendo ad aquam, & indumenta, conſuetas Orationes, exceptis, quæ dicuntur pro Sandaliis, & Chirotecis.

§. IV.

Digitized by Google

§. III.

Diaconus, & Subdiaconus utentur Tunicella, & Dalmatica, & Assistens Pluviali; & aderunt Capellani soliti cum Cottis, Scutiferi pro lotione manuum apud abacum, prout in aliis Missis.

COMMENTARIUS.

I. EAdem plane, quæ in hisce Paragraphis nostrum Cæremoniale præscribit, jam longe ante statuta fuere in Cæremoniali Pontificiæ Capellæ apud Patricium Lib. II. Sectione II. Cap. XXVI. ubi loquens de solemni Commemoratione omnium Defunctorum, Papa præsente, hæc habet: *Hora competenti Presbyter Cardinalis celebraturus venit ad Capellam, & capit omnia paramenta consueta nigri coloris, exceptis Sandaliis, & Chirotecis, quibus in hujusmodi Missa uti non debet, nec consuevit dicere Psalmum*, Quam dilecta, *cum aliis. Subdiaconus, & Diaconus utuntur Tunicella, & Dalmatica*. Eadem repetit Cap. XXVIII. ubi de ipsa Defunctorum omnium Commemoratione agit Papa absente, aliaque notat jam supra in nostro §. I. descripta: *Presbyter Cardinalis celebraturus prævenit ad Capellam, oransque ante Altare, sedet in Faldistorio, lavat manus, surgit, & capit paramenta omnia more consueto, exceptis Sandaliis, & Chiroteeis, quibus non utuntur in hac Missa, nec dicit Psalmos*, Quam dilecta &c. *In credentia non debent esse illa duo bocalia magna argentea, quibus Cardinales celebrantes uti consueverunt, sed omnia alia consueta, & præter illa, vas aquæ benedictæ eum aspersorio, & pannus pro Absolutione. Subdiaconus, & Diaconus utuntur Tunicella, & Dalmatica.*

II. Tradit hæc eadem Crassus, cujus locum jam supra descripsimus in Commentario ad §. I. Quod autem ritum spectat, qui in hoc nostro II. §. præscriptus est, ita idem Auctor inquit: *Cardinalis*, idest, Episcopus, *non leget aliquos Psalmos, scilicet*, Quam dilecta &c. *nec post eos Orationes Psalmorum, sed tantum Orationes, quæ pertinent ad paramenta capienda, ab ea Oratione incipiendo legere, quæ est videlicet*, Exue Domine me &c. *usque ad finem dimissis Orationibus pro Sandaliis, & Caligis, ac Chirothecis*. Seculo XIII. quo floruit Durandus, non plane omnes, sed *quidam Pontifices* in ipsa Defunctorum Missa solemni Sandaliis non utebantur, ut idem in suo Pontificali testatur apud Martenium Lib. I. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. Ordine XIX. Porro quod in Cæremonialibus ipsis Patricii, & Crassi, ac in nostro §. edicitur, nempe non esse ab Episcopo Missarum solemnia pro Defunctis celebraturo legendos Psalmos, & Orationes ad præparationem Missæ ex antiquo ritu destinatos, intelligendum puto de solemni illa recitatione, quæ in aliis Missis solemnibus, dum Tertia Hora cantatur, alternatim fieri solet una cum Presbytero assistente, & duobus pariter assistentibus Diaconis, juxta ritum in hoc Cæremoniali, non uno in loco notatum, præsertim Lib. I. Cap. VII. §. III. Privatim itaque eosdem Psalmos, atque Orationes recitare poterit Episcopus, neque enim decet, ut sine præparatione ad tremendum Altaris Sacrificium celebrandum accedat, tametsi aliter sentiant Gavantus, & Meratus in Rubricas Missalis Parte II. Tit. XIII. Numero I. quibus tamen minime adhæreo.

III. Præter memoratos Ministros, de quibus mentio fit in nostro §. III. putant aliqui debere & huic Missæ Pontificali pro Defunctis duos solitos Assistentes Diaconos assistere, quia scilicet infra §. XIV. expresse edicitur, debere Episcopum procedere ad Absolutionem faciendam, inter duos Assistentes. Advertendum tandem, quod, ubi Episcopus Missam pro Defunctis celebraturus Pontificalibus indumentis paratur, debet tunc etiam Manipulum sumere, non vero post ea verba Introitus, *Indulgentiam &c.* ut in aliis Missis. Sumet autem ipsum Manipulum ante Stolam ex generalibus Rubricis Missalis, non autem post Tunicellam, & Dalmaticam, ante Planetam, ut alicubi non recte fit, ad evitandum scilicet incommodum, quod suboriri posset in sumtione Tunicellæ, ac Dalmaticæ. Sed levissimum plane est hujusmodi incommodum.

§. IV.

Cum Episcopus accedet ad Altare, finita Confessione, non osculabitur Librum, sed Altare tantum, & statim redit ad Sedem suam; nec Altare, nec ipse thurificabitur; sed apud Sedem versus Altare leget Introitum.

COMMENTARIUS.

I. TAmetsi ex Rubrica Missalis Parte II. Tit. XIII. Num. I. *in Missa pro Defunctis ante Confessionem, non dicitur Psalmus*, Judica me Deus, *sed pronuncieta Antiphona*, Introibo ad Altare Dei, *Et responso a Ministro*, Ad Deum qui lætificat &c. *dicitur Versiculus*,

Digitized by Google

ſiculus, Adjutorium noſtrum, *& Confeſſio cum reliquis &c.* ſciendum tamen, ante Pium V. Auctorem hujus Rubricæ, dici eum Pſalmum, *Judica me Deus &c.* in Miſſis etiam Defunctorum conſueviſſe, & loco Verſiculi, *Gloria Patri &c.* ſolitum fuiſſe pronunciari, *Requiem æternam &c.* Teſtem antiqui ejus ritus habemus Paridem Craſſum, qui Lib. II. ſui Cæremonialis, Cap. XXXIX. ubi agit de Miſſa Pontificali pro Defunctis per Cardinalem Epiſcopum cantanda, ita quidem inquit: *Pſalmo finito, videlicet*, Judica me Deus, *qui dicitur in Confeſſione, non concluditur cum* Gloria Patri, *ſed cum* Requiem æternam.

II. Sed ſtandum eſt hodie Rubricis Miſſalis a Pio V. editi, quas quidem ad unguem ſervandas ſtatuit inter alios in ſuo Concilio Provinciali IV. Cap. *Quæ pertinent ad Sacrificium Miſſæ*, S. Carolus, ſic inquiens: *Miſſæ initium Pſalmus*, Judica me Deus, *& in fine Euangelium S. Joannis Euangeliſtæ*, In principio erat &c. *dici ne unquam omittatur, niſi cum aliter in Miſſarum Rubricis notatum eſt. In cæteris item ne quid addatur, nec vero detrahatur, ac ne quidquam mutetur, ſed ad unguem id omne dicatur, quod in Miſſali nuper Pii V. Pontificis Maximi juſſu edito præſcriptum eſt.* Ex quo liberum olim cuique Sacerdoti fuiſſe patet, nempe ante S. Pii V. Miſſale, dicere, vel non dicere Pſalmum, *Judica me Deus*, ad Introitum Miſſæ, & ad finem, Initium Euangelii S. Joannis. Verum audiamus iterum S. Carolum, qui de Miſſali ipſo S. Pii V. ita ibidem ſtatuit: *Si quem Parochum, aliumve Sacerdotem Miſſali Romano, quod item Pii V. Pont. Max. juſſu editum eſt, Epiſcopus ad Miſſæ Sacrificium deinceps non uti compererit, a Miſſæ celebrandæ munere illum arbitratu ſuo ſuſpendat: tum pro culpæ, contumaciæve ratione, aliis præterea pœnis afficiat.* Idipſum plane, & aliæ Synodi tum Provinciales, tum Diœceſanæ præſcribunt, ac variæ Epiſcoporum Conſtitutiones, quarum loca hic recenſere, ſupervacanei profecto eſſet laboris.

III. Ergo Epiſcopus Miſſam pro Defunctis celebraturus, *accedet ad Altare, finita Confeſſione*, omiſſo ſcilicet Pſalmo, *Judica me Deus &c.* atque ut ait hic §. noſter, *non oſculabitur Librum*, Euangelii ſcilicet, quod ei porrigi ſolet in Miſſis ſolemnibus deoſculandum a Subdiacono, ut dictum eſt ſupra Cap. VIII. §. XXXIII. *ſed Altare tantum*; eſtque is ritus etiam Pontificiæ Capellæ, quem ita recenſet Patricius Lib. II. ſui Cæremonialis, Sectione II. Cap. XXVIII. *Celebrans poſt Confeſſionem, & Altaris oſculum, non oſculatur Librum.* Id quod etiam in Cæremoniali ſuo loco citato notat Craſſus: *Non oſculatur Celebrans Librum poſt oſculum Altaris; nec Miniſtri aliquid dantes Celebranti in tota Miſſa, manum ejus, aut rem aliquam oſculantur.* Quod dicitur hic de Miniſtris, expreſſum etiam habetur in noſtro ſequenti §. IV. Scite autem monet Gavantus in recitatam ſuperius Miſſalis Rubricam, non eſſe omittenda oſcula Cruçis in Amictu, Manipulo, & Stola, cum Sacerdos Miſſam pro Defunctis celebraturus illis induitur, tametſi de eo ritu quidam dubitaverint, eo quod in ſolemni pro Defunctis Miſſa rerum oſcula prohibentur.

IV. Oſculato Altari *tantum*, Epiſcopus ex præſcripto ejuſdem noſtri hujus §. *ſtatim redit ad Sedem ſuam; nec Altare, neç ipſe thurificabitur, ſed apud Sedem*, depoſita ſcilicet Mitra, & ſtans, *verſus Altare leget Introitum.* Thurificandum non eſſe Altare, nec Celebrantem initio ſolemnis Miſſæ pro Defunctis, tradunt citatis locis Patricius, & Craſſus, itemque Rubrica Miſſalis Parte II. Tit. XIII. Num. II. & ut alios omittam, Gulielmus Durandus in ſuo Rationali Libro VII. Cap. XXXIV. Quod vero Lectionem Introitus ſpectat, recte notat Craſſus, debere illum proferri *in plurali, videlicet*, Requiem æternam dona eis Domine, *non autem*, ei, *etiam ſi Miſſa ſit particularis pro ſalute unius animæ tantum, quamvis Oratio fiat in particulari, quando Miſſa eſt pro particulari &c.* Notandum hic quoque illud, quod mandat Rubrica Miſſalis, *Cum Celebrans*, inquit, *incipit Introitum, non ſignat ſe, ſed manu dextera extenſa facit ſignum Crucis ſuper Librum, quaſi aliquem benedicturus.*

V. Rurſus ex præſcripto ejuſdem Rubricæ, *non dicitur*, Gloria Patri &c. *ſed poſt Pſalmum*, ideſt, poſt primum illius Verſiculum, *Te decet Hymnus Deus in Sion &c.* qui ex antiquo ritu ad Introitum dicitur Miſſæ Defunctorum: *repetitur* Requiem æternam; *nec dicitur*, Gloria in excelſis Deo, *nec* Alleluja, *nec* Jube Domne benedicere, *nec &c.* quia ſcilicet Defunctorum Miſſa celebratur ad imitationem Officiorum, quæ in morte Domini noſtri Jeſu Chriſti aguntur, ut docent Amalarius Lib. III. *De Officiis*, Cap. XLIV. Belethus, Durandus, & alii, inter quos Hugo Victorinus Lib. III. Cap. XXXVII. ait, cantica lætitiæ de proximi tranſitu dolentibus non covenire; additque Durandus Lib. VII. Cap. XXXV. Numero XXVII. ex eo quod Officium mortuorum imitatur omnino triduanam Chriſti ſepulturam, ſicut in illo triduo, ita & in hoc Officio omnia laudis cantica ſubticeri, & ſolemnitates, ac benedictiones quaslibet ſubtrahi. Sed de his jam nos alias, nec uno in loco abunde diximus.

§. V.

Miniſtri aliquid dantes, vel miniſtrantes Epiſcopo in tota Miſſa, nunquam ejus manum, aut rem oſculentur. Quando dicuntur Orationes, tam ante Epiſtolam, quam poſt Communionem, omnes genuflectunt præter Celebrantem, & Miniſtros, videlicet, Diaconum, & Subdiaconum, ac aſſiſtentes. Epiſtola, & Euangelium non

Digitized by Google

non legantur in Ambone, ſed in Presbyterio in loco convenienti. Subdiaconus, cantata Epiſtola, non oſculetur manum Epiſcopi.

COMMENTARIUS.

I. RItus initio §. hujus præſcriptus, quo ſcilicet manus, & rerum oſcula in ſolemni Miſſa pro Defunctis vetantur, explicatus a nobis jam fuit in Commentario præcedenti. Quod ergo ritus alios ſpectat, enarrat in primis illos in ſuo Cæremoniali Patricius Lib. II. Sectione II. Cap. XXVIII. *Dicitur tantum una Oratio, videlicet*, Fidelium Deus omnium &c. *ad quam omnes genuflectunt, exceptis, Capellano aſſiſtente, Diacono, & Subdiacono*. Longe luculentius eundem enarrat ritum in ſuo Cæremoniali Craſſus Lib. II. Cap. XXXIX. cujus verba hæc ſunt: *Cum autem dicuntur Orationes tam ante, quam poſt Communionem, omnes quotquot ſunt Miſſæ præſentes, genuflectunt uſque ad medium concluſionis ultimæ Orationis*, ſi ſcilicet plures dicuntur, aliis ſcilicet diebus, quam Commemorationis Fidelium omnium Defunctorum, in qua una illa Oratio, *Fidelium Deus &c.* dumtaxat dicitur, *præter Miniſtros tres & Capellanum de Libro, qui non genuflectunt; & tenor Orationum debet eſſe æqualis, & preſſus, ac mœſtus*.

II. Papam quoque ſolemni Miſſæ pro Defunctis præſenti, debere ad illam genuflectere, tradit Patricius, Libro, & Sectione citatis, Cap. XXVI. his verbis: *Cum Celebrans dicit*, Dominus vobiſcum, *Papa venit ad Faldiſtorium, & genuflectit ſine Mitra, ſic manens uſque ad finem Orationis, & ſimiliter omnes genuflectunt, præter Celebrantem, & Miniſtros, ideſt, Aſſiſtentem, Diaconum, & Subdiaconum*. Et mox: *Pontifex Oratione finita, & accepta Mitra, redit ad Sedem*. Tum vero addit, dici tantum unam Orationem, videlicet, *Fidelium Deus omnium &c.* Eſt plane antiqua, habeturque in Sacramentario S. Gregorii Papæ, & in priſcis pluribus Miſſarum Codicibus.

III. Tandem quum, uti ſuperius notatum eſt, omnes ſolemnitates, ſigna lætitiæ, & manus, ac rerum oſcula in ſolemni pro Defunctis Miſſa ſubtrahantur, merito & illud mandat hic §. noſter, ut *Epiſtola, & Euangelium non legantur in Ambone, ſed in Presbyterio in loco convenienti*; Epiſtola ſcilicet contra Altare in cornu Epiſtolæ; Euangelium vero in cornu Euangelii *contra Altare verſus populum*, uti ait Rubrica Miſſalis Parte II. Tit. VI. Num. V. cujus verba licet invicem pugnare videantur, non tamen pugnant, ſed locum, & ſitum quaſi medium indicant, itaut Diaconus neque totus ſit verſus populum, ſed inter utrumque faciem ſiſtat ſuam; ut ea verba exponit Gavantus. Quidquid autem de hac opinione ſit, quod *Epiſtola, & Euangelium non debent tunc in ambone, ſeu in altiori pulpito legi, ſed in ipſo Presbyterio prope Altare*, tradit in ſuo Pontificali Durandus, apud Martenium Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo XII. Ordine XIX. Porro ex Rubrica noſtri §. *Subdiaconus, cantata Epiſtola, non oſculatur manum Epiſcopi*, nec ab eo benedicitur, ut ait Rubrica Miſſalis Parte, & Titulo citatis Num. IV. quia ſcilicet ſolemnitates æque, ac benedictiones in hujuſmodi Miſſa pro Defunctis non habent locum.

§. VI.

Si diſtribuendæ ſunt candelæ, tunc poſt Epiſtolam, dum cantatur Proſa, ideſt, Sequentia, diſtribuantur, quæ accendantur ad Euangelium, ad elevationem SS. Sacramenti, ac finita Miſſa, dum fit Abſolutio. Lecta Epiſtola, cum cantatur ultimus Verſus Sequentiæ, Diaconus affert Librum ad Altare, in cujus medio illum collocat, ſtatim ſine oſculo manus Epiſcopi, in ſupremo gradu genuflexus, dicit *Munda cor meum &c.* non petat benedictionem pro Euangelio, nec deferantur luminaria, nec incenſum, ſed accepto ab Altari Libro, procedet ad cantandum Euangelium, cum Miniſtris, ordine infraſcripto; videlicet, primo Cæremoniarius, tum ipſe Diaconus, quem ſequitur Subdiaconus, ultimo loco duo Capellani. Finito Euangelio, Epiſcopus non oſculabitur Librum, ſed ſtatim dicet, *Dominus vobiſcum, & Oremus*, pro Offertorio: deinde lavabit manus more ſolito, & ad Altare accedet; non benedicet aquam ponendam in Calicem pro oblatione; nec Subdiaconus ſuſtinebit Patenam: imponet tamen poſt Offertorium Epiſcopus thus in thuribulum more ſolito, cum benedictione, *Per interceſſionem &c.* & thurificabit Oblata, & Altare, & demum ipſe ſolus, accepta Mitra, thurificabitur a Diacono.

COMMENTARIUS.

I. QUoniam inter alios ritus, qui in Miſſa Defunctorum ſervantur, ille etiam adhiberi ſolet, ut præſentibus diſtribuantur candelæ, accendendæ *ad Euangelium, ad Elevationem Sanctiſſimi Sacramenti, ac finita Miſſa, dum fit Abſolutio*; monet hic primum §. no-

Digitized by Google

§. noſter, faciendam eſſe ipſam Candelarum diſtributionem *poſt Epiſtolam*, *dum cantatur Proſa*, *ideſt*, *Sequentia*. Idipſum totidem pene verbis docet & Craſſus Lib. II. Cap. XXXIX. ubi tamen ſolius Euangelii mentionem facit, pro quo accendendas eſſe candelas inquit. Hæc enim ſunt ejus verba: *Et ſi diſtribuendæ ſunt præſentibus candelæ, tunc poſt Epiſtolam, dum cantatur Proſa, ideſt, Sequentia, diſtribuuntur, quæ accenduntur pro Euangelio.*

II. Tum nulla facta mentione ejus ritus alias communis, & in Rubricis Miſſalis præſcripti, Parte II. Tit. XIII. Num. III. accendendarum ſcilicet candelarum ad elevationem etiam Sanctiſſimi Sacramenti, ac præſertim ad Abſolutionem finita Miſſa, ita mox ſubjicit: *Adverte, quod nunquam Cardinali Epiſcopo, nec cuicumque Prælato celebranti pro Defunctis debet offerri facula, ſeu candela in ejus manum, ſed ante ejus pedes dimitti: ſolus vero Romanus Pontifex manibus propriis eam capit, juxta Innocentii III. doctrinam, cujus hæc ſunt verba, videlicet:* Pontifex Romanus poſt oblationem panis, nullam aliam manibus tangit, niſi quæ pro Defunctis offertur, quam ideo manibus accipit, ut eorum ſugillet errores, qui dogmatizant, eleemoſynas non valere Defunctis &c. *Sed hodie nunquam Papa celebrat pro Defunctis.*

III. Omiſſis hic iis, quæ dici poſſent in recitatum hactenus Craſſi locum, notat Gavantus in citatam ſuperius Miſſalis Rubricam, rite accendi candelas ad Euangelium, quo geniti ſunt Defuncti; item ad elevationem Sacramenti, quo enutriti fuerunt, & ad Abſolutionem, qua in Cælos evehi eoſdem deſideramus. Ubi ad elevationem Sacramenti candelæ accenduntur, ardere debent uſque ad Communionem, ut idem Gavantus docet. Ad Proſam vero quod attinet, ideſt, Sequentiam, cujus §. noſter meminit, dicendam ſcilicet poſt Epiſtolam, eſt illa, quæ incipit, *Dies iræ, dies illa*, quamque varii Auctores variis tribuunt. Auctor Operis, *Ligni vitæ*, Lib. I. Cap. LXX. Sequentiæ illius Auctorem facit S. Gregorium; Stephanus Proyſtinius Lib. I. *De quatuor Noviſſimis*, Cap. V. Sanctum Bernardum; Bzovius ad annum MCCXCIV. Num. XXXVII. & XXXVIII. itemque Auctor Bibliothecæ Ordinis Prædicatorum, & Guillelmus Eiſengrenius, qui vivebat anno MDLXIV. Latinum Cardinalem Urſinum Dominicanum; alii alios, uti videre eſt apud Gavantum in Rubricas Miſſalis Parte IV. Tit. XVIII. Num. V. Sed hæc illi inquirant, quibus eſt otii. Ex Rubrica noſtri §. *Lecta Epiſtola, cum cantatur ultimus Verſus Sequentiæ, Diaconus affert Librum ad Altare, in cujus medio illum collocat, ſtatim ſine oſculo manus Epiſcopi in ſupremo gradu genuflexus dicit*, Munda cor meum &c. *non petat benedictionem pro Euangelio, nec deferantur luminaria, nec incenſum, ſed accepto ab Altari Libro procedet ad cantandum Euangelium cum Miniſtris &c.*

IV. Hæc ſane præſcribit §. noſter juxta editionem novi Cæremonialis juſſu Benedicti XIII. factam, nam alias in antiquis Cæremonialibus ante ipſum editis, brevior, & paulo obſcura erat Rubrica circa ipſum ritum in §. noſtro deſcriptum. Sic enim ipſa Cæremonialia antiqua ajebant: *Lecta Epiſtola, Diaconus non petat benedictionem pro Euangelio, neq; deferantur luminaria, nec incenſum. Diaconus dicet tantummodo*, Munda cor meum &c. *& procedet ad cantandum Euangelium &c.* Non petendam eſſe per Diaconum benedictionem a Celebrante pro cantando Euangelio in Miſſa Defunctorum, nec incenſum deferendum, nec luminaria a Thuriferario, & ab Acolythis ad lectionem ipſius Euangelii, docent etiam Rubrica Miſſalis Parte II. Tit. XIII. Numero II. & Auctores Liturgici paſſim, inter quos laudatus Craſſus hæc habet; *Ad Euangelium non petitur benedictio a Celebrante, nec illa antę Altare dicitur, ſed ſolum dicitur*, Munda cor meum, *nec portatur thuribulum, nec ponitur incenſum, nec Miniſtri portant luminaria ad Euangelium, licet univerſi circumſtantes, qui habuerunt candelas, accendentes eas ad Euangelium &c.*

V. Dicto a Diacono, *Munda cor meum &c.* accepto ab Altari Libro, procedet ipſe Diaconus ad cantandum Euangelium cum Miniſtris ordinę in hoc noſtro §. præſcripto, videlicet, procedet *primo Cæremoniarius, tum ipſe Diaconus, quem ſequitur Subdiaconus, ultimo loco duo Capellani*; qui ſcilicet, dum Diaconus cantat Euangelium, ſtant a lateribus Subdiaconi tenentis ambabus manibus ipſum Euangelii Librum, hinc inde, vel manibus junctis, vel una ſupra aliam infra pectus poſitas, ſignantes ſe tamen, ſicut Diaconus, & ſicut etiam Celebrans, & cæteri de Choro. Finito Euangelio non oſculabitur Librum Epiſcopus, qui nec etiam incenſabitur, uti docet Rubrica Miſſalis loco citato, *ſed ſtatim dicit*, Dominus vobiſcum, & Oremus, *pro Offertorio. Deinde lavabit manus, & ad Altare accedet.*

VI. Servandus præterea in Miſſis Defunctorum ritus eſt ille a Rubricis præſcriptus, ut dum aqua in Calicem ponitur pro oblatione, minime benedicatur, quia ſcilicet benedictio ipſa connotat ſolemnitatem, & ſicut in fine Miſſæ Defunctorum non benedicitur populus, ita nec aqua, quæ populum ipſum ſignificat, ut jam alias antiquorum Patrum auctoritate eundem ritum explicuimus. Tandem non ſuſtinebit Subdiaconus Patenam, ſed facto Offertorio, imponet Epiſcopus thus in thuribulum more ſolito cum benedictione, *Per interceſſionem &c.* & thurificabit Oblata, & Altare, & demum ipſe ſolus, accepta Mitra, thurificabitur a Diacono. Eadem hæc tradunt Patricius, & Craſſus, quorum primus ita inquit Libro II. Sectione II. Cap. XXVIII. *Poſt Euangelium Celebrans non oſculatur Librum, neque benedicit aquam pro oblatione in calice ponendam. Subdiaconus non tenet Patenam poſt Celebrantem, ſed genuflexus ad cornu Epiſtolæ tempore congruo ad elevationem incenſat Sacramentum.* Et mox: *Celebrans, miniſtrante Diacono naviculam, imponit incenſum, incenſat Oblata, & Altare; & incenſatur*

Digitized by Google

ſatur ipſe ſolus a Diacono, & non alii. Incenſantur plane Oblata, ut præparentur ad conſecrationem, & cum iis Altare, quod etiam obſervatur in Paraſceve, ut ſuo loco dicemus.

§. VII.

Dum dicitur, *Sanctus, Sanctus &c.* quatuor Capellani cum quatuor funalibus ex eadem cera communi accenſis pro elevatione Sanctiſſimi Sacramenti accedunt, & genuflectunt more ſolito; ſimiliter omnes genuflectunt, ſic permanentes uſque ad *Per omnia ſæcula &c.* ante *Pax Domini &c.* Capellani vero cum funalibus uſque poſt Communionem.

§. VIII.

Subdiaconus ad elevationem, impoſito per aliquem Acolythum thure in thuribulum, thurificabit Sanctiſſimum Sacramentum genuflexus in cornu Epiſtolæ. Non datur Pax, nec percutitur pectus ad *Agnus Dei*.

COMMENTARIUS.

I. FInito cantu Præfationis, *dum dicitur*, Sanctus, Sanctus &c. *quatuor Capellani cum quatuor funalibus ex eadem cera communi accenſis pro elevatione Sanctiſſimi Sacramenti accedunt*, ad Altare ſcilicet, & ibi in plano Presbyterii, *genuflectunt*, *more ſolito*, *ſimiliter omnes genuflectunt &c.* uti in noſtris hiſce Paragraphis habetur, quibus plane concinit Craſſus Lib. II. Cæremonialis Cap. XXXIX. *Finito*, inquit, *cantu Præfationis*, *illico omnes genuflectunt*, *ſic manentes uſque ad* Per omnia ſecula, *ante* Pax Domini. *Subdiaconus incenſat Sacramentum in elevatione*. Pax Domini, *dicitur*, *ſed Altare non oſculatur*, *nec Pacis oſculum datur*, *nec Oratio illa pro pace legitur*, *quæ eſt*, Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis, pacem meam &c. *Cum dicitur*, Agnus Dei, *non percutitur pectus. Ad Orationes poſt Communionem genuflectitur*. Ita ille, & ita quoque Rubricæ Miſſalis, & Auctores, qui ritus Miſſæ ſolemnis pro Defunctis enarrant.

II. Ritus in ea incenſatione a Subdiacono ſervandus, is eſt. Impoſito per aliquem Acolythum thure in thuribulum, ſine ulla ſcilicet benedictione, dum Celebrans dicit ea Canonis verba, *Hanc igitur &c.* facta debita reverentia Altari, accedit ad cornu laterale Epiſtolæ, ubi genuflectit non ſuper infimum gradum, ut alicubi ſervatum vidi, ſed ſuper gradum ſuperiorem, uti eſt uſus inſignium Eccleſiarum, ac præſertim Pontificiæ Capellæ, & Baſilicæ Vaticanæ, & accepto a Thuriferario thuribulo cum debitis inclinationibus ante, & poſt utramque elevationem, incenſat Sanctiſſimum Sacramentum. Finita elevatione Hoſtiæ ſcilicet, & Calicis, Subdiaconus reddit thuribulum Thuriferario, & ſurgit, ac genuflectit ibidem unico genu, & redit ad locum ſuum. Thuriferarius autem pergit in Sacriſtiam, ibique depoſito thuribulo, & aptatis carbonibus pro Abſolutione, ad abacum, ſeu ad credentiam redit, ubi genuflectit.

§. IX.

In fine Miſſæ non datur per Celebrantem benedictio, nec publicantur Indulgentiæ, ſed Diaconus dicat, *Requieſcant in pace*, verſus Altare, & Epiſcopus, dicto in Altari, *Placeat tibi*, *Sancta Trinitas &c.* incipiet more ſolito Euangelium S. Joannis, quod proſequitur Mitratus, redeundo ad Sedem ſuam; & ibidem depoſita Planeta, ac etiam, cum Manipulo, Dalmatica, & Tunicella, capiet Pluviale nigrum, Diacono, & Subdiacono paratis remanentibus, depoſitis tamen Manipulis, & Epiſcopum ad exuendam Planetam, & induendum Pluviale, adjuvantibus.

COMMENTARIUS.

I. NUllam dari in fine ſolemnis Miſſæ Defunctorum a Celebrante benedictionem, nec publicari Indulgentias, jam alibi a nobis notatum fuit, & docet Craſſus, & alii etiam Scriptores antiquiores, inter quos Auguſtinus Patricius Lib. II. Sectione II. Cap. XXVIII. ita ritum noſtri hujus §. enarrat: *Non datur benedictio*, *neque Indulgentiæ*, *ſed dicto per Diaconum*, Requieſcant in pace, *Celebrans dicit*, Placeat, *& Cantores incipiunt Reſponſorium &c.* Non dandam in fine Miſſæ benedictionem, nec Indulgentiam aliquam, notat etiam memoratus Craſſus Lib. II. Cap. XXXIX. ubi, ſicut & Patricius, nullam facit mentionem recitandi Euangelii S. Joan-

Digitized by Google

S. Joannis a Celebrante, dum ab Altari post dictum, *Placeat tibi sancta Trinitas &c.* Mitratus redit ad Sedem suam; quia scilicet ritus ipse dicendi ejus Euangelii in fine Missæ, licet alicubi in usu esset, servandus tamen ubique locorum est ex præscripto S. Pii V. Pontificis, qui vixit post Patricium, & ipsum Crassum.

II. Additamenta notanda nunc quædam sunt ad hunc §. in novo Cæremoniali facta jussu Benedicti XIII. pro majori sacrorum Rituum explicatione, quæ in antiquis Cæremonialibus desiderabantur. Ergo dicendum est a Diacono, *Requiescant in pace*, sed *versus Altare*; & hoc primum additamentum. Præterea ubi in nostro §. edicitur, ut Episcopus dicto in Altari, *Placeat tibi sancta Trinitas &c.* incipiat more solito Euangelium S. Joannis, illudque prosequatur Mitratus redeundo ad Sedem suam &c. aliter profecto de ea re præscriptum fuit in ipsis antiquis Cæremonialibus: *Episcopus*, inquiunt, *dicto in Altari*, Placeat tibi sancta Trinitas &c. *redibit ad suam Sedem, & interim dicet Euangelium sancti Joannis, & ibidem depositu Planeta, ac etiam Dalmatica, & Tunicella, capiet Pluviale nigrum, Diacono, & Subdiacono paratis remanentibus, & Episcopum ad exuendam Planetam, & induendum Pluviale adjuvantibus.* Sed obliterata hac Rubrica per novum Benedicti XIII. Cæremoniale, quod nos explicamus, juxta ritum in nostro §. expressum, debet Episcopus Euangelium sancti Joannis in Altari incipere, illudque Mitratus prosequi, dum redit ad Sedem suam; & ibidem depositis non modo Planeta, Dalmatica, & Tunicella, sed etiam Manipulo, Pluviale nigrum capere, Diacono, & Subdiacono paratis quidem remanentibus, sed *depositis tamen Manipulis*, & Episcopum ad exuendum, & induendum adjuvantibus.

§. X.

Si Sermo habendus erit in laudem Defuncti, pro quo Missa celebrata erit, tunc ea finita, ante Absolutionem accedet Sermocinaturus vestibus nigris indutus, sine Cotta; & facta Oratione ante medium Altaris, nulla petita benedictione ab Episcopo, sed facta ei profunda reverentia, vel genuflexione, pro qualitate personæ, ascendet Pulpitum panno nigro coopertum, ubi facta iterum Episcopo reverentia, signans se signo Crucis, faciet Sermonem. Quo finitio, vel si Sermo non sit habendus, statim finita Missa, accepto Pluviali per Episcopum, ut supra, ante infimum gradum Solii extendetur pannus niger, vel portabitur Lectica mortuorum pro Absolutione facienda ante infimum gradum Presbyterii, nisi alias Lectus mortuorum, vel Castrum doloris adsit in medio Ecclesiæ: quo casu Episcopus Pluviali paratus ibidem, vel solus, vel cum aliis quatuor Absolventibus, ut infra dicetur, illuc, præcedentibus Canonicis, qui ibidem in suis scamnis consistent, accedere deberet.

§. XI.

Si vero Episcopus erit in Faldistorio, tunc pannus niger ante infimum gradum Altaris extendetur, vel ibidem portabitur Lectica mortuorum, pro Absolutione facienda.

COMMENTARIUS.

I. MOs habendæ Orationis funebris in exequiis magnorum Virorum, sive doctrina, sive nobilitate, sive dignitate præstantium antiquissimus est in Ecclesia, constatque ex variis veterum Patrum Orationibus, quas in hujusmodi funeribus habuerunt; tales quippe sunt funebres Orationes, quæ hodieque extant, Eusebii in funere Constantini, Nazianzeni in funere Basilii, & Cæsarii, Ambrosii in exequiis Valentiniani, & Satyri, aliæque innumeræ, de quibus mentionem inter alios facit Stephanus Durantus Libro 1. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXIII. Num. XV. ubi etiam ex Theodoreto, & Nicephoro, tradit S. Melitium ab omnibus sapientibus, præconiis maximis, ac præcipue a Gregorio Ecclesiæ Nicæne funebribus Orationibus concelebratum, & sepultum fuisse.

II. Cum autem vel olim præsente cadavere in Ecclesia functio illa perageretur, visum fuit Majoribus nostris, ut finita omnino Missa, ante Absolutionem haberetur Sermo: *Finita Missa post* Requiescant in pace, *fit Sermo in laudem Defuncti*. Verba sunt Augustini Patricii Lib. 1. *Sacrarum Cæromoniarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, Sectione XV. Cap. 1. ubi agit de morte, & exequiis Reverendissimorum Cardinalium. In quibus tria nobis potissimum sunt observanda. Primum, quod alias superius notatum fuit, recitationem Euangelii S. Joannis in Missa, generali lege præscriptam fuisse a S. Pio V. ideoque nullam a Patricio ejus ritus fieri eo loci mentionem. Alterum est, peractas olim fuisse Cardinalium exequias mane cum Missa solemni, præsente cadavere; qui ritus diu intermissus, restitutus

Digitized by Google

tutus fuit a Benedicto XIII. & noviſſime a feliciter Regnante Pontifice BENEDICTO XIV. peculiari in eam rem Conſtituione edita. Tertium demum eſt, conſueviſſe labente Seculo XV. quo floruit Patricius, Orationem funebrem fieri in laudem defuncti Cardinalis, finita ſolemni Miſſa, quæ præſenti ejus cadavere celebrabatur.

III. Ritus ab Oratore ſervandus in Sermone habendo poſt Miſſam in laudem Defuncti ex præſcripto noſtri §. & ex Auctoribus, qui ſacras Cæremonias enarrant, is plane eſt. Finita Miſſa, accedit Concionator veſtibus nigris indutus ſine Cotta, & facta brevi oratione ante medium Altaris, nulla petita benedictione ab Epiſcopo, ſed facta ei profunda reverentia, vel genuflexione pro qualitate perſonæ, aſcendet Pulpitum panno nigro coopertum; ubi facta iterum Epiſcopo reverentia, ſignans ſe ſigno Crucis, nulla facta manibus junctis oratione verſus Cælum, nec dicta ſalutatione Angelica, ut in aliis Sermonibus fieri aſſolet, funebrem Orationem incipiet, in qua ſervanda profecto eſt regula præſcripta a S. Carolo in Concilio ſuo I. Provinciali, ubi de funeribus, & exequiis agens, ita edixit: *Liceat in funere Concionem habere, quæ tota referatur ad humanam miſeriam, Fidelium oculis proponendam, omneſque ad vigilandum cohortandos, ne cum venerit Dominus hora, qua non putarint, inveniat eos dormientes.*

IV. Qualiter habendus ſit Sermo in exequiis Defunctorum finita Miſſa, enarrat in ſuo Cæremoniali Craſſus Lib. II. Cap. XL. cujus locum tametſi alias a nobis notatum, iterum integrum deſcribemus infra Cap. XII. in Commentario ad §. VI. De eo autem potiſſimum eſt corrigendus, quod ait, non debere tunc Oratorem præmunire ſe aliquo ſigno Crucis, cum conſtet vetuſtiſſimam eſſe noſtræ Chriſtianæ Religionis diſciplinam, in omnibus pene actionibus adhiberi Crucis ſignaculum: *Ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, & cubilia, ad ſedilia, quacumque nos converſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus.* Verba ſunt Tertulliani in Libro, *De corona Militis*, Cap. III. Id quod etiam indicat S. Cyrillus Hieroſolymitanus, & alii Patres paſſim.

V. Recte itaque ex hoc noſtro §. cautum eſt, ut is, qui facit Sermonem vel in laudem Defuncti, ſe initio Orationis ſignaculo Crucis ſignet, illud ſcilicet producens a fronte ad pectus. Ceterum cum Oratores ſoleant in hujuſmodi Sermonibus nonnihil peccare, & fortaſſis aliquando turpius, ac in Orationibus, quas habent in laudem Sanctorum, quos non ſemel ſumma audacia, atque temeritate, Apoſtolis, Deiparæ Virgini, & Chriſto ipſi Domino Sancto Sanctorum præponunt, jure ac merito idem S. Carolus in ipſo I. Concilio ita inter alia ſtatuit: *Nemini quemquam in funere laudare liceat, niſi & cum, quem laudare velit, Epiſcopus dignum cenſuerit, & laudationem ſcriptam ante probarit.*

VI. Finito Sermone, vel ſi Sermo non ſit habendus, accepto Pluviali nigro per Epiſcopum, ut ſupra, *ante infimum gradum Solii*, ut ait hic noſter §. *extendetur pannus niger, vel portabitur Lectica mortuorum pro Abſolutione facienda ante infimum gradum Presbyterii, niſi alias Lectus mortuorum, vel Caſtrum doloris adſit in medio Eccleſiæ &c.* Caſtrum doloris, quod etiam alio nomine Tumulus appellatur, nigro panno coopertum in medio Eccleſiæ præparari ſolet, gradus varios habens, coopertos etiam pannis nigri coloris, ornatis variis imaginibus mortis, in iiſque gradibus ponuntur varia candelabra cum intortitiis, ſeu candelis, juxta facultatem Eccleſiarum, vel Defunctorum, pro quibus Caſtrum ipſum doloris paratur. Ubi ea machina in medio Eccleſiæ parata ſit, ex Rubrica noſtri §. X. *Epiſcopus Pluviali paratus, ibidem, vel ſolus, vel cum aliis quatuor Abſolventibus, ut infra dicetur, illuc præcedentibus Canonicis, qui ibidem in ſuis ſcamnis conſiſtent, accedere deberet*; ad faciendam ſcilicet Abſolutionem, de qua mox infra in ſequenti Commentario.

VII. Porro ſi Epiſcopus non in Solio, ſed in Faldiſtorio erit, *tunc pannus niger*, ut præſcribit §. noſter XI. *ante infimum gradum Altaris extendetur, vel ibidem portabitur Lectica mortuorum*, ſive parvus Tumulus nigro panno coopertus, *pro Abſolutione facienda*. Nigri panni ante gradus Altaris extendendi, pro facienda ipſa Abſolutione, ubi ſcilicet Epiſcopus erit in Faldiſtorio, meminit in ſuo Cæremoniali Craſſus, Lib. II. Cap. XXXIX. & ante eum Patricius, Lib. II. Sectione II. Cap. XXVII. & XXVIII. ubi agit de Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, quando ſcilicet præſens Pontifex nollet abſolvere, vel abeſſet; nam alias, uti idem Auctor teſtatur, Cap. XXVI. *Si Pontifex velit poſt Miſſam abſolvere, incepto a Cantoribus Reſponſorio*, Libera me Domine, *apud Sedem deponit Cappam, & accipit Pluviale rubrum ſimplex, ſi placet, & ponitur ante eum pannus niger ad hoc paratus, & extenditur a ſcabello ſedis per planum, & gradus Solii ſui &c.* Itaque ut paucis multa comprehendam, quando Epiſcopus erit in Faldiſtorio, tunc pannus niger pro facienda Abſolutione ante infimum gradum Altaris extendi debet; ſi in Solio, tunc ante infimum Solii gradum, vel portabitur Lectica mortuorum ante infimum gradum Presbyterii, niſi ſcilicet Lectus mortuorum, vel Caſtrum doloris adſit in medio Eccleſiæ, quo caſu ſervandus eſt ritus in noſtris X. ac XIII. & aliis ſequentibus Paragraphis præſcriptus.

§. XII.

Interim, dum extenditur pannus, vel portatur Lectica, Epiſcopus ſedet, & Cantores incipiunt Reſponſorium, *Libera me Domine &c.* & dum repetitur dictum Reſponſo-

Digitized by Google

ſponſorium, accedunt ad Epiſcopum duo Acolythi, unus cum thuribulo, & navicula, alius cum Aſperſorio, & vaſe aquæ benedictæ. Tunc Epiſcopus, miniſtrante naviculam Presbytero aſſiſtente a dexteris ſine oſculis, imponet thus in thuribulum cum benedictione, & ſtatim, ſi eſt in Faldiſtorio, accedit ad Altare, ubi antequam a Choro dicatur, *Kyrie eleiſon*, deponet Mitram, & ſtans verſus Altare, dicit intelligibili voce, *Pater noſter*. Si vero erit in ſua Sede, ſurget, & depoſita Mitra, dicto ultimo, *Kyrie eleiſon*, verſus Altare dicet ſimiliter, *Pater noſter*, quod ſecrete complendo, miniſtrante eodem Presbytero aſſiſtente Aſperſorium, & elevantibus hinc inde Aſſiſtentibus oras Pluvialis, Epiſcopus ſtans, aſpergit ter ſuper pannum nigrum, vel Lecticam mortuorum: & reddito Aſperſorio Presbytero, & ab eodem accepto thuribulo, thurificabit eo modo, ter thuribulum ducens ſuper pannum, vel lecticam, Miniſtris oras Pluvialis ſimiliter elevantibus. Tunc accedent duo Acolythi cum duobus candelabris, & candelis accenſis, & ſiſtent ante pedes Epiſcopi, qui ex Libro ſibi per Miniſtrum ſolitum in capite poſito, leget Verſiculum, *Et ne nos &c.* & alios Verſiculos, & Orationem Miſſæ, pro qua nullus tunc genuflectet, & in fine repetet Verſiculum, *Requiem æternam &c.* & Cantores dicent: *Requieſcant in pace*, & Epiſcopus tunc producet ſignum Crucis verſus pannum: inde depoſitis paramentis, ubi ſuerunt accepta, factaque Oratione, diſcedit.

COMMENTARIUS.

I. TOta pene §. hujus Rubrica deſumta eſt a ritu Pontificiæ Capellæ, ubi ſcilicet Papa præſens celebritati Commemorationis omnium Defunctorum, vult ipſe facere Abſolutionem. Ut enim teſtatur in ſuo Cæremoniali Patricius, Lib. II. Sectione II. Cap. XXVI. finita ſolemni pro Defunctis Miſſa per Cardinalem, ſi Pontifex velit poſt Miſſam abſolvere, incœpto a Cantoribus Reſponſorio, *Libera me Domine*, apud Sedem deponit Cappam, & accipit Pluviale rubrum ſimplex, ſi placet, & ponitur ante eum pannus niger ad hoc paratus, & extenditur a ſcabello Sedis per planum, & gradus Solii ſui, & quatuor Acoluthi ſuperpelliceis induuntur, & cum Cantores replicant Reſponſorium, *Libera me Domine*, accedunt ad Pontificem duo Acoluthi, unus cum thuribulo, & navicella, alius cum vaſe aquæ benedictæ, & aſperſorio, & Pontifex, miniſtrante priore Presbyterorum Cardinalium naviculam, imponit incenſum; Presbyter Cardinalis remanet illic apud Papam.

II. Cum incipitur, *Kyrie eleiſon*, a Cantoribus, ſurgit Pontifex depoſita Mitra, & dicto ultimo, *Kyrie eleiſon*, ſtans verſus ad Altare, dicit intelligibili voce, *Pater noſter*, quod ſecrete complendo, miniſtrante priore Presbyterorum Cardinalium aſperſorium, Papa aſpergit tertio ſupra pannum nigrum ante ſe jacentem, & reddit aſperſorium Presbytero Cardinali, quo miniſtrante thuribulum, Papa incenſat eodem modo ſupra pannum, tertio thuribulum ducens; & reddito thuribulo Presbytero Cardinali, recedunt duo illi Acoluthi cum aqua benedicta, & thuribulo, & Presbyter Cardinalis ad ſcabellum ſuum revertitur. Accedunt duo Acoluthi cum luminaribus ad locum conſuetum, & duo Epiſcopi aſſiſtentes cum Libro, & Candela, & Papa dicit, *Et ne nos inducas &c.* cum aliis, & Oratione, *Fidelium Deus omnium*, ſub ſua concluſione, ut in Veſperis ordinatum eſt. Poſt Orationem Papa dicit, *Requiem æternam &c* & Cantores, *Requieſcant in pace*. Tum ſedet Pontifex cum Mitra, orat deinde in Faldiſtorio, & redit ad cameram.

III. Hactenus Auguſtinus Patricius de ritu, quo Papa Abſolutionem facit, cui quidem in omnibus fere concinit Rubrica hujus §. ex cujus præſcripto, in Abſolutione facienda ab Epiſcopo, interim dum extenditur pannus, vel portatur Lectica, ſedet ille, & Cantores incipiunt Reſponſorium, *Libera me Domine &c.* & dum repetitur dictum Reſponſorium, accedunt ad Epiſcopum duo Acolythi, Superpelliceis ſcilicet induti, unus cum thuribulo, & navicula, alius cum Aſperſorio, & vaſe aquæ benedictæ; *Tunc Epiſcopus*, ait §. noſter, *miniſtrante naviculam Presbytero aſſiſtente a dexteris ſine oſculis, imponet thus in thuribulum cum benedictione &c.* Quod hic dicitur miniſtrari naviculam a Presbytero aſſiſtente, mutatio eſt, facta a Benedicto XIII. in novo hoc Cæremoniali, nam in antiquis Cæremonialibus munus miniſtrandi naviculam, ſicut etiam Aſperſorium, in Abſolutione defunctorum, *Diacono* tribuebatur; ſed minus recte, cum regula generalis ſit, extra Altare, & Miſſam, miniſtrandam eſſe naviculam ab ipſo Presbytero aſſiſtente, non vero a Diacono. Et licet ipſi Diacono munus miniſtrandi naviculam, & porrigendi Aſperſorium ad faciendam Defunctorum Abſolutionem tum alii, tum Craſſus, Lib. II. Cap. XXXIX. aſſignent, hoc puto ab illis dictum ob defectum forte Presbyteri aſſiſtentis; nam ut ibidem Craſſus, inquit, *finita Miſſa Celebrans vadit ad Faldiſtorium, ubi depoſita Planeta induit Pluviale nigrum, quod habebat aſſiſtens ejus*. Quod tamen non recte factum puto.

IV. Ita-

Digitized by Google

IV. Itaque assistente Presbytero a dexteris ministrante naviculam, *Episcopus imponet thus in thuribulum cum benedictione*; estque hic antiquus ritus, ut benedicatur incensum adolendum pro Defunctis, quemadmodum liquet ex Cæremoniali Pontificiæ Capellæ, Auctore Patricio Libro I. Sectione XV. Cap. I. *De morte, & exequiis Reverendissimorum Cardinalium*, ex cujus etiam præscripto, Cardinalis qui Absolutionem facit, imponit incensum in thuribulum, dicens, *Ab illo benedicaris &c.* Sane quod in antiquioribus Missalibus, & Cæremonialibus Episcoporum, ac Ritualibus, quæ Gavanti ævo in usu erant, ut ipse testatur in Rubricas Missalis, Parte II, Tit. XIII, Num. IV, nihil de ejusmodi benedictione incensi præscriberetur, dubitarunt olim nonnulli, an illud esset benedicendum; verum præter laudatum Patricii locum, scite ait laudatus Gavantus, Libros in oppositum citatos non negare eam benedictionem, sed vel omittere, vel supponere illam tamquam usitatam, quia scilicet ipsa incensatio ex antiquo ritu præcipue fit ad expellendos dæmones, ut inter alios tradit Innocentius III. Lib. II. *De Mysteriis Missæ*, Cap. XVII. ideoque censendum est, ex antiquo Ecclesiæ pariter ritu incensum tunc benedici.

V. Thure in thuribulum imposito, & quidem cum benedictione, statim Episcopus, *si est in Faldistorio, accedit ad Altare, ubi antequam a Choro dicatur*, Kyrie eleison, *deponet Mitram, & stans versus Altare, dicit intelligibili voce*, Pater noster; *si vero erit in sua Sede, surget, & deposita Mitra, dicto ultimo*, Kyrie eleison, *versus Altare dicet similiter*, Pater noster, *quod secrete complendo, ministrante eodem Presbytero assistente*, non Diacono, ut ajunt antiqua ante hoc nostrum edita Cæremoniala, *Aspersorium*, scilicet sine osculis, *& elevantibus hinc inde Assistentibus*, Diacono scilicet, & Subdiacono, ut in antiquis Cæremonialibus legitur, & apud Crassum loco citato, *oras Pluvialis, Episcopus stans aspergit ter super pannum nigrum, vel Lecticam mortuorum*, cum aqua scilicet benedicta, ne dæmones, qui multum eam timent, ad corpus accedant, ut ait Durandus in suo Rationali, Libro VII. Cap. XXXV. Num. XXXVIII. additque, in aliquibus locis, eandem ob causam, ne scilicet desæviant dæmones in corpora mortuorum, ut quod nequiverunt in vita, saltem post mortem agant, consuevisse, ubi sepeliebantur Defuncti, prope ipsos poni vas aquæ benedictæ, & prunas cum thure.

VI. Sed quod incensationem Defunctorum spectat, Episcopus, *reddito Aspersorio Presbytero*, assistenti scilicet, uti ait noster §. in novo Cæremoniali Benedicti XIII. non vero *Diacono*, ut antiqua Cæremonialia habebant, *& ab eodem*, Presbytero nempe assistente, *accepto thuribulo, thurificabit eodem modo, ter thuribulum ducens super pannum, vel Lecticam, Ministris oras Pluvialis similiter elevantibus*. Incenso thure Defunctos honorari debere, probant Baronius ad annum XXXIV. Num. CCCXII. ex Chalcedonensis Synodi Actis, Durantus Lib. I. *De ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, Cap. XXIII. & alii, inter quos in suo Rationali Durandus, Lib. VII. Cap. XXXV. Num. XXXVIII. illud etiam tradit, quod jam superius innuimus, una cum aqua benedicta consuevisse in variis locis suo ævo poni prope Defunctum thus, non solum propter fœtorem corporis removendum, verum etiam, *ut defunctus Creatori suo acceptabilem bonorum operum odorem intelligatur obtulisse, seu ad ostendendum, quod Defunctis profit auxilium orationis*.

VII. Peracta incensatione nigri panni, seu Lecticæ mortuorum, & reddito thuribulo ipsi assistenti Presbytero, *tunc accedent duo Acolythi cum duobus candelabris, & candelis accensis, & sistent ante pedes Episcopi, qui ex Libro sibi per Ministrum solitum in capite posito leget Versiculum*, Et ne nos &c. *& alios Versiculos, & Orationem Missæ, pro qua nullus tunc genuflectet &c.* Oratio Missæ, cujus hic §. noster meminit, est illa, quæ incipit, *Fidelium Deus omnium conditor &c.* quæ sola in Missa solemni Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum dicitur, & terminatur cum illa conclusione, *Qui vivis, & regnas &c.* ad quam licet in Missa omnes genuflectant, præter Ministros, uti dictum superius fuit, ad Absolutionem tamen nemo genuflectere debet, ex Rubrica nostri §. & omnium Scriptorum sententia, præsertim vero Crassi, Lib. II. Cap. XXXIX.

VIII. Porro Liber forte ab Acolytho Ministro de Libro tenendus est, quia scilicet, ut ait Rubrica nostri §. Episcopus ex Libro legere dicitur Versiculum &c. non cantare, & regula generalis est, teneri debere Librum a Presbytero assistente quando Episcopus aliquid ex eo cantat, non quando legit. Certe juxta ritum Pontificiæ Capellæ, Auctore Patricio, Lib. II. Sectione II. Cap. XXVI. non Cardinalis assistens, sed *duo Episcopi assistentes cum Libro, & Candela* ad Pontificem accedunt, una cum duobus Acolythis, luminaria deferentibus, *& Papa dicit Versum*, Et ne nos inducas &c. *cum aliis, & Oratione &c.* Recenset alios ritus, quos jam nos supra descripsimus, quibus etiam concinunt ea, quæ in fine nostri hujus §. præscripta sunt.

§. XIII.

Si aderit in Ecclesia Lectus mortuorum, seu Castrum doloris, & Missa celebrata sit pro anima alicujus Summi Pontificis, vel S. R. E. Cardinalis, seu Metropolitani, aut Episcopi proprii, seu Imperatoris, Regis, vel Ducis magni, aut Domini loci, conveniens est, ut fiant Absolutiones apud Castrum doloris, tam ab ipso Episcopo celebrante, quam ab aliis quatuor Episcopis, vel Prælatis, si adsint; & in defectum

Digitized by Google

ctum Episcoporum, a quatuor primis Dignitatibus, vel Canonicis, ordine infrascripto; videlicet, finita Missa, & Sermone, si habitus sit, quatuor Prælati, seu Dignitates, vel Canonici præfati accedant ad Sacristiam, vel alium locum convenientem, & propinquum, ubi quilibet eorum accipiat super Rocchettum, vel super Cottam, si sit Religiosus, Amictum, Stolam, & Pluviale nigrum, ac Mitram simplicem, si ea uti possint, sin minus biretum; & omnes, sic parati, conveniant apud Episcopum celebrantem paratum, ut supra, cum quo ibunt ad Feretrum, seu Castrum doloris, hoc ordine.

§. XIV.

Præcedunt duo Acolythi, unus cum thuribulo, & navicula, & alius cum vase aquæ benedictæ, & Aspersorio; tum duo alii Acolythi cum duobus aliis candelabris, & candelis accensis, in quorum medio erit Subdiaconus, qui in Missa cantavit Epistolam, paratus, deferens Crucem, post eum Canonici parati, inde duo juniores Prælati, ac dein duo seniores, & quilibet eorum habebit penes se unum Capellanum Superpelliceo indutum, qui de Mitra serviet; & unum Scutiferum, qui cereum accensum portet; ultimo loco incedet Episcopus celebrans inter duos assistentes, & ante eum Presbyter assistens indutus Pluviali nigro, & alii Capellani cum Cottis.

COMMENTARIUS.

I. Sicut & alii complures, ita & duo hi Parigraphi, atque sequentes desumti profecto sunt ex Cæremoniali Pontificiæ Capellæ Auctore Patricio Lib. 1. Sectione XV. Cap. 1. quod de morte, & exequiis Reverendissimorum Cardinalium inscriptum est. In eo enim totus ritus ipse describitur faciendi scilicet quinque Absolutiones, quas fieri ex nostris ipsis Paragraphis conveniens est, *si aderit*, scilicet, *in Ecclesia Lectus mortuorum, seu Castrum doloris, & Missa celebrata sit pro anima Summi Pontificis, vel S. R. E. Cardinalis, seu Metropolitani, aut Episcopi proprii, Imperatoris, Regis, vel Ducis magni, aut Domini loci*. Castrum doloris lignea machina est majoris, vel minoris amplitudinis, ac altitudinis, periti Viri industria in medio Ecclesiæ apte dispositа, ornatu lugubri cooperta cum insignibus demortui Principis, varios gradus habens in quibus candelabra cum cereis poni solent, & in eminentiori loco veluti arcam, aut urnam, super qua pannus holosericus sternatur cum Defuncti etiam insignibus.

II. Cum autem nihil fere in nostris Rubricis occurrat, quod adnotemus, nisi quoddam additamentum factum a Benedicto XIII. ad finem §. XIV. de quo infra dicendum aliquid erit, lubet ritum ipsum discribere, quem loco citato refert Patricius, sic inquiens: Finita Missa, post *Requiescant in pace*, fit Sermo in laudem Defuncti, & Cardinalis, qui celebravit, dimissa Planeta, accipit Pluviale, & sedet cum Mitra alba, dum fit Sermo. Illo finito, iterum accenduntur candelæ, & quatuor alii Cardinales, si mortuus erat Episcopus Cardinalis, Episcopi Cardinales, si tot numero fuerint præsentes, & si deficiat numerus, Presbyteri supplent; si vero mortuus erat Presbyter, sive Diaconus, quatuor Presbyteri Cardinales capiunt Superpelliceum, Amictum, Stolam, Pluviale nigrum, & Mitram albam in capite, & simul cum Celebrante vadunt ad Castrum doloris hoc ordine.

III. Primo procedunt duo ex Capellanis Celebrantis cum Superpelliceis, unus defert thuribulum, & navicellam, alius vas aquæ benedictæ cum Aspersorio, deinde duo alii cum candelabris, & luminaribus. Inde Subdiaconus paratus cum Cruce, deinde duo Cardinales juniores parati, tum duo seniores parati, ultimo Cardinalis, qui celebravit, & post eum Diaconus paratus, & alii sui Capellani cum Superpelliceis; unusquisque Cardinalis habet secum unum Capellanum cum Superpelliceo, qui servit ei de Mitra, & alios Scutiferos, qui ei assistunt, quorum unus defert cereum accensum. Ita sane in suo Cæremoniali Patricius, cui & Cæremoniale etiam nostrum concinit, si quædam excipias, quæ Celebrantem ultimo incedentem spectant, nam uti habetur in nostro §. XIV. *ultimo loco incedet Episcopus celebrans inter duos Assistentes, & ante eum Presbyter assistens indutus Pluviali nigro, & alii Capellani cum Cottis*.

IV. Sed ut verum fatear, aliter ea verba leguntur in antiquis Cæremonialibus ante Benedictum XIII. editis, quæ fere eadem sunt, ac illa quæ ex Patricio descripsimus: *Ultimo loco*, inquiunt Cæremonialia antiqua, *incedet Episcopus Celebrans habens ad sinistram Diaconum paratum, qui eum comitetur, & post eum Capellani cum Cottis*. Sed hæc correcta nunc sunt ex novo Cæremoniali jussu Benedicti XIII. edito, atque ejus auctoritate approbato. Debet enim Episcopus incedere *inter duos Assistentes*, idest, ut puto, Diaconos paratos; *& ante eum Presbyter assistens indutus Pluviali nigro*, cujus munus erit, ut edicitur infra §. XVII. Librum ante pectus tenere, dum Celebrans incipit in tono Lectionis absolute Orationem, *Non intres in judicio &c.*

§. XV.

Digitized by Google

§. XV.

Cum pervenerint ad Caſtrum doloris, ſeu locum deſtinatum pro Abſolutionibus faciendis, Thuriferarius cum alio Acolytho deferente aquam benedictam, firmabunt ſe in capite loci a parte dextera; Acolythi vero Ceroferari, ac Subdiaconus cum Cruce ibunt ad pedes loci, & Subdiaconus cum Cruce collocabit ſe in medio eorum: niſi fiat Abſolutio præſente corpore, ſeu cadavere, quo caſu Subdiaconus cum Cruce collocabitur ad caput Defuncti, quicumque ille ſit, prout in Rituali Romano.

§. XVI.

Junior Prælatus ſedebit in ſcabello in angulo Caſtri doloris ad pedem dexterum, alius poſt eum in angulo ad humerum ſiniſtrum, tertius in angulo ad pedem ſiniſtrum, quartus, qui erit ſenior, in angulo ad humerum dexterum. Celebrans vero ſedebit in Faldiſtorio in capite loci in medio, ita ut Crucem directe ſemper reſpiciat.

COMMENTARIUS.

I. PErgit Patricius ritum exponere, quo Abſolutiones ipſæ per Celebrantem, & quatuor alios Cardinales peragi ſolerent. Cum pervenerint, inquit, ad Caſtrum doloris, Subdiaconus cum Cruce, & Ceroferariis ponit ſe ad pedes lecti, in medio extra Caſtrum tamen; poſt eum ſunt Cantores; ad caput Lecti ponitur in medio contra Crucem Faldiſtorium Celebrantis, ſuper quod ille ſedet, & apud eum ſtat Diaconus Euangelii, qui defert incenſum, & aquam benedictam, & alii Capellani; ſenior Cardinalis ponit ſe juxta columnam ad humerum dexterum; ſecundus in dignitate juxta columnam ad pedem ſiniſtrum, tertius Cardinalis ad humerum ſiniſtrum, ultimus ad pedem dexterum, & ibi aliquantulum quieſcunt.

II. Ex hoc recitato Patricii loco, nulli dubium eſt, quin & hi duo noſtri Paragraphi deſumti ſint, ex quorum quidem præſcripto, cum pervenerint Miniſtri ad Caſtrum doloris, ſeu locum deſtinatum pro faciendis Abſolutionibus, Thuriferarius cum alio Acolytho vas aquæ benedictæ deferente firmabunt ſe in capite loci a parte dextera, Acolythi vero Ceroferarii, ac Subdiaconus, qui ſcilicet legit Epiſtolam in Miſſa, ibunt ad pedes loci, ubi Subdiaconus cum Cruce collocabit ſe in medio ipſorum Ceroferariorum; *niſi fiat Abſolutio præſente corpore, ſeu cadavere, quo caſu*, ut inquit §. noſter XV. juxta editionem novi Cæremonialis Benedicti XIII. juſſu editi, *Subdiaconus cum Cruce collocabitur ad caput Defuncti, quicumque ille ſit, prout in Rituali Romano.*

III. Quantum ad Abſolventium locum, ex præſcripto noſtri §. XVI. *Junior Prælatus ſedebit in ſcabello in angulo Caſtri doloris ad pedem dexterum*, qui eſt a ſiniſtris Subdiaconi, ut poſt Caſtaldum ait Baulduyus; *alius poſt eum in angulo ad humerum ſiniſtrum; tertius in angulo ad pedem ſiniſtrum; quartus, qui erit ſenior, in angulo ad humerum dexterum*; ita ſcilicet ut ſe invicem aſpiciant, nempe junior Prælatus tertium, qui eſt in alia parte, reſpiciat directe; ſecundus vero, qui eſt in parte tertii ad humerum ſiniſtrum Celebrantis Epiſcopi, quartum, & digniorem reſpiciat: *Celebrans vero ſedebit in Faldiſtorio in capite loci in medio, ita ut Crucem directe ſemper reſpiciat*; & ita ſcilicet, ut renes vertat Altari, modo tamen Faldiſtorium ejus ſit parum a latere Epiſtolæ.

§. XVII.

Omnibus ſic ordinatis, ſurget Celebrans, detecto capite, omnibus ſimiliter ſurgentibus; Presbytero aſſiſtente ante pectus Librum tenente, incipiet in tono Lectionis abſolute Orationem, *Non intres in judicio &c.* qua finita, omnes ſedebunt, coopertis capitibus, & Cantores incipient Reſponſorium, *Subvenite Sancti Dei &c.* tunc duo Acolythi cum thuribulo, & navicula, & aqua benedicta, & Aſperſorio, una cum Diacono accedent ad angulum dexterum capitis, ubi eſt dignior Prælatus, & ſe ad ejus dexteram collocabunt.

COMMENTARIUS.

I. OMnibus ſic ordinatis, *poſt morulam*, inquit in ſuo Cæremoniali Patricius, *ſurgunt omnes depoſita Mitra, & tenente Librum uno ex Capellanis, Celebrans cum Diacono incipit Abſolutionem &c.* His concinens §. noſter, *ſurget*, ait, *Celebrans, detecto capite*, ideſt,

Digitized by Google

ideſt, Mitra, quam tenebat, depoſita, *omnibus ſimiliter ſurgentibus*, quatuor præſertim Epiſcopis, qui in ſcabellis ſedebant, ac depoſitis etiam ſuis Mitris, vel biretis, ſi Canonici fuerint, *Presbytero aſſiſtente ante pectus Librum tenente*, miniſtrante ſcilicet lumen cum palmatoria, ſeu candela, Miniſtro, qui de illa inſervit, *incipiet in tono Lectionis abſolute Orationem &c.* Ea verba, *Presbytero aſſiſtente ante pectus Librum tenente*, addita primum fuere huic §. in novo Cæremoniali a Benedicto Papa XIII. nam in aliis antiquis deſiderantur.

II. Finita Oratione, *Non intres in judicio*, ſive, *in judicium &c.* ut legitur in multis antiquis Ordinibus, *omnes ſedebunt coopertis capitibus*, ideſt, Mitris, ſi ſint Epiſcopi quatuor abſolventes, alias biretis; *& Cantores incipient Reſponſorium*, Subvenite Sancti Dei &c. *tunc duo Acolythi, cum thuribulo, & navicula, & aqua benedicta, & Aſperſorio una cum Diacono*, qui ſcilicet illos ſequetur, *accedunt ad angulum dexterum capitis, ubi eſt dignior Prælatus, & ſe ad ejus dexteram collocabunt*, nempe prope ipſum Diaconum, advertentes, ut debitas reverentias faciant Prælatis, ante quos tranſibunt, ut notat Bauldryus in ſuo Manuali, Parte v. Cap. xi. Articulo ii. Num. v. ubi etiam ſcite advertit, quod ubi Acolythi illi una cum Diacono ad digniorem Prælatum accedunt, debet eos omnes præcedere Cæremoniarius, & ille qui Librum defert, qui etiam firmabit ſe ad ſiniſtram Prælati. Demum antiquam eſſe Orationem illam, *Non intres in judicio &c.* & Reſponſorium, *Subvenite Sancti Dei &c.* in Exequiis Defunctorum, conſtat ex antiquis Ordinibus a Martenio allatis, Libro iii. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. xv.

§. XVIII.

Incœpto Verſiculo, *Requiem æternam &c.* Acolythus dabit navìculam Diacono, & ipſe accedet cum thuribulo ante dictum digniorem Prælatum, qui, miniſtrante Diacono naviculam, & dicente, *Benedicite Reverendiſſime Pater*, imponet thus in thuribulum, more conſueto, dicens, *Ab illo benedicaris &c.* producens ſignum Crucis ſuper incenſum thuribulo impoſitum. Cum per Chorum dicetur primum, *Kyrie eleiſon*, ſurgent omnes detectis capitibus, & prædictus dignior Prælatus voce intelligibili dicet, *Pater noſter*, quod ſecrete complebit; & interim, accepto Aſperſorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aſperget Lectum circumcirca ambulans, incipiens a ſua parte dextera, ter aſpergens quamlibet Lecti partem lateralem; Diacono a dexteris comitante, & fimbrias Pluvialis ſublevante; & dum tranſibit ante alios Prælatos, illos ſalutabit; ſimiliter Cruci reverentiam faciet, tranſiens ante illam ad pedes Lecti.

COMMENTARIUS.

I. IDem hic ritus eſt, ac ille, quem in ſuo Cæremoniali recenſet Patricius, Lib. i. Sectione xv. Cap. i. his verbis: *Cum cantatur*, Requiem æternam, *Clericus Cæremoniarum accipit thuribulum, & navicellam, & accedit ad ipſum ſeniorem Cardinalem, & offert thuribulum, Diacono vero miniſtrante navicellam, Cardinalis imponit incenſum in thuribulo dicens*, Ab illo benedicaris &c. *Deinde cum Cantores cantant*, Kyrie eleiſon, *ſurgunt omnes ſine Mitra, & ipſe primus Cardinalis dicit voce competenti*, Pater noſter, *& mox capit aſperſorium de manu Diaconi, & circuit Lectum, aſpergens illum aqua benedicta. Diaconus interim elevat a manu dextera fimbriam Pluvialis; cum vero Cardinalis tranſit ante alios Cardinales ibi adſtantes, facit unicuique reverentiam, inclinando caput, & idem etiam facit Cruci.* Ita Patricius, ex cujus loco, ut vides, totus Ritus, qui in hoc §. continetur, deſumtus eſt.

II. Ex recitatis autem verbis jam illud diſcimus, benedici incenſum in Exequiis, & Abſolutionibus Defunctorum, ritum eſſe a pluribus ſeculis in Pontificia Capella uſitatum, ideoque merito noſtro huic §. poſt illa verba, *qui miniſtrante Diacono naviculam*, in novo Cæremoniali addita illa verba fuere: *& dicente*, Benedicite Reverendiſſime Pater, *imponet thus in thuribulum, more conſueto dicens*, Ab illo benedicaris &c. *producens ſignum Crucis ſuper incenſum thuribulo impoſitum*. In antiquis Epiſcoporum Cæremonialibus ante novi hujus editionem, nulla ejus ritus mentio, ea enim in illis tantum verba leguntur: *qui, miniſtrante Diacono naviculam, imponit thus in thuribulum*. Tum vero ſequitur: *Cum per Chorum &c.* ut in noſtro hoc §. Porro, ſicut Prælatus abſolvens, ex eodem §. & ex laudato Patricii loco, dum tranſit ante alios Prælatos, ſalutare illos debet, & Cruci ſimiliter reverentiam facere, tranſiens ante illam ad pedes Lecti, eundem quoque ritum ſervare & ipſe Diaconus debet, qui a dexteris Prælatum comitatur, & ejus Pluvialis fimbrias ſublevat; admonebit autem eos de eo ritu ſervando Cæremoniarius, qui procedet a ſiniſtris Prælati, vel eum etiam præcedet, ſi via ſit anguſtior. Sed de his jam non uno in loco dictum eſt, præſertim vero Lib. i. hujus Operis, Cap. v. ubi ex profeſſo agitur de Officio Magiſtrorum Cæremoniarum.

Digitized by Google

§. XIX.

Postquam cum Aspersorio circumierit Lectum, & ad locum suum redierit, reddit Aspersorium Diacono, & is Acolytho servienti de aqua benedicta; ac ibidem ab eodem capiet thuribulum, & Lectum similiter circumcirca thurificabit, ter in qualibet parte laterali thuribulum ducens,

§. XX.

Cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante scabellum stans, dicet Versiculos, *Et ne nos &c.* & alios Versiculos, & Orationem, *Deus cui omnia vivunt &c.* prout in Pontificali Romano.

COMMENTARIUS.

I. HAbet in hoc novo Cæremoniali §. noster XIX. suam additionem, sive potius majorem ritus explicationem; postquam enim cum Aspersorio circumierit Prælatus Lectum, & ad locum suum redierit, *reddit*, inquit noster §. *Aspersorium Diacono, & is Acolytho servienti de aqua benedicta*. Hæc verba desiderantur quidem in antiquis Libris Cæremonialibus, utpote in quibus post illa verba, *& ad locum suum redierit*, statim ita legitur: *ibidem ab eodem Diacono capiet thuribulum &c.* ut in nostro XIX. Uti aspersorium, ita & thuribulum debere tunc Prælatum absolventem a Diacono accipere, tradit etiam Cæremoniale Patricii loco citato. Quo ritu incensandus sit Lectus: *ter in qualibet parte laterali*, ait noster §. idest, *in duobus lateribus Lecti*. Peracta incensatione, cum Prælatus redierit ad locum suum, tunc ex præscripto §. XX. *ante scabellum stans, dicet* Versiculum, *Et ne nos &c. & alios Versiculos, & Orationem*, Deus, cui omnia vivunt, *prout in Pontificali Romano*, nempe juxta veteres illius editiones, nam recentiores nulla plane alia habent Capita, seu Titulos, quam illos, quos nos in nostris ad ipsum Pontificale Romanum Commentariis explicuimus.

II. Ex ipso veteri Pontificali Romano, atque ex Cæremoniali Augustini Patricii Libro I. Sectione XV. Cap. I. ubi Prælatus seu Cardinalis post incensationem ad locum suum redierit, legit ex Libro, quem scilicet Minister, qui de illo servit, ante eum stans sustinet, *Et ne nos inducas in tentationem. A porta inferi. Requiescant in pace. Dominc exaudi Orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus.* Sequitur mox Oratio, cujus §. noster meminit, estque hujusmodi: *Deus, cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius: te supplices deprecamur, ut suscipi jubeas animam famuli N. per manus sanctorum Angelorum deducendam in sinu amici tui Abrahæ Patriarchæ, resuscitandamque in novissimo judicii tui magni die; & quicquid vitiosum Diabolo fallente contraxit, tu pius, & misericors abluas indulgendo. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

III. Antiqua est hæc Oratio, legiturque in variis priscis Codicibus, præsertim in Codice ms. Monasterii S. Benedicti Floriacensis annorum circiter mille, quem publici juris fecit eruditus Martenius Lib. III. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. XV. Ordine I. Sed aliquantum diversior, atque prolixior est ipsa Oratio, quæ in laudato Codice reperitur, etenim post illa verba: *in sinu Patriarchæ amici tui Abrahæ*, sequitur: *& Isaac electi tui, atque Jacob dilecti tui; quo aufugit dolor, & tristitia, atque suspirium, Fidelium quoque animæ felici jucunditate lætantur, & in novissimo magni judicii die inter Sanctos, & Electos tuos eam facias perpetuæ gloriæ percipere portionem, quam oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non ascendit, quæ præparasti diligentibus te. Per.* Occurrunt hujusmodi varietates in antiquis Orationibus passim.

§. XXI.

Qua finita, omnes sedent cum Mitra, & Cantores incipient Responsorium, *Qui Lazarum resuscitasti &c.* dum dicent Versiculum, *Requiem eternam &c.* ut supra, Ministri accedent ad secundum digniorem Prælatum, sedentem in angulo ad sinistrum pedem, qui impositio thure, ut de primo dictum est, deposita Mitra surget, & dicto a Choro, *Kyrie eleison*, omnibus similiter surgentibus, dicet, *Pater noster*, asperget, & thurificabit Lectum, ut supra, & demum dicet Versiculos, & Orationem, *Fac quæsumus Domine &c.* qua finita, omnes similiter sedebunt, & Cantores cantabunt Responsorium, *Domine quando veneris &c.* Tertius dignior Prælatus, sedens ad sinistrum humerum, servabit omnia, quæ superius primus, & secundus

Digitized by Google

cundus servaverunt, & demum dicet Orationem, *Inclina Domine, aurem tuam &c.* Qua similiter finita, quartus, & senior Prælatus sedens in angulo ad dexterum pedem, faciet similiter, & in fine dicet Orationem, *Absolve quæsumus, Domine &c. ut in resurrectionis gloria &c.*

COMMENTARIUS.

I. ORatione finita, quam in superiori Commentario Num. II. descripsimus, ex antiquo Romano Pontificali, & Cæremonial Patricii, sedent iterum omnes tectis capitibus, & Chorus cantat aliud Responsorium: *Qui Lazarum resuscitasti a monumento fœtidum, Tu eis Domine dona requiem, & locum Indulgentiæ. ℣. Qui venturus es judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Tu eis &c. ℣. Requiem æternam. Tu eis. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.* Interim cum dicunt Cantores Versiculum illum, *Requiem æternam &c.* ex præscripto hujus §. nostri, accedent Ministri ad secundum digniorem Prælatum sedentem in angulo ad sinistrum pedem, qui imposito thure, ut de primo dictum est, deposita Mitra surget, & dicto a Choro, *Kyrie eleison*, idest, cum per Chorum dicitur primum, *Kyrie eleison*, juxta Rubricam §. XVIII. omnibus similiter surgentibus, dicet, *Pater noster*, quod secrete prosequitur circuiens, aspergens, & thurificans Lectum, ut supra, & reversus demum ad locum suum dicet Versiculos, & Orationem, nempe, *Et ne nos &c. A porta inferi. Requiescant in pace. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum. Oremus. Fac quæsumus Domine hanc cum famulo tuo N. defuncto misericordiam, ut factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem, ut sicut hic eum vera fides junxit fidelium turmis, ita eum illic associet Angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.* Exstat hæc Oratio non modo in antiquo Romano Pontificali, & Cæremoniali Patricii, sed etiam in antiquis Codicibus, ac præsertim in memorato superius ms. Codice Monasterii S. Benedicti Floriacensis annorum circiter mille.

II. Hac terminata Oratione, omnes similiter sedebunt capitibus tectis, & Cantores cantabunt Responsorium: *Domine quando veneris judicare terram, ubi me abscondam a vultu iræ tuæ? quia peccavi nimis in vita mea. ℣. Commissa mea paveseo, & ante te erubesco, dum veneris judicare, noli me condemnare. Quia peccavi &c. Requiem &c. Quia peccavi &c. Kyrie eleison*, ter, & interim dum, *Kyrie eleison*, dicitur, surgit, surgentibus omnibus, tertius dignior Prælatus, qui sedebat ad sinistrum humerum, servabitque omnia, quæ superius primus, & secundus servaverunt, & demum post dictos Versiculos, dicet Orationem, quæ etiam in ipsis Codicibus antiquis reperitur, estque hujusmodi: *Inclina Domine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui N. quam de hoc seculo migrare jussisti, in pacis, ac lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.*

III. Tertia hac Oratione finita, quartus & senior Prælatus sedens in angulo ad dexterum pedem, faciet similiter, sedet nempe, sedentque omnes, & Chorus cantat Responsorum: *Ne recorderis Domine peccata mea, dum veneris judicare seculum per ignem. ℣. Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam. Dum veneris &c. Requiem &c. Dum veneris &c. Kyrie eleison &c.* quod dum ter dicitur, surgit quartus & senior Prælatus, surguntque omnes, ut supra, nudis capitibus, & ille dicet, *Pater noster*, & adspergit, & thurificat Lectum juxta ritum superius jam explicatum, & reversus ad locum suum dicit eosdem Versiculos cum hac Oratione, quæ est antiqua, & habetur etiam in pervetustis Sacramentariis: *Absolve quæsumus Domine animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos, & Electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.* Uti antiquæ sunt recitatæ hucusque Orationes, ita & Responsoria, utpote quæ & ipsa passim leguntur in antiquis Sacramentorum Libris.

§. XXII.

Demum cantato a Choro Responsorio, *Libera me Domine de morte æterna &c.* Celebrans ipse, imposito thure in thuribulo, ut supra, dicto, *Pater noster*, asperget, & thurificabit Lectum, prout de primo, & aliis dictum est; & in fine, dictis Versiculis, dicet Orationem, *Absolve quæsumus Domine &c. ut defunctus sæculo &c.* & responso per Chorum, *Amen*, ipse Episcopus dicet, *Requiem eternam &c.* demum duo Cantores dicent, *Requiescant in pace.*

§. XXIII.

Quo dicto, receptis ab omnibus Prælatis Mitris, seu biretis, si Mitris non utantur,

Digitized by Google

omnes eo ordine, quo venerant, revertuntur ad Sacriſtiam, vel alium locum deputatum, & ibidem depoſitis paramentis, quilibet recedit ad propria.

COMMENTARIUS.

I. QUatuor Abſolutionibus peractis per quatuor Prælatos, ſive Canonicos, ſedent omnes, & Chorus cantat ultimum illud Reſponſorium: *Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, Quando Cæli movendi ſunt, & terra: Dum veneris judicare ſeculum per ignem. ℣. Tremens factus ſum ego, & timeo, dum diſcuſſio venerit, atque ventura ira. Quando Cæli &c. ℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis, & miſeriæ, dies magna, & amara valde. Dum veneris &c. ℣. Requiem æternam &c. Libera me Domine &c.* Tum ſequitur, *Kyrie eleiſon &c.* quod dum dicitur, *Celebrans ipſe*, ut ait noſter §. XXII. cui concinunt Romanum antiquum Pontificale, Cæremoniale Patricii, & alii priſci Codices Miſſales, ac Rituales, *impoſito thure in thuribulo, dicto*, Pater noſter, *aſperget, & thurificabit Lectum, prout de primo, & aliis dictum eſt, & in fine dictis Verſiculis, dicet Orationem*: Abſolve quæſumus Domine animam famuli tui N. ut defunctus ſeculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem carnis humana converſatione commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis tuæ clementer abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

II. Reſponſo ad Orationem per Chorum, *Amen*, ipſe Epiſcopus dicet, *Requiem æternam &c.* & in fine duo Cantores dicunt, *Requieſcant in pace*. Atque hic eſt ritus, qui non modo in Romanis antiquis Pontificalibus, & in Cæremoniali Auguſtini Patricii legitur, verum in aliis quoque priſcis Miſſalibus, & Ritualibus; ex quibus etiam habemus, quod in noſtro §. XXIII. edicitur, nempe, ut dicto per Cantores, *Requieſcant in pace*, & reſponſo per Chorum, *Amen*, receptis ab omnibus Prælatis Mitris, ſeu biretis, ſi Mitris non utantur, eo ordine quo venerant, revertantur ad Sacriſtiam, vel alium locum deputatum, & ibidem depoſitis paramentis, quilibet recedat ad propria.

§. XXIV.

Si loco Prælatorum quatuor, adſint tantum Canonici, ſolus Epiſcopus debet incenſum benedicere: nec aderunt Capellani de Mitra, & Scutiferi qui ferant candelas; & tunc cum quilibet facit ſuam Abſolutionem, deponet biretum in manibus cujuſdam Clerici, ſicut & candelam. Si Defunctus ſit Epiſcopus, aut Prælatus Sacerdos, & corpus ſit præſens, Faldiſtorium Epiſcopi celebrantis parabitur ad pedes ejus, non vero ad caput, ut in Rituali Romano; alias ſemper parabitur ad caput Lecti, ſeu Caſtri doloris.

COMMENTARIUS.

I. TOtus hic §. deeſt omnino in antiquis Cæremonialibus, primumque in novo hoc Cæremoniali juſſu Benedicti XIII. edito ad calcem hujus Capitis deſcriptus eſt; cum enim loco Prælatorum quatuor, ſeu Epiſcoporum, Canonici eas Abſolutiones faciunt, non idem ritus ſervandus ſit, recte admodum in hoc §. edicitur, quod ſi Canonici tantum adſint, *ſolus Epiſcopus debet incenſum benedicere*, ob ſuam ſcilicet ſupra cæteros alios Sacerdotes inferiores inſignem dignitatem, ac poteſtatem; ideoque conveniens eſſe, ut, ſi ipſi Canonici abſolvant, ſtent ad Reſponſoria, quæ ſucceſſive cantantur, nudo capite, & non ſedeant, docet Bauldryus in Appendice Partis v. ſui Manualis, ubi enarrat Librum II. Cæremonialis Epiſcoporum, Cap. XI. Articulo II. Num. XV.

II. Sed hæc opinio non eſt ita certa, non enim capio, uti Canonici abſolventes ſtare debeant, & nudo capite, cum Prælati abſolventes ex præſcripto noſtri Cæremonialis, non quidem ſtent, ſed ſedeant. Porro & ea eſt praxis, quam in Patriarchalibus Baſilicis Urbis ſervatam vidi, abſolventes non Prælatos in quotidianis Abſolutionibus non ſtare nudo capite, ſed capite aperto ſedere. Scite autem illud Bauldryus notat, quod hic noſter §. mandat, nempe, quod cum non Prælati, ſed quatuor Canonici Abſolutiones faciunt, non aderunt Capellani de Mitra, & Scutiferi, qui ferant candelas, quilibet enim tunc cum Abſolutionem ſuam facit, deponet biretum in manibus cujuſdam Clerici, ſicut & candelam.

III. Advertendum vero potiſſimum, quod ex Rituali Romano, & antiquo Eccleſiæ more noſter hic idem §. præſcribit, ut nimirum, *ſi Defunctus ſit Epiſcopus, aut Prælatus Sacerdos, & corpus ſit præſens, Faldiſtorium Epiſcopi celebrantis*, ideſt Abſolutionem facientis, paretur *ad pedes ejus, non vero ad caput, alias ſemper ad caput Lecti, ſeu Caſtri doloris*, ſi ſcilicet Epiſcopi, aut Prælati Sacerdotis defuncti corpus præſens non ſit. Licet autem noſter §. quem hucuſque explicuimus, in priſcis ante noſtrum editis Cæremonialibus deſideretur, extat tamen in illis ad calcem hujus capitis alia Rubrica, quæ & in antiquis Pontificalibus Romanis legitur, varia monita con-

Digitized by Google

continens, quæ tamen in noſtri hujus novi Cæremoniali editione, juſſu, & auctoritate Benedicti XIII. concinnata, fuit omnino omiſſa. Verum nequid in hoc Opere noſtro deſideretur ex antiquis Epiſcoporum Cæremonialibus ceteroqui obliteratis, operæ pretium duxi hoc loco Rubricam ipſam deſcribere, cujus hæc ſunt verba:

IV. Quatuor, ſeu quinque iſtas Abſolutiones non ſemper in omnibus Exequiis fieri convenit, ſed tantum in primis Exequiis, quæ ſolent fieri poſt obitum, uti ſunt Exequiæ novendiales, quæ in Romana Curia fiunt pro anima Summi Pontificis Defuncti. In Exequiis vero Anniverſariis non debent fieri hujuſmodi quatuor Abſolutiones, ſed una tantum per Celebrantem, ut ſupra dictum eſt, poſt Miſſam; vel, ſi adeſſet Caſtrum doloris, vel alius locus, ubi eundum eſſet ad abſolvendum, Celebrans ſolus paratus, ut ſupra, præcedente Cruce cum aliis Miniſtris ſuperius narratis, & ſequentibus tum ſuis Capellanis, accedet ad Caſtrum doloris, & ibidem diſpoſitis Miniſtris, ut ſupra dictum eſt, ſtans ante ſuum Faldiſtorium in capite Lecti, dicet Orationem, *Non intres in judicio &c.* qua finita ſedet, & cantato per Chorum Reſponſorio, *Libera me Domine &c.* impoſito thure in thuribulo, ut ſupra, aſperget, & thurificabit Lectum ordine, quo ſupra dictum fuit; & demum dicet unam ex quinque præfatis Orationibus, quam maluerit, & revertetur ordine, quo venit. Quod ſimiliter ſervari poterit etiam in primis Exequiis, ubi commode quatuor Prælati, qui poſt Miſſam, ut ſupra dictum eſt, abſolvant, haberi non poterunt.

CAP. XII.

Miſſæ ſolemni pro Defunctis Epiſcopus aſſiſtere poteſt cum Cappa, vel cum Pluviali nigro, ſeu violaceo. Confeſſio ubi fiat. Sedes parata ſit ex panno violaceo. Ad Orationem, quo loco Epiſcopus genuflectat. Thurificatur poſt Oblata a Presbytero aſſiſtente. Dicto, Sanctus, ubi, & quandiu genuflectat. Quomodo procedatur ad Sermonem, & ad Abſolutionem faciendam.

§. I.

Si Epiſcopus noluerit celebrare, ſed hujuſmodi Miſſæ pro Defunctis per alium celebratæ intereſſe, eadem norma in omnibus ſervabitur, quæ expreſſa eſt in Capite præcedenti; ipſe vero Epiſcopus cum Cappa, vel cum Pluviali nigro, ſeu violaceo, facta Confeſſione cum Celebrante, ibit cum ſuis Aſſiſtentibus ad Sedem ſuam, quæ debet eſſe parata ex panno violaceo, non autem ex ſerico.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam, ut longe ante Patricium Petrus Amelius, qui floruit labente Seculo XIV. in ſuo Ordine XV. Romano, Cap. CXXXII. & CXXXIII. *non eſt de more, quod Romani Pontifices celebrent in Pontificalibus pro Defunctis, ſed bene ſecrete*; conſueverunt tamen ſemper Epiſcopi, ubi ſcilicet legitime impediti non eſſent, celebrare ipſi pro Defunctis, non modo ſolemni die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, verum etiam pro anima alicujus Summi Pontificis, ſeu Imperatoris, Regis, vel Ducis magni, vel Domini loci, pro quorum etiam Exequiis tum noſtrum Cæremoniale, tum Libri antiqui Pontificales, ac Rituales, varios nos ritus docuere ſervandos in Miſſa, & in Abſolutionibus faciendis poſt Miſſam, de quibus fuſe jam diximus in noſtris ad Caput XI. Commentariis.

II. At vero ſi Epiſcopus noluerit celebrare, ſed ſolemni Miſſæ pro Defunctis per alium celebratæ intereſſe voluerit, ait hic noſter §. quod *eadem norma in omnibus ſervabitur, quæ expreſſa eſt in Capite præcedenti, ipſe vero Epiſcopus cum Cappa, vel cum Pluviali nigro, ſeu violaceo, facta Confeſſione cum Celebrante, ibit cum ſuis Aſſiſtentibus ad Sedem ſuam, quæ debet eſſe parata ex panno violaceo*, ideſt, laneo, *non autem ex ſerico*. Idem docet & Craſſus Lib. II. Cap. XL. ubi tamen loquens de Pontificali Miſſa pro Defunctis, quæ per alium præſente Cardinali Epiſcopo celebratur, ait, Sedem ipſius Epiſcopi Cardinalis, qui hujuſmodi Miſſæ aſſiſtit, debere eſſe omnino diſcoopertam, & nudam, & nullos eidem debere Canonicos aſſiſtere. Verum attendenda eſt Regula a noſtro §. præſcripta, ut nempe Sedes ipſa cooperta ſit panno violaceo, non autem ſerico; neque enim decet, ut paratus Epiſcopus, etiam ſola Cappa, & Miſſæ aſſiſtens, in Sede omnino diſcooperta, ac nuda ſedeat. Poſſe autem Epiſcopum *Pluviali nigro, ſeu violaceo*, uti pro libito, ratio illa eſt, quia, ut inter alios docet doctiſſimus Georgius Lib. II. *De liturgia Romani Pontificis*, Cap. XII. conjunctus adeo fuit antiquitus color violaceus cum colore nigro, ut pro uno, & eodem ab Eccleſia Romana ſumeretur in divinis Officiis, & alterutrius idem eſſet uſus diebus mœſtitiæ, & pœnitentiæ præſtitutis. Porro, quemadmodum mox infra dicemus, Papa Miſſæ pro Defunctis aſſiſtens, uti pro libito poteſt Cappa, vel Pluviali rubeo, ita etiam Epiſcopus

Digitized by Google

ſcopus Cappâ, vel Pluviali, *nigro* tamen, *ſeu violaceo*, uti in hoc præſenti §. edicitur juxta editionem novi hujus Cæremonialis, nam alias in Cæremonialibus antiquis ea verba, *vel cum Pluviali nigro, ſeu violaceo*, in Rubrica noſtri hujus §. deſiderantur.

III. Teſte Auguſtino Patricio in ſuo Cæremoniali, Lib. II. Sectione II. Cap. XVI. ubi agit de Commemoratione omnium fidelium Defunctorum Papa Miſſæ præſente per Cardinalem ſolemniter celebratæ, *Pontifex indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, & Cappa rubea... vel ſi Pontifici placet, loco Cappæ habeat Pluviale rubrum ſimplex, & Mitram ſimplicem, præcedentibus Cruce, & Cardinalibus, venit ad Capellam, orat in Faldiſtorio, & facit Confeſſionem cum Celebraturo, aſcendit ad Solium.... dicit Introitum cum Aſſiſtentibus tantum*. Quidquid ſit de eo ritu, ſive uſu Cappæ rubeæ, ſeu Pluvialis rubei, quod a Romano Pontifice quibuſdam ab hinc ſeculis, uti Eruditi notant, in Defunctorum Officiis adhiberi ſolet, quod Epiſcopus ſolemni pro Defunctis Miſſæ aſſiſtens, faciat Confeſſionem cum Celebrante, eaque peracta ad Sedem ſuam pergat, ritus certe ex Pontificia Capella deſumtus eſt, uti liquet ex recitato Patricii loco.

§. II.

Cum Celebrans dicit, *Dominus vobiſcum*, ante Orationem, Epiſcopus veniet ad Faldiſtorium ante Altare, & ibi ad *Oremus*, genuflectet capite detecto, ſic manens uſque ad finem Orationis. Qua finita, redibit ad Sedem ſuam, & tunc, & non prius, Presbyter aſſiſtens ibit ad ſcabellum aſſiſtentiæ.

§. III.

Ad Offertorium Epiſcopus more ſolito miniſtrante naviculam Presbytero aſſiſtente, imponet thus in thuribulum, dicens, *Per interceſſionem &c.* & thurificatis Oblatis, & Altari, thurificabitur Celebrans a Diacono, & Epiſcopus a Presbytero aſſiſtente, more ſolito.

§. IV.

Dicto, *Sanctus &c.* Epiſcopus ibit ad Faldiſtorium, ubi genuflexus permanebit uſque ad *Agnus Dei*, excluſivè, & tunc redibit ad Sedem, & dicet, *Agnus Dei &c.* cum ſuis Aſſiſtentibus, non percutiendo pectus; nec fiunt in hac Miſſa Circuli; & iterum ad Orationem poſt Communionem redibit ad Faldiſtorium, & genuflectet, ſimiliter omnibus genuflectentibus, quoties Epiſcopus genuflectet.

§. V.

Finita Oratione, Epiſcopus redibit ad Sedem, & non dabit benedictionem, nec publicabuntur Indulgentiæ.

COMMENTARIUS.

I. DEſumti & ii Paragraphi ſunt ex ritu Pontificiæ Capellæ, in qua Papa aſſiſtens Miſſæ, uti docet laudatus Patricius, Celebrante, *Dominus vobiſcum*, dicente, *venit ad Faldiſtorium, & genuflectit ſine Mitra, ſic manens uſque ad finem Orationis, & ſimiliter omnes genuflectunt præter Celebrantem, & Miniſtros, ideſt, aſſiſtentem Diaconum, & Subdiaconum*. Et mox: *Pontifex Oratione finita, & accepta Mitra, redit ad Sedem*. Ita ille, cui noſter quidem §. II. concinit, qui etiam majoris explicationis gratia, ubi loquitur de Epiſcopo veniente ad Faldiſtorium, ut ibi ad Orationem genuflectat, ait: *ibi ad* Oremus, *genuflectet*. Iccirco autem ejus ritus memini, quia verbum illud *ad Oremus*, in antiquis ante hoc noſtrum editis Cæremonialibus deeſt. Advertere autem debet Epiſcopus, ut antequam Celebrans dicat, *Dominus vobiſcum*, perveniat ad Faldiſtorium, ubi depoſita Mitra ſtans ad *Dominus vobiſcum*, genuflectet deinde ſtatim, ac Celebrans dicet, *Oremus*, manebitque genuflexus uſque ad Orationem finitam.

II. Ad Euangelium non eſſe portanda luminaria, nec incenſum, non petendam a Diacono benedictionem, non deoſculandum Librum ab Epiſcopo, nec a Celebrante, non benedicendam aquam pro Sacrificio in Calice imponendam, jam iterum, atque iterum tum Libro I. tum hoc II. notatum fuit. Poſt Offertorium, ſicut in Pontificia Capella, ut ait Patricius, *Papa imponit incenſum more conſueto, & incenſantur Oblata, Altare, Celebrans, & Papa tantum, & non alii*, ita

Digitized by Google

ita quoque ex præscripto nostri §. III. *ad Offertorium Episcopus, more solito, ministrante naviculam Presbytero assistente, imponet thus in thuribulum, dicens,* Per intercessionem &c. *& thurificatis Oblatis, & Altari, thurificabitur Celebrans a Diacono, & Episcopus a Presbytero assistente more solito*, idest, duplici ille ductu, triplici vero Episcopus.

III. Dictum quoque jam alias fuit, non teneri in hac Missa, quæ pro Defunctis celebratur, Patenam a Subdiacono, qui tamen ad elevationem Hostiam æque ac Calicem genuflexus in cornu Epistolæ thurificabit. Sed quod attinet nostrum §. IV. sicut Papa, teste Patricio, dicto *Sanctus*, cum Assistentibus venit ad Faldistorium, ubi deposita Mitra genuflectit, quousque Celebrans dicat, *Per omnia secula seculorum*, ante *Pax Domini*, & tum surgit, & accepta Mitra, redit ad Solium, ubi depolita Mitra dicit cum Assistentibus, *Agnus Dei &c.* ita quoque Episcopus, dicto *Sanctus &c.* ut ait idem noster §. ibit ad Faldistorium, ubi genuflexus permanebit usque ad *Agnus Dei*, exclusive, & tunc redibit ad Sedem, & dicet: *Agnus Dei &c.* cum suis Assistentibus, non percutiendo pectus. Sane hæc verba ita intelligenda sunt, ut Episcopus assurgat, dum ad *Per omnia secula seculorum*, a Choro respondetur *Amen*, stetque, dum Celebrans dicit: *Pax Domini sit semper vobiscum*; quo dicto, genuflectat Sacramento, Mitram capiat, & ad Sedem suam accedat, ubi deposita Mitra, dicat, *Agnus Dei &c.* non percutiendo pectus, ut supra notatum est. Addit autem idem noster §. Circulos non esse faciendos in hac Missa, quod nos etiam alibi adnotavimus, & docet etiam Cæremoniale ipsius Capellæ Pontificiæ.

IV. In hac Missa non esse dicendam a Celebrante Orationem, *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis &c.* nec dandam Pacem, ex antiquo Ecclesiæ ritu jam alibi ostendimus, traditque inter alios in suo Rationali, & Pontificali Durandus. Ad Orationem, ut ait §. IV. quæ dicitur post Communionem, e sua Sede redibit Episcopus ad Faldistorium, ibique genuflectet, similiter omnibus genuflectentibus, qui ritus servandus est semper quoties genuflectet Episcopus. Verbum *ad Orationem*, ita intelligendum est, ut nempe Episcopus descendat e Sede ad Faldistorium, antequam a Celebrante dicatur, *Dominus vobiscum*, quod quidem dum dicitur, stabit Episcopus ad Faldistorium deposita Mitra, quæ ipsi aufertur, ubi ad Faldistorium pervenit; & genuflectet, deinde ad *Oremus*, genuflexus manens usque ad finitam Orationem; tunc enim redibit Episcopus ad Sedem suam, & non dabit benedictionem, nec publicabuntur Indulgentiæ, ut ait noster §. V. concinens pene in omnibus prædicto Cæremoniali Pontificiæ Capellæ, uti videre est apud laudatum Patricium. Sed plane illud non omittendum, debere scilicet Episcopum stare ad Faldistorium sine Mitra, dum dicit Celebrans, *Dominus vobiscum*, eoque dicto, tecto capite redire ad Sedem suam, tuncque, & non prius debere Diaconum dicere, *Requiescant in pace*.

§. VI.

Finita Missa, si Sermo habendus sit, Sermocinator accedet, & absque aliqua benedictionis petitione, facta tantummodo Altari reverentia debita, & Episcopo, ibit ad pulpitum, ubi Sermonem recitabit. Quo finito, si Episcopus voluerit ipse absolvere, deposita Cappa apud Sedem, capiet Amictum supra Rocchettum, sive super Cottam, si sit Regularis, Crucem pectoralem, & Stolam, & demum Pluviale nigrum, & Mitram simplicem, & omnia fient, quæ superius in præcedenti Capite dicta sunt. Si vero Episcopus absolvere ipse noluerit, vel hujusmodi Missæ non interesit, Celebrans, finita Missa, & lecto Euangelio secundum Joannem, faciet omnia, prout in Cap. XXXVII. hujus Lib. II.

COMMENTARIUS.

I. SI habendus sit Sermo in laudem Defuncti, jam non intra Missam, sed finita omnino Missa, haberi debet juxta ritum a nobis jam supra non uno in loco explicatum, præsertim Cap. XI. in Commentario ad §. X. Sed audiamus hic tamen Crassum, qui ritum ipsum habendi Sermonis Missæ præsente Cardinali Episcopo sic enarrat Lib. II. Cap. XL. Si Sermo in Defuncti laudem habendus est, tunc finita de toto Missa, & nullatenus intra eam habetur, hoc modo, quia perfecta Missa Sermocinaturus vestibus nigris indutus, non tamen veste cucullata, & lugubri, sicut reliqui consanguinei, nisi esset & ipse consanguineus, aut familiaris Defuncti, quia sic vestitus, non tamen cucullo capiti imposito, sed eo tunc super humero dextero, & cauda sub sinistra more Prælatorum retractis, vadit ante medium Altaris, ubi genuflexus orat, deinde surgens absque aliqua benedictionis petitione a Celebrante, seu a Cardinali, vel ab aliquo, ascendit, facta prius reverentia Cardinali, in pulpitum panno nigro, si placet, coopertum, & facit suum Sermonem, pro quo non præmunit se aliquo signo Crucis in pectore, nec divinam invocat gratiam, neque præfatur Angelicam salutationem, sicut in aliis Sermonibus, qui in laudem Dei

Digitized by Google

Dei intra Missam fieri solent, ut supra dixi in Capitulo, de sermone intra Missam fiendo; nam aliter sermo in laudem Dei, & aliter in laudem Defuncti fieri debet.

II. Hæc Crassus, qui tamen in eo certe errat, quod dicit, in hujusmodi Sermone non debere se Oratorem initio ipsius, signo Crucis munire. Sed hunc errorem jam nos supra notavimus, Cap. XI. in Commentario ad §. x. ubi attulimus locum Tertulliani ajentis, communem esse Christifidelium disciplinam, ad omnem actum, frontem terere Crucis signaculo. Sed non est omittendum, quod mox loco citato idem Auctor subdit: *Finito*, inquit, *hoc Sermone, recitator ejus simpliciter recedit, quo placet, & si est de familia Defuncti funebriter vestitus, revertitur ad locum suum inter alios confamiliares funestos, ubi dimissa cauda, & recucullato capice sedet: & tunc a nullo compellatur, nec laudatur, quod diserte oraverit, etiamsi disertissime fuerit concionatus.*

III. Finito Sermone, si Episcopus voluerit ipse absolvere, *deposita Cappa apud Sedem*, ait hic noster §. *capiet Amictum supra Rocchettum, sive super Cottam, si sit Regularis, Crucem pectoralem, & Stolam, & demum Pluviale nigrum, & Mitram simplicem, & omnia fient, quæ superius in præcedenti Capite dicta sunt.* Verba illa, *sive super Cottam si sit Regularis*, tametsi subintelligi potuissent, apposita tamen huic §. fuere in novo hoc nostro Cæremoniali, sicuti etiam illud, quod sequitur, nempe, *Crucem pectoralem*, in antiquis enim ante hoc nostrum editis Cæremonialibus desiderantur. Addit quoque primum & huic nostro fuere §. postrema illa verba, *si vero Episcopus absolvere ipse noluerit, vel hujusmodi Missæ non interfit, Celebrans, finita Missa, & lecto Euangelio secundum Joannem, faciet, prout in Capite* XXXVII. *hujus Libri II.* Neque hæc verba in antiquis ipsis Cæremonialibus leguntur.

IV. Omitti demum hic minime debet, quod tradit laudatus Crassus de Absolutione facienda per Cardinalem Episcopum, ubi Missæ Pontificali pro Defunctis per alium cantatæ interfuit: *Si Cardinalis*, inquit, *in fine volet absolvere, poterit hoc modo, quia cum cantabitur a Choro Responsorium, ipse ibit ad Altare, & accepto Amictu solo, & Stola in formam Crucis ante pectus, & Pluviale, ac Mitra alba, stabit versus ad Altare, & posito incenso, ut supra, cum dicetur*, Kyrie eleison, *deposita Mitra, facit, ut supra, in omnibus, & per omnia: sed nullo modo ipse Cardinalis vadet ad aliquod sepulcrum, vel depositum, vel capsam, aut feretrum coopertum, ut in Libro Pontificali dicitur. Nam Cardinalis Episcopus id non debet, nisi esset pro Papa tunc defuncto, quia illud cum Episcopis debet facere, & non cum Canonicis; si tamen Episcopus non esset Cardinalis, posset cum Canonicis Pluvialibus indutis.* Sed dico hoc discrimen sublatum hodie fuisse, nulla enim ejus in Cæremoniali mentio, in quo tamen de ritibus agitur quamfrequentissime, qui servari debent, ubi Episcopi scilicet sunt Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales.

CAP. XIII.

Quæ servanda in Vesperis, & Missis solemnibus in Adventu Domini. Episcopus, si Missam solemnem celebret, paramenta apud Sedem sumere potest. Subdiaconus Epistolæ, Diaconi assistentes, Diaconus Euangelii utuntur Planetis violaceis plicatis ante pectus. Color paramentorum Episcopi, & Canonicorum sit violaceus. Episcopus in Missa non dicit Pax vobis, *sed* Dominus vobiscum. *Subdiaconus cantat Epistolam sine Planeta. Diaconus item Euangelium, sed cum alia convoluta. Subdiaconus reassumit Planetam, post cantatam Epistolam, Diaconus vero post Communionem Episcopi. Quid præstandum ab Episcopo, si Missæ assistat. Paramenta in tertia Dominica Adventus violacea sint, sed sumtuosiora. Diaconus, & Subdiaconus utuntur Dalmatica, & Tunicella in Dominica quarta Adventus, si in ea occurrat Vigilia Nativitatis Domini.*

§. I.

In Vesperis, & Missis solemnibus in singulis Dominicis Adventus, eadem omnia servabuntur, Episcopo celebrante, vel non celebrante, quæ superius expressa fuerunt, dum generaliter de iis disseruimus, exceptis tamen infrascriptis.

§. II.

Quia primum Ecclesia, Altare, & Chorus simpliciori apparatu ornantur. Item, celebrante Episcopo Missam solemnem, non erit opus, paramenta sacra pro Missa sumere in Sacello, seu Secretario supra memorato, sed apud Sedem suam, ubi Cappa indutus, incipit Tertiam; & incœpto primo Psalmo, sedet, accipit Sandalia,

Digitized by Google

lia, legit Pſalmos, Verſiculos, ac Orationes conſuetas, & in fine cantat Orationem pro Tertia, Canonico Presbytero aſſiſtente Librum ſupra caput tenente in ſuo habitu Canonicali.

COMMENTARIUS.

I. ADventum, ideſt, omne illud temporis ſpatium, quo per quatuor hebdomadas, ad celebrandum, ea qua par eſt reverentia, & devotione, incarnati Verbi natalem diem, ſeſe præparat Eccleſia, inſtitutum fuiſſe a S. Petro *in commemorationem adventus Chriſti*, tradit Durandus in ſuo Rationali Lib. IV. Cap. II. Num. II. ubi etiam docet, celebrari Adventum Domini per quatuor hebdomadas ad denotandum quadruplicem adventum Filii Dei: nam ait, primum fuiſſe in carnem, ſcilicet in utero Virginis aſſumtam; ſecundum in mentem, qui fit quotidie in cordibus Fidelium per Spiritum Sanctum; tertium in morte cujuslibet; quartum in die extremi judicii. Quantum ad nomen Adventus, ſic inquit Lib. III. *De divinis Officiis*, Cap. I. Rupertus Abbas Tuitienſis: *Tempus, quod Dominicæ Nativitatis memoriam antecedit, ideo Adventus nuncupatur, quia totus ejus Eccleſiaſticus Ordo juxta contemplationem Adventus Domini diſpoſitus eſt. Advenire autem recte Dominus dicitur, qui ubique eſt inviſibili præſentia Majeſtatis, dum aſſumto, quod viſibile eſt noſtrum, uſibus carnis viſibilem ſe oſtendit &c.*

II. Quamquam vero a Dominica quarta ante Chriſti Domini nativitatem Adventum hodieque incipere ſoleamus, & quidem ex S. Gregorii Papæ inſtituto, ſi fides Amalario Lib. III. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Cap. XL. & Bernoni Augienſi Abbati in Libello, *De ritibus Miſſæ*, Cap. IV. aliiſque compluribus Auctoribus, atque Codicibus mſs. in quibus quatuor tantum leguntur Dominicæ ad prævenienda Chriſti Domini nativitatem; non tamen idem ſemper fuit, & ubique hebdomadum, & Dominicarum numerus ad celebrandum Adventum. Etenim in Libro Comitis, qui S. Hieronymo tribuitur, ubi Euangelia per totum anni circulum legenda præſcribuntur, in Sacramentario Gelaſiano, ac in ipſo Gregoriano, quod Menardus edidit, Notiſque illuſtravit, & in pervetuſtis mſs. Codicibus memoratis a Martenio in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis Officiis*, Cap. X. Num. I. quinque leguntur Dominicæ *ante Domini Natale*. Id quod etiam tradit Durandus loco citato Numero XI. ubi ait Dominicam quintam ante Nativitatem Domini ad Adventum aliquo modo pertinere: *In quinta igitur hebdomada ante Nativitatem Domini inchoatur præparatio Adventus quoad quædam; unde in antiquis Gradualibus, & Lectionariis titulus eſt talis*, Quinta Dominica ante Nativitatem Domini; *nam ab illa Dominica uſque ad Nativitatem Domini ſunt quinque Officia Dominicalia, & quinque Epiſtolæ, & quinque Euangelia.*

III. Sed major extitit complurium Eccleſiarum religio, in quibus ſex in Adventu Dominicæ recenſebantur, uti videre eſt in Breviario Mediolanenſi impreſſo anno MCDLXXXVII. regnante Joanne Galeazeo Maria Vicecomite Duce, in quo *Adventus incipit a Feſto S. Martini, ſi in Sabbato acciderit; aut ſi alia die, Sabbato Feſtum S. Martini ſequente*. Eandem fuiſſe Toletanæ Eccleſiæ conſuetudinem, ac proinde veteris Hiſpaniæ, ex Mozarabo Miſſali Codice notat Martenius in Libro ſuo, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis Officiis*, Cap. X. Numero II. ubi etiam ait, non dubium eſſe, quin ipſa quoque in Galliis viguerit diſciplina, in quibus æque, ac in aliis regionibus Italiæ, Angliæ, Germaniæ, Adventus Domini, Quadrageſimæ etiam rationem obtinebat tam in jejuniis, quam in Sacrificiis, & in ceteris omnibus pene ritibus Eccleſiaſticis. Certe Concilium Matiſconenſe I. anno DLXXXI. habitum Can. IX. ſtatuit, *ut a Feria ſancti Martini uſque ad Natale Domini, ſecunda, quarta, & ſexta Sabbati jejunetur; & Sacrificia Quadrageſimali debeant ordine celebrari*.

IV. Hinc omnia lætitiæ Cantica ſuppreſſa in Adventu vel olim fuere, veſtes ſacræ, quæ exultationem, & gaudium redolent, depoſitæ, color in iis, qui luctum, & mœrorem repræſentat, aſſumtus, Hymni omiſſi, ac præſertim, *Gloria in excelſis*, in Miſſa, & ad Nocturnos, *Te Deum laudamus*, & ſacræ Imagines demum velatæ, uti videre eſt apud laudatum Martenium Libro citato per totum fere Caput X. Sed dices, ſi Cantica, & ſigna lætitiæ in Adventu ſuppreſſa ſunt, cur tam frequenter, *Alleluja* repetitur? Reſpondeo cum Durando Lib. VI. Cap. II. Num. VI. *ratione primi Chriſti adventus, ſcilicet in carnem*. Eaque ratio forte eſt, quod in aliquibus Eccleſiis Canticum ipſum, *Te Deum laudamus*, & Hymnus, *Gloria in excelſis*, jam etiam antiquitus in Adventu diceretur. Ceterum ritus fere communis fuit, ut tempus Adventus mœroris potius, quam lætitiæ tempus reputaretur propter ſecundum Filii Dei adventum, ſcilicet ad Judicium. Unde, quod in noſtro II. §. inter alia edicitur, ut tempore Adventus *Eccleſia, Altare, & Chorus ſimpliciari apparatu ornentur*, ex antiquis Eccleſiæ ritibus, & ex ratione illius adventus ſcilicet Chriſti ad univerſale Judicium prodiiſſe cenſendum eſt.

§. III.

Subdiaconus cantaturus Epiſtolam, paulo ante quam Epiſcopus in Chorum veniat, capiet omnia paramenta ſibi convenientia, præter Manipulum, & Planetam ante plicatam, quæ capiet poſtea.

Digitized by Google

§. IV.

Diaconi aſſiſtentes capiunt ſua paramenta, ideſt, Planetam ante plicatam ſupra Cottam, vel Rocchettum circa finem Tertiæ, antequam Epiſcopus cantet Orationem, & cum eis Diaconus cantaturus Euangelium, qui accipit Amictum, Albam, Cingulum, & Stolam.

§. V.

Dum prædicti Diaconi aſſiſtentes parantur, aſſiſtunt Epiſcopo duo alii Diaconi, illis proximi, in ſuo habitu Canonicali, & in eorum defectum, duo ultimi Presbyteri.

§. VI.

Finita Tertia, præfati duo Diaconi aſſiſtentes cum Diacono cantaturo Euangelium, jam parati, revertuntur ad Epiſcopum, dum lavat manus, miniſtrante Presbytero aſſiſtente in habitu Canonicali.

§. VII.

Epiſcopus autem poſtquam laverit manus, more conſueto accipit paramenta conſueta, quæ eſſe debent violacei coloris. Subdiaconus, & Diaconus capiunt Manipulos, & Planetas ante pectus plicatas, & tunc pariter omnes Canonici capiunt in ſuis locis paramenta ipſis convenientia, ejuſdem coloris.

COMMENTARIUS.

I. PErſpicua ſunt, quæ in Paragraphis hiſce noſtrum Cæremoniale præſcribit. Quoniam vero, uti ſuperius dictum eſt, omnia lætitiæ ſigna propter ſecundum Chriſti Domini adventum ex antiquo ritu depoſita ſunt, hinc eſt, quod in ſacris paramentis color non alius, quam violaceus adhibetur ex Rubrica Miſſalis, Parte I. Tit. XVIII. Num. V. ubi ait, uti Eccleſiam *violaceo colore a prima Dominica Adventus in primis Veſperis uſque ad Miſſam Vigiliæ Nativitatis Domini incluſive*. Eſt plane antiquus ritus, de quo teſtes habemus Innocentium III. Lib. I. *De Myſteriis Miſſæ*, Cap. LXV. Jacobum Gaetanum in Ordine Romano XIV. Cap. LII. & inter alios Durandum tum in ſuo Pontificali, tum etiam in Rationali, Lib. III. Cap. XVIII. Num. IX. ubi etiam non obſcure innuit, adhibitum fuiſſe in Adventu colorem nigrum: *Violaceo autem colore uti in diebus, quibus eſt uſus nigri coloris, non eſt inconveniens. Unde Eccleſia Romana utitur colore violaceo a prima Dominica Adventus uſque ad Vigiliam Nativitatis Domini incluſive*.

II. Teſte Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis Officiis*, Cap. X. Num. XII. ad majorem etiam triſtitiæ demonſtrationem aliquæ Eccleſiæ in Adventu colorem nigrum in ſacris veſtibus uſurpant, inter quas cenſeri debere ait Eccleſiam Cenomanenſem, quæ hunc ritum deſumſit ex Metropolitana Turonenſi. Sed non eſt, quod de eo ritu miremur, cum in ipſa Eccleſia Romana colores niger, violaceus, & Indius Seculo XIV. quo floruit Petrus Amelius, ut idem teſtatur in Ordine ſuo Romano XV. Cap. XXIV. pro uno reciperentur. Juxta hodiernum morem ſolet quidem Eccleſia uti violaceo colore pro nigro, non autem nigro pro violaceo; unde licet in Defunctorum Miſſis violaceo colore utamur, non autem putamus, poſſe nos uti in Adventu, & Quadrageſima nigro colore pro violaceo.

III. Hinc ex Rubrica noſtri §. VII. paramenta, quæ Epiſcopus accipit, poſtquam manus laverit, *eſſe debent violacei coloris*, quemadmodum etiam ceterorum Miniſtrorum: *Subdiaconus, & Diaconus*, inquit, *capiunt Manipulos, & Planetas ante pectus plicatas, & tunc pariter omnes Canonici capiunt in ſuis locis paramenta ipſis convenientia ejuſdem coloris*. Propriæ Subdiaconi, ac Diaconi veſtes ſunt, Tunicella, & Dalmatica, quæ tamen in Adventu ex antiquo ritu deponi ſolent, & loco ipſarum ſumi Planetæ ante pectus plicatæ: *Ex tunc etiam*, ſcilicet a Dominica I. Adventus, *ad ſacram Domini Natalis noctem Diaconus, & Subdiaconus imminuti procediunt; nam neque Diaconus Dalmaticam, neque Subdiaconus induit Tunicam*. Verba ſunt Ruperti Abbatis Tuitienſis Lib. III. *De divinis Officiis*, Cap. II. ejuſque ritus præter Rupertum complures alii Scriptores meminere, præſertim vero Durandus in ſuo Rationali Lib. II. Cap. IX. Num. III. & Lib. III. Cap. XI. Num. IX.

IV. Quamquam vero is ſit hodie uſus Eccleſiæ, & quidem plurimis ab hinc ſeculis receptus, ut nec Subdiaconus Tunicella, nec Diaconus Dalmatica uterentur in Miſſa tempore Adventus; dicendum nihilominus, eam conſuetudinem non fuiſſe antiquitus univarſalem, & in omnibus Eccleſiis

Digitized by Google

cleſiis receptam. Id enim clare teſtantur Amalarius, & Micrologus, quorum primus Lib. III. *De Officiis*, Cap. XL. ita inquit: *Vidi priſco tempore*, Gloria in excelſis Deo, *prætermitti in diebus Adventus Domini, & in aliquibus locis Dalmaticas*. Micrologus vero in Libro, *De Eccleſiaſticis obſervationibus*, Cap. XXX. hæc habet: *Quidam infra Adventum Domini Caſulis pro Dalmaticis utuntur: quidam more ſolito veſtiuntur, eo quod Miſſam ad Tertiam, & Alleluja, ſicut tota æſtate, dicunt*.

V. Mos, quo hodie utimur ille eſt, ut Diaconus, & Subdiaconus non utantur Dalmatica, & Tunicella in Miſſis de Adventu, ſed Planetis plicatis ante pectus, non modo in majoribus quibuſvis Eccleſiis Cathedralibus, ſed & in Collegiatis, ac Parochialibus, atque in præcipuis Eccleſiis etia Regularium ex Rubricis Miſſalis, Parte I. Tit. XV. Num. VI. atque ex Sacræ Rituum Congregationis Decretis apud Gavantum. Excipitur tamen Dominica tertia Adventus, quæ dicitur, *Gaudete*, & quarta etiam, ſi in eam inciderit Vigilia Nativitatis Domini, in quibus juxta Rubricas Miſſalis, & §. noſtri XI. ac ultimi hujus Capitis, Diaconus, & Subdiaconus, non Caſulis ante pectus plicatis, ſed Dalmatica, & Tunicella utuntur, violacei tamen coloris. Sane Planetæ illæ ejuſdem formæ, & coloris eſſe debent, ac illa Celebrantis, ſed tamen plicatæ intrinſecus uſque ad pectus, vel revolutæ etiam ante pectus, & tantum aciculis, aut quibuſdam vittis, aut vinculis firmatæ, ne eorum pars anterior decidat, & ut expeditiores ſint in eorum officio. Eas vero induunt, quando Celebrans eſt omnibus ſuis paramentis indutus, non autem ante, ut addiſcimus ex noſtro §. VII. Sed de his iterum infra in Commentariis ad ſequentes Paragraphos. Ceterum ex Rubrica Miſſalis loco citato Num. VII. in minoribus Eccleſiis, in quibus ſcilicet non adeſſent Planetæ, Alba tantum amicti miniſtrabunt Subdiaconus, & Diaconus, ſed ille cum Manipulo, Diaconus vero etiam cum Stola.

§. VIII.

Epiſcopus ante Orationem dicit *Dominus vobiſcum*, non autem *Pax vobis*, Subdiaconus, dum Epiſcopus celebrans cantat ultimam Orationem, depoſita Planeta, accipit Librum Epiſtolarum, & cantata Epiſtola, oſculataque manu Epiſcopi, Planetam reaſſumit.

COMMENTARIUS.

I. TAmetſi, uti alias dictum eſt, Epiſcopus in Miſſa, prima vice ante Orationem ex antiquo ritu populum per ea verba, *Pax vobis*, ac deinde per alia illa, *Dominus vobiſcum*, ſalutare ſoleat; in Adventu tamen, & in aliis quoque Miſſis, in quibus non dicitur, *Gloria in excelſis &c.* ut tradit Durandus in ſuo Rationali Lib. IV. Cap. XIV. Num. VII. tum prima vice, tum aliis ſequentibus ſemper ea ſalutatione utitur, nempe, *Dominus vobiſcum*. Id quod etiam in ſuo Pontificali repetit, in eo ſcilicet Capite, quod inſcripſit: *Quando debet dici, Pax vobis*, ubi hanc regulam tradit: *Epiſcopus in Pontificalibus ſolemniter Celebrans debet dicere ad populum*, Pax vobis, *ſtatim poſt*, Gloria in excelſis, *quandocumque dicitur*, Gloria in excelſis. *Et quando illud non dicitur, nec iſtud debet dici*.

II. Hunc ritum jam olim vel longe ante annum Chriſti milleſimum ſervatum in Romana Eccleſia fuiſſe, ideoque in aliis etiam ſervandum Eccleſiis, tradidit, ac juſſit Leo Papa VII. qui Pontificatum iniit anno CMXXXI. in Epiſtola II. ad Gallos, & Germanos data, ſic inquiens: *Conſultum eſt etiam, utrum Epiſcopi*, Pax vobis, *an* Dominus vobiſcum, *pronunciare debeant: ſed non aliter per omnem veſtram Provinciam tenendum eſt, quam in Sancta Romana Eccleſia. In Dominicis enim diebus, & in præcipuis Feſtivitatibus, atque Sanctorum Natalitiis*, Gloria in excelſis Deo, & Pax vobis, *pronunciamus; in diebus vero Quadrageſimæ, & in Quatuor temporibus, ſive in vigiliis Sanctorum, & in reliquis jejuniorum diebus*, Dominus vobiſcum, *tantummodo dicimus*. Affert hoc teſtimonium Martenius Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo III. Num. VII. Sed falſum eſt, quod mox ſubjicit: *Nunc vero omni tempore Epiſcopi in hac prima ſalutatione dicunt, Pax vobis*. Conſtat enim vel ex noſtro hoc §. tempore Adventus, Epiſcopum ante Orationem dicere, *Dominus vobiſcum*, non autem, *Pax vobis*.

III. Siquis autem roget, cur tunc demum, *Pax vobis* dicitur, quando *Gloria in excelſis* cantatur, rationem reddit laudatus Durandus citato loco ſui Rationalis divinorum Officiorum, hoc ideo fieri, *ut cor reſpondeat ei, quod ibi dicitur*: Et in terra pax hominibus. *Præterea hæc ſalutatio*, ratio altera hæc eſt ab eodem Scriptore tradita, *a Chriſto tempore gaudii, & lætitiæ, ſcilicet, reſurrectionis ad diſcipulos facta, illi Cantico lætitiæ correſpondere debet*. Teſte & ipſo Durando, ſunt etiam qui dicunt, quod Pontifex ſolemniter celebrans in diebus, quibus, *Gloria in excelſis*, dicitur, repræſentat Chriſtum poſt reſurrectionem, ſeu reſurrectionis gaudium, quo tempore ſæpe Chriſtus dicta ſalutatione ad Diſcipulos uſus eſt, ideoque Chriſtum imitando primis diebus hoc dicit: in Miſſis vero, quas aliis diebus, vel temporibus dicit, vel etiam, quæ ab inferioribus dicuntur, Chriſti Paſſio figuratur, & planctus, atque afflictio conformatur, &

Digitized by Google

ideo in illis, *Pax vobis* non dicitur, ne gaudium cum dolore miſceatur.

IV. Poteſt etiam dici, quod idem Durandus ſubjicit, nempe, quod per Chriſtum facta eſt pax inter Deum, & hominem, & inter Angelos, & homines, quod manifeſtavit Angelus, quando in Chriſti Nativitate cantavit: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus*. Pacem vero inter Deum, & homines manifeſtavit Chriſtus, quando poſt reſurrectionem dixit Apoſtolis: *Pax vobis*. Hæc repræſentantur in Miſſa; primum per quemlibet Sacerdotem, qui poteſt cantare, *Gloria in excelſis*, Angelum repræſentans; ſecundum per Epiſcopum, qui ſolus dicit, *Pax vobis*, repræſentans Chriſtum, qui in perſona Eccleſiæ dixit Apoſtolis: *Pax vobis*; utrumque autem dicit Epiſcopus ſolemniter Celebrans, quia utrumque, ſcilicet Chriſtum, & Angelum repræſentat; ipſe enim ſpecialior eſt Chriſti Vicarius, quam ſimplex Sacerdos, ideoque cum omittit officium Angeli, ſcilicet temporibus, quibus Cantica lætitiæ ſubticentur, nempe, *Te Deum laudamus*, & *Gloria in excelſis*, omittit ſimiliter adhuc officium Chriſti, non dicens, *Pax vobis*, ſed *Dominus vobiſcum*, ſicut ſimplex Sacerdos; non enim per Epiſcopum, qui repræſentat Chriſtum, & Angelum una pax ſine altera nuntiatur.

V. Docet hæc Durandus, ex quibus non modo addiſcimus rationem, cur diebus, in quibus *Gloria in excelſis*, non dicitur, nec etiam *Pax vobis* dicitur ab Epiſcopo; verum etiam cur Epiſcopus diebus illis, quibus, *Gloria in excelſis*, in Miſſis recitatur, prima vice, *Pax vobis* dicit, alii vero Sacerdotes ſemper pronuntiant, *Dominus vobiſcum*. Sed forte delicatuli quidam, & qui docti videri volunt irriſione Myſteriorum, quæ in rebus ſacris continentur, myſticas illas explicationes Durandi riſerint; ridendi tamen ſunt ipſi, quum autumant, ſacras Cæremonias, rituſque in divinis Officiis celebrandis caſu fuiſſe a Majoribus noſtris inſtitutos. Scio, non omnia quæ tradidit Durandus probanda, ſed acriter ſemper contendam, non omnia reprobanda; multa enim, quæ ipſe obſervat in ritibus ipſis Catholicæ Eccleſiæ, accepit ſane a Sanctis Patribus, a Summis Pontificibus, & ab eximiis Scriptoribus, qui ante illum floruere. Sed nec tanti facio Criticos noſtri ævi, & ſua ſola opinione nixos, quanti laudatos Auctores antiquos, ac alios ſequentium ſeculorum, qui etiam & ipſi myſticas rationes tradidere; inter eos autem recenſentur Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas, & S. Bonaventura Doctor Seraphicus.

VI. Sed redeamus nunc ad Rubricam noſtri §. ex cujus præſcripto, *Subdiaconus, dum Epiſcopus celebrans cantat ultimam Orationem, depoſita Planeta, accipit Librum Epiſtolarum, & cantata Epiſtola, oſculataque manu Epiſcopi, Planetam reaſſumit*. Quod Diaconus, & Subdiaconus, loco Tunicellæ, & Dalmaticæ, ex antiquo ritu Planetis, ſeu Caſulis ante pectus plicatis uti debeant, in præcedenti Commentario dictum eſt. Illud vero hic nunc advertendum, quod poſt alios docet Rupertus Abbas Tuitienſis Lib. III. *De divinis Officiis*, Cap. II. iis ſcilicet ſacris veſtibus, Caſulis nempe plicatis ante pectus non ſic uti ipſos Miniſtros, Diaconum nempe, & Subdiaconum, *ut in ipſis legant, vel miniſtrent, ſed lecturi, aut miniſtraturi illas exuunt, manifeſte profitentes, illam ſuam non eſſe veſtem, nec propter ſuum Ordinem ſibi debitam, ſed propter Dominicæ, vel alicujus Feſti reverentiam ſe accipere accommodatam, ut inopem, atque indecentem conſolentur expoliationem*.

VII. Quod inquit Rupertus, Caſulas Dianis, & Subdiaconis conceſſas fuiſſe *propter Dominicæ, vel alicujus Feſti reverentiam*, eo reſpexiſſe videntur Rotomagenſes S. Laudi Canonici, præſcribentes, ut *privatis diebus in Albis ſint tempore iſto*, nimirum Adventus. Addunt tum vero: *In Quadrageſima autem Caſulis utantur*; tametſi utriuſque temporis videatur par eſſe ratio, ut ſcite obſervat Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. X. Num. XI. ubi etiam ex Bajocenſi, & Laudunenſi Ordinario ait, in Miſſis, Defunctorum in Albis dumtaxat miniſtrare debere ipſos Diaconum, & Subdiaconum, niſi forte præſens ſit corpus, aut IX. Lectionum celebretur Anniverſarium. Porro ſingularem eſſe inquit Ritum Eccleſiæ Lemovicenſis, in qua Subdiaconus non Caſulam, ſed *Cappam* portat: *quam Cappam*, inquit ejuſdem Eccleſiæ Ordinarium, *deponit, ut legat Epiſtolam; deinde, lecta Epiſtola, reinduit eam*. Diaconus tamen, ut alibi, Caſula utitur, quam ad Evangelium deponit, *& plicat eam, & cingit ſe eadem ad modum Stolæ, & ſic manent induti uſque ad finem Miſſæ*.

VIII. Sunt hi quidem peculiarium Eccleſiarum ritus, nam alias tum Diaconus, tum Subdiaconus utuntur hodie in Eccleſiis tempore Adventus Planetis ante pectus plicatis, in quibus tamen ſumendis, vel deponendis hic ordo ſervari debet. Subdiaconus nempe eam deponit in aliquo loco congruo, & convenienti ad id deputato, adjuvante aliquo Acolytho, vel Cæremoniario, in parte Epiſtolæ, paulo ante quam cantaturus Epiſtolam accipiat Librum Epiſtolarum; cantata autem Epiſtola, oſculataque manu Epiſcopi, & ab eodem benedictione accepta, ac reddito Libro Miniſtro, eam reaſſumat. Cur Subdiaconus Epiſtolam lecturus Caſulam ipſam deponat, jam ſupra nobis rationem expoſuit Rupertus Abbas Tuitienſis, quam alias præter Rupertum docuit Durandus Lib. II. ſui Rationalis, Cap. IX. ubi etiam fuſe de eo ritu agit.

§. IX.

Diaconus ante primum *Alleluja* poſt Graduale, deponit & ipſe ſuam Planetam, quæ convolvitur, vel alia jam convoluta, & complicata ſuper ejus ſiniſtrum humerum

Digitized by Google

merum ponitur, & ſuper ejus brachio, ſtricte cordulis ad id aptatis colligatur, ne decidat, & ſic permanet, quouſque Epiſcopus ſumſerit ſacram Communionem. Tunc reaſſumit planetam ante pectus plicatam, depoſita alia, quæ erat ſuper humerum ſiniſtrum. Cetera omnia fiunt, prout in ſuis explicatum fuit.

COMMENTARIUS.

I. AGunt de hoc ritu in §. præſenti præſcripto ſuperius laudati Gulielmus Durandus, ac Rupertus Abbas Tuitienſis. Concinit autem noſtro huic §. Craſſus Lib. I. *De Cæremoniis Cardinalium &c.* Cap. V. ubi ait, quod quando Diaconus utitur Planeta, cantaturus nempe Euangelium, *vadit prius retro Altare, vel ad angulum Abaci, & ibi exuit Planetam, adjuvante Cæremoniario, & illam Planetam plicatam, vel aliam ad id paratam ponit ſuper humerum ſiniſtrum ſuper Stolam, ſicut eſt Stola.* Ex præſcripto Ordinarii Eccleſiæ Lemoviçenſis, uti jam ſupra notavimus in Commentario præcedenti, Diaconus ubi Euangelium cantaturus ſuam Caſulam deponebat, eam plicabat, & çingebat ſe eadem ad modum Stolæ, & ſic manebat indutus uſque ad finem Miſſæ.

II. Olim quod Planeta totum ſua amplitudine hominem involveret, hinc etiam permanſit uſus, ut in Adventu, Quadrageſima, aliiſque diebus jejuniorum, quibus Miniſtri ex ritu antiquiſſimo utuntur Planetis, complicaretur parte anteriori, ut expediti eſſent ad miniſtrandum; ſicque paulatim introductum eſt, ut Diaçonus, cujus in Miſſa potiſſimum eſt miniſterium, ante Euangelium Planetam exuat, ejuſque loço Stolam latiorem accipiat, quod olim, ut notat Bona Cardinalis Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. XXIV. Num. VIII. in fine, propter earum ejus amplitudinem neceſſarium erat, ut expedite miniſtrarent; nam Romani antiqui Ordines non exui Planetam, ſed elevari mandant: *Et Diaçoni levant Planetas in ſcapulas.* Juxta hodiernum morem Diaçonus antequam accipiat Librum Euangeliorum, Planetam ſuam deponens, aſſumit aliud genus Stolæ latioris; eamque aptat ſuper humerum ſiniſtrum eo modo, quo ſolitam Stolam, vel eandem Planetam plicat in longum, vel convolvit, eandemque aptat decenter, adjutus etiam ab aliquo Miniſtro, ſuper humerum ipſum ſiniſtrum, eo etiam modo quo Stolam, & tunc non eſt opus latiori illa Stola. Reaſſumit vero ſuam Planetam pliçatam poſt Communionem Celebrantis, ut in noſtro hoc §. edicitur, & eſt uſus communis Eccleſiarum.

§. X.

Si vero Epiſcopus non celebret, ſed interſit Miſſæ ſolemni, eadem obſervantur, quæ in Cap. IX. hujus Libri II. de Miſſa ſolemni, quæ coram Epiſcopo celebratur, dicta ſunt.

§. XI.

In tertia Dominica eadem obſervantur, niſi quod paramenta Altaris, & Celebrantis adhiberi ſolent aliquanto ſumtuoſiora, ſed coloris violacei, in defectu roſacei; & Miniſtri, videlicet Diaconus, & Subdiaconus, utuntur Dalmatica, & Tunicella; & idem in quarta Dominica, quando in ea inciderit Vigilia Nativitatis Domini; ſed paramenta ſint coloris abſolute violacei. In Collegiatis pariter idem obſervatur.

COMMENTARIUS.

I. NIhil in §. X. occurrit, quod ſuo loco explicatum non fuerit. Quod autem §. XI. attinet, *in tertia Dominica*, inquit, *eadem obſervantur, niſi quod paramenta Altaris, & Celebrantis adhiberi ſolent aliquanto ſumtuoſiora, ſed coloris violacei, in defectu roſacei.* Poſtrema verba, *in defectu roſacei*, deſiderantur quidem in antiquis Cæremonialibus, utpote quæ addita fuere huic §. in novo hoc noſtro Cæremoniali. Miniſtros, Diaconum videlicet, & Subdiaconum in ipſa tertia Adventus Dominica, uti debere Dalmatica, & Tunicella violaceis, edicit non modo hujus §. ſed & Miſſalis Rubrica, ac Cæremoniale Capellæ Pontificiæ Auctore Patricio Lib. II. Sectione I. Cap. VI. quia ſcilicet Dominica ipſa tertia Adventus plena eſt lætitiæ, & gaudii, unde Introitus Miſſæ incipit, *Gaudete &c.* eamque ob cauſam pulſari Organa ſolent, quæ alias in Adventu, cum ſcilicet de eo Officio ſit, pulſari minime poſſint, uti jam ſupra Lib. I. Cap. XXVIII. oſtendimus in Commentario ad §. II.

II. In quarta quoque Dominica Adventus, *quando in ea inciderit Vigilia Nativitatis Domini*, ex ejuſdem §. noſtri præſcripto Diaconus, & Subdiaconus utuntur Dalmatica, & Tunicella, quæ etiam debent eſſe, ſicut & cetera paramenta, *coloris abſolute violacei*, non ſcilicet in defectu coloris

Digitized by Google

loris roſacei, qui ſolum permittitur in Dominica III. Adventus, ut §. noſter nos docet, ideoque ubi loquitur de quarta Dominica Adventus, in qua, uti dictum eſt, Dalmatica, & Tunicella a Diacono, & Subdiacono adhibentur in Miſſa, ſi ſcilicet in ipſam Dominicam *inciderit Vigilia Nativitatis Domini*, eam clauſulam addidit: *Sed paramenta ſint coloris abſolute viclacei*, Porro etiam in Capella Pontificia, *ſi Vigilia Nativitatis Chriſti in Dominica venerit, Miniſtri utuntur Tunicella, & Dalmatica*, violacei ſcilicet coloris, teſte in ſuo Cæremoniali Patricio, Cap. VIII.

CAP. XIV.

Miſſæ ſolemnis celebrandæ uſus in Vigilia Nativitatis Domini, ſi occurrat in Dominica. Veſperæ ſolemnes ſtatis horis ea die peragendæ. Præparanda pro Matutinis, & Miſſa in nocte Nativitatis. Matutinum quomodo celebrandum. Epiſcopus quando, & a quibus accipiet Sandalia. Nonam lectionem cantat. Ubi induatur paramentis Miſſalibus, & Matutinum perficiat. Quid in Miſſa de nocte cantanda obſervare debeat.

§. I.

In die Vigiliæ Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ſive venerit in Dominica, ſive alio die, celebrari ſolet Miſſa ſolemnis in paramentis violaceis, juxta regulas in præcedenti Capite de Dominicis Adventus traditas, hoc tantum excepto, quod Diaconus, & Subdiaconus utuntur Dalmatica, & Tunicella, prout in tertia Dominica Adventus.

COMMENTARIUS.

I. PIa æque, ac vetus eſt illa Eccleſiæ conſuetudo, ut præcipuas Solemnitates, Sanctorumque Feſtivitates Vigiliis, ac jejuniis præveniret; teſtemque pervetuſti ejus ritus habemus S. Paulinum, qui in Natali VII. de S. Felice ita quidem cecinit.

Noſtis eum morem, quo jejunare ſolemus
Ante diem, & ſero libatis veſpere ſacris,
Quiſque ſuas remeare domos. Tunc ergo ſolutis
Cœtibus a Templo Domini, poſtquam data feſſis
Corporibus requies ſumta dape cœpimus Hymnis
Exultare Deo, & Pſalmis producere noctem.

Hinc aperte conſtat, jejunium iſtud jam longe ante S. Paulinum, qui alias floruit IV. Chriſti Seculo, uſu receptum fuiſſe die, quæ feſtum præcedebat: *Noſtis eum morem*, inquit, *ut jejunare ſolemus ante diem*. Perducebat vero jejunium ad horam uſque Veſperarum; celebratoque Officio, quiſque in domum ſuam abibat, ubi ſumto cibo, aliquanto tempore quieſcebant, atque inde in Eccleſiam ad Officium reliquo noctis tempore cantandum redibant. Hic enim eſt ritus, quem nobis in recitatis verſibus Sanctus Paulinus tradit, præveniendi ſcilicet ſacras ſolemnitates cum jejunio, & Vigilia.

II. Inter præcipuas vero celebritates, quas Majores noſtri tum in Oriente, tum in Occidente jejunio ipſo, ac Vigilia prævenire conſueverunt, primum fere ſemper locum obtinuit Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti. Id enim conſtat ex S. Auguſtino, qui in Epiſtola ſua LXV. novæ editionis ad Xantippum, jejunium iſtud tanquam univerſale proponit, atque inter cæteros lapſus, propter quos Presbyterum quendam Diœceſis ſuæ depoſitione dignum eſſe cenſebat, illum numerat, quod in Natalis Domini Vigilia non jejunaſſet: *Confeſſus eſt diei jejunii Natalis Domini, quo Eccleſia Gippitana, ſicut ceteræ, jejunabat, prandiſſe, & cœnaſſe..... Ego..... removendum ab officio Presbyteri arbitratus ſum*. Quod morem Orientis ſpectat, ex Epiſtola X. Theophili Alexandrini Epiſcopi addiſcimus, quod cum Vigilia iſta in diem Dominicam incidiſſet, qua Canones jejunare vetant, neque jejunium in diem ipſam Dominicam incidens in anteceſſum præverti poſſet, quod in Oriente Sabbato quoque jejunare non liceret, Theophylus, ut adverſas iſtas leges conciliaret, permiſit jejunium Vigiliæ ſolvi aliquos tantum dactylos comedendo: *Ut paucos dactylos ſumentes, ſimul & hæreſes vitemus, quæ Chriſti reſurrectionem non honorant, & diei jejunii, quod debetur, reddamus*. Porro quod hæretici complures Chriſtum non crederent reſurrexiſſe, ideo in ſignum mœroris, die Dominica jejunabant. Sed de his vide quæ diximus nos Tomo I. noſtro Conciliorum in Canonem XX. Concilii I. Nicæni.

III. Sed ut de Vigilia ipſa, & jejunio Feſtum Natalis Dominici prævenientibus alia quædam notemus, S. Petrus Damiani in Regula, quam Eremitis quibuſdam præſcribit, eiſdem permittit, ut integrum in dicta Vigilia Natalis, ac etiam Paſchatis panem comedant, quo vires ad Officii prolixitatem tolerandam ſumant; illos autem valde improbat, qui longitudinem cantus hujus noctis prætexentes, collationes faciebant, & liquores bibebant: quod ipſe tamen demonſtrat adverſum eſſe hujus diei jejunio, quod magis exacte, & regulariter ſervandum eſſet, neque collationibus iſtis violandum, & Feſti ſanctitati, quod ita dehoneſtatur, & profanatur. Sane idem Damianus in Opuſculo ſuo XIV. die iſta pro veſpertino

Digitized by Google

tino cibo (non enim mane vescebantur) permittit dumtaxat, Eremitas illos panę uti, atque herbas, sive legumina oleo præparare, ut vires sumere possent ad longitudinem cantus, & Officii nocturni sustinendam: *Ut labor*, inquit, *Ecclesiastici relevetur officii*. Hodię tametsi prandeamus, ex recepta, ac probata consuetudine in jejunio Vigiliæ Nativitatis Dominicæ pro collatione serotina, quantitatem cibi in aliis jejuniis permissam duplicare solemus; in quem morem varias quæstiones legere est apud Theologos, quos Casuistas vocant. Illud hic ego minime omiserim cautum olim ex Ordine IX. Romano fuisse, ut si Vigilia Natalis Domini in Sabbatum quatuor temporum incidisset, tunc jejunium ipsius Vigiliæ in Sabbato antecedentis hebdomadæ celebraretur.

IV. Circa Officium hujus Vigiliæ varia lectu digna notant Grançolas in Breviarium Romanum, Cap. XIII. & Martenius, *De antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis Officiis*, Cap. XI. ut omittam Durandum, aliosque vetustiores Scriptores, qui & de Officio hujus diei scripsere. Quantum ad Missam, *in die vigiliæ Nativitatis Domini nostri Jesu Christi*, ait §. noster, *si venerit in Dominica, sive alio die, celebrari solet Missa solemnis in paramentis violaceis, juxta regulas in præcedenti Capite de Dominicis Adventus traditas, hoc tantum excepto, quod Diaconus, & Subdiaconus, utuntur Dalmatica, & Tunicella, prout in tertia Dominica Adventus.* Concinit nostro huic §. Missale vetus S. Audoeni præscribens, ut *Diaconus, & Subdiaconus, & ille, qui legit Prophetiam, contra consuetudinem Adventus induantur Dalmatica, & Tunica*. Fuit hic ritus in omnibus pene Ecclesiis jam olim usitatus, præsertim vero Monachorum, ut infra in hoc Commentario demonstrabimus ex variis variorum Monasteriorum Consuetudinibus.

V. Plures olim dictas fuisse in hac Missa Prophetias non obscure innuit Ordinarium Cabilonense, dum inquit: *Ad Missam Prophetiæ in Albis leguntur & a Clericis*. In Ecclesia Mediolanensi præter Epistolam, & Euangelium quatuor recitantur Lectiones, sequiturque Responsorium, seu Graduale cum Collecta. Lectiones autem in Missali Ambrosiano istæ habentur. Ex Libro Geneseos: *Factus est sermo Domini ad Abram dicens, Noli timere &c.* usque *qui tollens universa hæc fecit sicut præceperat ei Dominus*. Ex Libro Judicum: *Erat vir quidam de Saraa de stirpe Dan &c.* usque *exaudivitque Dominus precantem Manue*. Ex Libro Regum: *Tristis erat anna &c.* usque *det tibi petitionem, quam rogasti eum*. Ex Isaia: *Adjecit Dominus loqui ad Achaz dicens: pete tibi signum, &c.* usque *coram Rege Assyriorum*.

VI. Tradit hæc laudatus Martenius Numero VI. additque, in quibusdam antiquis Missalibus Ecclesiæ Gallicanæ in ipsa Vigilia Nativitatis Christi, ante Epistolam præmitti unicam Prophetiam, eumque usum fuisse Ecclesiæ Viennensis, Argentinæ, Parisiensis, Ebrodunensis, Bituricensis, Pictavensis, Venetensis, Glaudatensis, Melodunensis, Rotomagensis sancti Audoeni, & in Italia, sive in nostra Calabria citeriori, Consentinæ. Forte ad hasce Ecclesias alluśit Durandus, cum in suo Rationali Libro VI. Cap. XII. Num. III. ait, quasdam Ecclesias in ipsa Missa, *ad hoc, ut incredulis major certitudo sit*, præmittere Prophetiam Isaiæ, Cap. XLIV. *Propter Sion &c.* in qua ostenditur, ipsum fore nasciturum, Filium scilicet Dei. Hodie nulla in Vigilia occurrit Prophetia, estque is ritus, quem omnes fere Ecclesiæ olim servarunt, nonnullis exceptis superius memoratis.

VII. Quamvis denique in Missali Mozarabum nulla hac die notetur Missa, ex laudato tamen Missali Romano hujus Vigiliæ Missa eo magis peculiaris est, quod in tribus Festi Nativitatis Missis minime comprehenditur, estque ab Officio, & Missa noctis Natalis sejuncta; atque in omnibus Sacramentariis etiam Gelasii statutum est, eam ad Nonam celebrandam esse, velut minorum jejuniorum diebus: *Ad Missam hora nona*. Apud Monachos duplex fuit in Vigilia Nativitatis Domini Missa, matutinalis, & major. Missæ majoris ritus breviter describit Lanfrancus in Statutis suis, Cap. I. §. II. his verbis: *Post Sextam facto intervallo, pulsetur signum; conveniant Fratres in Ecclesiam, orationem communiter faciant, Letania minime dicatur, Induantur Missam celebraturi, Sacerdos honorifice, Levita Dalmatica, duo Subdiaconi Tunicis, unus ad Prophetiam, & alter ad Epistolam, duo in Albis ad* ℟. *Cantor hebdomadarius Cappa; ad Chorum tres Conversi, unus ad thuribulum, duo ad candelabra; pulsetur classicum; ad Canonem supra formas prosternantur*.

VIII. Celebratam fuisse festive Missam ipsam Vigiliæ Natalis, docent nos etiam Consuetudines Dionysianæ, allatæ a Martenio Libro III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. III. Numero XIV. ubi ita inquiunt: *Ad Missam ejusdem diei sonet classicum, & sint omnes in Albis, Ministri Altaris festivis induantur infulis, duo procedentes sint cum Diacono. Qui tenet Chorum, habeat albam Cappam, & incipiet festive Officium*. Hodie scietis, Kyrie *festive* . . . ℟. Hodie scietis, *a duobus; & si Dominica fuerit, dicatur*, Alleluja, Crastina die delebitur, *a tribus*. His concinunt Consuetudines Compendienses his verbis: *Ad Missam sonet classicum, & sint omnes in Albis, Abbas Missam cantabit, unus ex Cantoribus festiva Cappa induatur: Ministri Altaris festivis infulis induantur. Officium*, Hodie scietis, *ter dicatur*. ℟. *a duobus cantetur*. Consuetudines Lyræ, & Liber usuum Beccensium de Missa hæc inquiunt: *Ad majorem Missam Tunicis induentur ad Epistolam, & Prophetiam, & Diaconus Dalmatica*. Udalricus tandem, *Major Missa*, inquit, *solemniter celebratur, Subdiaconis indutis Tunica, Diacono Dalmatica, qui tenet Chorum, Cappa, vel qui Gradualem cantant*. Ex quibus omnibus ritus ille magis magisque probatur, ut nimirum in Missa ipsa Vigiliæ Natalis Diaconus Dalmatica, & Subdiaconus Tunicella utantur. Id quod §. noster præscribit.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Hora Veſperarum cantantur Veſperæ ſolemnes, pariter ſecundum regulas ſuperius in Cap. 1. hujus Lib. II. & ſequenti de Veſperis poſitas.

COMMENTARIUS.

I. QUanta cum ſolemnitate Veſperæ Nativitatis Dominicæ Romæ in Capella Pontificia celebrarentur, ſatis nos docent Romani antiqui Ordines, ac præſertim XIV. Auctore Jacobo Gaetano, & XV. Petro Amelio Auctore, tum vero demum Cæremoniale Auguſtini Patricii, Lib. II. Sectione I. Cap. IX. ubi fuſe ritus ipſe enarratur. Quantum ad ipſarum Veſperarum Officium, quidquid ſit de vario variarum Eccleſiarum ritu, quem recenſent laudati ſuperius, Martene, & Grancolas, in Ordine Romano Amelii, qui ad XIV. Seculum pertinet, videre eſt Antiphonam, quam hodieque dicimus, *Rex pacifice*, & Hymnum, *Chriſte Redemtor*, qui vulgo S. Ambroſio tribuitur, licet ejus ſtylum non ſapere videatur; habet enim, uti obſervat memoratus Grancolas, nonnihil ſuavius, atque ad animi motus excitandos aptius, quam hujus ſancti Doctoris Hymni habere ſoleant. Sed hæc opinio multis non placet.

§. III.

Nocte ſequenti, hora competenti, prout ab Epiſcopo fuerit præordinatum, celebrantur Matutinæ, prout in Cap. v. ejuſdem Lib. II. de Matutinis dictum fuit. Hæc tamen particularius in his Matutinis obſervanda erunt. Primo ultra luminaria ſolita Altaris, & abaci, præparanda erunt ſex, vel octo funalia ceræ albæ, vel quot erunt neceſſaria pro conſuetudine, & diſpoſitione loci ad illuminandum Chorum, & Tribunam, ſeu Presbyterium, quæ ſuper totidem candelabris ferreis magnis, ſpatiis æqualibus inter ſe diſtantibus, collocabuntur; præparabuntur etiam aliquot parvæ candelæ albæ pro Epiſcopo, & Canonicis cantaturis Lectiones.

§. IV.

Super aliqua menſa ſeparata ab Abaco collocari poterunt paramenta omnia pro Epiſcopo Miſſam celebraturo, & Pluviale album pulcrius pro eodem, cantaturo Orationem in fine Nocturnorum. Sed ſi Epiſcopus non erit celebraturus primam Miſſam, non erunt ibi præparanda Miſſalia indumenta, ſed tantum Pluviale, nam alius celebraturus Miſſam, ſive Prælatus, ſive Canonicus, capiet paramenta in Sacriſtia una cum ſuis Miniſtris; ſed celebraturo Epiſcopo, ipſi Miniſtri, ideſt, Diaconus, & Subdiaconus utique in Sacriſtia parari poterunt, Presbyter autem aſſiſtens in loco ſuo una cum ceteris Canonicis in Choro.

COMMENTARIUS.

I. INter majores Eccleſiæ celebritates ſuum ſemper habuit locum ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio ſacratiſſimum Natalis Chriſti Feſtum; licet in Oriente non omnes Eccleſiæ eodem, ſtatoque die nati Servatoris Solemnia prioribus ſeculis peragerent. S. Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromatum, fuiſſe ait nonnullos qui die XXV. menſis, qui *Pachon* dicitur, ideſt XV. Maji, Chriſtum natum aſſererent, alios vero qui ejuſdem nativitatem die XXIV. vel XXV. menſis *Pharmuthi*, nempe, Aprilis conſignarent: *Sunt autem, qui curioſius Natali Domini non ſolum annum, ſed etiam diem addunt, quem dicunt in* XXV. *τῷ κϛ*. Et mox addit: *Quin etiam dicunt ex iis aliqui, eum natum eſſe* XXIV. *vel* XXV. *Pharmuthi.*

II. Scite autem obſervat Thomaſſinus Lib. II. *De dierum feſtorum celebratione*, Cap. VI. abſonas profecto eſſe haſce ſententias, & rejectas propter opinionem S. Ephiphanii, qui Hæreſi LI. cenſet natum eſſe Servatorem noſtrum undecimo die menſis Tybi, ſeu poſtridie Nonas Januarias, quum nempe Latina Eccleſia Epiphaniæ Solemnia peragit: *Quum enim Januario menſe natus eſſet* VIII. *Idus Januarii, qui eſt apud Romanos Januarii dies* VI. *Ægyptiis porro Tybi* XI. Idem adnotavit Caſſianus, quum in ſua Collatione X. Capite II. ait, apud Latinos alium eſſe Nativitatis Chriſti diem, alium Baptiſmi; ſed ex veteri Ægypti

Digitized by Google

pti consuetudine celebrari simul eodem die Nativitatem, Epiphaniam, Baptismum: *Intra Ægypti regionem mos iste antiqua traditione servatur, ut peracta Epiphaniorum die, quam Provinciæ illius Sacerdotes, vel Dominici Baptismi, vel secundum carnem Nativitatis esse definiunt, & idcirco utriusque sacramenti Nativitatem non bifarie, ut sub occiduis Provinciis, sed sub una die hujus Festivitatem celebrant.*

III. Teste S. Augustino in Psalmum CXXXII. jam olim Latina Ecclesia tum Christi Nativitatem, tum ejus Solemnia VIII. Calendas Januarii consignavit: *Joannes*, inquit, *natus est, sicut tradit Ecclesia, octavo Calendas Julias, cum jam incipiunt minui dies; Dominus autem natus est octavo Calendas Januarias, quando jam incipiunt dies crescere.* Idipsum repetit Sermone CCCLXXX. & Lib. IV. *De Civitate Dei*, Cap. V. ubi ita ait: *Octavo Calendas Aprilis conceptus creditur, quo & passus est. Natus autem traditur octavo Calendas Januarias. Ab illo die usque ad istum computati ducenti septuaginta & sex reperiuntur dies qui senarium numerum quadragies sexies habent: quo numero annorum Templum ædificatum est, quia eo numero senariorum Corpus Domini perfectum est.* Ubi nota, Latinam Ecclesiam traditione nonnisi innixam, octavo Calendas Januarias, idest, die XXV. Decembris, Augustini ævo, idest, IV. Seculo, Christi Nativitatem celebrare consuevisse, iis enim verbis utitur Augustinus, *Tradit Ecclesia*, & *Creditur*.

IV. Disciplinæ Ecclesiæ Occidentalis testis inter alios egregius est S. Joannes Chrysostomus, quippe qui Sermone XXXI. qui Tomo ejus V. legitur, Concionem habens ad populum Antiochenum, ait, a decem dumtaxat annis Natalis festum die XXV. Decembris in Oriente celebrari cœpisse, cum e contra in Occidentali Ecclesia omnibus retro seculis ea die celebratum fuerit: *Et quidem nondum decimus annus est, ex quo hic ipse dies manifeste nobis innotuit; attamen perinde ac si jam olim traditus esset, ita opera vestra celebratus inclaruit.* Et paulo post: *Non aliter hic dies quum ab exordio iis qui in Occidente habitant cognitus fuerit; nunc ad nos demum non ante multos annos transmissus, repente ita increvit, talemque tulit fructum, qualem nunc cernere licet, septis nostris ubique refertis, Temploque universo præ multitudine concurrentium angustato &c.*

V. Fatebantur autem Græci, nova quidem esse hujusmodi Solemnia in uno Oriente, vetustissima vero a Thracia ad Fretum usque Gaditanum: *Multus ubique de hoc die sermo, partim incusantium, quod novus sit, partim eundem propugnantium, tanquam antiquum admodum, & vetustum, quum & olim Nativitatem ejus Prophetæ prædixerint, & jam inde a primordio ab ipsa Thracia Gades usque incolentibus manifestus, & celebris fuerit.* Sed contendit præterea Chrysostomus, Romanam Ecclesiam certius Natalem Jesu Christi diem rescire potuisse, ob descriptionem scilicet illam Judææ, Cyrino Præside, & Augusto Imperatore, cujus monumenta maxima cura in Urbe servabantur: *Ex his liquet, descriptionis primæ tempore natum esse. Et cui veteres historiarum Codices, qui Romæ publice adservantur, lectitare libeat, perfacile etiam tempus hujusce descriptionis accurate discere potuerit.*

VI. Neque vero omittenda quæ mox idem S. Doctor subjungit, nempe Ritum celebrandi Festum Natalis Christi die XXV. Decembris, antiqua traditione Romanis notum, ab illis tandem transmissum fuisse ad Ecclesiam universam Orientis: *Ausculta, neque diffidas, si ab illis, qui exactam hujus rei cognitionem habent, quique illam Urbem inhabitant, hunc diem accepimus. Nam illi ipsi, qui illinc commorantur, multo ante, & ex antiqua traditione ipsum celebrantes ad nos usque illius notitiam nunc transmiserunt.* Multa in recitata hucusque Chrysostomi verba notat, ac docet loco citato eruditissimus Thomassinus, ex eoque Martenius, Grancolas, aliique docti Scriptores; qui omnes fatentur, sensim Orientis Ecclesiam Romanæ accessisse circa celebrationem Festi Natalis Christi die XXV. Decembris.

VII. Ergo tum apud Latinos, tum apud Græcos celebrari solitum fuit Festum ipsum Nativitatis Dominicæ una eademque die XXV. Decembris; quanta vero cum religione apud primos, vel inde apparet, quod Clericis olim præceptum erat, ne eo instante Festo ab Ecclesiis abessent: *Si quis in Clero constitutus*, ait Synodus Agathensis anni DVI. Can. LIV. *ab Ecclesia sua diebus solemnibus abfuerit, ideſt, Nativitate, Epiphania, Pascha, vel Pentecoste, dum potius secularibus lucris studet, quam servitio Dei paret, convenit, ut triennio a communione suspendatur*, Laicos quoque, qui in ipsis Solemnitatibus majoribus ad Civitatem non accurrerent, triennio ab Ecclesiastica communione privandos statuit eadem Synodus Can. LXIII. *Ut cives*, inquit, *qui superiorum solemnitatum, ideſt, Paschæ, ac Natalis Domini, vel Pentecostes Festivitatibus cum Episcopis interesse neglexerint, cum in Civitatibus communionis, vel benedictionis accipiendæ causa positos se nosse debeant, triennio a communione priventur Ecclesiæ.*

VIII. Ritus, quibus olim Officium nocturnum Nativitatis celebrabatur, varii pro Regionum pietate fuere, longumque esset eos recensere. Ad Romanam Ecclesiam quod attinet, duplex jam ipsa celebrabat Officium Nocturnum, seu Matutinum. Primum in ipso noctis crepusculo sine Invitatorio, quo expleto Summus Pontifex Missam primam ad Præsepe Domini celebrabat, qua finita ad S. Anastasiam pergebat, secundam in nocte Missam cantaturus; deinde ad S. Petri Ecclesiam se conferebat, Matutinum denuo celebraturus. Hæc sane docent memorati Auctores Martenius, & Grancolas ex antiquis Romanis Ordinibus; at aliter tradunt Alcuinus in Libro, *De divinis Officiis*, & Amalarius in Libro, *De ordine Antiphonarii*, Cap. XV. de Nativitate Domini, ubi testatur, in veteri Romano Antiphonario a se reperta fuisse duo illa Officia, interrogatumque Clericum quendam educatum ab incunabulis

Digitized by Google

bulis in ſancta Romana Eccleſia, cur eſſent hæc duo Officia in una nocte poſita? ita reſpondiſſe: *Primum ſolet Apoſtolicus canere in Vigiliis, & in Eccleſia S. Mariæ ad Præſepe ſine Invitatorio. Alterum ſolent Clerici canere in Eccleſia S. Petri cum Invitatorio Nocturnali tempore, quando populus ſolet ad Officium ſurgere.*

IX. Conſtat Officium ipſum Matutinum novem Antiphonis, totidemque Pſalmis, ac Lectionibus cum ſuis Reſponſoriis, præmittiturque juxta antiquum ritum, *Domine labia mea &c.* Invitatorium, *Chriſtus natus eſt &c.* & Hymnus, *Jeſu Redemtor omnium*. Ex ms. Ordinario Eccleſiæ Narbonenſis Invitatorium cantari debet *ante Altare a duodecim tenentibus Cappas rubeas, & Mitras in capite, & virgas pictas, ſive bordonos in manibus cum candela accenſa in quolibet*; ita ſcilicet, ut *ſex cantent tres primos verſus ſummiſſa voce, & alios tres alii ſex alta voce*. Ex Ordinario vero Lingonenſi, Invitatorium ipſum cum Pſalmo, *Venite exultemus &c.* præcini debet a quatuor Canonicis alternatim, ſcilicet, Decano, Theſaurario, aut alia Dignitate, & a Choriſta hebdomadario, binis unum verſum, & binis alterum decantantibus. Uticenſe, ſeu Uceticenſe Ordinarium, ut alia omittam, præſcribit, ut finito a quatuor Cantoribus Invitatorio, *proſternant ſe in terra in memoriam Dominicæ Incarnationis, & proſtrati adorent, donec Chorus flexis genibus dictum Invitatorium repetierit.*

X. Juxta antiquum morem, quem hodieque obſervant variæ Eccleſiæ, media nocte incipiebat Officium, ob illam ſcilicet opinionem, quam alias docti Viri tuentur, Chriſtum ſcilicet media nocte ex intemeratæ Virginis utero prodiiſſe in lucem. Ex noſtro §. III. *nocte ſequenti*, ideſt Vigiliam, ſive diem XXIV. Decembris, *hora competenti, prout ab Epiſcopo fuerit præordinatum, celebrantur Matutinæ*; ideſt, hora ab Epiſcopo præordinata, & juxta ritum, *prout in Capite v. ejuſdem Libri II. de Matutinis dictum fuit*; particularius tamen hæc in hiſce Matutinis obſervanda mandat; nam, *primo*, inquit, *ultra luminaria ſolita Altaris, & Abaci, præparanda erunt ſex, vel octo funalia ceræ albæ, vel quot erunt neceſſaria pro conſuetudine, & diſpoſitione loci ad illuminandum Chorum, & Tribunam, ſcu Presbyterium, quæ ſuper totidem candelabris ferreis magnis, ſpatiis æqualibus inter ſe diſtantibus, collocabuntur*. Et mox: *Præparabuntur etiam aliquot parvæ candelæ albæ pro Epiſcopo, & Canonicis Cantaturis Lectiones.*

XI. Quæ paæparari debent pro Matutinis in nocte Natalis Chriſti ſimul cum prima Miſſa celebrandis, enarrat in ſuo Cæremoniali Craſſus Libro II. Cap. XXXVII. ubi inter alia ſic inquit: *Ponetur etiam in medio Chori ante aditum ad Altare, ideſt, in veſtibulo pulpitum*, nempe, legile, *omnino nudum, ac diſcoopertum, & ſuper eo nudus Liber Lectionum*. Tum de candelabris cum cereis ad illuminandum Chorum diſſerens, ita ſubjicit: *In ipſo Choro ponentur quinque funalia ceræ albæ in quinque magnis candelabris, videlicet, quatuor in quatuor ſpatiis Chori æqualiter diſtantibus, & unum ſimile candelabrum cum ſimili funali apud, & poſt pulpitum Libri Lectionum, vel plura, ut placebit Domino*. Ait præterea, intra Tribunam quoque ponenda eſſe ad minus quatuor ſimilia funalia, videlicet duo in latere Euangelii, & duo alia in latere Epiſtolæ, aut plura, tenenda æqualibus diſtantiis a Scutiferis Epiſcopi, ſeipſos per vices mutantibus. Loquitur de ritu Eccleſiæ Bononienſis, ubi Epiſcopus ex more antiquo ſolet eſſe aliquis S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ideoque noſtro §. concinens mox ita addit: *Habebunturque aliquæ parvæ candelæ manuales pro Cardinali, & Canonicis cantaturis Lectiones.*

XII. Obſervat Durandus in ſuo Rationali Lib. VI. Cap. XIII. ubi enarrat Officium Natalis Domini, ſuo ævo, ideſt Seculo XIII. quo ipſe floruit, in quibuſdam locis ante Nocturnos præparari, ac poni ſuper Altare conſueviſſe tres pannos, & in ſingulis Nocturnis amoveri: *Primus*, inquit, *niger pro tempore ante Legem*; *ſecundus albus pro tempore revelationis*; *tertius rubeus pro tempore gratiæ propter dilectionem ſponſæ candidæ, & rubicundæ*. Ejuſdem moris jam ante Durandum meminit in ſua Divinorum Officiorum Explicatione Belethus, Cap. LXIX. Sic enim ait: *Ante primos Nocturnos pannos ſuper Altare poni conſuetum eſt, ad declarationem trium temporum, ſinguliſque Nocturnis unum auferri. Et primus quidem niger erat pro tempore ante Legem; ſecundus ſubcandidus pro tempore revelationis; & tertius ruber pro tempore gratiæ propter dilectum ſponſum candidum, & rubicundum*. Alio modo factam ad ſingulos Nocturnos hujuſmodi colorum mutationem in Eccleſia Narbonenſi, docet ejus ms. Ordinarium, ex cujus præſcripto in primo Nocturno debet adhiberi color rubeus, in ſecundo albus, in tertio violaceus. Ceterum addit in ſuo Rationali Durandus, quod in quibuſdam quoque Eccleſiis ſuſpendebantur *boni panni, in quibuſdam viles, in quibuſdam nulli*.

XIII. Ex præſcripto noſtri §. IV. *ſuper aliqua menſa ſeparata ab Abaco collocari poterunt paramenta omnia pro Epiſcopo Miſſam celebraturo, & Pluviale album pulcrius pro eodem cantaturo Orationem in fine Nocturnorum*, ideſt, poſt cantatum Hymnum, *Te Deum &c.* Tradit hæc eadem Craſſus in ſuo Cæremoniali, loco citato, ſed modo aliquantum diverſo, ſic inquiens: *Super Altari nulla erunt paramenta pro eodem*, ideſt, Epiſcopo, *celebraturo, nec pro Miniſtris, ſed aut ſuper Abaco, aut, quod melius erit, ſuper aliqua menſa remiſſiori poſt Altare locata, ponentur ipſa paramenta omnia, uſque ad unum pro Cardinale, & etiam parabitur Pluviale pretioſum pro eodem cantaturo Orationem in fine Nocturnorum*, nempe, poſt cantatum ipſum Hymnum, *Te Deum laudamus*, uti jam paulo ſuperius notatum fuit. Ex Ordine Romano XV. Auctore Amelio, Cap. VIII. paramenta pro Papa Miſſam ſolemnem in nocte celebraturo parabantur, quidem non ſuper aliqua menſa, ſed ſuper Altari

Digitized by Google

tari ipso certo quodam ordine disposito, quem referemus infra in Commentario ad §. IX. Porro, *si Episcopus*, ut ait noster idem §. *non erit celebraturus primam Missam, non erunt ibi præparanda Missalia indumenta, sed tantum Pluviale; nam alius celebraturus Missam, sive Prælatus, sive Canonicus, capiet paramenta in Sacristia una cum suis Ministris.*

XIV. Rursus celebraturo Episcopo, ipsi Ministri, ait noster §. *idest, Diaconus, & Subdiaconus utique in Sacristia parari poterunt, Presbyter autem assistens cum ceteris Canonicis in Choro.* Verbum *in Choro*, additum est huic §. in novo Cæremoniali, non enim legitur in Cæremonialibus antiquis. Sed recte facta est ea additio majoris explicationis gratia nostri hujus §. ubi illud a nobis insuper non omittendum, Episcopum nonnisi cum Cappa celebrare Matutinum, Pluviali vero tunc demum indui, cum cantaturus est Orationem post Hymnum, *Te Deum &c.* Notandum præterea & illud est, celebraturo Matutinum ipsum Episcopo nullos Canonicos assistere, sed solos ejus Capellanos Cottis indutos, ut ait Crassus; estque hic ritus Pontificiæ Capellæ, quem tradit in Romano Ordine XV. Petrus Amelius, Cap. VII. *Nec stant*, inquit, *ante ipsum Pontificem, nec ad latera Cardinales Diaconi, sed sedent in scamnis suis juxta ordinem suum.* Sed vide Cæremoniale Patricii Libro II. Sectione I. Cap. X. ubi ad minutias usque ritum enarrat, quo Matutinum noctis Nativitatis Christi Papa præsente celebratur.

§. V.

Item Celebraturo primam Missam Episcopo, præintonatur Hymnus, *Jesu Redemtor omnium &c.* quem dum Episcopus repetit, elevat, & jungit manus, caput versus Altare inclinans, ob reverentiam divinæ invocationis.

§. VI.

Cæremoniarius quoties ducit aliquem Canonicum ante pulpitum, seu legile nudum, ubi cantare debet Lectionem, gerat manibus parvam candelam, nec ab ipso legili longius discedat, donec cujusque Nocturni Lectiones recitatæ fuerint.

COMMENTARIUS.

I. FInito Invitatorio, quo ritu intonandus sit ab Episcopo Hymnus, *Jesu Redemtor omnium*, docet non modo Rubrica nostri v. §. sed & in suo Cæremoniali Crassus Libro II. Cap. XXXVII. ubi postquam dixit præintonandum esse Episcopo ipsum Hymnum, ita mox subjicit: *pro quo tamen intonando, advertat, ut dum ipsum cantat, faciat manibus, sicut facit, quando in Præfatione cantat*, Gratias agamus Domino Deo nostro, *& hoc propter reverentiam appellationis divinæ*. Quantum ad ritum a Cæremoniario servandum, quoties ducit aliquem Canonicum ante pulpitum, seu legile nudum, ubi cantare Canonicus ipse lectionem debet, cautum est ex nostro §. VI. ut ipse Cæremoniarius *gerat manibus parvam candelam, nec ab ipso legili longius discedat, donec cujusque Nocturni Lectiones recitatæ fuerint.*

II. Qui ritus tum a Cæremoniario Canonicos ducente ad legile, tum a Canonicis Lectiones cantantibus, tum ab Episcopo Absolutionem dicturo, ac daturo benedictionem, servandi sint in ipso Matutino noctis Nativitatis Dominicæ, fuse enarrat memoratus Crassus, ubi insignis Ecclesiæ Bononiensis Cæremonias præsertim exponit, in qua Episcopus ex antiquo instituto est Cardinalis, & Legatus divinis Officiis assistere solet: *Lectiones octo*, inquit, *per totidem Canonicos super hoc admonitos, & instructos, sed inchoando a junioribus, & ultima per ipsummet Cardinalem cantabuntur, cum disciplina Cæremoniali subsequenti.*

III. Docente itaque hanc disciplinam Crassus, post finem trium Psalmorum primi Nocturni, cum cantatur Versiculus, primo Cæremoniarius portans secum unam ex parvis candelam accensam, vadit ad Librum Lectionum, & invenit textum primæ Lectionis, ibique candelam prædictam sic accensam ad pulpitum applicat; cum autem dicitur Responsorium prædicti Versiculi, Canonicus cantaturus Lectionem vocatus a Cæremoniario accedit ad pulpitum, ubi facta reverentia primo Altari, deinde Legato, tum Cardinali, se firmet, & eodem contextu Cardinalis surgit, surgentibus omnibus, qui stans detecto capite, vel semitecto versus ad Altare, alte cantat, *Pater noster*. Interim unus Capellanus Librum apertum ante faciem Cardinalis tenet, ex quo ipse in fine eadem voce prosequitur, vel si memoriter confidat se dicturum, tunc sine Libro cantans, *Et ne nos &c.* Deinde similiter stans cantat Absolutionem, videlicet, *Exaudi Domine &c.* & responso per Chorum, *Amen*, Canonicus cantaturus Lectionem, detecto capite, ibidem apud pulpitum conversus ad Cardinalem humiliatus, inclinatusque petit ejus benedictionem, cantans videlicet, *Jube Domne benedicere*, & non *Domine*, nec *Donne*, ad quem Cardinalis tunc con-

Digitized by Google

versus respondet benedicens, videlicet, *Benedictione perpetua &c.* Canonico cantaturo interim cum humeris semper inclinatis manente.

IV. Pergit præterea memoratus Crassus, & ait, quod dum Cardinalis benedictionem profert, nullam benedictionem facit manu super illum; & cum respondetur a Choro, *Amen*, Cardinalis sedet, cujus fimbriæ Cappæ, ut prius, aptantur in gyrum extensum, & similiter omnes sedent. Canonicus vero, accepta, si placet, candela parva, propria manu, postquam viderit Cardinalem compositum in Faldistorio, incipit, & prosequitur suam Lectionem docte, & graviter cantans; qua finita, cum dicturus est Versiculum, *Tu autem Domine miserere nobis*, genuflectit ad Altare versus, & sic ipsum integrum Versiculum cantat genuflexus manens; tum surgens facta solita reverentia Cardinali sine osculo manus, sed habito a Cardinali signo Crucis, revertitur ad locum suum, dimissa ibi candela parva.

V. Hæc Crassus, quorum aliqua profecto vacillant, præsertim ubi ait, Canonicum ad finem Lectionis debere genuflectere versum ad Altare, genuflexumque manere ad illum integrum Versiculum, *Tu autem Domine miserere nobis*. Sed de ritibus ab Episcopo, & a Canonicis servandis, ubi solemniter Officium celebrant, jam abunde diximus nos supra initio hujus Libri II.

§. VII.

In tertio Nocturno, cum dicitur a Choro Psalmus, *Misericordias Domini &c.* si Episcopus est primam Missam celebraturus, duo ex suis Scutiferis Clericali habitu indutis, sine Cottis, subeuntes fimbrias Cappæ Episcopalis, imponent illi Caligas, & Sandalia, sublevantibus simbrias in gyrum Capellanis, seu Acolythis, Cottis superindutis, ac genuflexis: interim accedunt duo Canonici assistentes ad Episcopum, necnon duo Capellani, alter de Libro, alter de Candela serviens, ac Librum apertum ante Episcopum sustinent, ex quo ipse Episcopus legit Antiphonam, *Ne reminiscaris Domine &c.* & Psalmum, *Quam dilecta &c.* cum ceteris Psalmis, Versiculis, & Orationibus, prout supra in Cap. VIII. hujus Libri II. §. VII. explicatum fuit. Quibus per Episcopum lectis, duo illi Canonici assistentes, ac alii ministri recedunt.

§. VIII.

Diaconus, & Subdiaconus ministraturi in Missa, nisi quis eorum, vel ambo sint cancantaturi Lectiones ultimi Nocturni, præveniunt ad Sacristiam, ubi capiunt sua paramenta. Advertatur tamen, ut tempus commode dispensetur, hoc est, ut finitis tribus Psalmis ultimi Nocturni a Choro, pariter Episcopus se expedierit a lectione Psalmorum, & Orationum prædictarum, ut præsto sit ad Absolutionem, *A vinculis peccatorum &c.* dicendam, benedictionemque dandam Canonico cantaturo primam Lectionem tertii Nocturni.

COMMENTARIUS.

I. QUo rite omnia fiant, & opportune, cautum primo illud est ex nostro §. ut in tertio Nocturno, cum dicitur a Choro Psalmus, *Misericordias Domini &c.* si Episcopus est primam Missam celebraturus, duo ex suis Scutiferis Clericali habitu indutis, idest, talari veste nigri coloris, & collari, *sine Cottis*, subeuntes fimbrias Cappæ Episcopalis imponant illi Caligas, & Sandalia. Verbum illud *sine Cottis*, deest in antiquis Cæremonialibus, additumque primo fuit memorato nostro §. VII. in novo hoc Cæremoniali Benedicti XIII. quod nos explicamus. Neque enim decet, ut Viri laici Cottam induant, quæ vere est vestis Clericalis, Clericatuque initiandis rite ab Episcopo imponi solet sub præscripta verborum formula, quam nos explicuimus Tomo I. Romani Pontificalis ad Titulum III. in Commentario ad §. VIII. Quo circa non sine horrore in Urbe conspicua vidi in sacris Processionibus, Episcopi satellites collari, & Cotta indutos super veste breviori nigra discurrere, pendentibus e lateribus armis igneis, quæ vulgo vocant, *Pistolæ*.

II. Sed ut §. nostrum enarremus, ubi Scutiferi Clericali habitu induti *sine Cottis*, subeuntes fimbrias Cappæ Episcopalis imponunt Episcopo Caligas, & Sandalia, præsto eis esse debent Capellani, seu Acolythi, Cottis ipsi superinduti, qui sublevent fimbrias ipsius Cappæ in gyrum; interimque accedunt duo Canonici assistentes ad Episcopum, necnon duo Capellani, alter de Libro, & alter de Candela serviens, ac Librum apertum ante Episcopum sustinent, ex quo ipse Episcopus leget Præparationem ad Missam, de qua nos fuse Libro I. diximus. Lecta autem præparatione per Episcopum, duo illi Canonici assistentes,

Digitized by Google

tes, ac alii Miniſtri recedunt. Diaconus vero, & Subdiaconus miniſtraturi in Miſſa, uti in §. VIII. edicitur, niſi quis eorum, vel ambo ſint cantatur Lectiones ultimi Nocturni, præveniunt ad Sacriſtiam, ubi capiunt ſua paramenta.

III. Illud vero potiſſimum ex citato §. VIII. advertendum eſt, *ut tempus commode diſpenſetur, hoc eſt, ut finitis tribus Pſalmis ultimi Nocturni a Choro, pariter Epiſcopus ſe expedierit a lectione Pſalmorum, & Orationum prædictarum*, quæ ſcilicet in præparatione ad Miſſam leguntur, *ut præſto ſit ad Abſolutionem*, A vinculis peccatorum &c. *dicendam, benedictionemque dandam Canonico cantaturo primam Lectionem tertii Nocturni*. Ita §. noſter VIII. in quo illud non omittendum, verba illa, *ſe expedierit a Lectione &c.* in antiquis Cæremonialibus ita haberi, *expedierit Lectionem &c.* Sunt hæ quidem minutiæ, quas tamen notandas cenſuimus, ut Lector benevolus ſi non noſtram in adornando hoc Opere eruditionem, diligentiam ſaltem noſtram commendet.

IV. Quod primam tandem Lectionem ſpectat tertii Nocturni, finitis tribus Pſalmis tertii ipſius Nocturni, & ſuo Verſiculo, Celebrans, qui ſatis commode potuit legiſſe omnia, & accepiſſe calceamenta in pedibus, ſurgit adhuc cum Cappa, ut prius, & benedictionem dat, ſic ſtans, uſquequo Canonicus dicto a ſe Euangelio dicere pergat Homiliam; tunc enim Celebrans ſedet, ut ſcitiſſime notat Craſſus Lib. II. ſui Cæremonialis, Cap. XXXVII. Stando enim, & quidem capite detecto audienda ſunt verba ſancti Euangelii, uti ſuſe oſtendimus in noſtro Opere, *De Codice ſancti Euangelii &c.* Lib. II. Cap. XXI. & XXIV. Notat autem & illud Craſſus, quod Canonicus cantans thema Euangelii, nequaquam debet Euangelii textum, nec ſe in fronte, nec in ore, nec in pectore cum pollice ſignare, nec manibus junctis manere, ſicut facit Diaconus, quando cantat Euangelium in Miſſa, ſed tenere manus ſuper Libro hinc inde, disjunctas, Homiliam legendo, & idem fit pro octava Lectione, pro qua ipſe Celebrans quidem ſedet, dans benedictionem, ſed Canonico incipiente pronunciare, videlicet, *Lectio ſancti Euangelii*, illico audita mentione Euangelii, ſurgit, ſic manens uſque ad verbum, *& reliqua*, ante Homiliam, ut ſupra.

V. De Lectionibus tertii Nocturni notatu hic dignum eſt, quod ſcribit Joannes Abrincenſis Epiſcopus, qui floruit Seculo XII. in Libro, *De Officiis Eccleſiaſticis*, ubi ita inquit: *Tria Euangelia in Cappis, incenſo, & candelabris præcedentibus pronuncientur*. Quæ omnia adhuc obſervantur in Eccleſia Rotomagenſi, ubi incenſatur Altare, antequam quiſquam legat Euangelium, teſte Martenio in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis Officiis celebrandis*, Capite XII. Num. XI. ubi etiam ait, concinere huic ritui videri Ordinarium Eccleſiæ Argentinæ, cujus hæc ſunt verba: *Nota, quod ad ſingula Euangelia hujus Matutinæ datur incenſum*. In quibuſdam Eccleſiis legebantur quatuor Euangelia, & quatuor Homiliæ, nempe tria ordinaria, & quartum erat, *Liber generationis*, ſecundum Matthæum, cum Homilia S. Hieronymi, atque ita legebantur in Homiliis quatuor Doctores Eccleſiæ Latinæ, nempe S. Gregorius in prima, S. Ambroſius in ſecunda, S. Auguſtinus in tertia, Sanctus Hieronymus in quarta, uti notat Grancolas in Breviarium Romanum Lib. II. Cap. XIV.

VI. Teſte eodem Martenio Libro III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. IV. magna fuit olim circa hoc Officium, ejuſque Lectiones in tertio præſertim Nocturno Monachorum varietas. Cluniacenſes uti & Corbejenſes ad nonam duaſ[illegible] ſequentes Lectiones aſſumebant Homiliam Ve[illegible] Bedæ in Euangelium, *In principio*, duodecimam ex Homilia S. Gregorii Papæ in Euangelium, *Exiit Edictum*. Ex Statutis vero Lanfranci, ut alios omittam, pronunciabantur hæc in tertio Nocturno Euangelia: *Liber generationis. Exiit Edictum. Paſtores. In principio.*

§. IX.

Cantata nona Lectione per Epiſcopum, ad quem iterum duo aſſiſtentes Diaconi in ſuo habitu Chorali debent accedere, & Hymno, *Te Deum laudamus &c.* per eum inchoato, eo modo, quo in dicto Cap. V. Lib. II. §. IX. de Matutinis dictum fuit, Epiſcopus deſcendens paululum e Sede, in plano Solii Pontificalis deponit Cappam, & ſtans lavat manus, accedentibus tunc, & adjuvantibus Diacono, & Subdiacono paratis; & ab eiſdem induitur paramentis Miſſalibus, aliquanto celerius ſolito, præter Chirothecas, & Annulum, & Tunicellam, ac Dalmaticam, & Planetam, cujus loco induitur Pluviali; denuo Sedem aſcendit, ubi ſtans ſine Mitra, expectat finem Hymni prædicti, qui decantari poterit prolixiori nota, & cum Organi interpoſitione, ut commodius interim Epiſcopus, & omnes Canonici indui poſſint ſuis paramentis. Quo finito, accedunt duo Acolythi cum candelabris, & cereis accenſis, & medius inter eos alter de Libro ſerviens Epiſcopo, adhærente alio cum candela parva accenſa, qui verſus populum cantat, *Dominus vobiſcum*: deinde verſus Altare, *Oremus*, junctis manibus; deinde Orationem, *Concede quæſumus &c.* cum ſua concluſione: & iterum repetito, *Dominus vobiſcum*, dum Chorus cum Organo proſequitur lente, *Benedicamus Domino*,

Digitized by Google

mino, & *Deo gratias*, ipſe depoſito Pluviali, ſtans, accipit Tunicellam, & Dalmaticam, & ſedens Chirothecas; deinde ſtans Planetam, & rurſus ſedens Mitram pretioſam, & ultimo loco Annulum, demum accedit ad infimum gradum Altaris pro Miſſa inchoanda.

COMMENTARIUS.

I. UTi cantanda ſit nona Lectio per Epiſcopum celebrantem, & per eundem intonandus ſit Hymnus, *Te Deum laudamus*, jam nos explicuimus ſupra Cap. v. hujus Libri II. in Commentario ad §. IX. In præſenti autem, primo illud notandum eſt, quod docet Craſſus Lib. II. Cap. XXVII. duos nempe illos aſſiſtentes Diaconos, quorum hic §. noſter meminit, tunc, & non prius debere accedere ad Epiſcopum, cum nonam ſcilicet Lectionem cantat, eique aſſiſtere. Ubi autem Epiſcopus Lectionem ſuam cantavit, inchoavitque Hymnum, *Te Deum laudamus*, ex præſcripto ejuſdem noſtri hujus §. *deſcendens paululum* (in antiquis Cæremonialibus legitur quidem, *diſcedens*) *e Sede, in plano Solii Pontificalis deponit Cappam, & ſtans lavat manus, accedentibus tunc, & adjuvantibus Diacono, & Subdiacono paratis, & ab eiſdem induitur paramentis Miſſalibus aliquanto celerius ſolito præter Chirothecas, & Annulum, & Tunicellam, & Dalmaticam, & Planetam, cujus loco induitur Pluviali*, albi ſcilicet coloris, & pretioſi.

II. Idem docet Craſſus, qui tamen in eo non recte loqui videtur, cum vult, tunc induendum eſſe Epiſcopum omnibus paramentis Pontificalibus *uſque ad Dalmaticam inclusive, & ſuper Dalmatica Pluviali*; mirumque videri poſſit, quod Planetam excluſerit. Tunicella, & Dalmatica indui tunc Epiſcopus debet, quum uti Planeta debet, celebraturus ſcilicet Miſſam, non vero quum debet uti Pluviali, ſecundum ſtatos Eccleſiæ ritus. Rejecta itaque ſententia Craſſi, induitur tunc Epiſcopus veſtibus illis a noſtro §. præſcriptis: *denuo Sedem aſcendit, ubi ſtans ſine Mitra, expectat finem Hymni prædicti, qui decantari poterit prolixiori nota, & cum Organi interpoſitione, ut commodius interim Epiſcopus, & omnes Canonici indui poſſint ſuis paramentis*, in Choro ſcilicet, ſicut & Presbyter aſſiſtens in loco ſuo una cum ipſis Canonicis in Choro, uti in hoc eodem Capite præſcripſit ſupra Rubrica §. IV.

III. Finito Hymno, *Te Deum laudamus*, (qui, ut alibi dictum fuit, cum ſolemniſſima melodia cantari debet, præſertim vero ille Verſiculus, *Te ergo quæſumus &c.* ad quem etiam tum Epiſcopus, tum alii omnes genuflectere debent, nullo tamen modo initio ipſius Hymni ad illa verba, *Te Dominum confitemur*, ut docet Craſſus) *accedunt duo Acolythi cum candelabris, & cereis accenſis, & medius inter eos alter de Libro ſerviens Epiſcopo, adhærente alio cum candela parva accenſa; qui verſus populum cantat*, Dominus vobiſcum; *deinde verſus Altare*, Oremus, *junctis manibus*; *deinde Orationem*, Concede quæſumus, *cum ſua concluſione &c.* Meminit ejuſdem ritus in ſuo XV. Romano Ordine Petrus Amelius, Cap. VIII. & in ſuo Cæremoniali Patricius, Lib. II. Sectione I. Cap. X. itemque Craſſus, Libro II. Cap. XXXVII. Oratio, *Concede quæſumus &c.* eſt illa, quæ dicta eſt in Veſperis, & in tertia Miſſa hujus diei ex antiquiſſimo ritu dici ſolet; licet ex quibuſdam variarum Eccleſiarum Ordinariis diceretur illa aliquando primæ Miſſæ Oratio, *Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem &c.*

IV. Ut alios tandem omittam ritus, qui olim in variis Eccleſiis ſervabantur poſt decantatum ipſum Hymnum, *Te Deum laudamus &c.* quique videri poſſunt apud Eruditiſſimos Martenium, & Grancolaſſium, dum iterum poſt Orationem præmiſit Epiſcopus, *Dominus vobiſcum*, & Chorus cum Organo proſequitur lente, *Benedicamus Domino*, & *Deo gratias*, tunc ipſe Epiſcopus, ut ait noſter §. *depoſito Pluviali, ſtans, accipit Tunicellam, & Dalmaticam, & ſedens Chirothecas; deinde ſtans Planetam, & rurſus ſedens Mitram pretioſam, & ultimo loco Annulum, demum accedit ad infimum gradum Altaris pro Miſſa inchoanda*. Porro ex Ordine Romano XV. Auctore Amelio Cap. VIII. dum cantabatur, *Te Deum*, Sacriſta faciebat parari paramenta ſuper Altare albi coloris, hoc ordine: *primo Caſulam, ſecundo Dalmaticam; ſuper parte ſiniſtra Tunicellam, ſuper parte dextera Stolam pectoralem, Chirothecas, Annulos, Pallium, tres acus, ſive ſpinulas, Sandalia ſuper eadem parte, Manipulum infra Librum Euangeliorum; in ſiniſtra parte Mitram; in medio Altaris Albam ſimplicem, & ab una parte Cinctorium cum Succinctorio verſus Mitram, & fanum a parte dextera; & ſic idem Sacriſta ſucceſſive, & ordinate cum honeſtate tradit, & diſtribuit Capellanis, Commenſalibus, Auditoribus, & Acolythis juxta ordinem ſuum deferendis*.

V. Fuſe, ac erudite de veſtibus hiſce loquitur Clariſſimus Georgius Lib. I. *De liturgia Summi Pontificis*, itemque Stephanus Durantus in Libris, *De ritibus Catholicæ Eccleſiæ*, Joſephus Vicecomes, *De ritibus Miſſæ*, & alii docti Authores, ut omittam quod ego de eadem re non uno in loco ſcripſi. Porro illud nobis notandum, juxta Ordinem Romanum memorati Amelii, Papam nonniſi dum ab Acolythis diceretur, *Benedicamus Domino*, veſtibus ipſis cœpiſſe indui, cum alias ex noſtro §. dum cantatur Hymnus, *Te Deum laudamus*, debeat Epiſcopus indui paramentis Miſſalibus, *præter Chirothecas, & Annulum, & Tunicellam, ac Dalmaticam, & Planetam*, quas quidem *accipit, dum Chorus cum Organo proſequitur lente*, Benedicamus Domino, & Deo gratias.

§. X.

Digitized by Google

§. X.

Quæ Miſſa in omnibus, & per omnia celebratur, prout in prædicto Cap. VIII. hujus Lib. II. explicatum fuit, excepto, quod cum in Miſſa cantatur a Choro Verſiculus Symboli, *Et incarnatus eſt &c.* Epiſcopus cum Mitra apud Sedem ſuam, & cæteri in propriis locis genuflectere debent uſque ad terram, hac nocte, & die ſequenti in Miſſa majori, prout etiam in die Annunciationis.

§. XI.

Epiſcopus vero non ſumet purificationem, & in fine poſt benedictionem non dabit Indulgentiam, quia in tertia Miſſa, quam omnino cantabit Epiſcopus in die, erit Indulgentia publicanda. Cætera omnia, ut in ſupradictis Capitibus, tam celebrante, quam non celebrante Epiſcopo, reſpective, erunt obſervanda.

COMMENTARIUS.

I. FEſto die Natalis Chriſti tres ex antiqua Romanæ Eccleſiæ traditione celebrari Miſſas, conſtat ex vetuſtiſſimis Gelaſiano, & Gregoriano Sacramentariis, & ex ipſomet S. Gregorio, qui in Homilia VIII. in Euangelia expreſſe ejus antiqui ritus meminit, his plane verbis: *Quia largiente Domino Miſſarum ſolemnia ter hodie celebraturi ſumus &c.* Licet autem in Miſſali Mozarabum, in Ambroſiano apud Pamelium, & in Ordine Gallicano unicadumtaxat Miſſa aſſignetur, tres nihilominus, ut in Ordine Romano præſcribitur, celebratas fuiſſe ipſo die Miſſas, ex eo probat Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XII. Num. XVII. quod in Libello Ildephonſi Epiſcopi Hiſpanici, qui anno DCCCLV. ſcripſit, tres indicantur Miſſæ in Natali Domini. In novo etiam Miſſali Ambroſiano tres habentur Miſſæ, ſed in prima dumtaxat præmittitur Confeſſio, & in fine tantum tertiæ Miſſæ dicitur Euangelium S. Joannis, *In principio*; in aliis vero Miſſis, data benedictione, ſtatim Sacerdos, incipit Ingreſſum, ſeu Introitum ſequentis. Sed hoc, uti obſervat memoratus Auctor, in novo Miſſali, nam in eo, quod Sanctus Carolus typis mandari curavit, paulo aliter: *Sacerdos*, inquit, *ante quamlibet Miſſam debet dicere Confeſſionem, & in fine cujuſlibet populo benedicere, & Euangelium S. Joannis*, In principio, *legere*. Et mox: *Poſt primam vero Miſſam, loco prædicti Euangelii, dicitur Euangelium*, Cum natus eſſet Jeſus, *quod in die Epiphaniæ legitur*.

II. Ritus celebrandarum trium Miſſarum hac die, præter varios Rituales, ac Pontificales antiquos Codices, priſci etiam complures Scriptores meminere. Forſitan duæ Miſſæ plerumque celebrabantur in cunctis ſolemnioribus Feſtis, prima nocturno tempore poſt Matutinum, ſecunda diurno poſt Tertiam, uti notat Grancolas in Breviarium Romanum Lib. II. Cap. XIV. ubi etiam ſubjicit, tertiam hac die Miſſam Romæ extra ordinem ob id tantummodo celebratam, quod haberetur in Urbe Eccleſia S. Anaſtaſiæ, cujus Feſtum in eundem diem Natalis incidit; & ne intermitterentur Stationes ordinariæ, iviſſe olim ad unam celebrandam Miſſam in Eccleſia illius Sanctæ, inter nocturnam, & diurnam Miſſam, circa tempus Auroræ. Hanc putat Grancolas eſſe trium iſtarum Miſſarum originem, quia ſcilicet nondum invaluerat uſus transferendi Feſta, & Officium in Eccleſia propria Sancti alicujus, vel Sanctæ mutandi. Miſſam addit, quæ dicebatur in Eccleſia S. Anaſtaſiæ, fuiſſe Miſſam Nativitatis Dominicæ, nec de Sancta factam in Eccleſia propria in die ipſo Feſtivitatis ſuæ, niſi ſimplicem commemorationem, quemadmodum fiunt commemorationes Sanctorum, eos nominando in ſuis propriis Eccleſiis, quando dicitur hæc Oratio, *A cunctis nos quæſumus Domine &c.*

III. Quantum ad ipſas tres Miſſas, ex præſcripto Romanorum antiquorum Ordinum, decantari debebant in diverſis Eccleſiis, prima ſcilicet ad Eccleſiam S. Mariæ Majoris ad Præſepe Domini, altera ad S. Anaſtaſiæ, tertia ad S. Petri Baſilicam; idque, ut putat Martenius, a diverſis Sacerdotibus, ſed non adhæreo illius ſententiæ, conſtat enim ex Ordinibus ipſis Romanis, præſertim vero ex XI. Auctore Benedicto Canonico S. Petri, tres per ipſummet Papam celebratas fuiſſe Miſſas ad diverſas Stationes. Non negaverim tamen, quin alibi plerumque ipſæ Miſſæ dicerentur a diverſis Sacerdotibus, ab Epiſcopo vero unam tantum, nempe diurnam, quæ ceteris eſt ſolemnior. Certe Joannes Epiſcopus Abrincenſis in Libello, *De divinis Officiis*, ita ait: *Primam Miſſam Secretarius Eccleſiæ celebret, ſecundam vero Cantor, tertiam Præſul, aut Decanus*. Atque ut alia omittam, ex præſcripto Ordinarii Eccleſiæ Argentinæ, olim primam Miſſam cantabat Vicarius Imperatoris, ſecundam unus minor Presbyterorum, tertiam Epiſcopus.

IV. Eundem quoque uſum olim apud Monachos invaluiſſe, pluribus demonſtrat Martenius Lib. III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. IV. confir-

Digitized by Google

confirmaturque ex vetuſto Miſsali Rotomagenſis Monaſterii S. Audoeni, ex cujus præſcripto Prior cantabat Miſſam de nocte, Hebdomadarius Miſſæ Matutinalis ſecundam, Abbas tertiam. Apud Carthuſianos hactenus primam dicit Vicarius, ſecundam Hebdomadarius, poſtremam vero Prior. Hodie, ſive in Monaſteriis, ſive in Cathedralibus, ſive in aliis Eccleſiis inſignibus, ubi tres ipſæ Miſſæ cantantur, a tribus diverſis Sacerdotibus cantari ſolent, poſtrema ſemper a dignori juxta antiquum ritum a nobis oſtenſum; ideoque recte præſcribit §. noſter XI. ut Epiſcopus tertiam Miſſam *omnino* cantet in die. Laudabile eſſet, ſi Epiſcopus tres ipſas Miſſas ſtatis horis ſuis cantaret more veterum Romanorum Pontificum, aliorumque inſignium Epiſcoporum infimæ etiam antiquitatis; ut enim in quadam charta inſignis Eccleſiæ S. Martini Turonenſis legitur, relata a Martenio in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XII. Num. XIX. in fine, Thomas Archiepiſcopus Neapolitanus anno MCCCLXXXIV. in Natali Domini celebraſſe dicitur, *tum in media nocte, quam in aurora, & in die.*

V. Varios ritus in hujuſmodi Miſſis ſervatos Eruditi rerum Liturgicarum Scriptores enarrant. Ex præſcripto noſtri §. x. in Miſſa ipſa, quæ in nocte Natalis cantatur, ſicut & in cæteris duabus, quæ in Aurora, & in die cantari ſolent, ritus ſervandus eſt, prout in Capite VIII. hujus Libri II. explicatum fuit, *excepto, quod cum in Miſſa cantatur a Choro Verſiculus Symboli*, Et incarnatus eſt, *Epiſcopus cum Mitra apud Sedem ſuam, & ceteri in propriis locis genuflectere debent uſque ad terram, hac nocte, & die ſequenti in Miſſa majori, prout etiam in die Annunciationis.* Sed de hoc ritu jam nos ſupra. Epiſcopus demum, uti in §. XI. edicitur, *non ſumet purificationem*, quia ſcilicet cantare debet aliam Miſſam in die; *& in fine poſt benedictionem non dabit Indulgentiam, quia in tertia Miſſa, quam omnino cantabit, erit Indulgentia publicanda.* Idem tradit in ſuo Cæremoniali Craſſus Lib. II. Cap. XXXVII. in fine, *Miſſa*, inquit, *fit in omnibus, & per omnia, more ſolito, niſi quod poſt communionem Corporis, & Sanguinis, Celebrans, ſi volet cantare tertiam Miſſam, non capit tunc perfuſionem, ſive purificationem, & in fine poſt datam benedictionem non publicatur Indulgentia, quia demum in majori Miſſa publicabitur.* Porro ne jejunium Sacerdotes ſolvant, poſt acceptum Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini debent tantum lavare manus in aliquo vaſe, in tertia vero purificationem ſumere in Calice more ſolito juxta generales Rubricas Miſſalis.

§. XII.

In Laudibus tandem, quæ poſt hanc Miſſam ſolemniter cantari debent, ſerventur omnia, quæ in ſuperiori Cap. VII. hujuſmet Lib. II. præſcripta leguntur.

COMMENTARIUS.

I. NOva eſt tota hujus §. Rubrica, addita primum huic Capiti in novo hoc Cæremoniali a Benedicto XIII. emendato. Sed quoniam in ipſo §. mentio fit Laudum, *quæ poſt hanc Miſſam ſolemniter cantari debent*, ſciendum eſt, jam olim non modo ſeparatas fuiſſe Laudes hujus Officii a Matutino, verum etiam Miſſam ipſam primam, quæ in media nocte celebrari ſolet, compleri olim conſueviſſe cum *Benedicamus Domino*, non autem cum *Ite Miſſa eſt*, ut teſtatur Micrologus, qui eam quoque rationem adducit, *ne populo quaſi licentiam abeundi infra matutinales Laudes dediſſe videamur, quas ſtatim poſt Miſſam iterum concrepantibus ſignis incipere ſolemus.* Atque ita in Eccleſia Argentina, & in aliis Gallicanis alia ratione populum in Eccleſia retinere viſum eſt, Laudes videlicet incipiendo ſtatim poſt Communionem, complendas per Orationem, quæ dici debet in fine Miſſæ ad eum fere modum, quo Veſperas una cum Miſſa in Sabbato Sancto decantare ſolemus, teſte Martenio in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XII. Num. XXVI. ubi ait, hunc eſſe uſum Eccleſiæ Remenſis, Pariſienſis, Turonenſis, S. Gatiani, & S. Martini, Viennenſis, Narbonenſis, Rotomagenſis, Auguſtodunenſis, Laudunenſis, Lemovicenſis, & aliarum Eccleſiarum complurium. Verum quidquid ſit de ea conſuetudine, ſervanda eſt quidem regula noſtri hujus §. in quo edicitur de Laudibus, quæ poſt Miſſam noctis cantari debent, ut *ſerventur omnia, quæ in ſuperiori Capite* VII. *hujuſmet Libri II. præſcripta leguntur.*

II. Forte ingratum Lectori non erit, ſi Ritus quoſdam hic enarremus, qui olim ad ipſum Officium Laudum ſervabantur. In Ordinario Namnatenſi præſcribitur, ut poſt Canticum, *Benedicite*, quod ad Laudes ipſas dici aſſolet, *pueri ludentes cum baculis ſtent ante Altare, & dicat Cantor*, Paſtores dicite; *pueri reſpondeant*, Infantem vidimus; *& tunc incipiat aliquis Antiphonam*, ideſt, *Parvulus filius*, quam ſubſequebatur Pſalmus, *Laudate Dominum de Cælis.* Simil is pene ritus habetur in Ordinariis, Noviomenſi, Silvanectenſi, & Turonenſi, ut teſtatur Martenius loco citato, Num. XXX. ubi etiam ait, de eo ritu paulo aliter ſe legiſſe in Ordinario B. Mariæ Remenſis, cujus hæc ſunt verba: *Poſtquam*, Laudate Dominum de Cælis, *fuerit deductum uſque ad* Laudate Dominum in Sanctis ejus, *cum* Gloria Patri, & Filio, *&* Sicut erat, *ſubſiſtitur, & Antiphona*, Parvulus filius, *cum qua fuerat inchoatus Pſalmus, finitur; tunc aliquis Sacerdotum, cui a Præcentore fuerat injunctum, incipiat*

Digitized by Google

piat Antiphonam: Paſtores dicite, *& totam cantat rem. Alter Chorus reſpondet*: Infantem vidimus. *Item primus Chorus*: Laudate Dominum in Sanctis. *Secundus Chorus*: Paſtores dicite. *Primus Chorus*: Infantem vidimus. *Secundus Chorus*: Laudate eum in virtutibus ejus; *& ſic reciproca cantilena Pſalmo decurſo cum* Gloria Patri, & Filio, *eadem Antiphona*, Paſtores dicite, *&* Infantem vidimus, *ex integro cantatur, & tonus finitur*. Similia fere habet Ordinarium Narbonenſe, cujus ritum, ſicut & alios pleroſque apud ipſum Martenium legere eſt.

CAP. XV.

In Feſtis a die Nativitatis, ad Purificationem, major, vel minor ſolemnitas ſervanda, juxta qualitatem Feſti. In die Circumciſionis Domini Epiſcopus Miſſæ interſit, paratus Pluviali. In die Epipbaniæ, ſi poterit, ipſe celebret. Hæc die Feſta mobilia prænunciantur poſt Euangelium. Servanda ab Epiſcopo in aliis Feſtivitatibus.

§. I.

Feſta, quæ occurrunt poſt diem Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti uſque ad diem Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, celebrabuntur magis, vel minus ſolemniter, prout Epiſcopo videbitur, juxta qualitatem Feſti, & conſuetudinem loci.

§. II.

In die tamen Circumciſionis Domini Epiſcopus debet intereſſe Miſſæ, paratus cum Pluviali.

COMMENTARIUS.

I. EA eſt Dominicæ Nativitatis ſolemnitas, ut quemadmodum ſcitiſſime inter alios notat Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XIII. Num. I. eam non una die tantum, cum omni majeſtate, & pompa celebrare ſibi ſatis eſſe crediderint Majores noſtri, ſed quo Fidelium devotioni, ac pietati facerent ſatis, ſequentes per totam Octavam, imo ad Epiphaniam uſque, dies Feſtos adjiciendos neceſſarium duxerint, ita ut ab omni terreno opere otioſi, toti ſe Deo, recolendiſque ejus beneficiis conſecrarent, ac ſpirituali lætitia animum recrearent. Hinc Concilium Turonenſe II. habitum anno DLXVII. Can. XVII. *quia inter Natale Domini, & Epiphaniam omni die feſtivitates ſunt*, prandere Monachis conceſſit, excepto ſcilicet triduo illo, *quo ad calcandam Gentilium conſuetudinem Patres noſtri ſtatuerunt privatas in Kalendis Januarii fieri Litanias, ut in Eccleſiis pſallatur, & hora octava in ipſis Kalendis Circumciſionis Miſſa Deo propitio celebretur*.

II. Primus feſtus dies, qui ex antiquo ritu conſuevit poſt celebritatem Dominicæ Nativitatis celebrari, fuit dubio procul dies Natalitius S. Protomartyris Stephani, quem ubi in Sermonibus ſuis Sancti Patres tum Græci, tum Latini laudant, ad *heri*, & *hodie* alludere ſolent, ut nimirum oſtendant, Diſcipuli Feſtum ſuccedere Feſto Magiſtri: *Quam jucunda lætitiæ ſucceſſio*, inquit de eo loquens S. Gregorius Nyſſenus, *ecce diem Feſtum ex die Feſto, & gratiam pro gratia accipimus. Heri nos Dominus univerſorum pavit, hodie Domini imitator; ille pro nobis hominem induens; hic pro illo hominem exuens; ille pro nobis faſciis involutus; hic pro illo lapidatus*. Eodem pacto de ipſo loquutus eſt ſanctus Aſterius Epiſcopus Amaſeæ in Sermone in honorem ipſius habito, cujus meminit Photius; diu enim ille Sermo latuit ſub nomine Procli Conſtantinopolitani; ait ergo Aſterius hunc plane in modum: *Feſtus dies Feſtum diem excipit: ſolemnis celebritas ſolemnem occupat Feſtivitatem: Domini Natalem diem ſervi continuus premit: heri Servatorem mundi natum eſſe didicimus: hodie ſtrenuum pugilem cernimus pro illo lapidibus obrutum*. Vide S. Auguſtinum, & S. Maximum.

§. III.

In die vero Epiphaniæ deberet ipſe celebrare, ſi poterit, quod valde conveniens eſſet. Quo die, cantato Euangelio, aliquis Canonicus, vel Beneficiatus, aut alius, juxta conſuetudinem loci, paratus Pluviali, aſcendet Ambonem, vel Pulpitum, & ibidem populo publicabit Feſta mobilia anni currentis in forma, prout in Pontificali Romano.

Digitized by Google

§. IV.

In aliis vero Festivitatibus prædictis poterit Episcopus interesse cum Cappa, vel prout ipsi melius videbitur, & omnia servabuntur, quæ superius expressa sunt in præcedentibus Capitibus, nempe VIII. hujus Lib. II. de Missa solemni per Episcopum celebranda, & IX. ejusdem Libri de Missa, quæ coram Episcopo celebratur.

COMMENTARIUS.

I. NUllus est, qui inficiari possit, Epiphaniæ Solemnia maxima semper, & celeberrima fuisse in Ecclesia tum Latina, tum Græca. Ut Fideles ab omni opere servili, *in die Festo Epiphaniæ vacent, quod eo die declarata sit Divinitas Christi testimonio Patris in Baptismo &c.* edicit pervetustus Auctor Apostolicarum Constitutionum Lib. VIII. Cap. XXXIII. Ipsam Epiphaniam vocat S. Gregorius Nazianzenus in Oratione sua XXXIX. diem Luminum, celebritatem Baptismi Jesu Christi, & novam fere cum ingenti gloria Nativitatem: *Etenim*, inquit, *sanctus luminum dies pro principio quidem Christi mei, hoc est, luminis veri, omnem hominem in mundum venientem illuminantis, Baptismum habet.* Baptismus vere vocabatur a plerisque omnibus Græciæ Patribus illuminatio, uti observat Thomassinus Lib. II. *De dierum Festorum celebratione*, Cap. VII. ubi etiam ostendit, apud Græcos in Epiphania unum Christi in Jordane Baptismum celebratum fuisse.

II. Sed tametsi in Orientali Ecclesia Christi potissimum Baptismus in Epiphania recoleretur; in Ecclesia tamen Latina jam olim Majores nostri in ipsa Epiphania non modo Christi Baptismum, sed & adorationem ejus per Magos, & primum miraculum, quod in Cana Galilææ contigit, pari cultu celebravere, ut patet ex Hymno Prudentii, quem ad Officium ejus diei adhibere solemus, ex S. Paulino Carmine IX. de S. Felice, ex S. Maximo Sermone VI. *De Epiphania*, ex S. Gregorio Turonensi Lib. II. *De miraculis S. Martini*, Cap. XXVI. & in Libro, *De gloria Martyrum*, Cap. LXXXVII. atque ex aliis antiquis Patribus, inter quos S. Isidorus Episcopus Hispalensis Libro I. *De Officiis Ecclesiasticis*, Cap. XXVI. ubi de Epiphania agit, quam ait Græce dici apparitionem, vel ostensionem, ita ad rem inquit: *Tribus ex causis hæc dies hoc vocabulum sumsit; sive quia tunc in Baptismo suo Christus populis ostensus fuerit; sive quod eo die sideris ortu Magis est proditus; sive quod primo signo per aquam vinum factum multis est manifestatus.*

III. Tria hæc objecta jam vel olim in unum tantummodo Festum coaluere, unde etiam celebris orta est Antiphona, quam in Officio Epiphaniæ dicere solemus, *Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus*; licet dici non possit, quodnam eorum in IV. Januarii diem inciderit. Putarunt nonnulli, ab Ecclesia triplicem hanc gloriam manifestationis Jesu Christi conjunctam fuisse, ut oblivione deleret triplicem Imperatoris Augusti triumphum, quem Romæ VI. die Januarii Ethnici celebrabant, postquam per hunc Imperatorem pax toto Orbe terrarum conciliata est, clausumque Jani Templum; quapropter arbitrati sunt quidam, Romanam Ecclesiam, ut populum a profana celebritate revocaret, triplicem triumphum, aut manifestationem Jesu Christi in unum conflasse, uti refert Orosius Lib. VI. Cap. XVIII. Durandus in suo Rationali Lib. VI. Cap. XVI. Numero VIII. & inter alios Grancolas in Breviarium Romanum Lib. II. Cap. XXX. ubi etiam notat, ex Romano Ordine tribus miraculis die ipsa Epiphaniæ celebratis additam fuisse multiplicationem panum, tanquam alteram potentiæ ipsius Christi manifestationem. Id quod etiam habet vulgatus Alcuinus in Libro, *De divinis Officiis*, in eo Capite, quod inscribitur, *De Baptismo Domini*. Sed ait Durandus, id cum Euangelio Joannis, Cap. VI. non convenire, a quo miraculum hoc Festorum Paschalium tempore describitur.

IV. Quicquid sit, magna semper fuit in Ecclesia celebritas Epiphaniæ, uti constat ex innumeris pene Sermonibus, atque Homiliis, quas ea die prisci sancti Episcopi, S. Leo Magnus, Sanctus Gregorius itidem Magnus, S. Augustinus, S. Petrus Chrysologus, S. Maximus Taurinensis, & alii complures ad populum ad eam celebritatem confluentem habuere. Sane Ammianus Marcellinus Lib. XXI. testatur, Julianum Augustum, qui a Christiana postea religione defecit, ad Ecclesiam contendisse dum Epiphania celebraretur: *Feriarum die, quem Celebrantes mense Januario, Epiphaniam dictitant, progressus in Ecclesiam, solemniter Numine adorato discessit.* Valens quoque Imperator se minime Christianum esse arbitrabatur, nisi sacris Epiphaniæ Solemniis in Templo adfuisset, ut tradit S. Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri Magni Basilii: *Erat autem Epiphaniæ dies, cœtusque amplissimus.* Sed celebre est, quod ibidem narrat, nempe adeo stupore, ac timore simul perculsum tunc Valentem ipsum admiratum fuisse pietatem, religionem, rectumque ordinem, ac majestatem, qua S. Basilius Pontificali munere fungebatur, tum vero maxime quum ab eodem S. Episcopo posthaberi vidit ingentes opes, & munera, quæ ipse attulerat, ut parum abfuerit, quin e vestigio deficeret animo, nisi ei Sacrorum administri præsentem opem tulissent.

V. Erat olim Epiphania una ex illis præcipuis celebritatibus, quibus, ut alibi ex variis Canonibus ostensum fuit, Fideles interesse tenebantur,

Digitized by Google

bantur, multo autem magis Clerici, ac Episcopi ob varias functiones, quæ ea die celebrabantur, quæque a Martenio, Thomassino, Grancolassio, & aliis recensentur. Verum tametsi sacri Canones, præsertim vero Canon XXXI. Concilii I. Aurelianensis, Episcopo jubeant, ut si legitime impeditus non fuerit, non modo solemnioribus Festis, sed & diebus ipsis Dominicis Ecclesiæ interfit, ad celebrandum utique divina Officia, nullam tamen §. noster III. videtur imponere Episcopo necessitatem: *In die vero Epiphaniæ*, inquit, *deberet ipse celebrare, si poterit, quod valde conveniens esset.* Postrema verba, *quod valde &c.* addita sunt huic §. in novo Cæremoniali, quod nos explicamus, non enim in antiquis extant. Fortasse relinquitur fere Episcopi arbitrio in Festo Epiphaniæ celebrare per semetipsum Missarum solemnia, quod in Capella Pontificia non Papa in ipso Festo, sed *celebrare solet Episcopus Cardinalis*, ut in suo Cæremoniali ait Patricius, Lib. II. Sectione I. Cap. XXVII. tametsi ex antiquo Romano Ordine XIV. Cap LXXVII. & sequenti Ordine Romano XV. Cap. XVIII. *hanc etiam Missam Antistes Urbis celebrare consuevit.*

VI. Porro inter alias antiquas functiones, quæ vel olim in Epiphania peragebantur, recensetur profecto & illa, quam noster idem §. memorat, ubi inquit: *Quo die, cantato Euangelio, aliquis Canonicus, vel Beneficiatus, aut alius juxta consuetudinem loci, paratus Pluviali ascendet Ambonem, vel Pulpitum, & ibidem populo publicabit Festa mobilia anni currentis in forma, prout in Pontificali*; nempe Parte III. Tit. I. qui inscribitur, *De publicatione Festorum mobilium in Epiphania*, in quem multa nos notavimus, ostendimusque ex variis Synodis ejus ritus antiquitatem. In nostra Consentina Metropoli munus fuisse Diaconi post lectum Euangelium sub præscripta verborum formula in ipsa Epiphaniæ Missa diem Paschatis populo annunciare, docet nos Lucæ Consentini Præsulis Ordinarium his plane verbis: *Diaconus autem in Missa, perlecto Euangelio, prænunciat Pascha Domini in hunc modum*: Noveritis, Fratres carissimi, quod vigesimoquinto die, *vel illo*, qui est mensis Januarii, sive Februarii, erit Septuagesima, illo tali die mensis Februarii, sive Martii, erit initium sacræ Quadragesimæ; illo tali die mensis Martii, sive Aprilis, Sanctum Pascha, concedente Domino celebrabimus.

VII. Tradit idipsum Missale Ambrosianum, dicens: *Lecto Euangelio, Diaconus annunciat Pascha Resurrectionis: Noverit charitas vestra, Fratres charissimi, quod annuente Dei, & Domini nostri Jesu Christi misericordia, die tali mensis talis, Pascha Domini celebrabitur.* Meminit tandem & ejus ritus Durandus in suo Rationali Libro VI. Cap. XVI. ubi de Festo ipso Epiphaniæ agit; tametsi non post Euangelium, sed post Offertorium dicat factam a Sacerdote, vel ab alio publicationem Septuagesimæ, & diei Paschatis; sic enim inquit Num. XVII. *Non est etiam prætermittendum, quod in Italia in Missa hujus diei futurum Pascha populis annunciatur. Sacerdos namque, vel alius post Offertorium dicit alta voce*: Annuncio charitati vestræ gaudium magnum, quod erit omni populo, quia Septuagesima erit tali die, & Pascha tali die.

VIII. Quoniam insuper plura de hoc ritu dixi annunciandi non modo Septuagesimam, & Paschatis Resurrectionis diem, sed & alios dies festos mobiles in Commentario ad laudatum Titulum I. Romani Pontificalis, ubi etiam descripta est formula, qua ea annunciatio, seu publicatio fieri debet, hic illud minime prætermiserim, quod alias ex variis Auctoribus, & Decretis Sacræ Congregationis Concilii Tridentini Interpretum docet Barbosa, *De officio, & potestate Parochi*, Cap. XVI. in fine, & in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectan. CCCLV. Numero III. nempe dies Festos, & jejunia annuntiare in suis Ecclesiis Regulares non prohiberi; tametsi aliter aliquando senserit Sacra Congregatio negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, ut testatur idem Barbosa citato loco, *De officio, & potestate Parochi*. Ad Rubricam tandem quod attinet nostri §. III. hoc unum dicit, in aliis Festivitatibus prædictis, posse Episcopum interesse cum Cappa, vel prout ipsi melius videbitur, alia vero servanda esse, prout in præcedentibus Capitibus expressa sunt hujus Libri II. nempe Cap. VIII. quod est de Missa solemni per Episcopum celebranda, & Cap. IX. quod est de Missa quæ coram Episcopo celebratur.

CAP. XVI.

Quæ præparanda pro Benedictione Candelarum in Festo Purificationis. Paramenta sint coloris violacei. Ordo procedendi per Episcopum ad Benedictionem. Diaconi, & Subdiaconi Planetis plicatis ante pectus utantur. Quo ritu Episcopus Benedictionem faciat. Quis Episcopo Candelam benedictam tradat. Quo ordine Episcopus Candelas distribuat. Cantanda in ipsa distributione. Præmittenda ante Processionem. Candelæ quando accendantur. Ordo Processionis. Paramenta Episcopi, & Ministrorum pro Missa sint alba, nisi in Dominicis Septuagesimæ, & Quinquagesimæ Purificatio occurrat. Missa quomodo celebretur, assistente Episcopo. Quid servandum, si Episcopus ipse celebret.

§. I.

Quia a Vigilia Nativitatis Domini nullæ occurrunt Festivitates, quæ in Vesperis, &

Digitized by Google

Miſſis, quoad Cæremonias, indigeant ſpeciali declaratione, cum ex Regulis in ſuperioribus Capitibus traditis, & aliis generalibus, quæ in Libro ſuperiori abunde explicata fuerunt, ſumi poſſint: videndum eſt de Feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, in quo plura adhuc, neque in Miſſali, aut Pontificali Romano declarata, recenſenda veniunt.

COMMENTARIUS.

I. SUnt plures, qui docent, Juſtiniani Imperatoris ætate invectam primum fuiſſe in Eccleſiam celebritatem Feſti Purificationis Deiparæ, ipſumque Imperatorem, ad depellendam luem graviſſimam exortam Conſtantinopoli, celebritatem ipſam inſtitui mandaſſe. Ita Nicephorus Callixtus Lib. XVII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. XXVIII. & Cedrenus, quibus inter alios conſentit Uſuardus ſic ad diem ſecundam Februarii ſcribens: *Hypante Domini, & Purificatio B. Virginis: quod Feſtum tempore Juſtiniani Imperatoris apud Byzantium, ſeu Conſtantinopolin ſumſit exordium*. Id anno Chriſti DXLII. factum ſcribit Sigebertus in ſuo Chronico, Cedrenus Juſtiniani Imperatoris anno IX. Theophanes vero anno XV.

II. Verum enim vero longe ante Juſtiniani tempora non modo apud nosLatinos, ſed & apud Græcos inſtitutum fuiſſe hoc Feſtum, ut ſcitiſſime obſervat Martenius, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XV. Num. I. probat S. Gregorii Nyſſeni Sermo, quem de occurſu Domini compoſuit, ubi inter alia hæc habet: *Etenim quando circa tempus, quod eſt archetypum, ut ſic dixerim præſentis Feſti, is qui forma divina præditus erat, & formam ſervi ſumſerat, mediator inter Deum, & homines factus, Legis præceptum exequens, quadraginta dies natus, infans ſempiternam illud Verbum una cum Genitrice conveniens, atque præſcriptam Hoſtiam portante ad Templum pergebat*. Quod itaque ajunt Auctores illi, non de ſimplici hujus Feſti inſtitutione, ſed de tempore, quo primum Conſtantinopoli celebrari cœpit, intelligendum eſt. Quum enim tradat Nicephorus, Juſtinianum juſſiſſe, ut ubique Gentium Feſtum illud celebraretur, *toto Orbe terrarum*, ἁπανταχοῦ, ſuſpicari quis poſſit, alicubi pridem peractum fuiſſe. Id quod ex eo confirmatur, quod idem Nicephorus ſubjicit, Juſtinum Imperatorem conſimili modo nati Servatoris noſtri diem coli juſſiſſe; qui tamen veterem dumtaxat morem reſtituit, ſtatuendo, ut VIII. Calendas Januarias ageretur, quum in nonnullis Eccleſiis ab Epiphania minime ſejungeretur.

III. In Eccleſia Latina jam longe ante Juſtiniani tempora plerique Viri docti inſtitutam fuiſſe ajunt hujus Feſti celebritatem, ejuſque primordia credidit Baronius in Notis ad Martyrologium ad diem II. Februarii, repeti poſſe a S. Gelaſio Papa, qui Romæ Lupercalia ſuſtulit, ut ex Oratione illius conſtat edita in Conciliorum Collectionibus, & in Annalibus Eccleſiaſticis. Vehementem quidem eſſe hujuſmodi conjecturam Baronii, quum *Februa*, unde Februarius menſis eſt appellatus, ad cujus initium Solemnitas Purificationis Deiparæ celebratur, ſacra fuerint, & expiationes Romanorum, ſcite admodum notat Thomaſſinus Lib. II. *De dierum Feſtorum celebratione*, Cap. XI. Num. II. & III. ubi etiam poſtquam multa ſcitu digna obſervavit, quæ nos inferius auctoritate veterum Scriptorum notabimus, ac præſertim S. Ildephonſi, concludit, a veritate minime abhorrere, Solemnia hæc, & Cereorum ritus, quos hodie benedictos in Proceſſione ipſius Feſti geſtare ſolemus, inſtitui oportuiſſe, ut impiæ ſuperſtitiones ſanctiſſimis Myſteriis, ac Cæremoniis invectis abolerentur.

IV. Sententiæ huic accedit laudatus Cardinalis Baronius, qui ex Libro, *De temporum ratione*, Venerabili Bedæ adſcripto, addit, ejus ætate ſolemnes ſupplicationes cum Cereis adhibitas fuiſſe quavis Deiparæ celebritate: *Sed hanc luſtrandi conſuetudinem bene mutavit Chriſtiana Religio, quum in menſe eodem, die S. Mariæ, plebs univerſa cum Sacerdotibus, & Miniſtris hymnis modulatæ vocis, per Eccleſias, perque congrua Urbis loca procedit, datoſque a Pontifice cunctis cereos in manibus geſtant ardentes; & augeſcente bona conſuetudine idipſum in ceteris quoque ejuſdem Beatæ Matris, & perpetuæ Virginis Feſtivitatibus agere didicit*. Horum nonnulla, quæ Bedæ adſcribuntur, extant in priore Sermone S. Ildephonſi Archiepiſcopi Toletani. Vocatur, ut ipſe ait dies hic ὑπάντη a Græco verbo ὑπαντάω, ideſt, obviam eo alicui, quoniam ſancti Viri, qui Hieroſolymis morabantur, occurrerunt Dei Filio ad Templum adeunti.

V. At vero audiamus ipſum S. Antiſtitem Ildephonſum, qui & originem Feſti, & ejus Proceſſionis cum Cereis ita enarrat in memorato Sermone I. *Agitur autem hæc Feſtivitas menſe Februario, quem Romani adhuc Pagani a Februo, ideſt, Plutone ſic vocaverunt, quem potentiſſimum Purgationis credebant. Februare enim Purgare dicimus. Quo menſe luſtrabatur Civitas, & Diis Manibus offerebant Sacrificia, quorum auxilio, & virtute totum Orbem ſe ſubjugaſſe putabant. Quam luſtrandi conſuetudinem congrue, & religioſe Chriſtiana mutavit Religio; quum eodem menſe, ideſt, hodierna die, in honore ſanctæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ, non ſolum Clerus, ſed & omnis plebs, Eccleſiarum loca cum cereis, & diverſis hymnis luſtrantes circumeunt; non jam in memoriam terreni Imperii quinquennem, ſed ob recordationem cæleſtis Regni perennem; quando juxta Euangelicam parabolam, omnes Sancti cum bonorum operum lampadibus in fine mundi ſponſo Chriſto obviantes, ab eo in tha-*

Digitized by Google

thalamum æternæ felicitatis ſunt introducendi. Ita ſanctus Ildephonſus, qui mortem obiit anno Chriſti DCLXVII.

VI. Ildephonſi æqualis fuit S. Eligius Epiſcopus Noviodunenſis, ejuſque Sermo in Purificationem ſupereſt, ubi quæ ex Toletano Præſule attulimus, fuſius repetit in Homilia ſua II. In ipſa autem ſua Homilia memoratus Antiſtes Sanctus Eligius inter alia nos quidem hortatur, ut Deo Patri Filium ſuum offeramus tanquam ſcelerum expiationem, & per hanc ab ipſo crimina noſtra deleantur, dum ei cum Simeone occurimus, accenſas lampades præferentes, puras ſcilicet a ſcelere manus, & pectus divinarum rerum amore flagrans: *Cum Domina noſtra eum oblaturi, aut cum Simeone ſuſcepturi, cum Cereis, & hymnis, puritate mentis, atque lucidis operibus ſplendidi &c.* Quapropter, quod ſcribit Anaſtaſius in Vita Sergii Papæ, aliique eum ſequuti, conſtituiſſe ipſum, ut Litaniæ, ſive Proceſſiones quotannis fierent ab Eccleſia S. Adriani ad S. Mariam Majorem, *diebus Annunciationis, Nativitatis, & Dormitionis S. Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, ac S. Simeonis, quod Hypapantem Græci appellant*, ſtare minime poteſt, niſi dicamus, ex recitato loco evinci, ut Proceſſio, quæ in Purificationis Feſto fieri conſueverat, in aliis B. Mariæ Solemnitatibus celebraretur; vel quæ nulla prius determinata erat in loco, deinceps ab Eccleſia S. Adriani ad S. Mariam Majorem procederet, ut docet Martene loco citato, Num. II.

VII. Porro ante laudatos ſuperius Patres S. Ildephonſum, & S. Eligium, meminit hujus ſolemnitatis Liber Sacramentorum S. Gregorii, tum vero deinde Ordines antiqui Romani, & plerique omnes, qui de ſacris Eccleſiæ ritibus egerunt. In Capitularibus Caroli Magni ceteris Feſtis diebus additur *Purificatio Sanctæ Mariæ*, uti videre eſt Lib. I. Cap. CLXIV. ubi alias de Aſſumtionis Deiparæ feſto die ambigebatur, quamquam Lib. VI. Cap. CLXXXVI. & in Concilio Moguntino anni DCCCXIII. Can. XXXVI. non modo Purificationis Feſtum, ſed & Aſſumtionis expreſſe adnotatum ſit. Scribit autem Balutius in Notis ad Capitularia ipſa Regum Francorum, Pag. 1177. ſolum Purificationis ex omnibus B. Mariæ Feſtis olim excultum fuiſſe, cui deinde addita eſt Aſſumtio, tum Conceptio, Præſentatio, Annuntiatio &c. licet, uti obſervat Martene, in antiquis Gallicanis Miſſalibus a Cardinale Thomaſio vulgatis, & in vetuſtiſſimo Lectionario Luxovienſi, in quibus Aſſumtionis Feſtivitas reperitur, nulla Purificationis mentio habeatur.

VIII. Variis nominibus dictam fuiſſe eam celebritatem, ſcite notat Joannes Belethus, qui vixit XII. Seculo, in ſua divinorum Officiorum explicatione, Cap. LXXXI. Dicitur enim, ut idem inquit, vel *Purificatio B. Mariæ*, vel *Candelaria*, vel ὑπάντη *Domini*. Purificatio Beatæ Mariæ appellatur, quoniam illo die, qui eſt quadrageſimus a Natali Domini, venit ad Templum Virgo Maria ſecundum conſuetudinem Legis, ut purificaretur. Non quod immunda eſſet, ſed propter partum more aliarum mulierum; non enim erat obnoxia Legi, quæ hoc quidem pacto præcipit: *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine, maſculum peperit, ab ingreſſu Templi immunda erit triginta tribus diebus, a conſortio hominum, ſeptem*. Beata autem Virgo Maria non pepererat ex ſuſcepto ſemine juxta illud: *Non ex Viri ſemine &c.* voluit tamen Legis conſuetudinem obſervare, quoniam non venit Chriſtus Legem ſolvere, ſed adimplere.

IX. Hæc Belethus, qui mox enarrans, quare ipſa celebritas, *Candelaria* vocetur, aliam inquit auctoritatem non habere, ſed potius fluxum eſſe ab antiqua conſuetudine Ethnicorum, quia ſcilicet erat antiquitus Romæ conſuetudo, ut circa hoc tempus in principio Februarii Urbem luſtrarent, eam ambiendo cum ſuis Proceſſionibus, geſtantes ſinguli candelas ardentes, & vocabatur illud *Amburbale*. Atque ita ab hujuſmodi conſuetudine illud quod fiebat ab Ethnicis in uſus indiſcretos, circiter initium Februarii, a Chriſtianis modo fieri ait in Feſto Beatæ Mariæ ad laudem, & venerationem ipſius; vel ideo Candelas in Proceſſione portari ait, ut per hoc imitemur ſanctas Virgines, quarum Beata Maria caput eſt, ut nimirum accenſa nobis lampade caſtitatis, cum ea Templum Gloriæ, ad verum Sponſum ingredi mereamur. Addit tum alia Belethus, tandemque docet, ideo dici hoc Feſtum ὑπάντη *Domini*, quod Simeon, atque Anna Prophetiſſa Chriſto venerint obviam, cum a ſuis parentibus adferretur in Templum, ut præſentaretur; ὑπάντη enim, *obviatio*, ſive *præſentatio* dicta eſt.

X. Plura & de hoc Feſto tradit Durandus Lib. VII. ſui Rationalis, Cap. VII. Ritus præcipui illius Feſti ſunt Cereorum Benedictio, & ſolemnis cum illis accenſis Proceſſio. Hæc, quod ad calcandam præſertim Gentilium ſuperſtitionem inſtituta eſſet, Summi Pontifices, & Cardinales Romæ ex Eccleſia S. Adriani ad S. Mariæ Majoris Baſilicam nudis pedibus procedebant, ut patet ex antiquo Romano Ordine XII. Auctore Cencio, Cap. V. *Imagines præcedunt Dominum, Papam proceſſionaliter cantando uſque ad Eccleſiam Beatæ Mariæ Majoris, & Dominus Papa ſequitur Proceſſionem; cumque venerit ad portam ipſius Eccleſiæ, exuit planellos, & nudis pedibus vadit cum aliis in Proceſſione uſque ad prædictam Eccleſiam Beatæ Mariæ Majoris*. Tum monet ſciendum illud, quod *Dominus Papa in omnibus Proceſſionibus, in quibus pedes vadit, pedibus diſcalceatis incedit, una tantum excepta in exaltatione ſanctæ Crucis*. Peragendam ipſam Proceſſionem in die Purificationis Deiparæ nudis pedibus a Papa, Cardinalibus, & Prælatis, docet etiam in ſuo Romano Ordine XIV. Jacobus Gaetanus, Cap. LXXVIII.

XI. Conſueviſſe olim non modo Clerum, ſed & populum quoque eidem Proceſſioni intereſſe, & Cereos accenſos deferre, addiſcimus ex Hiſtoria S. Dunſtani Archiepiſcopi Cantuarienſis edita ab Osberto Monacho ejus diſcipulo, apud Surium XVIII. Maji, Cap. I. Cum enim ipſo Puri-

Digitized by Google

Purificationis die populus in Templo accenſas faces geſtaret, quas ad Aram obtulerat, illoſque nimbus repente decidens extinxiſſet, ait Auctor cæleſti quodam igne tunc Cereum matris S. Dunſtani accenſum fuiſſe, qui aliis admotus accendit pariter ceteros: *Pater Dunſtani cum matre ad Dei ſervitium properabant, ambo Cereos, quos pro ritu illius diei offerrent, deferentes. Jam Miſſæ officium celebrari cœperat, & immenſus populus immenſa luminum claritate refulgens, in domo Dei laudibus divinis intendebat &c.* Unuſquiſque ſcilicet, uti obſervat Thomaſſinus loco ſuperius citato, Num. VII. accenſum Cereum ferebat oblatum prius ad Aram, ut ad memoriam revocaret Verbum divinum, clariſſimum revera *Lumen ad revelationem Gentium*, quod ſinguli cum Deipara Patri offerebant, ſe ipſi quoque Deo dicantes tanquam lucis filios, juxta illud, *Ut filii lucis ambulate*.

XII. Quantum tandem ad noſtrum §. hoc unum dicit, videndum eſſe in præſenti Cap. XVI. *de Feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, in quo plura adhuc, neque in Miſſali, aut Pontificali Romano declarata, recenſenda veniunt*. Nos jam multa ex iis explicuimus, longe plura inferius enarraturi juxta ordinem Paragraphorum. Quæ enim huc uſque deſcripſimus, eo plane conſilio deſcripſimus, ne illotis, ut dici aſſolet, manibus Feſtum Purificationis antiquitate, ac variis ritibus celeberrimum ageremus.

§. II.

Præparanda igitur in primis erit Candelarum ceræ albæ ea copia, quæ ſufficiens videbitur pro Eccleſiæ qualitate, ac Canonicorum, aliorumque de gremio Eccleſiæ numero, nec non & pro laicis, quibus juxta conſuetudinem Eccleſiæ diſtribui ſoleant. Hæ omnes collocari poterunt ſuper aliqua menſa inter Altare, & Sedem Epiſcopi, ita ut Epiſcopus in ſua Sede ſtans, commode poſſit eas aſpergere, & thurificare poſt illarum Benedictionem.

§. III.

Paretur etiam Abacus juxta conſuetum, a latere Epiſtolæ, ſuper quo ponantur ultra duo candelabra cum luminaribus, & alia conſueta, & ordinaria, quæ ſuperioribus Capitibus demonſtrata fuerunt, nempe vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, thuribulum cum navicula, vaſa ad abluendum manus cum medulla panis, mantile ad extergendum, mappa altera linea pulchre laborata, apponenda ſuper gremio Epiſcopi, cum incipit Candelas diſtribuere.

§. IV.

Super Altari ponentur per Sacriſtam paramenta pro Epiſcopo, ſuo ordine, coloris, violacei, videlicet, Amictus, Alba, Cingulum, Crux pectoralis, Stola, Pluviale, & Mitra ſimplex: ipſum vero Altare habeat duo pallia, videlicet alterum album, & ſupra illud alterum violaceum, removendum poſt Proceſſionem; niſi Feſtum venerit in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, ut infra dicemus.

§. V.

Deputentur Cuſtodes, qui Populum arceant, ſi forte tumultuoſius irrueret, ne indecenter Epiſcopum opprimat.

COMMENTARIUS.

I. QUæ pro Candelarum Benedictione in Feſto Purificationis Deiparæ præparanda ſunt, in quatuor hiſce Paragraphis edicitur: *Præparanda in primis erit*, inquit Rubrica II. §. *Candelarum ceræ albæ ea copia, quæ ſufficiens videbitur pro Eccleſiæ qualitate, & Canonicorum, aliorumque de gremio Eccleſiæ numero, necnon & pro laicis, quibus juxta conſuetudinem Eccleſiæ diſtribui ſoleant*. Hinc in Pontificia Capella, ut teſtatur in ſuo Cæremoniali Patricius, Lib. II. Sectione I. Cap. XXVIII. ubi agitur de Feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, primo ordinantur Candelæ in loco convenienti benedicendæ, & diſtribuendæ

Digitized by Google

buendæ per illos, ad quos ſpectat, videlicet duo Cerei magni, ponderis viginti librarum, vel circa, deaurati, depicti, & alius minor etiam pulchre ornatus, quem Pontifex in Proceſſione in manu portat; item faculæ ceræ albæ pro Cardinalibus, Regibus, & Maximis Principibus, ponderis trium librarum quælibet, vel circa; item faculæ in numero ſufficienti pro Oratoribus, & Prælatis ceræ communis, ponderis duarum librarum quælibet; item faculæ unius libræ in numero ſufficienti pro Subdiaconis, Auditoribus, Clericis Cameræ, Acolythis, Cubiculariis, Cæremoniariis, Scutiferis Papæ, & aliis Officialibus; item faculæ mediæ libræ in numero copioſo pro Populo.

II. Hi plane Cerei præparandi ſunt in Pontificia Capella juxta Cæremoniale Auguſtini Patricii, nam quantum ad ceteras Eccleſias Cathedrales ea copia Candelarum ceræ albæ præparari debet, *quæ ſufficiens videbitur pro Eccleſiæ qualitate*, ut ait noſter §. II. Quapropter ſi Eccleſia ſit valde inſignis, vel, ſi in ea ſit Epiſcopus Cardinalis, tunc, ut docet Craſſus in ſuo Cæremoniali Lib. II. Cap. XLII. *primo Candelæ præparantur in aliquali majore copia, quam alias fieri ſoleat, propter præſentiam Cardinalis, tam circa quantitatem in ſumma, quam circa qualitatem in pondere, & in forma, & ut plures ſint Candelæ, ac de materia ſinceriore, & cera candidiore, ſi, & prout eidem placuerit.* Advertendum addit, ut nulla Candela, quæ in Eccleſia intra rem divinam diſtribuitur, ſit variegata, vel auro diſtincta, præter unicam pro Domino Cardinali, quam ipſe manu ſua in Proceſſione portabit. Præparandos duos item Cereos ſubdit, quemlibet ponderis octo librarum, vel circa, *quaſi duo magna funalia, quæ in Proceſſione portabuntur ad latera Cardinalis.*

III. Rurſus, ſi, & prout placuerit Cardinali, pro ejus liberalitate, & munificentia, præparari poſſe ait Craſſus aliquas libras Candelarum minorum ex cera communi, vel, ut placebit, videlicet, de illis, quarum decem integram faciunt libram, & eas per ſuum Vicarium, vel alium dignum Canonicum ad Populum in medio Eccleſiæ exſpectantem Candelas projici ex alto ſuggeſtu, ubi eſt Organum, & eum locum ornari pannis aulicis prius poſſe, atque hujuſmodi projectionem fieri, quando jam Cardinalis finiverit dare Candelas ſuas Clero, & nobiliori Populo intra Chorum exiſtenti, ſcilicet interim dum Proceſſio parabitur. Præparandam quoque inquit menſam altam prope Altare tangentem ipſum cornu Epiſtolæ ſuper gradibus Altaris erectam, ubi ſuperponantur Candelæ benedicendæ, & aſperſorium, & incenſum, & Liber Benedictionum, & duo bacilia, ſive fontes cum mica panis, & mantile pro lotione manuum Cardinalis ſolemniter fienda, & etiam unum mantile, ſive gremiale lineum album, & duo candelabra cum lumine.

IV. Ita Craſſus; verum ex præſcripto noſtri §. II. & III. duo præparandi ſunt Abaci, ſeu menſæ; alter ſcilicet Abacus, ſuper quo collocentur Candelæ, *inter Altare, & Sedem Epiſcopi, itaut Epiſcopus in ſua Sede ſtans, commode poſſit eas aſpergere, & thurificare poſt illarum benedictionem*; alter vero *juxta conſuetum a latere Epiſtolæ, ſuper quo ponantur ultra duo candelabra cum luminaribus, & alia conſueta, & ordinaria, quæ ſuperioribus Capitibus demonſtrata fuerunt, nempe vas aquæ benedictæ cum aſperſorio &c.* In Capella Pontificia juxta Cæremoniale Auguſtini Patricii, Credentiarii Papæ ordinant in loco, ubi Candelarum diſtributio fit, *in angulo ſuper Altare, vel in alio loco condecenti, vaſa, & aquam pro lavandis manibus Papæ, cum mantili, & gremiali, ac medulla panis*; Clerici vero Capellæ præparant *in loco convenienti duo candelabra cum luminaribus, vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, & thuribulum cum navicella.*

V. Quod Cereos ſpectat, teſtatur Martenius, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XV. Pag. 126. quod in quibuſdam locis ſinguli ſingulos in manibus Cereos tenebant, dum Benedictio perageretur, ut in Eccleſiis Lemovicenſibus ſancti Stephani, & S. Martialis, ſed alibi paſſim ſuper Altare, aut ſuper tapetem, deponebantur ante Sacerdotem benedicentem: *Proſternatur tapete, & deſuper ponantur Candelæ.* Verba ſunt ms. Pontificalis Eccleſiæ Biſuntinæ apud laudatum Martenium. Juxta hodiernum morem inſtrui Abacus ſolet pulcro linteo tectus, in eoque non Candelæ ipſæ, ſed ciſta poni cum Candelis.

VI. Paranda in medio Altaris pro Cardinali Epiſcopo, vel etiam alio Epiſcopo non Cardinali benedicturo Candelas, in Cæremoniali Paridis Craſſi hæc recenſentur: *Amictus, Stola violacea, & ſimiliter Pluviale violaceum potius ſimplex, quam pretioſum, & Mitra ſimplex ex damaſco albo, & Annulus Pontificalis, & Baculus paſtoralis, & nulla alia penitus paramenta.* Omiſit Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, quæ quidem ex noſtro §. IV. ſuper Altari locari debent, & inter alia ſuper ipſo Altari locandum dixit Baculum Paſtoralem, qui alias ex generalibus Cæremonialis Rubricis nequaquam ſuper ipſo Altari locandus eſt, ſed alio loco.

VII. Altare præterea parandum eſſe pallio coloris violacei, quod tamen poſtea removendum eſt finita Proceſſione, edicit idem noſter §. IV. eſtque is antiquus ritus ſervatus jam in Pontificia Capella, & in Eccleſia Romana, cum ea ſcilicet diſtinctione, quam in ſuo Romano Ordine XIV. Cap. XLIX. docet Jacobus Gaetanus, qui poſtquam dixit, ſanctam ipſam Romanam Eccleſiam *in omnibus Feſtis ſanctæ Dei Genitricis Mariæ colore albo uti*, ita mox ſubjicit: *In receptione tamen Candelarum in Feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis utitur colore violaceo, & poſtea in Miſſa albo.* Tum etiam Cap. LII. ubi agit de uſu violacei coloris, ait, eo colore uti Eccleſiam Romanam *in Feſto Purificationis Beatæ Mariæ in receptione Candelarum in Proceſſione.* Mirum autem illud eſt, quod cum ipſe Ordo non ſemel dixerit, adhibendum eſſe violaceum colorem in Benedictione Candelarum, tum Cap. LXXVIII. quod

Digitized by Google

quod eſt de Benedictione Cereorum, quæ fit in die Purificationis Beatæ Mariæ, ita præſcribat: *In Feſto Purificationis Beatæ Mariæ Cerei benedicuntur per juniorem Presbyterum Cardinalem, qui eſſe debet indutus Rocheto albo, Amictu, Stola, & Pluviali albi coloris.* Pugnant hæc quidem cum ſupradictis, & generalibus Rubricis Romanæ Eccleſiæ ab aliis etiam Auctoribus memoratis, inter quos Durandus, Lib. III. ſui Rationalis, Cap. XVIII. Num. IX. inquit, Eccleſiam Romanam ſemper uti colore violaceo *in Proceſſione, quæ fit in Purificatione ante Miſſam pro eo, quod officium illud eſt de anxia expectatione Simeonis, & ſapit vetus Teſtamentum.*

VIII. Putat autem Gavantus in Rubricas Miſſalis, Parte I. Tit. XVIII. Num. V. rationem adhibendi coloris violacei in ipſa Benedictione Candelarum, & Proceſſione, eſſe Prophetiam Simeonis ad Matrem Chriſti illis verbis: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; nam alioquin Miſſa, quæ pertinet ad puritatem Virginis ejuſdem, quæ purificari dicitur, celebratur cum colore albo. Ita ille, poſtquam citavit Alcuinum ajentem, in Candelarum Benedictione, & Proceſſione colorem nigrum adhiberi; quod tamen mirum videri non debet, quum, uti alias jam dictum eſt, color niger pro violaceo uſurpatus fuerit. Ceterum cur in Candelarum Benedictione, & Proceſſione, Altaris pallium, & paramenta Epiſcopi, aliorumque Miniſtrorum violacei coloris eſſe debeant, ratio potiſſima eſt, quod ipſa Proceſſio inſtituta ad calcandam præcipue ſuperſtitionem gentilium, pœnitentiæ indicium eſt, ideoque in ea Proceſſione Romæ Summi Pontifices, Cardinales, Prælati, ſicut in die Cinerum, nudis pedibus incedebant.

IX. Finita Proceſſione removendum eſt ab Altari pallium violaceum, itemque a Miniſtris violacea paramenta deponenda; in Miſſa enim hujus Feſti alba ex antiquo ritu adhibenda ſunt paramenta, *niſi Feſtum venerit in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ*, ut infra dicetur in §. XVII. Ex præſcripto demum præſentis noſtri §. v. deputandi ſunt *Cuſtodes, qui Populum arceant, ſi forte tumultuoſius irrueret*, ad accipiendum ſcilicet Candelas, *ne indecenter Epiſcopum opprimat*. Id quod etiam in ſuo Cæremoniali notavit Craſſus Lib. II. Cap. XLII. ubi ait, deputandos eſſe aliquos cuſtodes *cum baculis*, quorum aliqui venturos ad ſumendas Candelas admittant, alii eoſdem Candelis habitis excludant recedentes; *alioquin*, inquit, *poterit multa confuſio intervenire cum oppreſſione, & indecentia Cardinalis rem divinam peragentis*. Certe periculoſa eſt ſemper hujuſmodi Candelarum diſtributio; nam ut ait Patricius Libro I. ſui Cæremonialis Sectione XV. Cap. I. de morte, & exequiis Cardinalium loquens, in quibus ſuo ævo Candelæ præſentibus tam mulieribus, quam viris diſpenſabantur, *ob ſtrepitum, & clamorem petentium, & rapientium Candelas, divinorum Officium, & funebris Oratio admodum conturbatur*. Eſt ſane abuſus, ſed longe turpior abuſus illorum Cuſtodum, nam ipſi utplurimum ſua impudentia tumultum excitant, & avaritia adacti Candelas rapiunt, vel quibus volunt, donant.

§. VI.

His præordinatis, hora competenti Epiſcopus in ſua Cappa a Canonicis aſſociatus veniet ad Eccleſiam, & facta Oratione, accedet ad Sedem ſuam, ubi depoſita Cappa, accipit paramenta ſupradicta, ſuo ordine, afferentibus ea ab Altari Acolythis, ſeu Miniſtris, Cottis indutis; acceptoque Pluviali, & Mitra ſedet. Interim Canonici omnes in locis ſuis ſtantes, ſeu in Sacriſtia, ſi prope eſt, accipiunt ſacra paramenta eis convenientia, prout ſuperius declaratum fuit; eo excepto, quod Diaconi, aut Subdiaconi, non quidem Dalmaticis, & Tunicellis, ſed Planetis ante pectus plicatis in hujuſmodi Officio utuntur, cum ſit feriale; & ſi commode paramenta haberi nequeant pro omnibus Canonicis, quatuor, aut ſex digniores ſaltem induantur Pluvialibus, ut ibidem dictum fuit.

§. VII.

Quibus paratis, Epiſcopus in dicta ſua Sede depoſita Mitra, ſtans Benedictionem Candelarum faciet, Capellano, qui ei de illo ſervit, Librum ſuſtinente manibus; incipiens competenti voce in tono feriali Benedictionem, dicit, *Dominus vobiſcum*, cum Orationibus, prout in Miſſali: & reſpiciens aliquantulum verſus Candelas. Cum incipit ultimam Orationem, accedunt ad eum duo Acolythi, unus cum thuribulo & navicula, alter vero cum vaſe aquæ benedictæ, & aſperſorio.

COMMENTARIUS.

I. OMnibus præordinatis, & Horis Canonicis expeditis, ut notat Craſſus in ſuo Cæremoniali, Lib. II. Cap. XLII. *hora competenti*, ut ait noſter §. VI. *Epiſcopus in ſua Cappa a Canonicis aſſociatus*, a cubiculo ſcilicet Palatii Epiſcopalis, juxta diſciplinam alias expli-

Digitized by Google

explicatam, *veniet ad Eccleſiam*, Organis continue, & inceſſanter ſonantibus uſque ad principium benedictionis, ex eodem Craſſo, & ex generalibus Cæremonialis noſtri Rubricis; *& facta Oratione*, prius nempe ad Altare Sanctiſſimi Sacramenti, & deinde ad Altare majus, *accedet ad Sedem ſuam, ubi* ſedens tantiſper, ac deinde ſurgens, *depoſita Cappa*, ſive, ut ait Craſſus, ſpoliatus Cappa per ſuos Scutiferos, *accipit paramenta ſupradicta, ſuo ordine afferentibus ea ab Altari Acolythis, ſeu Miniſtris Cottis indutis*, ideſt, per aſſiſtentes Canonicos induetur Amictu, Alba, Stola ante pectus, Cruce pectorali, *acceptoque Pluviali, & Mitra*, ſcilicet ſimplici, *ſedet*. Idipſum quoque Scriptores alii docent.

II. Interim ex præſcripto ejuſdem noſtri §. VI. *Canonici omnes in locis ſuis ſtantes, ſeu in Sacriſtia, ſi prope eſt, accipiunt ſacra paramenta* violacei coloris, *cis convenientia, prout ſuperius declaratum fuit*, nempe quilibet ſui Ordinis, *eo excepto, quod Diaconi, aut Subdiaconi, non quidem Dalmaticis, & Tunicellis, ſed Planetis plicatis ante pectus in hujuſmodi officio utuntur, cum ſit feriale*. Idem plane, quod in noſtro hoc §. tradit in ſuo Cæremoniali Patricius loco citato, ex cujus verbis §. noſter magis etiam magiſque illuſtratur. Sic enim ille de Summo Pontifice benedictionem ipſam Candelarum peracturo inquit: *Facta Oratione ante Altare, cum ſederit, Cardinales faciunt reverentiam in Cappis conſuetis, duo ultimi remanent in aſſiſtentia Papæ; & Diaconi duo aſſiſtentes vadunt ad Sedes ſuas, & ibi capiunt paramenta*. Et mox: *Cardinales alii interim in locis ſuis, & Prælati extra Capellam capiunt paramenta violacei coloris, ſtatui ſuo, & ordini convenientia*. Tum vero ita: *Diaconi Cardinales portant Planetas plicatas ante pectus*. Addit deinde & illud, quod ſolent tum, quando Papa benedicit, & diſtribuit Candelas in parva Capella, ad evitandam frequentiam, Cardinales, & alii Officiales omnes accipere paramenta, & Cottas in Camera Paramenti, & venire cum Papa parati ſacris veſtibus, non tamen ſupplicantium more.

III. Sed hi ritus ſunt Pontificiæ Capellæ, ut autem nos ad noſtrum Cæremoniale deveniamus, ex præſcripto §. VII. paratis jam omnibus, *Epiſcopus in dicta ſua Sede, depoſita Mitra, ſtans, benedictionem Candelarum faciet, Capellano, qui ei de Libro ſervit, Librum ſuſtinente manibus*, ideſt, ſuppoſitis, non autem hinc inde extenſis, ut ait inter alios Bauldryus, & non ſine abuſu ab aliquibus fieri ſolet; itemque alio Capellano de candela eam tenente, uti notat Caſtaldus in Libro III. Sectione III. Cap. VI. Num. III. *incipiens competenti voce in tono feriali benedictionem, dicit*, Dominus vobiſcum, *cum orationibus, prout in Miſſali; & reſpiciens aliquantulum verſus Candelas*. Ita quoque in Capella Pontificia, teſte Patricio, *Papa, miniſtrantibus Epiſcopis Librum, & candelam, & Aſſiſtentibus duobus Diaconibus Cardinalibus more ſolito, ſtans, detracta Mitra, benedicit Candelas verſus ad illas, ſummiſſa voce dicens*, Dominus vobiſcum, Oremus, Domine ſancte Pater &c. *cum quatuor ſequentibus, prout in Ordinario*.

IV. Porro ex Cæremoniali Craſſi Epiſcopus tametſi Cardinalis non in Sede ſua, ſed in Altari, *ad cornu Epiſtolæ, ſtans medius inter Miniſtros ſuos, elevatis ad Candelas manibus, & facie aliquantulum ad illas verſa, non cantando ſed competenti, & intelligibili voce legendo, incipiet Verſum, videlicet*, Adjutorium noſtrum &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum. Oremus. Domine ſancte Pater &c. *cum quatuor ſequentibus Orationibus*. Præmittendos Orationibus hiſce citatos Verſiculos, *Adjutorium noſtrum &c.* mera opinio Craſſi eſt, ſolus enim ille Verſiculus, *Dominus vobiſcum*, ex Cæremoniali Patricii, & ex Miſſalibus Libris præmittendus eſt, tametſi in nonnullis mſs. Ordinibus a Martenio allatis, etiam ipſe Verſiculus deſideretur, incipiatque ipſa benedictio Candelarum abſolute ab Orationibus.

V. At vero antequam de Orationibus ipſis dicamus, notanda hic quædam ſunt, ac primum quidem, licet Purificationis Feſtum, & Proceſſio cum Cereis, vetus ſit in Eccleſia, uti ſuperius probatum fuit, non tamen adeo vetuſtam Cereorum eſſe benedictionem, quia ſcilicet, uti notavit ipſe Martenius de ea benedictione, *nulla fit mentio apud Amalarium, Walfridum, & vulgatum Alcuinum, qui Cereos tantum a Pontifice dari aſſerit; ſed neque in Gelaſiano, Gregoriano, Gellonenſi, aliiſque ſupra nongentos annos ſcriptis Sacramentariis aliquid ea de re extat*. In antiquo Miſſali Eccleſiæ Turonenſis ante annos DCCC. ſcripto unicam inquit *Orationem ad luminaria benedicenda* reperiri, quæ & eſt hujuſmodi: *Deus verum lumen æternæ lucis propagator, & auctor, infunde cordibus tuorum fidelium perpetui luminis claritatem, ut quicumque in Templo ſancto gloriæ tuæ præſentium luminum adornantur lucernis, omnium vitiorum contagiis expiati, in Templo cæleſtis habitationis tuæ, cum fructu bonorum operum tibi valeant præſentari. Per*.

VI. In quibuſdam præterea Eccleſiis, ac præſertim in Arelatenſi, ut ex ejus Pontificali addiſcimus, ante Cereorum benedictionem Epiſcopus veſtimentis Pontificalibus indutus, aſcendens Tribunam, faciebat ibi Sermonem ad Populum, vel in alio loco magis competenti; eoque finito, rediens ad Altare benedicebat ignem, tum vero Cereos ex illo accendendos. Ex ipſo Pontificali Oratio ad benedicendum ignem hæc erat: *Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere digneris ignem iſtum, quem nos indigni famuli tui per invocationem Unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti benedicere præſumimus, & eum clementiſſime tua benedictione ſanctifica, & ad profectum, atque illuminationem ſanctæ tuæ Eccleſiæ pervenire concede. Per*. Meminit ejus ritus benedicendi in die Purificationis Deiparæ novum ignem prius e ſilice excuſſum, unde Cerei accendendi erant, S. Bernardus Sermone II. De purificatione, Num. I. &

Digitized by Google

præter laudatum Pontificale Arelatense, decernunt idipsum alii Codices antiqui Missales, notati a Martenio in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XV. Pag. 126.

VII Servatum fuisse eundem ritum in Ecclesiis etiam Monachorum, egregie ostendit in alio suo insigni Opere, *De antiquis Monachorum ritibus*, Lib. III. Cap. VII. Num. XIX. memoratus Auctor, qui inter alia vetera monumenta affert locum mss. Consuetudinum Canonicorum Regularium S. Rufi, quæ ita præscribunt: *Igitur post Tertiam induti, Sacerdos in Cappa, Ministri in Albis, & Ceroferarii duo, & ad Crucem tertius, paratisque Cereis, & igne de silice, vel cristallo noviter excusso, prius a Sacrario cum* Miserere mei Deus, *procedant ad Altare S. Augustini, ibique Sacerdos benedicat ignem, & post dicit ibi Sacerdos Orationem*, Domine sancte Pater &c. *Alia*. Domine Deus, Pater omnipotens lumen, indeficiens, conditor omnium luminum; *cum Psalmo*, Lætatus sum; *deinde veniant ad Altare majus, ubi benedicens Cereos, aspergat eos aqua benedicta*. Ex ms. Codice Ecclesiæ Narbonensis ante annos DC. exarato post illuminatum Cereum ex igne novo benedicto dicebatur illa Oratio, cujus initium ex dictis Consuetudinibus Canonicorum Regularium S. Rufi est hujusmodi: *Domine sancte Pater, Exaudi nos lumen indeficiens, tu es Sanctus omnium conditor luminum. Bene ✠ die Domine hoc lumen, quod a te sanctificatum, & benedictum est; & sicut tu illuminasti omnem mundum, sic ab eo lumine accendamur, & illuminemur igne charitatis; sicut illuminasti Moysen, ita illumina corda nostra, & sensus nostros, ut ad vitam æternam pervenire mereamur. Per.*

VIII. Quamquam denique ex Missali Romano ad benedicendas Candelas quinque extent Orationes, quarum etiam prima, tertia, quarta, & quinta leguntur in Pontificali Ecclesiæ Apamiensis in Syria, constat nihilominus ex Codicibus vetustioribus benedictionem ipsarum paucioribus Orationibus completam fuisse. Unicam dumtaxat assignat antiquum Missale Ecclesiæ Turonensis ante annos DCCC. exaratum, unicamque Codex Corbejensis, & alii. Duas legere est in antiquis Missalibus Bituricensi, Catalaunensi, & Pictavensi, itemque in Rituali Suessionensi, & Turonensi S. Martini, atque in antiquo Codice Floriacensi, quibus etiam sancti Euangelii lectio pronuncianda præmittitur. Præscribit autem tres Orationes Ordinarium Silvanectense, uti & Pontificale Ecclesiæ Antisiodorensis. In Codice tandem Ecclesiæ Narbonensis, quem supra laudavimus, tres quidem extant ad benedicendum Candelas Orationes, præter Orationem ad benedicendum novum ignem, & Præfationem, quæ post secundam Orationem dicebatur. Sed de hujusmodi variationibus satis.

§. VIII.

Finita benedictione, Episcopus ministrante naviculam Presbytero assistente parato, qui tunc cum præfatis Ministris accedit, imponit incensum in thuribulum, & benedicit more solito: deinde accepto Aspersorio de manu ejusdem Assistentis, aspergit in medio, a dexteris, & a siniſtris ter Candelas; & ab eodem accipiens thuribulum, simili modo ter illas thurificat; tum sedet accepta Mitra, & dignior Canonicus paratus accipit de manu Sacristæ, sive Camerarii Candelam pulchre ornatam, & cum debita reverentia illam osculatam dat in manu Episcopi, quam pariter osculatur; Episcopus vero illam tradit alicui ex suis Capellanis tenendam prope Altare.

COMMENTARIUS.

I. SI Cæremoniale Capellæ Pontificiæ spectemus, Auctore Patricio Lib. II. Sectione I. Cap. XXVIII. *incepta quinta Oratione per Pontificem, vocatur prior Presbyterorum Cardinalium, accedit ad Pontificem, cum eo duo Acoluthi Superpelliceis induti, unus cum thuribulo, & navicella, alius cum vase aquæ benedictæ, & Aspersorio &c.* Sed ex Rubrica nostri hujus §. *finita benedictione*, ideſt, recitatis quinque Orationibus, quæ leguntur in Missali Romano, *ministrante naviculam Presbytero assistente parato, qui tunc*, ideſt, post finitam benedictionem, & absolutas ipsas quinque Orationes, *cum præfatis Ministris accedit*, nempe cum altero de thuribulo, & altero de vase aquæ benedictæ, *imponit incensum in thuribulum, & benedicit more solito*. Ita §. noster, cui majoris explicationis gratia in novo hoc Cæremoniali verba quidem illa addita sunt: *qui tunc cum præfatis Ministris accedit*.

II. Impoſito per Episcopum in thuribulum incenso, ac more solito benedicto, *deinde accepto Aspersorio de manu ejusdem Assistentis, aspergit in medio, a dexteris, & a siniſtris ter Candelas; & ab eodem accipiens thuribulum, simili modo ter illas thurificat*; dicens Antiphonam, ut ait Bauldryus post Castaldum, *Asperges me &c.* dum eas aspergit, ut in Missali, post recognitionem scilicet Urbani VIII. edito, in quo ita legitur: *Ter aspergit Candelas aqua benedicta, dicendo Antiphonam*, Asperges me, *sine cantu, & sine Psalmo*. Porro concinit noster §. Pontificiæ Capellæ ritui, nam, ut ait in suo Cæremoniali Patricius, *finita benedictione, imponit incensum in thuribulum more consueto, deinde accepto Aspersorio de manu Presbyteri Cardinalis*

Digitized by Google

nalis, ſtans ſine Mitra aſpergit tertio Candelas, & deinde incenſat ducens ter thuribulum.

III. Uſus thurificandi Cereos benedictos, eoſque aqua benedicta aſpergendi legitur quidem in antiquis Pontificalibus, atque Miſſalibus. Mandat namque poſt Romanos Ordines Pontificale Eccleſiæ Apamenſis in Syria, ut dictis Orationibus, *tunc aſpergantur Cerei aqua benedicta, & thure adoleantur*. Idem edicitur in Ordinario Eccleſiæ Cabilonenſis, atque in aliis etiam antiquis Miſſalibus; verum ex Pontificali Eccleſiæ Arelatenſis, & ex Miſſali Eccleſiæ Rotomagenſis aſperguntur quidem aqua benedicta Cerei, ſed non incenſantur. Sola item aqua benedicta Cereos aſpergebant complures Monachi, nempe inter alios Dionyſiani, Compendienſes, Tullenſes, Ciſtercienſes, & Carthuſiani, eaque apud ipſos Carthuſianos a Procuratore cum Aſperſorio ad Sacerdotem allata; ſed Caſſinenſes, Cluniacenſes, Beccenſes, Lyrenſes, Burſfeldenſes, & Caſalini Monachi ad aquæ benedictæ aſperſionem, thuris etiam ad Cereos incenſationem adhibebant, uti videre apud Martenium.

IV. Ex præſcripto demum Pontificalis Eccleſiæ Antiſiodorenſis, facta benedictione, thurificandi ſunt Cerei, ſed *thurificato prius Altari*. Erat hic ritus aliarum etiam Eccleſiarum præſertim Monachorum, ut enim teſtatur Martenius, Lib. III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. VII. Num. XVIII. Pariſienſes S. Germani, Divionenſis S. Benigni, & Corbejenſes Cereos non incenſabant, niſi thurificato prius Altari. Ita quippe iſti in antiquiori Ordinario: *Poſt conſecrationem*, ideſt benedictionem Cereorum, quæ in antiquis multis Codicibus etiam *conſecratio* appellatur, *aqua benedicta aſperguntur, & prius incenſato Altari, incenſantur*. Et illi in mſs. ſuis Conſuetudinibus: *Dabitur incenſum Abbati ad benedicendum; Abbas autem incenſabit majus Altare tantum, poſtea Cereos. Incenſatis vero Cereis, aſperget eos aqua benedicta*. Idem videre eſt in Ordinario S. Petri ſupra Divam: *Deinde Abbas aſpergat Cereos aqua benedicta, offerens incenſum ſuper Altare, & ſuper Cereos, canentibus interim omnibus Antiphonam*: Hodie Beata Virgo Maria &c.

V. Candelis thurificatis, Epiſcopus *ſedet*, ait noſter §. *accepta Mitra, & dignior Canonicus paratus accipit de manu Sacriſtæ, ſive Camerarii Candelam pulchre ornatam, & cum debita reverentia illam oſculatam dat in manu Epiſcopi, quam pariter oſculatur*. Ita quoque & in Pontificia Capella ſedet poſt incenſatas Candelas Pontifex, *& imponitur ei Mitra; tum prior Epiſcoporum Cardinalium accedit ad Papam, & accipit duos magnos Cereos de manu Camerarii, vel ejus locum tenentis, cui Clerici Cameræ eos ſubminiſtrant, & illos dat Domino Papæ cum debitis reverentiis, oſculando primo Cereum, deinde manum Pontificis, cum Pontifex eos tangit*. Ait mox, Cereos duos magnos dari ad mandatum Papæ duobus Nobilibus, quorum alter inſignior videlicet vadit ad dexteram, alter ad ſiniſtram Papæ, & ibidem ſtantes eos tenent uſque ad finem Miſſæ. Poſt ipſos magnos Cereos ait idem Patricius, dari Pontifici alium Cereum minorem ornatum, quem deinde ſervat unus ex Cubiculariis Cameræ, iſtoque Cereo uti Papam in toto Officio, quod celebratur in ipſo Feſto Purificationis Deiparæ Virginis.

VI. Juxta hucuſque enarratum ritum Pontificiæ Capellæ, loquitur plane & Craſſus Lib. II. *De Cæremoniis Cardinalium, & Epiſcoporum in eorum Diœceſibus*, Cap. XLII. his verbis: *Archidiaconus, vel Archipresbyter, aut dignior Canonicus, niſi aliquis Canonicus ſit alioquin Prælatus, ſtans ante Cardinalem, dat cum oſculis primo illas duas magnas Candelas, deinde ſucceſſive illam parvam faculam auratam, aut ſimiliter, Cardinali, qui illas ſuis manibus conſignat tenendas uſque ad finem Miſſæ dictis Scutiferis, quorum alter in Euangelii, alter in Epiſtolæ cornibus ſtant: parvam vero dat uni ex Capellanis conſervandam, donec ipſe vadit ad Proceſſionem*. Etiam ex noſtro §. Epiſcopus ubi Candelam pulchre ornatam de manu dignioris Canonici parati accepit, *illam tradit alicui ex ſuis Capellanis tenendam prope Altare*. Utrum Epiſcopus, quum accipit Candelam, deoſculari illam debeat, affirmat quidem Bauldryus, tametſi nec §. noſter, nec Cæremoniale Patricii, neque Cæremoniale Craſſi, nec alii Libri Rituales quamvis recentiores eam deoſculationem innuant.

VII. Illud ſane certum eſt non modo ex ſententia Scriptorum, & ex praxi inſignium Eccleſiarum complurium, ſed ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis firmatum in Brixien. die XXVIII. Maji anni MDCXVI. Candelam benedictam in Eccleſia Cathedrali debere Epiſcopo miniſtrari a prima Dignitate, uti videre eſt apud Barboſam, *De Parochis*, Cap. XII. Num. VI., & apud Meratum, qui in Additionibus ad Gavantum alius Decreti meminit ejuſdem Congregationis die XIV. Junii anni MDCVII.

§. IX.

Tunc elevatis hinc inde fimbriis Pluvialis Epiſcopi per Diaconos aſſiſtentes, ponitur ſuper ejus gremio per duos Capellanos mappa prædicta, & ſtatim per Capellanos, ſive Acolythos, capiuntur de menſa, ſive de manu Camerarii, aut Sacriſtæ, aut alterius ad eam curam deputati, Candelæ grandiores pro Canonicis, & porriguntur ad manus Diaconi aſſiſtentis ad ſiniſtram Epiſcopi, qui illas continuo miniſtrat Epiſcopo, eodemque tempore dignior ille Canonicus Pluviali indutus,

Digitized by Google

dutus, facit reverentiam, primo Altari, deinde Episcopo, ascendit ad eum, & accipit ab eo Candelam, osculando illam, & manum Episcopi reverenter: & tunc Cantores incipiunt cantare Antiphonam, *Lumen ad revelationem gentium &c.*



COMMENTARIUS.

I. ACcepta Candela ab Episcopo, eaque tradita alicui ex suis Capellanis tenenda prope Altare, ut dictum est supra in §. VIII. *tunc*, ait hic §. noster, *elevatis hinc inde fimbriis Pluvialis Episcopi per Diaconos assistentes, ponitur super ejus gremio per duos Capellanos mappa prædicta*, quam ipsi scilicet tenent genuflexi hinc inde, ut post Crassum, & Patricium notat Bauldryus, donec tota distributio facta sit: *Duo Auditores*, inquit in suo Cæremoniali Patricius, *a Credentiariis Papæ mappulam sumentes, eam per Cardinales assistentes, gremio Pontificis imponunt, & hinc inde genuflexi illam tenent*. Crassus vero ita eum ritum explicat: *Ministri dilatant Pluviale ante pectus Cardinalis, & extendunt unam mappam, sive mantile pro gremiali super genibus Cardinalis, quod duo Capellani hinc inde genuflexi tenent*.

II. Imposita mappa super gremio Episcopi, *statim*, inquit noster §. *per Capellanos, sive Acolythos, capiuntur de mensa, sive de manu Camerarii, aut Sacristæ, aut alterius ad eam curam deputati Candelæ grandiores pro Canonicis, & porriguntur ad manus Diaconi assistentis ad sinistram Episcopi, qui illas continuo ministrat Episcopo*, altero scilicet, qui est a dexteris elevante fimbriam Pluvialis dexteram, ut expeditior sit Episcopus ad tradendum Candelas; eodemque tempore dignior ille Canonicus Pluviali indutus, servatis certis ritibus in §. nostro notatis, primus omnium Candelam de manu Episcopi accipit, osculando illam, & manum Episcopi reverenter, & tunc Cantores incipiunt cantare Antiphonam, *Lumen ad revelationem gentium &c.* quæ tamen juxta Cæremoniale Pontificiæ Capellæ, Auctore Patricio, cantari incipit, *cum Papæ cerei dantur*. Verum concinit nostro §. Crassus, qui ita in suo Cæremoniali scripsit: *Cum Cardinalis incipit distribuere, & Chorus ipse incipit*, Lumen ad revelationem &c.

III. Eidem huic nostro §. nostræque in ipsum enarrationi mirifice suffragatur idem doctissimus Auctor Crassus, sic inquiens: *Candelas omnes per Cardinalem distribuendas Canonicus ille, qui assistit ad sinistram, Cardinali ministrat acceptas a Camerario, vel Syndico Ecclesiæ de Abaco placide, & modeste cum osculo cujuslibet Candelæ. Alter vero, qui assistit ad dexteram, sustinet Pluviale a suo latere, & singulos venientes admonet, & instruit, quomodo debeant osculari manum, & Candelam, & sic incipiunt bini venire, qui venturi sunt*. Et paulo post: *Qui Cardinali Candelas dedit, ille debet primus omnium similiter capere reverenter cum osculis manus, & Candelæ*. Etiam ex Cæremoniali Patricii, in Capella Pontificia Candelas *Pontifex incipit distribuere Dominis Cardinalibus secundum ordinem, incipiendo a seniore, idest, ab eo, qui sibi Cereos dedit*.

IV. Hinc,

Digitized by Google

IV. Hinc, ſicut in Eccleſiis Cathedralibus Candela benedicta ex Decreto etiam Sacræ Rituum Congregationis ſuperius allato, debet Epiſcopo miniſtrari a prima Dignitate, ita quoque Candelam ab Epiſcopo accipere debet ante omnes, etiam ante Vicarium Generalem ille dignior Canonicus, qui Candelam Epiſcopo miniſtravit, ex ejuſdem Sacræ Rituum Congregationis Decreto in Lucerina XIV. Junii anni MDCVIII. quæ etiam in una S. Marci die V. Martii MDCXXXIII. cenſuit, quod Epiſcopo diſtribuenti Candelas, Cineres, & Palmas, præferendus eſt ille, a quo Epiſcopus prædicta recepit, poſt quem Dignitates, & Canonici ſacris veſtibus induti, & ante omnes Vicarius Generalis, poſt illum ſcilicet, qui Candelam tradidit Epiſcopo, recipiunt. Extant ea Decreta apud Barboſam, in Tractatu, *De officio, & poteſtate Parochi*, Cap. XII. Num. VI. & ſeq. ubi etiam ait, eodem die V. Martii, & anno MDCXXXIII. ipſam Sacram Rituum Congregationem in Vulteran. Terræ Gualdi declaraſſe, quod in diſtributione Candelarum, Cinerum, Palmarum, & ſimilium ſupra omnes alios, etiam ſupra Vicarium Generalem præferenda eſt illa Dignitas, vel Canonicus, a quo Celebrans recepit Candelam, Cinerem, Palmam, & alia, poſt quem immediate Vicarius Generalis in præmiſſis omnibus anteponendus eſt.

§. X.

Similiter & alii Canonici parati ordine ſuo, accipiunt Candelas: poſt eos Magiſtratus, & Officiales majores Civitatis, deinde alii Presbyteri, Acolythi, & Clerici de gremio Eccleſiæ, & Capellani Epiſcopi, Cottis induti: demum alii Nobiles Civitatis, niſi adeſſet laudabilis conſuetudo, ut Clerici omnes tam parati, quam cum Cottis acciperent Candelas ante laicos, quæ ſervanda eſſet, & Familiares ipſius Epiſcopi, & alii de populo, quibus, & quot Epiſcopo placuerit dare; non tamen, mulieribus, quæ a ſeniori Dignitate, vel Canonico cum Cotta, & Stola parato ſeorſum illas accipiunt.

§. XI.

Sed Canonici parati non genuflectunt ante Epiſcopum, quando capiunt Candelas, ſed tantum profunde inclinant: alii vero Eccleſiaſtici cum Cottis, & laici genuflexi, capiunt, & manum Epiſcopi cum Candela oſculantur.

§. XII.

Interim aliquis de Capitulo, ad quem ſpectat, ſi Epiſcopo placuerit, & ſit conſuetudo Eccleſiæ, ſeorſum diſtribuit Candelas minutiores populo utriuſque ſexus.

COMMENTARIUS.

I. QUemadmodum in Pontificia Capella Cardinales in Candelarum receptione, cæteris omnibus præferuntur, ita & in Eccleſiis Cathedralibus Canonici, qui, ut ait §. noſter X. *parati ordine ſuo accipiunt Candelas*, cum oſculis ſcilicet Candelæ, & manus Epiſcopi, non tamen ante ipſum genuflectentes, ſed tantum profunde inclinati, ut in §. XI. edicitur, conſentanee ad regulam iterum atque iterum repetitam, quæ dicit, neque ad Epiſcopalem benedictionem debere Canonicos genuflectere. Ex ſententia Craſſi accepturi Candelas, bini, & bini ad Epiſcopum veniunt, & *ſe invicem ex honeſtate invitare ad prius capiendas illas poſſunt, ſi volunt*. Putat is idem Auctor, quod, *ſi Archidiaconus, & Archipresbyter, & Vicarius Canonicatum etiam haberent, ipſi, vel eorum alter, qui duas Dignitates haberet, etiam duas Candelas habere deberet, & ſimiliter ille ex Canonicis, qui eſt Miſſam celebraturus, duas habeat, prout etiam reſpective Papa cum ſuis Cardinalibus facit*. Porro ſolent hodieque in multis Eccleſiis, ac Romæ præſertim in Eccleſia Oratorii S. Hieronymi Charitatis, ejuſdem Oratorii Patribus duæ Candelæ auratæ dari, quarum inferior accenditur ad Proceſſionem grandiore integra apud eoſdem remanente.

II. Exceptis iis, qui cum paramentis aſſiſtunt Epiſcopo in Sede Pontificali exiſtenti, ante Canonicos & Dignitates dandam eſſe Vicario Generali ab Epiſcopo Candelam die Purificationis, ſicut & Palmam in Dominica Palmarum, cenſuit Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſita in Biſinianen. die XVI. Maji anni MDC. apud Barboſam in Tractatu, *De Canonicis, & Dignitatibus*, Capite XVIII. Num. XXVII. Ex præſcripto noſtri §. X. poſt Canonicos accipiunt Candelas *Magiſtratus, & Officiales Civitatis*, qui etiam, ſicut Canonici, non genuflectunt, ut putat Craſſus; cui tamen minime adhæreo; cum ex præſcripto noſtri §. XI. *Canonici quidem parati non genuflectunt, ſed*

Digitized by Google

ſed tantum profunde inclinant; *alii vero Eccleſiaſtici cum Cottis*, *& laici genuflexi capiunt Candelas*, *& manum Epiſcopi cum Candela oſculantur*. Sane poſt Magiſtratum, & Officiales Civitatis Candelas accipiunt *alii Presbyteri*, *Acolythi*, *& Clerici de gremio Eccleſiæ*, *& Capellani Epiſcopi Cottis induti*: *demum alii Nobiles Civitatis*, *niſi adeſſet laudabilis conſuetudo*, *ut Clerici omnes tam parati*, *quam cum Cottis acciperent Candelas ante laicos*, *quæ ſervanda eſſet*. Poſt Nobiles Candelas accipiunt *Familiares ipſius Epiſcopi*, *& alii de populo*, *quibus*, *& quot Epiſcopo placuerit dare*; neque enim in magnis Civitatibus, & ubi magna hominum multitudo concurrit ad accipiendam Candelam, ſatisfieri omnibus poteſt, dieſque integra vix ſatis eſſet ad Candelas ſingulis diſtribuendas.

III. Præterea, ut in eodem noſtro §. x. edicitur, mulieres non ab Epiſcopo, ſed *a ſeniori Dignitate*, *vel Canonico cum Cotta*, *& Stola parato ſeorſum* Candelas accipiant; indecens enim foret, ut ipſæ Mulieres tunc ad Thronum Epiſcopi ſacris Miniſtris ſeptum accederent. Porro quod de mulieribus in ipſo §. præſcriptum eſt, intelligendum eſſe autumo de Mulieribus nobilibus, quæ ſcilicet non ab Epiſcopo, ſed a ſeniori Dignitate, vel Canonico, ut ſupra, *ſeorſum*, ideſt, a ceteris, tum Viris, tum Mulieribus Candelas accipiunt, nam alias ex præſcripto §. XII. *interim aliquis de Capitulo*, *ad quem ſpectat*, *ſi Epiſcopo placuerit*, *diſtribuit Candelas minutiores populo utriuſque ſexus*. Itaque Craſſo minime adhæreo, dum ait, eſſe in arbitrio Epiſcopi, finita ſua diſtributione, facere *Candelas alias ex ſuggeſtu in medium Eccleſiæ projici ad populum*, per Vicarium ſcilicet, vel ſeniorem Canonicum, *adjuvante Camerario*, *vel Syndico Eccleſiæ*. Sed hoc eſſet excitare tumultum in Eccleſia, & rixas, aliis alios ad colligendas Candelas prementibus, uti non ſemel alicubi vidi.

§. XIII.

Finita diſtributione, Epiſcopus, portante lances Nobili, vel Scutifero, lavat manus more ſolito; prout ſupra de Miſſa dictum fuit, & amovetur de ejus gremio mappa prædicta; & interim Cantores cantant, *Exurge Domine &c.* cum Pſalmo, & repetita Antiphona, ipſe ſurgit, depoſita Mitra, & verſus Altare cantat, *Oremus*, & ſi fuerit poſt Septuageſimam, & non in Dominica, Diaconus aſſiſtens a dexteris dicit alta voce, *Flectamus genua*, & omnes genuflectunt, alter a ſiniſtris, *Levate*, & omnes ſurgunt, & Epiſcopus cantat Orationem, *Exaudi quæſumus Domine &c.* cum ſua concluſione, prout in Miſſali, accedentibus Acolythis cum candelabris, ut alias.

COMMENTARIUS.

I. UBi Epiſcopus diſtributionem Candelarum abſolvit, quas ſcilicet ipſe diſtribuit, tametſi Canonicus occupatus ſit in Candelis populo utriuſque ſexus diſtribuendis, *portante lances Nobili*, *vel Scutifero*, *lavat manus more ſolito &c.* eas mundans cum medulla panis, jam ad hunc finem ſuper Abaco præparata, uti habetur ſupra in §. II. *& amovetur de ejus gremio mappa prædicta*, *& interim Cantores cantant*, Exurge Domine &c. *cum Pſalmo*, qui eſt XLIII. & incipit, *Deus auribus noſtris audivimus &c.* legiturque non modo in Miſſali Romano, ſed & in antiquis Codicibus a Martenio allatis in Opere, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XV. & Lib. III. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VII. Repetita Antiphona, ex præſcripto noſtri §. *ipſe ſurgit*, nempe Epiſcopus, *depoſita Mitra*, *& verſus Altare cantat*, Oremus; *& ſi fuerit poſt Septuageſimam*, *& non in Dominica*, *Diaconus aſſiſtens a dexteris dicit alta voce*, Flectamus genua, *& omnes genuflectunt*, verſus Altare, ut ait Patricius; *alter a ſiniſtris*, Levate, *& omnes ſurgunt*, *& Epiſcopus cantat Orationem*, Exaudi quæſumus Domine &c.

II. Idem hic ritus habetur in Ordine XII. Romano, Auctore Cencio, Cap. V. Num. XI. *Completa*, inquit, *a Primiceriis Antiphona*, *Dominus Papa dicit*, Oremus; *& Diaconus*, Flectamus genua; *& alii Diaconi*, Levate; *& Dominus Papa dicit Orationem de Collecta*, ſcilicet, *Preces populi tui &c.* Alia aſſignatur Oratio ad Collectam in Sacramentario Gregoriano, nempe, *Erudi quæſumus plebem tuam &c.* quæ eadem cum Oratione, quæ in Miſſali habetur, eſt; licet in ipſo Miſſali Oratio incipiat per verbum, *Exaudi*, non vero, *Erudi*. Eſt autem Oratio ad Collectam illa, quæ dicitur in loco, ubi fit Collecta, ſeu conventus ad Proceſſionem, qua de re egregie diſſerit Clariſſimus Mabillonius Tomo II. Muſei Italici in eruditiſſimo ſuo ad Romanum Ordinem Commentario. Ceterum ut ex recitato Ordine Romano conſtat, antiquus eſt ritus, ut Orationi ipſi præmittatur, *Flectamus genua*, & *Levate*; quod tamen intelligendum eſt juxta Rubricam hujus noſtri §. ſi Feſtum Purificationis celebretur *poſt Septuageſimam*, *& non in Dominica*; quod enim in Dominica præſertim genua flectere non debeamus, jam Patres Concilii I. Nicæni conſtituerunt Can. XX. quem nos I. noſtro Tomo Conciliorum fuſe explicuimus.

III. Cantandam ipſam Orationem, *Exaudi quæſumus Domine &c.* ab Epiſcopo, *in feriali*, *& æquali*

Digitized by Google

& æquali tono, docet in ſuo Cæremoniali Craſſus, ſub ea tamen concluſione, *prout in Miſſali*, nempe, *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, ut hic noſter §. & tradit in Cæremoniali ſuo Auguſtinus Patricius, qui etiam paulo ante dixerat, quod *lotis manibus accedunt ante Pontificem duo Acolythi, cum candelabris & luminaribus, & deponitur Mitra Papæ, qui ſurgit, & Epiſcopis aſſiſtentibus ex more Librum miniſtrantibus, dicit cantando*, in tono ſcilicet feriali, *Oremus &c.*

§. XIV.

Qua finita, ſedet, & accipit Mitram, & iterum imponit incenſum in thuribulum, miniſtrantibus Presbytero aſſiſtente, & Acolytho, ut ſupra.

I. XV.

Interim accenditur Candela Epiſcopi, quam tenet ejus Cubicularius, ſeu Capellanus, ut ſupra, & pariter omnium aliorum, maxime de Clero, niſi a principio fuiſſent accenſæ; & ordinatur per Cæremoniarium Proceſſio circumcirca Eccleſiam, vel alias juxta ritum Eccleſiarum, in qua, poſt dictum a primo Diacono aſſiſtente, *Procedamus in pace*, alta & ſonora voce verſus populum; & reſponſo a Choro, *In nomine Chriſti, Amen*, ante Crucem præcedit Thuriferarius, & ante Thuriferarium Cantores: poſt Thuriferarium duo Acolythi cum candelabris, & cereis ardentibus, & inter eos medius Subdiaconus, paratus Planeta ante pectus plicata ſuper Albam ſine Manipulo, portans Crucem; poſt Crucem Beneficiati, & alii de Clero cum Cottis bini, & poſt eos Canonici parati, pariter bini, & mox Epiſcopus cum Mitra, medius inter duos Diaconos aſſiſtentes paratos, Pluvialis latera elevantes, omneſque ſuas Candelas accenſas manibus propriis deferentes; Epiſcopus ſuam Candelam ſiniſtra gerit, & dextera benedicit. Quod ſi erit Archiepiſcopus, Crux portabitur ſolummodo ante Canonicos tantum.



COMMENTARIUS.

I. FInita Oratione, *Exaudi quæſumus Domine &c.* de qua ſupra §. XIII. Epiſcopus *ſedet, & accipit Mitram*, inquit §. noſter XIV. *& iterum imponit incenſum &c.* Idem legitur in Cæremoniali Pontificiæ Capellæ: *Qua finita*, inquit, ideſt Oratione, *Papa ſedet, & acci-*

Digitized by Google

accipit Mitram, *& priore Presbyterorum Cardinalium*, qui tunc fungitur officio Presbyteri assistentis, *& Acolutho ministrantibus*, illo scilicet naviculam, & isto thuribulum, *imponit incensum pro supplicatione more consueto*, *& Cantores incipiunt Antiphonam*, Cum appropinquaret Dominus. *Accenduntur Candelæ*, *& fit supplicatio more solito &c.* Ex nostro §. xv. interim dum Episcopus imponit incensum in thuribulum, *accenditur Candela Episcopi*, *quam tenet ejus Cubicularius*, *seu Capellanus*, *ut supra*, *& pariter omnium aliorum*, *maxime de Clero*, *nisi a principio fuissent accensæ*.

II. Juxta antiquum ritum Ecclesiæ Narbonensis, ut in ejus ms. Codice legitur ante annos DC. exarato, aspersis aqua benedicta Cereis, seu Candelis, Diaconus tenens Candelam accensam novo igne, de quo supra dictum est, versa facie ad populum *suppressa voce*, ajebat: *Venite*, *& accendite*; respondebatque Chorus: *Aptate vestras lampades*, *Ecce sponsus venit*, *exite obviam ei*. Sed audiamus Rubricam ipsius Codicis, cujus hæc sunt verba, quæ mox sequuntur: *Et dicatur ter*, *semper elevando vocem*, *& dum Antiphona prædicto modo cantatur*, *omnes circumstantes accendant Candelas suas eis traditas juxta morem Ecclesiæ nova lumine*: *quibus accensis*, *Cantor incipiat sequentem Antiphonam*, Lumen ad revelationem &c. *& Chorus cantet eam totam*; *qua finita*, *Cantor incipiat Psalmum*, Nunc dimittis; *& post quemlibet ℣. repetitur*. *Deinde cantatur Antiphona*, Exurge, *& Psalmus*, Deus auribus nostris &c. *& repetitur Antiphona &c.* tametsi, ut idem Codex testatur, *in aliquibus Ecclesiis* diceretur *solum primus versus ipsius Psalmi*.

III. Similis fere huic ritui fuit ritus insignis Ecclesiæ Arelatensis, uti ex illius ms. Pontificali addiscimus, ex cujus præscripto, benedicto novo igne, aspersi ab Archiepiscopo aqua benedicta Cerei, ipsi mox accendebantur, & distribuebantur Canonicis, & Clericis, qui etiam dum accenderentur, Cantor incipiebat, *Venite*, *& accendite lampades &c.* Sed longum esset varios antiquos variarum Ecclesiarum ritus describere, qui tamen quoad substantiam, ut dici assolet, omnes conveniunt; in omnibus enim fere Ecclesiis jam multis ab hinc seculis in usu fuit benedictio Cereorum in die Purificationis Deiparæ, itemque Processio cum Cereis accensis. Quocirca nihil est in hoc Capite, & præsenti §. quod novitatem sapiat, ubi mandat, accendi Cereos, & ordinari per Cæremoniarium Processionem, *circumcirca Ecclesiam*, *vel alias*, *juxta ritum Ecclesiarum*, *in qua post dictum a primo Diacono assistente*, Procedamus in pace, *alta & sonora voce versus populum*, *& responso a Choro*, In nomine Christi, Amen, *ante Crucem præcedit &c.*

IV. Verba illa, quæ post Orationem, & ante Processionem, profert Diaconus, nempe, *Procedamus in pace*, cui omnis Chorus respondet; *In nomine Christi*, *Amen*, extant in ipso XII. Romano Ordine, Auctore Cencio, & in aliis priscis Codicibus, in quibus etiam Processionis mentio fit, quæ eo die nudis pedibus, & quidem per longum iter habebatur, de una Ecclesia ad aliam, præsertim vero Romæ, ut Romanus idem Ordo testatur. Sed quicquid sit de antiquis ritibus, ex præscripto nostri §. fit Processio ista *circumcirca Ecclesiam*, *vel alias juxta ritum Ecclesiarum*; ad denotandam scilicet Processionem illam, quam Beata Virgo, & S. Joseph ad Templum fecerunt, ut inquit in suo Rationali Durandus Libro VII. Cap. VI. Num. XII. sive, ut ait Jacobus Eveillon in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Capite VII. instituta fuit hæc Processio ab Ecclesia in memoriam illius diei, quo, Christo cum Matre, & Josepho ad Templum accedenti obviam venerunt Simeon, & Anna gratulantes, & benedicentes Deum, uti habetur in Euangelio Lucæ, Cap. II. unde hujus solemnitatis Officium exorditur Ecclesia ab Invitatorio, *Ecce venit ad Templum sanctum suum Dominator Dominus*; *gaude*, *& lætare Sion*, *occurrens Deo tuo*.

V. Ordinanda est autem sic: *Ante Crucem præcedit Thuriferarius*, *& ante Thuriferarium Cantores*; *post Thuriferarium duo Acolythi cum candelabris*, *& Cereis ardentibus*, *& inter eos medius Subdiaconus paratus Planeta ante pectus plicata super Albam sine Manipulo*, *portans Crucem*; *Beneficiati &c.* ut in nostro §. cujus verba perspicua sunt cuique illa legenti. Cur autem in ipsa Processione ferantur Cerei accensi, & benedicti, pluribus post alios Scriptores Durandus explicat loco citato, & post Durandum memoratus Eveillon, ubi ait, fieri eam Processionem cum luminaribus ad eum usum benedictis, ut Fideles Christo salutis suæ causa in mundum venienti occurrentes, eum pio affectu, & grati animi complexu excipiant ac venerentur, lucentium Candelarum symbolo profitentes fidem suam de veritate Humanitatis, & Divinitatis ejus carnis sanctitatem pura cera, Divinitatis gloriam lumine ex benedictione indito significantes; ac simul eidem gratiarum actiones, ac laudis hymnos accinant de cordibus suis, quod venerit *Lumen ad revelationem gentium*, *& gloriam plebis suæ Israel*; confitentes se de ejus plenitudine omnem gratiam sanctificationis, & doctrinæ cælestis accepisse, sicut de igne Cerei Sacerdotalis, qui Christum repræsentat, omnes omnium Cerei lumen concipiunt, atque in tanti beneficii gratiam ei sua corda sinceræ charitatis igne ardentia offerunt.

VI. Placuit hæc adnotare, longeque plura videri possunt apud Durandum, & nonnulla etiam apud Schœpperum in Christianis Institutionibus Concione XXIX. ac præsertim in Actis aureis Ecclesiæ Mediolanensis; decet enim, ut Episcopi Sermonem ad populum faciant, rituque exponant benedictionis Candelarum, ac Processionis, quæ ex antiquo ritu hodieque in Ecclesiis peragi solet. Id autem quod ab Episcopis in Cathedralibus Ecclesiis præstandum est, peragi quoque in Ecclesiis suis a Parochis debet. Verum multi nostra hac tempestate ex iis inveniuntur, qui sua quærentes, non quæ Jesu Christi, ignorant, quæ scire ipsi, & populum suum docere debent.

§. XVI.

Digitized by Google

§. XVI.

Interea, dum fit Proceſſio, Canonicus, aut alius Miſſam celebraturus, cum Diacono, & Subdiacono, capiunt ſua paramenta convenientia, ideſt, albi coloris; & Diaconus, & Subdiaconus, accipiunt Dalmaticam, & Tunicellam; pariter mutantur paramenta Altaris, & Sedis Epiſcopalis, & amovetur Abacus, & loco illius ponitur menſula, ut ſupra ſuo loco dictum fuit, eſſe faciendum, non celebrante Epiſcopo.

§. XVII.

Sed ſi hujuſmodi Feſtum veniret in Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ, non mutantur paramenta Altaris, nec Epiſcopi, ſed remanent eadem violacea; & Diaconus, & Subdiaconus utuntur, Dalmatica, & Tunicella, quia fit de Miſſa de Dominica, ſecundum regulam in Rubricis Miſſalis ſub hoc Feſto poſitam, & Candelæ amplius non accenduntur, neque ad Euangelium, neque ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti.

§. XVIII.

Finita Proceſſione, & Canonici Chorum ingreſſi deponunt Paramenta, & Candelas extinguunt.

COMMENTARIUS.

I. QUum ſola Candelarum benedictio, & Proceſſio ad Officium feriale pertineat, non vero Miſſa Purificationis Deiparæ, ideo mandat §. noſter XVI. ut interim, dum fit Proceſſio, Canonicus, aut alias Miſſam ipſam celebraturus cum Diacono, & Subdiacono, capiant ſua paramenta ſibi convenientia, ideſt, albi coloris, Diaconus ſcilicet Dalmaticam, Subdiaconus vero Tunicellam; mutatis etiam paramentis Altaris, & Sedis Epiſcopalis violaceis, & amoto Abaco, locoque illius poſita menſula, ut ſupra ſuo loco diximus faciendum, non celebrante Epiſcopo. Ceterum ſi hujuſmodi Feſtum incideret in Dominicam Septuageſimæ &c. tunc, ut ait noſter §. XVII. *non mutantur paramenta Altaris, nec Epiſcopi, ſed remanent eadem violacea; & Diaconus, & Subdiaconus utuntur Dalmatica, & Tunicella*, violacei ſcilicet coloris, *quia fit de Miſſa de Dominica ſecundum regulam in Rubricis Miſſalis ſub hoc Feſto poſitam*; nempe Parte IV. Tit. XIV. Num. III. ubi etiam ſtatuitur, fieri tunc ſolum Candelarum benedictionem, diſtributionem, & Proceſſionem, Miſſam vero Feſti tunc eſſe transferendam in ſequentem diem. Id quod jam olim notavit in ſuo Ordine XIV. Romano Jacobus Gaetanus, Cap. LXXVIII. *Et ſi Feſtum hoc cadit in Septuageſima, vel Sexageſima, transfertur in diem Lunæ*. Decretum ea in re a Clemente VI. editum, in ipſam Rubricam Miſſalis notat Gavantus.

II. Ratio hujus ritus ea profecto eſt, quia ex generalibus Romani Breviarii Rubricis Dominicæ iſtæ, Septuageſima, Sexageſima, & Quinquageſima de illis ſunt, quæ ſecundæ Claſſis dicuntur, quæque *non omittuntur, niſi occurrente Patrono, vel Titulari Eccleſiæ, & ejuſdem Dedicatione*. Hinc ſi Feſtum celebretur in Eccleſiis Purificationi Virginis dicatis, tunc licet in Dominicam Septuageſimæ incideret, Miſſa etiam de ipſa Purificatione celebranda eſt ſub paramentis albis, ut edicit noſtrum Cæremoniale infra §. XX. cujus locum fruſtra quidem Scriptores ad alias quaſcumque Eccleſias extendunt Deiparæ dicatas. Vide Guyetum in ſua Heortologia, Libro IV. Cap. XVIII. Quæſtione XIX. Ceterum ubi Feſtum ipſum, ſive Miſſa Purificationis transfertur in aliam diem, tunc Candelæ finita Proceſſione omnino extinguuntur, & deponuntur, non enim amplius ſunt accendendæ, *neque ad Euangelium, neque ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti*, ut ait noſter §. XVII. quia ſcilicet alias tunc accendi deberent, ſi Miſſa de Purificatione celebraretur, & quidem ex ritu in Pontificia Capella jam olim ſervato, quem ita enarrat in ſuo Cæremoniali Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. XXVIII. *Antequam incipiatur Euangelium, accenduntur omnes Cerei, & per Papam, Cardinales, & Prælatos, & alios omnes accenſi teneantur in manibus uſque ad finem Euangelii. Deinde redduntur ſervitoribus, qui eos ardentes tenent uſque poſt Communionem*.

III. Itaque in hac Miſſa hoc ſpeciale eſt, ut juxta præſcriptum noſtri Cæremonialis infra §. XIX. ac uſum inſignium Eccleſiarum, & communem Scriptorum ſententiam, qui Rubricas Miſſalis explicant, dum cantatur Euangelium, Candelæ in Proceſſione delatæ teneantur accenſæ, eoque dicto, extinguantur, accendendæ iterum paulo ante elevationem Sanctiſſimi Sacramenti, & tenendæ accenſæ uſque ad completam

Digitized by Google

Communionem Celebrantis, & Fidelium, non tamen a Miniſtris Altaris, ſed ab omnibus aliis, uti notavit Bauldryus in ſuo Manuali, Parte IV. Cap. III. Articulo III. Num. x. Itaque paulo ante Euangelium, & ante Sanctiſſimi Sacramenti elevationem, Acolythus, aut aliquis alius Miniſter, ſumto lumine de lampade, vel de candelabris Ceroferariorum, accedit ad Chorum cum debita reverentia, & primam Candelam cujuſque ordinis accendit, alii vero Clerici ſibi mutuo Candelas accendunt. Celebrans autem Epiſcopus, data benedictione Diacono Euangelium cantaturo, ſtans in cornu Epiſtolæ accipit a Diacono in ſiniſtra parte aſſiſtente, uti ex Ordine Romano XV. Auctore Amelio, Cap. XXII. addiſcimus, Candelam ſuam accenſam, eamque tenet uſque ad totam ſolemnem Euangelii lectionem, qua finita, eandem reddit ipſi Diacono aſſiſtenti, a quo illam acceperat, antequam ſcilicet Librum oſculetur.

IV. Ex præſcripto inſuper §. XVIII. *finita Proceſſione, & Canonici Chorum ingreſſi deponunt paramenta*, violacea ſcilicet, *& Candelas extinguunt*, ut nimirum iterum accendantur, ſi celebretur Miſſa de Feſto Purificationis, ad Euangelium, & ad elevationem, uti dictum eſt; nam alias Candelas ipſas omnino ſervarent, non enim accendendæ eſſent amplius, ſi Miſſa de Dominica celebraretur.

§. XIX.

Epiſcopus vero, cum pervenerit ad Altare, ante infimum gradum, ſi Miſſa fiat de Feſto, deponit Pluviale, & paramenta violacea, & accipit alba, & incipit Confeſſionem, ſtante a ſiniſtris ejus Celebrante, aliquanto retro ipſum Epiſcopum. Miſſa vero continuatur, prout in Capite IX. hujus Lib. II. de Miſſa, quæ coram Epiſcopo celebratur, excepto, quod, dum inchoatur Euangelium, Epiſcopus, & omnes capiunt ſuas Candelas accenſas in manibus uſque ad finem Euangelii, & iterum ad elevationem Sanctiſſimi Sacramenti eas tenent accenſas uſque poſt Communionem; ſi vero fieret Miſſa de Dominica, ut ſupra, Candelæ non accenduntur.

COMMENTARIUS.

I. ABſoluta Proceſſione, cum Epiſcopus *pervenerit ad Altare*, ſi Miſſam non eſt ipſe celebraturus, *ante infimum gradum, ſi Miſſa fiat de Feſto, deponit Pluviale, & paramenta violacea, & accipit alba, & incipit Confeſſionem, ſtante a ſiniſtris ejus Celebrante &c.* Verba illa, *ſtante Celebrante*, correcta hic primum a nobis ſunt; nam in editionibus Romæ factis anno MDCCXXIX. non ſine fœdo, ac gravi ſive Typographi, ſive Amanuenſis errore, ita in hoc §. legitur: *& incipit Confeſſionem, ſtans a ſiniſtris ejus Celebrans &c.* Antiqua Cæremonialia ante novum Benedicti XIII. edita ſic inquiunt: *deponit Pluviale, & paramenta violacea, & accipit alba, quod decentius eſſet, vel Cappam, & incipit Confeſſionem ſtans a dexteris Celebrantis.* Sed audiamus Craſſum Lib. II. Cap. XLII. ſic ajentem: *Exuatur paramentis, & induatur Cappa, & illico adſit ad ejus ſiniſtram Celebraturus, & inchoetur Confeſſio, & Miſſa, cujus Miniſtri induuntur paramentis albis*; ubi ſcilicet Miſſa de Feſto Purificationis celebretur; *& propterea*, ut mox idem Auctor ſubjicit, *Diaconus, & Subdiaconus debent eſſe parati Dalmatica, & Tunicella*, & Gloria in excelſis, *intonatur in tono Apoſtolorum, & unica Oratio dicitur.*

II. Unum præcipue eſt, in quo a Rubrica noſtri §. diſſentit Craſſus, ubi ſcilicet ait, Candelas accendi quidem, & manibus teneri accenſas dum inchoatur Euangelium uſque ad finem illius, ſed cum illæ iterum ad elevationem Sacramenti accenduntur, poſt elevationem debere eaſdem extingui; conſtat enim ex hoc noſtro §. & ex aliis, quæ in ſuperiori Commentario notavimus, Candelas quæ accenduntur ad Sanctiſſimi Sacramenti elevationem, debere accenſas teneri manibus uſque ad Communionem incluſive, & non modo Celebrantis, & Miniſtrorum, verum etiam cæterorum Fidelium, qui ſcilicet de manu ipſius Celebrantis Euchariſtiam acciperent.

III. Idem quod in noſtro §. præſcriptum eſt, legitur quoque in Ordine Romano XV. Auctore Amelio, Cap. XXII. ubi inter alia ita inquit: *Si vero Papa non celebrat illa die, ſtatim datis Cereis . . . . . vadit coram Altari ad faciendum more ſolito Confeſſionem, incipiendo*: Introibo ad Altare Dei, *cum illo, qui celebrat, exiſtente a ſiniſtris verſa facie ad Papam, junctis manibus, cum Miniſtris ſuis duobus Diaconis Cardinalibus Papæ aſſiſtentibus, uno a dexteris, & alio a ſiniſtris, Papa etiam vultu verſo, & ſine Mitra erga Celebrantem.* Et mox: *Qua Confeſſione facta, & data abſolutione Papæ, Papa vadit ad Sedem ſuam, & ſtando dicit Introitum Miſſæ &c.*

§. XX.

Sed ſi Epiſcopus vellet etiam Miſſam celebrare, quod convenit, præcipue ſi Feſtum Purificationis ſit Titulus Eccleſiæ, non removetur Abacus, & Epiſcopus ſtans incipit

Digitized by Google

cipit Tertiam, ut alias; deinde accipit Caligas, & Sandalia, & legit Pſalmos, *Quam dilecta &c.* & omnes Orationes ſequentes; tum lavat manus, & depoſito Pluviali, Cingulum album, & Stolam albam accipit, Cingulo, ac Stola violaceis depoſitis; tum Tunicellam, Dalmaticam, Chirothecas, Planetam, Mitram, Annulum, Baculum paſtoralem, ut ſupra in Cap. XIV. §. IX. hujus Lib. II. de Vigilia Nativitatis Domini &c. Canonici etiam in reditu a Proceſſione debent eo caſu, depoſitis Paramentis violaceis, accipere alba, & illa retinere per totam Miſſam.

§. XXI.

In reliquis, ut ſupra, & Miſſa celebratur cum Cæremoniis, & ſolemnitatibus, prout in Cap. VIII. hujus Lib. II. de Miſſa ſolemni, Epiſcopo celebrante.

COMMENTARIUS.

I. PRoceſſione finita, ſi Epiſcopus vellet etiam in hac Beatæ Virginis Feſtivitate Miſſam Pontificali, & ſolemni ritu celebrare, quod, ut ait §. noſter XX. convenit, præcipue ſi Feſtum Purificationis ſit Titulus Eccleſiæ, in qua Feſtivitas Virginis celebratur, non removetur Abacus, & Epiſcopus ſtans incipit Tertiam, ut alias dictum eſt, ac præſertim Cap. VIII. hujus Libri, quod eſt de Miſſa ſolemni Epiſcopo celebrante, cujus Cæremoniæ, ac Ritus ſervari etiam debent in hac Miſſa Purificationis, uti monet §. noſter XXI. Itaque poſtquam Epiſcopus Tertiam incœpit, accipit Caligas, & Sandalia, & legit Pſalmos Præparationis ad Miſſam, *Quam dilecta &c.* & omnes Orationes ſequentes; tum lavat manus, ut moris eſt, *& depoſito Pluviali, Cingulum album, & Stolam albam accipit*, Cingulo ſcilicet, ac Stola violaceis depoſitis; tum alias veſtes Pontificales, in ipſo §. XX. enumeratas, in quo nulla fit mentio Crucis pectoralis, quia ſcilicet illam jam antea acceperat, ubi Amictum, Albam, aliaſque veſtes induit pro Cereis benedicendis, de quibus ſupra. Canonici tandem *etiam in reditu a Proceſſione debent eo caſu*, ubi ſcilicet celebrat Epiſcopus Miſſam de Feſto Purificationis, *depoſitis paramentis violaceis, accipere alba, & illa retinere per totam Miſſam*. Id quod etiam tradit Amelius in ſuo Romano Ordine XV. Cap. XXII. ubi loquitur de Cardinalibus, qui Miſſæ, quæ per Papam ipſo die Purificationis Deiparæ Virginis in Pontificia Capella ſolemniter celebratur, aſſiſtunt. Afferri & alii poſſent Rituales Libri recentiores, qui eadem docent; ſed ſatis ſint hactenus dicta.

CAP. XVII.

In Catbedralibus, abſente Epiſcopo, & in Collegiatis, quæ præparanda pro Benedictione Candelarum in Feſto Purificationis. Quis benedictionem faciat. Candelæ quomodo diſtribuantur. Proceſſio quomodo fiat. Candelæ quando accendantur.

§. I.

Abſente Epiſcopo, etiam in Collegiatis paretur Altare, ut in præcedenti Capite dictum eſt: Candelæ vero benedicendæ collocentur in cornu Epiſtolæ ſuper aliqua parva menſa: ibidem ponatur vas cum aqua benedicta, & Aſperſorio, ac thuribulum cum navicula, & incenſo; & hora competenti, ideſt, dicta Tertia, Canonicus hebdomadarius, ſive Dignitas, vel alius, ad quem de conſuetudine Eccleſiæ celebrare ſpectat, paretur in Sacriſtia Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violaceo, una cum duobus aliis Canonicis habitu Diaconali, & Subdiaconali, ejuſdem coloris indutis, excepto Manipulo, videlicet, cum Planetis plicatis ante pectus; & conſidentibus omnibus aliis Canonicis habitu Canonicali indutis, hinc inde in locis ſuis, una cum Beneficiatis, ſeu Manſionariis, & Clericis, accedet dictus Canonicus celebraturus cum Miniſtris, & tranſeundo, ſalutat hinc inde Chorum; ac inde facta reverentia Altari cum genuflexione, ſi ibi aderit Sanctiſſimum Sacramentum, ſin minus, cum profunda capitis inclinatione, aſcendet ad Altare, & ibidem in cornu Epiſtolæ ſtans, aſſiſtentibus Diacono, & Subdiacono, benedicet Candelas, prout in Miſſali, & finita ultima Oratione, Celebrans, miniſtrante Diacono, imponet thus in thuribulum; quo impoſito, accipiet de manu ejuſdem Dia-

Digitized by Google

coni Aſperſorium cum aqua benedicta, & Candelas aſperget; & mox accepto thuribulo, triplici ductu illas thurificabit. Quo facto, retrahat ſe ante medium Altaris, renes eidem vertens, & ſtabit medius inter Diaconum, & Subdiaconum.

COMMENTARIUS.

I. EGimus Capite ſuperiori de ritibus in Feſto Purificationis Deiparæ ſervandis, celebrante Epiſcopo, vel ſaltem ſacræ functioni præſente, verum cum non ſemel accidat, Epiſcopum tunc eſſe abſentem, merito præſens ſubjicitur Caput, ubi agitur de eodem Feſto celebrando in Cathedralibus, abſente Epiſcopo, & in Collegiatis. Itaque, ut in hoc primo §. edicitur, parandum quoque tunc eſt Altare, ut in præcedenti Capite dictum eſt, Candelæ vero benedicendæ, in cornu Epiſtolæ ſuper aliqua parva menſa collocandæ pulchro aliquo linteo tectæ, poſito etiam ibidem vaſe cum aqua benedicta, & aſperſorio, ac thuribulo etiam cum navicula, & incenſo.

II. Hiſce ſuper ipſa parva menſa paratis, *dicta Tertia*, *Canonicus hebdomadarius*, *ſive Dignitas*, *vel alius*, *ad quem de conſuetudine Eccleſiæ celebrare ſpectat*, *paratur in Sacriſtia Amictu*, *Alba*, *Cingulo*, *& Pluviali violaceo*, *una cum duobus aliis Canonicis habitu Diaconali*, *& Subdiaconali ejuſdem coloris indutis*, *excepto Manipulo*, *videlicet cum Planetis plicatis ante pectus &c.* Canonici enim ſemper, & quandocumque tenentur in Miſſis ſolemnibus, & Conventualibus, quæ a Dignitatibus, & ab ipſis cantantur per gyrum, præcipue in diebus Feſtis ex obligatione Capitulari, aſſiſtere ſibimetipſis gradatim in miniſterio Diaconi, & Subdiaconi, nec poſſunt ſubſtituere alios ſimplices Sacerdotes non de gremio Capituli ad exercendum officium Diaconi, & Subdiaconi in hujuſmodi ſolemnium Miſſarum celebrationibus etiam aſſiſtente Epiſcopo, non obſtante quacumque antiqua conſuetudine, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die xv. Decembris MDCXCI. apud Meratum in ſuis ad Gavantum Additionibus, & in ſuo Indice Decretorum, ubi etiam aliud recenſet ejuſdem Congregationis Decretum xxi. Martii MDCIX. quo edicitur, benedictionem Candelarum, Cinerum, & Palmarum, & alias ſimiles actiones, quas faceret Epiſcopus præſens, eo abſente, vel impedito, ad primam Dignitatem, non vero ad Canonicum Hebdomadarium pertinere. Sed ſtandum eſt conſuetudini, uti expreſſe ait hic noſter §. *Canonicus Hebdomadarius*, *ſive Dignitas*, *vel alius*, *ad quem de conſuetudine Eccleſiæ celebrare ſpectat*, *paratur in Sacriſtia &c.*

III. Paratus Celebrans cum Miniſtris, ut ſupra, procedit ad Altare, præcedente Thuriferario ſine thuribulo, ſed manibus junctis, habente a ſiniſtris alium Acolythum miniſtraturum vas aquæ benedictæ, non ferentem tamen vas ipſum, quod, ſicut & thuribulum, uti ſuperius diximus, collocatum jam antea fuit ſuper illa parva menſa in cornu Epiſtolæ; procedit autem hic etiam manibus junctis, ſicut Thuriferarius, quos ſequuntur deinde Ceroferarii cum Candelis accenſis, hos vero Cæremoniarius, ac denique Miniſtri ſacri, Diaconus ſcilicet, & Subdiaconus, hinc inde a lateribus Celebrantis, manu proximiori, altera infra pectus admota, fimbrias anteriores Pluvialis ejus elevantes, unuſquiſque a parte ſua, tecto capite procedentes, ſicut & Celebrans, qui manus junctas tenebit.

IV. Conſidentibus autem omnibus aliis Canonicis habitu Canonicali indutis hinc inde in locis ſuis una cum Beneficiatis, ſeu Manſionariis, & Clericis, *accedet dictus Canonicus celebraturus cum ſuis Miniſtris*, *& tranſeundo*, ut ait hic §. noſter, *ſalutat hinc inde Chorum*, nudo capite, *ac inde facta reverentia Altari cum genuflexione*, *ſi ibi aderit Sanctiſſimum Sacramentum*, *ſin minus*, *cum profunda capitis inclinatione*, quia ſcilicet ſunt Canonici, & non ſolent genuflectere, *aſcendet ad Altare &c.* Quoniam Celebrans accedens ad Altare tranſit per Chorum, ideo primum cum ſuis Miniſtris ſalutat Chorum, deinde vero Altare, ubi ſcilicet ad infimum illius gradum pervenit, uti ex noſtro hoc §. addiſcimus juxta novam editionem Cæremonialis a Benedicto XIII. probatam, nam alias in antiquis Cæremonialibus aliter legebatur, nempe in hunc modum: *Accedet dictus Canonicus celebraturus cum Miniſtris*, *& facta reverentia Altari cum genuflexione*, *ſi ibi aderit Sanctiſſimum Sacramentum*, *ſin minus*, *cum profunda capitis inclinatione*, *& deinde ſalutatis hinc inde Canonicis*, *aſcendet ad Altare*.

V. Ubi Celebrans cum ſuis Miniſtris ad Altare aſcendit, ſolus ipſe illud in medio oſculatur; *& ibidem in cornu Epiſtolæ ſtans*, *aſſiſtentibus Diacono*, *& Subdiacono*, *benedicet Candelas*, *prout in Miſſali*. Ubi nota, verba illa, *aſſiſtentibus Diacono*, *& Subdiacono*, deſiderari in antiquis Cæremonialibus, majoriſque explicationis gratia, adjuncta fuiſſe huic §. in novo hoc noſtro Cæremoniali. Interim vero dum Celebrans cum ſuis Miniſtris aſcendit ad Altare, Ceroferarii deponunt Candelabra ſuper Abacum, ibique cum aliis duobus Acolythis hinc inde ſtant, Cæremoniarius autem depoſitis biretis Celebrantis, ac Miniſtrorum in loco convenienti, accedit ad ipſum Celebrantem, ut initio Miſſæ ad cornu Epiſtolæ, & ibi detegit ſtatim Candelas, vel alius, pro more Eccleſiarum.

VI. Candelis detectis, Celebrans aliquantulum ad illas converſus, medius inter Diaconum, ac Subdiaconum ſtantes, quaſi illi pares in recta linea, ſed parum poſt eum ex Gavanto, incipit in tono feriali, *Dominus vobiſcum*, non ſe vertens ad populum, neque extenſas, ſed junctas manus habens, quod ſemper facit ad Orationes


Digitized by Google

nes extra Miſſam. Dum dicit, *Oremus*, vel profert nomen *Jeſu*, vertit ſe ad Crucem, ſemper junctis manibus, & ſe illi inclinans; & dum formatſignum Crucis ſuper Candelas, ſiniſtram ponit ſuper Altare, & interim Diaconus fimbrias Pluvialis ſublevat a parte ſua. Cum autem fit benedictio, Canonici, & alii de Choro, ſtant nudo capite verſus Altare, inclinantes ſe ad Jeſu Nomen, & reſpondentes Celebranti cùm opus fuerit.

VII. Circa finem ultimæ Orationis Thuriferarius opportune ponit carbones ardentes in thuribulo, alter vero Acolythus capit vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, & ambo ſimul firmant ſe in cornu Epiſtolæ ad menſam, in qua ſunt Candelæ prope Diaconum. Tum, *finita ultima Oratione, Celebrans*, in eodem cornu Epiſtolæ ſtans, *miniſtrante Diacono*, naviculam ſcilicet, Thuribulum tenente Thuriferario, *imponet thus in thuribulum*, Subdiacono dextera manu attollente fimbriam Pluvialis ejus dexteram; *quo impoſito, accipiet de manu ejuſdem Diaconi aſperſorium cum aqua benedicta, & Candelas aſperget*, ter, ſcilicet, in medio, a dexteris, & a ſiniſtris, dicens tantum Antiphonam, *Aſperges me Domine &c.* ſine cantu, & ſine Pſalmo, ut in Rubricis Miſſalis, & in ſuperiori Capite notavimus; *& mox accepto thuribulo*, ab ipſo ſcilicet Diacono, *triplici ductu illas thuriſicabit*, eo modo, quo dictas Candelas adſperſit. Quo facto, duobus Acolythis recedentibus, Celebrans a cornu Epiſtolæ *retrahit ſe ante medium Altaris, renes eidem vertens, & ſtabit medius inter Diaconum, & Subdiaconum*, ut ſcilicet Candelam ipſe omnium primus accipiat, ac deinde aliis Candelas ipſas diſtribuat, juxta ritum, de quo mox in ſequenti §. in quem etiam alia quædam notabimus.

§. II.

Tunc primus Sacerdos de Choro, ſive Vicarius, ſive Dignitas, vel Canonicus, accepta una ex Candelis benedictis, illam cum debita reverentia deoſculatam dabit in manu Celebrantis, qui illam tradet alicui Capellano tenendam; & ſtatim, miniſtrante Diacono, ipſe Celebrans ſtans, incipiet diſtribuere Candelas, primo eidem digniori, deinde Diacono, & Subdiacono paratis, ſi ſint Canonici; mox aliis omnibus Canonicis per ordinem, habitu Cononicali indutis, qui bini accedent ad Celebrantem, & inclinati, ab eo Candelas accipient, quas acceptas deoſculabuntur.



§. III.

Beneficiati vero, ſeu Manſionarii, & Clerici, & cæteri omnes, ſimiliter bini accedent, & genuflexi Candelas accipiant, illas, ac etiam manus Celebrantis, deoſculantes.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Cum inchoatur distributio Candelarum, Cantores incipient Antiphonam, *Lumen ad revelationem Gentium &c.*

COMMENTARIUS.

I. DUm Celebrans retrahit se ante medium Altaris, Cæremoniarius cum debita reverentia Altari, accedit cum debitis inclinationibus ad primum Sacerdotem de Choro, sive Vicarium, sive Dignitatem, sive Canonicum, pro more Ecclesiarum, ut eum ad Celebrantem ducat. Tum ille dignior de Choro, cum suo habitu Chorali, & non cum Stola, ex Gavanto, & aliis, habens Cæremoniarium a sinistris, vel alium Ministrum præcedentem, accedit, facta prius Choro debita inclinatione, ad Altare cum genuflexione, si ibi aderit Tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento, & facta Celebranti profunda reverentia, ascendit ad proximiorem gradum suppedaneo Altaris, ubi *accepta una ex Candelis benedictis*, pulchriori scilicet, & non accensa, ac sine osculis a Diacono stante a sinistris Celebrantis, *illam cum debita reverentia deosculatam dubit in manu Celebrantis*, sine tamen osculo manus, *qui illam tradet alicui Capellano tenendam*, donec scilicet facta sit tota Candelarum distributio ab ipso Celebrante.

II. Accepta Candela, Celebrans *statim, ministrante Diacono, stans incipiet distribuere Candelas, primo eidem digniori*, inclinato scilicet, & Candelam accipienti cum osculo illius tantum, & non manus, quia est Canonicus: quo surgente, & facta debita reverentia Altari in plano super infimum gradum, & inclinatione Celebranti, redeunte ad locum suum, distribuit deinde Celebrans ipse *Diacono, & Subdiacono paratis, si sint Canonici*, qui scilicet bini ad Celebrantem accedunt cum debitis reverentiis Altari, & ipsi Celebranti, genuflexique, sicut ille dignior, ita tamen, ut Subdiaconus tunc sit a sinistris Diaconi, Candelas de manu Celebrantis accipiunt, Candelas cum earum osculo Celebranti interim ministrante Cæremoniario, vel aliquo alio Ministro, ut moris est. Tradet autem Candelas Celebrans primum Diacono, tum vero Subdiacono, qui ipsas deosculantes, surgunt pariter, & cum debitis reverentiis redeunt ad loca sua, Candelasque deponunt in manu alicujus Acolythi, qui eas custodiat, quousque absoluta sit distributio.

III. Tum Diaconus stans a sinistris Celebrantis, Candelas a Ministro sine osculis accipit, easque sigillatim tradit Celebranti cum osculis earum tantum, quas ille distribuit *mox aliis omnibus Canonicis per ordinem habitu Canonicali indutis, qui bini accedent ad Celebrantem, & inclinati ab eo Candelas accipient, quas acceptas deosculabuntur*, solas scilicet Candelas, non manum Sacerdotis, quia sunt Canonici, qui tamen cum debitis reverentiis Altari, & Celebranti exhibitis, ad loca sua redeunt. Ceterum expresse ex nostro §. III. illud cautum est, ut *Beneficiati, seu Mansionarii, & Clerici, & ceteri omnes, similiter bini accedentes, genuflexi Candelas accipiant, illas, ac etiam manus Celebrantis deosculantes*. Tandem cum inchoatur distributio Candelarum, ex præscripto nostri §. IV. atque ex Rubricis Missalis, Cantores in habitu Chorali, vel cum Pluvialibus violaceis secundum morem locorum, incipient Antiphonam, *Lumen ad revelationem Gentium &c.* quam Chorus prosequitur, eamque post singulos Versus Cantici, *Nunc dimittis &c.* integre repetit, quos Versus Cantores ipsi decantant soli, & possunt repeti cum Antiphona prædicta usque ad finem distributionis secundum concursum populi. Versus tamen *Gloria Patri &c.* debet dici tantum semel, scilicet in fine totius distributionis. Unde post finem ultimi Versus repetitur, *Nunc dimittis &c.* & sic vicissim donec completa sit distributio.

IV. Notat hæc post alios in suo Manuali Bauldryus, Parte IV. Cap. III. Articulo II. ubi etiam Num. XXIII. ait, dum Clerici procedunt ad recipiendas Candelas, debere semper remanere aliquos in Choro, qui cantent Versus, & Antiphonam, iisque procedentibus, alios substitui; ideoque si pauci sint Clerici, posse unum post alium sigillatim ad Candelam accipiendam procedere, idque fieri etiam debere in distributione Cinerum, ut semper remaneant aliqui cantantes. Porro, ut idem Auctor advertit, facta distributione Clericis, Candelæ distribuuntur Magistratibus, & Nobilibus pari disciplina etiam ad Altare, & cum osculis. Quod autem ordinem spectat recipiendi Candelas inter Clerum, & Magistratus, servari debet consuetudo locorum laudabilis; præstaret tamen, ut Clerus, uti par est, semper Laicis præferretur. Quantum ad feminas, profecto non convenit, ut Candelas ad Altare accipiant, sed alio loco, *seorsum*, ex traditis supra Cap. XVI. §. X. multoque minus, ut dum Candelas accipiunt, *manum Celebrantis osculentur*, uti idem Bauldryus monet loco citato Num. XXIV.

V. Minime demum omittendum est illud, quod docet Castaldus in sua Praxi Lib. III. Sectione III. Cap. IV. Num. VI. quod si adsint Prælati accedentes ad recipiendam Candelam, omnibus aliis præferuntur, & nec genuflectunt, nec Celebrantis manum osculantur; quod si ad Altare non accedant, poterit per aliquem Sacerdotem eis tradi Candela cum debitis inclinationibus, & osculis. Porro Candelas benedictas in die Purificationis B. Virginis ad ædes secularium Parochos transmittere non debere, sed juxta laudabilem, & observatam ab Ecclesia universali consuetudinem in Ecclesia populum eas recipere teneri censuit

Digitized by Google

ſuit Sacra Epiſcoporum, & Regularium Congregatio in Folignen. anno MDLXXI. apud Barboſam in Tractatu, *De officio, & poteſtate Parochi*, Cap. XII. Num. V.

VI. Ante hoc Decretum abuſum ipſum deferendi Candelas, & Palmas benedictas ad Ædes laicorum correxit in ſuo Concilio Provinciali III. Mediolanenſi S. Carolus, ubi ita ſtatuit: *Utque præterea introducto ei uſui occurratur, quo multis locis in hac Provincia fit, ut illæ, vel Candelæ, vel Palmæ, Olivæ quæ ſacro eo ritu benedictæ non in Eccleſia a quibuſdam ſumantur, ſed ad eos domum deferantur, & quod gravius eſt, a laicis quibuſdam quaſi tributum quoddam ſibi a Parochis, vel ab aliis quibuſvis debitum illæ exigantur; decernimus, ut ſalvo, ſi quod Patronus aliquis Beneficii habet, illas exigendi jure, iis ſolum, qui in Eccleſia intererunt, & illis item tantum tradi liceat, qui iis ipſis diebus ad illam Eccleſiam convenire ſolent, ſed non potuernt, vel quia ægroti, vel alia legitima cauſa impediti.* Ita Sanctiſſimus Præſul in ſuo Provinciali Concilio; ſciendum tamen, Sacram Rituum Congregationem in Satrianen. die XIII, Maji MDCCXIX. propoſito inter alia hoc Dubio, *An prohibitio facta Clero, & Eccleſiaſticis a Reverendiſſimo Epiſcopo circa diſtributionem Candelæ benedictæ in die Purificationis faciendæ per domos ſæcularium ſuſtineatur?* reſpondiſſe, *Negative*, teſte Urſaya, Tomo IV. Parte II. Diſceptatione IV. Reſtat, ut corrigatur figura, in qua Canonicus celebrans, qui diſtribuit Candelas, ſedet; debet enim ſtare.

§. V.

Circa finem diſtributionis, Magiſter Cæremoniarum curet, ut accendantur Candelæ pro Proceſſione, quæ fiat per Eccleſiam, ut in præcedenti Capite dictum fuit: & interim, dum fit Proceſſio, removeatur paramentum violaceum ab Altari, & remáneat album, niſi hujuſmodi Feſtum venerit in Dominica Septuageſimæ, vel Sexageſimæ, quo caſu fiat, ut dictum eſt in Capite præcedenti.

§. VI.

Finita Proceſſione, Canonici Chorum ingreſſi, extinguent Candelas, & Celebrans, qui ſtat medius inter Diaconum, & Subdiaconum, ante infimum gradum Altaris, facta debita reverentia Altari, & Choro, retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, ubi depoſito Pluviali, capiet Planetam albam, ſeu violaceam, juxta regulam ſuperius traditam; ſimiliter & Miniſtri Dalmaticam, & Tunicellam ejuſmodi coloris, & inchoabitur Miſſa, quæ juxta ſolitum perficietur, in qua hoc ſolum erit ſpeciale, quod Canonici, & cæteri de Choro, dum cantatur Euangelium, accendunt Candelas, & illas accenſas tenent uſque ad finem Euangelii, & iterum ad elevationem uſque poſt Communionem.

COMMENTARIUS.

I. REſtat ut de Proceſſione, & Miſſa hujus Feſti dicamus juxta ritus ſcilicet in Eccleſiis Cathedralibus, abſente Epiſcopo, & in Collegiatis, ſervandos: *Circa finem diſtributionis*, nempe Candelarum, *Magiſter Cæremoniarum curet*, inquit noſter §. V. *ut accendantur Candelæ pro Proceſſione*, niſi accenſæ diſtributæ fuerint ſecundum morem alicujus Eccleſiæ, cujus meminit Martenius Lib. II. *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XIV. *quæ fiat per Eccleſiam*, vel etiam extra, ſecundum locorum conſuetudinem, de qua ſupra Cap. XVI. §. XV. *& interim dum fit Proceſſio, removeatur paramentum violaceum ab Altari, & remaneat album &c.* uti in citato Capite dictum fuit.

II. Ex generalibus tum Miſſalis, tum Cæremonialis Rubricis ordinanda eſt quidem Proceſſio per Cæremoniarum Magiſtrum, niſi ſcilicet juxta conſuetudinem alicujus Eccleſiæ ad alium hoc munus ſpectet, uti Auctores docent, inter quos Bauldryus in ſuo Manuali Parte IV. Cap. III. Articulo III. Num. I. ubi etiam hunc modum enarrat ordinandæ ipſius Proceſſionis, nempe: Subdiaconus accipit Crucem Proceſſionalem, & eam deferens medius inter duos Ceroferarios cum candelabris accenſis, Thuriferario præcedente cum thuribulo fumigante, procedit ante medium Altaris ad introitum Presbyterii per planum, depoſitis prius ab eiſdem Candelis propriis in aliquo loco congruo, ibique ipſe Subdiaconus ſiſtit ſe verſus Altare, Thuriferarius vero poſt eum, ut poſtea primus omnium procedat. Interim vero Diaconus accipit Candelam Celebrantis de manu illius, qui eam tenebat, & cum ejuſdem Candelæ oſculo ipſam Celebranti porrigit, acceptaque mox ſua, & facta inclinatione Altari, vel genuflexione, ſi ibi aderit Tabernaculum cum Sanctiſſimo Sacramento, vel etiam ſi ipſe non ſit Canonicus, ſtans verſus populum a tergo Celebrantis, alta voce cantat, *Procedamus in pace.*

Cui

Digitized by Google

Cui reſponſo a Choro, *In Nomine Chriſti, Amen.* tunc & non prius Celebrans vertit ſe ad populum, & deſcendit in planum, facta reverentia Altari, ubi accipit a Diacono biretum, qui etiam ſuum accipit de manu Cæremoniarii.

III. Deinde immediate duo Cantores incipiunt Antiphonam, *Adorna thalamum tuum*, ut in Miſſali, & Rituali Romano, & incedit Proceſſio, præcedente Thuriferario, uti dictum eſt, cum fumigante thuribulo, tum Subdiacono ferente Crucem cum Imagine Crucifixi verſa ad ipſum Thuriferarium, & medio inter Ceroferarios, tum Cæremoniario, quos ſequitur deinde Clerus, juniores primo bini, tum ſeniores; ultimus vero omnium procedit Celebrans tecto capite, habens Diaconum a ſiniſtris non attollentem fimbriam Pluvialis ipſius Celebrantis, omneſque Candelas geſtant accenſas manu dextera, ſiniſtra pectori admota, exceptis tamen non modo Ceroferariis, & aliis Miniſtris occupatis, qui Candelas non geſtant, verum etiam Cantoribus, qui Candelas tamen ſiniſtra deferunt, dextera Proceſſionale, ſeu Rituale habentes.

IV. Ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Patavina XXX. Auguſti MDCII. & VIII. Maji MDCXVII. apud Barboſam in Summa Apoſtolicarum Deciſionum Collectan. CDLIX. Numero IX. & noviſſime apud Meratum in Additionibus ad Gavantum, Magiſter Cæremoniarum in Proceſſionibus incedit poſt Celebrantem, & ejus Aſſiſtentes, & ubique diſcurrit, quando opus eſt pro ordinanda Proceſſione. Rurſus ex alio ejuſdem Sacræ Congregationis Decreto die I. Martii MDCLXXXI. apud ipſum Meratum loco citato, in Proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt per Eccleſiam ſine Sanctiſſimo Sacramento, non eſt pulſanda Campanula ad elevationem Hoſtiæ, vel Calicis, in Miſſa privata; quod ſi pulſetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum eſt, utroque genu a tranſeuntibus ante Altare, ubi Miſſa celebratur, & depoſito Sanctiſſimo Sacramento, progrediendum eſt,

V. Finita Proceſſione, de qua plura videri poſſunt in Miſſali, & in Rituali Romano, & apud Caſtaldum, Quartum, Meratum, & Bauldryum, ac alios, qui varias quæſtiones circa praxim explicant, *Canonici Chorum ingreſſi*, ut inquit noſter §. VI. *extinguent Candelas, & Celebrans, qui ſtat medius inter Diaconum, & Subdiaconum ante infimum gradum Altaris, facta debita reverentia Altari, & Choro, retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, ubi depoſito Pluviali, capiet Planetam albam, ſeu violaceam juxta regulam &c.* Verba illa, *qui ſtat medius &c.* uſque ad, *cornu Epiſtolæ præſenti, ubi &c.* fuerunt primum huic §. adjuncta in novo hoc Cæremoniali, non enim extant in Cæremonialibus antiquis. Porro multa quæ hic dici poſſent, ſuperius jam explicuimus, ſicut etiam illud, quod ait hic tandem noſter §. nempe, in Miſſa hujus Feſti, quæ ſcilicet de Purificatione Deiparæ celebratur, hoc ſolum eſſe ſpeciale, *quod Canonici, & ceteri de Choro, dum cantatur Euangelium, accendunt Candelas, & illas accenſas tenent uſque ad finem Euangelii, & iterum ad elevationem uſque poſt Communionem.* Sed & de hoc ritu etiam ſupra non uno in loco, ubi etiam diximus, tenendam etiam Candelam a Celebrante accenſam, donec decantatum Euangelium fuerit.

VI. Unum reſtat, quod præteriri nefas eſt, quod nempe ſtatuit S. Caroius in ſuo Provinciali Concilio V. Mediolanenſi, nempe debere Parochum, Concionatoremve alium, Feſto die Purificationis Virginis, in quo Candelæ benedicuntur, ac diſpenſantur, exponere ad populum myſteria ejus ritus, ac varias etiam utilitates, quæ ex ipſarum Candelarum benedictione proficiſcuntur: *Die ſacro*, ait, *Purificationis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, uſus, rituſque benedictionis Candelarum, Cereorumve, cum plenus myſteriorum eſt, tum ſalutarium utilitatum, quas non ſolum ex Orationibus, quibus Eccleſia in ea benedictione utitur, ſed ex omni Rituali Libro probato, Parochus, Concionatorve eo ipſo die fidelibus ſtudioſe exponat, quo religioſius illas, & geſtent, & habeant.* Notatu & hic digna ſunt, quæ mox ſubjicit: *Nam cum illius benedictionis precatio ad alia multa referatur, tum ad hæc in primis. Ut Candelæ valeant ad ſanitatem animæ, & corporis, terra, marique. Ut de locis, ubi accendentur, dæmon, & quidquid dæmonis ars molitur, machinaturve, depellatur. Ut mentes, & corda fidelium, igne & ſplendore Sancti Spiritus accendantur, illuſtrenturque, ac depulſis vitiorum tenebris, videant, quæ ſint Deo grata, & ſaluti utilia.*

VII. Hæc ſane ſibi omnia, ut recte concludit ſanctiſſimus Præſul in laudato ſuo Concilio v. a Chriſto Domino, qui eſt Deus verus, & ſplendor lucis æternæ, ſibi concedi precantur interceſſione, & ſanctiſſimis meritis Beatæ Mariæ Virginis quicumque Fideles in illius honorem Candelas, quibus benedictionis preces eo die adhibitæ ſunt, devote geſtant. Ita ille, qui in Conciliis ſuis, & in Actis Eccleſiæ ſuæ Mediolanenſis ſæpiſſime inculcat, exponendas populo varias Cæremonias Eccleſiaſticas, quæ annuatim in Feſtis occurrunt. Quod tamen negligitur non ſine Fidelium detrimento, quia ſcilicet, uti iterum, atque iterum diximus, dicemuſque ſexcenties, multi e Parochis huic uni ſtudent, ut nimirum pro funeribus litigent, juribuſque ut ajunt Parochialibus, ſed revera ad extorquendum vel ab ipſis Viduis, orphaniſque impuberibus, ob conjugum, parentumque obitum mendicaturis, quicquid vel minimum poſſunt. Eſt hoc ſane graviſſimum ſcandalum adeo ut non pauci Fideles quem colere ut parentem ac Paſtorem animarum ſuarum deberent, ſummo potius odio habeant. Utinam Paſtores hujuſmodi quærentes quæ ſua ſunt, exemplo ſanctiſſimorum Præſulum, & ad ſacrorum ſonitum Canonum, qui tantam avaritiam damnant, aliquando expergiſcantur, populoque Chriſtiano non ſint moleſti exactionibus importunis.

CAP. XVIII.

Digitized by Google

CAP. XVIII.

Præparanda pro benedictione Cinerum in Feria quarta initio Quadrageſimæ, Epiſcopo celebrante, vel non celebrante, ſed præſente. Quid obſervandum, ſi publice Pœnitentes expellendi ſint. Diaconus, & Subdiaconus utuntur Planetis plicatis ante pectus. Ordo procedendi ad Eccleſiam, & benedicendi Cineres, cantandi Orationes, & imponendi ſingulis eoſdem Cineres. Oratores Regum, & Principum, poſt Canonicos paratos Cineres accipiant. Magiſtratus, & Laici poſt omnes de Clero. Impoſitione Cinerum expleta, Epiſcopus lavat manus, & Orationem cantat. Miſſæ hujus diei quomodo Epiſcopus aſſiſtat, quoties, ubi, & quando genuflectat, Quæ obſervanda, ſi Epiſcopus velit ſolemniter celebrare.

§. I.

Quarta Feria ante primam Dominicam Quadrageſimæ, quæ a Cinerum aſperſione, Cinerum appellatur, quia Officium, & Miſſa eſt de Feria, Altare, & Tribuna, & omnia ſimplicius parantur, quam in Feſtis ſolemnioribus; & ſi Epiſcopus non ſit Miſſam celebraturus, nulla paratur menſa, ſive abacus a cornu Epiſtolæ, ut alias, ſed tantum parva menſula a latere Euangelii, ubi ponuntur vaſa pro abluendis manibus, cum mica panis, mappa pro abſterſione manuum, & altera ponenda ſuper genibus Epiſcopi in diſtributione Cinerum; vas autem aquæ benedictæ cum Aſperſorio, & thuribulum cum navicula, poterunt poni ſuper angulo Altaris, & ſuper eodem Altari in medio ponitur parvum vas argenteum cum Cineribus mundis ex ramis Olivarum benedictis anni præteriti combuſtis: item paramenta pro Epiſcopo ſuo ordine, coloris violacei, prout in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, ita ut dictum vas non cooperiant, nec impediant.

COMMENTARIUS.

I. FEria quarta in Capite Jejunii a Cineribus Pœnitentium de Eccleſia ejiciendorum capitibus imponendis, *Cinerum* vulgo appellata eſt. Jam non multa de eo ritu loquar, quod ipſum fuſe jam enarravi Tomo III. Commentariorum in Tertiam Partem Romani Pontificalis, ad Titulum II. qui eſt, *De expulſione publice Pœnitentium de Eccleſia in Feria quarta Cinerum*. Ut ergo ad §. hunc noſtrum deveniam, deſumtus eſt ille partim ex Cæremoniali Capellæ Pontificiæ, Auctore Patricio Lib. II Sectione I. Cap. XXXI. & partim ex illo, quod pro inſigni Eccleſia Bononienſi concinnavit Craſſus, Lib. II. Cap. XLIII. *Nec abacus*, inquit, *ſive menſa aliqua præparetur, nec Altare feſtiviter, ſed ferialiter componatur, ſuper quo tamen cera erit alba*, ideſt, Candelæ, ſeu Cerei ſuper candelabris, ſex ſcilicet, aut quatuor de more, ſine floribus, aut aliis, quæ ſolemnitatem ſapiant; *& in medio ejus ponetur unum bacile argenteum plenum Cineribus factis ex ramis Olivarum anni præteriti combuſtis*.

II. Conſona ſunt & huic noſtro §. quæ mox idem Auctor ſubjicit, dicens: *In cornu Euangelii ponentur duo bacilia cum mica panis, & mantilibus duobus, pro lotione manuum Cardinalis*, Epiſcopi ſcilicet Bononienſis: *Præparabitur quoque aſperſorium aquæ, & thuribulum cum ſuis requiſitis, & Liber Benedictionum*. Tum vero ſtatim: *Item paramenta eadem pro Cardinali, quæ ſupra in die Purificationis, & pro Canonicis, & Miniſtris Cardinalis omnino, ut in prædicta die Purificationis, niſi quod unus Manſionarius Eccleſiæ tenens bacile cum Cineribus apud Cardinalem Tunicella paratus erit, & demum reliqua omnia parabuntur, quæ ſupra dicta ſunt, exceptis his, quæ ad Proceſſionem pertinent, quoniam nulla hodie fit Proceſſio*. Quod ait, nullam fieri Proceſſionem Feria quarta Cinerum, ſpectat quidem ritum recentiorem, nam alias vel olim Romæ celebris erat Proceſſio, quæ in ipſa Feria fiebat, in qua etiam Romanus Pontifex diſcalceatus una cum aliis ad S. Sabinam pergebat, ut teſtantur antiqui Romani Ordines.

III. Quoniam autem ejus ritus mentio incidit, lubet hoc loco illum deſcribere ex antiquo Ordine Romano XI. Auctore Benedicto, Numero XXXIV. *Quarta feria initio Quadrageſimæ*, ait, *Statio ad ſanctam Sabinam, & Collecta ad ſanctam Anaſtaſiam, quo Dominus Papa cum tota Curia venit, ibique indutus ipſe, & omnes alii Ordines aſcendunt ad Altare. Ibi Dominus Pontifex dat Cinerem, & Primicerius cum Schola cantat Antiphonam*, Exaudi nos Domine. *Facta Collecta, Pontifex diſcalceatus, & omnes alii cum Proceſſione pergunt ad S. Sabinam. Primicerius*

Digitized by Google

cum Schola retro cantando, Immutemur habitu. *Cum venerit ad Eccleſiam*, *Subdiaconus Regionarius*, *depoſita Cruce*, *cum Letania vadit ad Altare*, *reſpondentibus Schola*, & *Acolythis*, *ubi Dominus Pontifex cantat Miſſam ſine* Kyrie, *propter Litaniam*; ideſt, propterea, quod dictum ſit, *Kyrie eleiſon*, in præmiſſa Litania, juxta ritum in eodem Ordine præſcriptum Numero XXXV. ſequenti, hiſce verbis: *Quando efficitur Collecta*, *ad Miſſam non cantatur* Kyrie, *quia Regionarius dixit in Litania*.

IV. Fuſe eundem ritum enarrat non modo Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, Cap. XXXVII. ſed & Ordo XIV. Jacobo Gaetano Auctore, ubi etiam edicitur, fieri Cineres *de Palmis præteriti anni*, & *benedici a juniori Presbytero Cardinali cum Miniſtris paratis in albis tantum*, antequam ſcilicet Papa veniret ad Eccleſiam S. Anaſtaſiæ, ubi Cineres ipſi benedicebantur; iis enim benedictis, & dicta Tertia in Palatio, pergebat Papa ad dictam Eccleſiam S. Anaſtaſiæ, *comitante eum tota Curia*, & dicebat ibi Sextam; tum accepto primum ipſe, ac deinde aliis ſacro Cinere impoſito, diſcalceatus, ac *nigra Caſula* indutus pergebat *proceſſionaliter uſque ad S. Mariam Scholæ Græcorum*, & *uſque ad S. Sabinam*, ubi *ablutis in Sacriſtia pedibus*, & *recalceatus* dicebat Nonam, & deinde Miſſam. Proceſſionis Feria quarta Cinerum in aliis Eccleſiis fieri ſolitæ meminit in ſuo Rationali Durandus, Libro VI. Cap. XXVIII. Num. XVII. *In die ipſa fit Proceſſio*, *qualem per totum annum fieri non contingit. Pœnitentes namque tunc ab Eccleſia cum Proceſſione ejiciuntur &c.*

V. Quod Cineres ſpectat, antiquus eſt plane ritus, ut ex ramis Olivarum benedictis anni præteriti combuſtis conficiantur, uti conſtat ex recitato ſuperius loco Romani Ordinis XIV. Ratio fortaſſis illa eſt, quam docet Gavantus in Rubricas Miſſalis, Parte IV. Tit. VI. Num. II. ut ſcilicet, ſicut Cineres ad humiliationem diſtribuuntur, ita & per humilitatem ſpem habeamus futuræ gloriæ, quam deſignavit Proceſſio Palmarum. Ex Libro Conſuetudinum S. Benigni Divionenſis, quibus etiam Floriacenſes Conſuetudines conſentiunt, fiebant Cineres ipſi *ex induſtria de cremiis ſarmentorum* ſtudioſe mundatis, & cribratis, & qui reliqui erant, *ab Infirmario conſervabantur*, *ut morientibus Fratribus cum cilicio ſubſternerentur*. Debent autem eſſe aridi, non madefacti in modum luti, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio in Egitanien. XXIII. Maji MDCIII. apud ipſum Gavantum, loco citato, Barboſam in Summa Apoſtolicarum Deciſionum Collectan. CXLVIII. Num. I. & Meratum in Additionibus ad laudatum Gavantum.

VI. Quamquam autem ex antiquo Ordinario Caſinenſi cautum ſit, ut *ponatur ſuper capita omnium cinis aqua ſanctificata*, *dicendo*, *Memento &c.* exponendum hoc eſſe ait Martene Libro III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. IX. Num. VIII. ex mſs. Lyrenſis Monaſterii Conſuetudinibus, ex quarum præſcripto, tenente Subdiacono vas cum Cineribus, quos Abbas *cum Stola*, & *Baculo*, capitibus imponebat, Diaconus, qui a ſiniſtris ipſius Abbatis erat, aſpergebat *accedentes ad Cineres aqua benedicta*. Ponendum vas, & quidem argenteum cum Cineribus in medio Altaris, jam ſupra ex Craſſo audivimus, ad eumque ritum forte alluſit Patricius ubi in ſuo Cæremoniali Lib. II. Sectione I. Cap. XXXI. ſcripſit; *Prima die Quadrageſimæ*, *quæ Cinerum appellatur*, *in mane Sacriſta paret ſuper Altare vas cum Cineribus mundis factis ex ramis Olivarum anno præterito benedictis*. In quibuſdam Eccleſiis, ut ait poſt Martenium Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. XLIII. ponebantur Cineres in patina terrea, ut melius oſtenderetur, quod homo, qui recipiebat Cineres, de terra eſt, & in terram revertetur. Parandum eſſe vas argenteum ſuper aliquam pelviculam, quæ pariter ſit argentea, vel ſaltem cryſtallina docet inter alios Caſtaldus in ſua Praxi Lib. III. Sectione IV. Cap. II. Numero IV.

VI. Cæremonia Cineres imponendi Fidelium capitibus initio Quadrageſimæ, ſuam ducit originem ab antiquo ritu addicendi peccatores pœnitentiæ. Tum enim vetuſti Patres, tum Synodi cinerem conſtanter cum pœnitentia conjungunt: *In aſperitudine ſuxi*, & *horrore cineris*, inquit Tertullianus in Libro, *De pœnitentia*, qui etiam in Libro, *De pudicitia*, pœnitentem coloribus hiſce adumbrat: *Conciliciatum*, *concineratum*, *cum dedecore*, & *horrore compoſitum proſternis in medium &c.* S. Ambroſius ad Virginem lapſam Cap. VIII. lapſæ Virgini pœnitentiam indicens, lugubre veſtimentum præſcribit, cilicium, & cinerem: *Lugubris tibi accipienda eſt veſtis*. Et mox: *Tuum corpus incuria maceretur*, *cinere adſperſum*, & *opertum cilicio perhorreſcat*. Hinc S. Optatus Milevitanus Donatiſtis exprobrat, quod ſacras Virgines pœnitentiæ addixerint cineribus ſuis: *Jam conſecratas Deo adſperſiſtis immundis cineribus crines*. Denique S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis, Lib. II. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Cap. XVI. Cæremoniæ ipſius ſenſum exponens, ait, adhiberi Cinerem initio pœnitentiæ, ut intelligamus pulverem, ac Cinerem ob crimina nos eſſe, & merito divinam juſtitiam in eos, qui ſceleribus obnoxii ſunt, ſententiam mortis tuliſſe, quæ vitæ hujus ſpatio tantiſper profertur: *Cineres adſperguntur*, *ut ſint memores*, *quia cinis*, & *pulvis ſunt*. Et paulo poſt: *Per favillam cineris perpendamus mortis ſententiam*, *ad quam peccando pervenimus*.

VII. Unam ex antiquis, & uſitatis publicæ pœnitentiæ ritibus fuiſſe cinerum cæremoniam, ex celeberrimo Reginonis teſtimonio notat inter alios Thomaſſinus Lib. II. *De dierum Feſtorum celebratione*, Cap. XIII. Num. XIII. additque mox Num. XIV. non levem eſſe conjecturam, Fideles vel olim ſponte quoſque ſua cum publicis Pœnitentibus conjungi voluiſſe, ut aut conſolando, aut precibus, aut exemplo eos juvarent, & ipſi interea pœnitentia expiarentur. Quidquid ſit, antiquus eſt certe ritus, ut Fideles omnes initio

Digitized by Google

tio Quadrageſimæ ſacrum Cinerem ſuper caput accipiant in ſignum pœnitentiæ, & humiliationis, ac præſertim ut mortis recordarentur, uti ex illa verborum formula conſtat, qua utitur Eccleſia in imponendo Cinere: *Memento homo, quia pulvis es &c.* Porro Synodus v. Provincialis Mediolanenſis mandat, ut Dominico die antequam peragantur Cæremoniæ Cineris ſacri, Epiſcopi, eorumque adminiſtri populum doceant de myſteriis hujus ritus, qui demiſſi, & pœnitentis animi eſt argumentum. Sed hoc, ſicut & alia complura S. Caroli monita a Parochis paſſim negliguntur.

§. II.

In Eccleſiis, ubi viget conſuetudo expellendi ſolemniter Pœnitentes, ſervetur forma in Pontificali Romano poſita, præſertim in caſibus gravioribus.

§. III.

Hora competenti Canonicus celebraturus Miſſam cum Diacono, & Subdiacono capiunt paramenta violacea. Diaconus, & Subdiaconus utuntur Planetis ante pectus plicatis, & expectantes adventum Epiſcopi, ſedent in aliquo ſcamno pro ipſis parato, ac viridi panno cooperto a latere Epiſtolæ; cui advenienti aſſurgunt, & faciunt reverentiam. Canonicus celebrans videlicet, caput profunde inclinando, Miniſtri vero genuflectentes, ſi non ſint Canonici.

§. IV.

Epiſcopus aſſociatus more ſolito ad Eccleſiam, factiſque conſuetis Orationibus, ſtans apud Sedem ſuam, accipit paramenta eodem ordine, quo in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis dictum eſt; & pariter omnes Canonici capiunt ſua, prout ibi dictum fuit.

§. V.

Quibus paratis, Subdiaconus, qui eſt cantaturus Epiſtolam in Miſſa, ſive alius ex Beneficiatis Eccleſiæ, paratus Planeta violacea ante pectus plicata, accedit ad Altare cum debitis reverentiis, & capit vas illud cum Cineribus, ambabus manibus, quod elevatum portat ante Epiſcopum, ubi genuflexus, illud retinet uſque in finem diſtributionis, ad dexteram Epiſcopi.

§. VI.

Tum Epiſcopus, accedente Capellano cum Libro, & altero cum Candela, aſſiſtentibus Diaconis hinc inde, legit ſedens Antiphonam, *Exaudi nos Domine &c.* qua cum Pſalmo repetita, depoſita Mitra, ſurgit, & manibus junctis, dicit, *Dominus vobiſcum*, & *Oremus*, ac Orationes benedictionis Cinerum, quæ ſunt quatuor, prout in Miſſali.

COMMENTARIUS.

I. ANtequam explicationem aggrediamur horum Paragraphorum, monendus eſt Lector, in antiquis Cæremonialibus ante hoc noſtrum a Benedicto XIII. emendatum editis, ita legi initium §. II. *In Eccleſiis, ubi viget conſuetudo reconciliandi &c.* quod tamen merito correctum eſt, non enim Pœnitentes initio Quadrageſimæ, ſed Feria v. Cœnæ Domini reconciliantur, & quidem juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam, quam nos fuſe explicuimus Tomo III. Romani Pontificalis, poſtquam ſcilicet enarravimus ritum, quo ſecundum eandem diſciplinam Eccleſiæ Pœnitentes ipſi olim Quadrageſimæ initio ejiciebantur.

II. Hoc notato, quo facilius intelligantur, quæ in quatuor ſequentibus III. IV. V. & VI. Paragraphis Cæremoniale noſtrum præſcribit, deſcribendum hoc loco eſt, quod in ſuo Cæremoniali tradit Patricius Libro II. Sectione I. Cap. XXXI. ubi enarrat ritum, qui in die Cinerum in Pontificia Capella ſervari ſolet: *Hora competenti*, inquit, *prævenit ad Eccleſiam Cardinalis celebraturus, & in Faldiſtorio in loco conſueto ſibi parato omnia paramenta Pontificalia accipiat*, dem-

Digitized by Google

demtis Chirothecis, & Annulo Pontificali. Pontifex autem indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, Pluviali rubeo, & Mitra simplici, venit ad Capellam, & more ſolito facit orationem ante Altare in Faldiſtorio, aſcendit ad Solium, ſedet, & ſit ei a Cardinalibus more conſueto. Et poſtquam duo Diaconi Cardinales ultimi reverentiam fecerunt, aſſiſtunt Papæ, & duo Diaconi aſſiſtentes vadunt ante Sedem Diaconorum Cardinalium, ubi capiunt paramenta ſua. Idem faciunt Cardinales omnes in locis ſuis ſtantes. Duo primi Diaconi, ubi acceperunt paramenta ſua, revertuntur ad aſſiſtendum Papæ, & alii duo vadunt ad loca ſua, & etiam capiunt paramenta. Interim etiam omnes Prælati, & Officiales ſua paramenta, & Cottas accipiunt extra cancellum Capellæ, & unus Subdiaconus in convenienti loco, induitur Amictu, Alba, Cingulo, & Tunicella violacea. Omnibus Cardinalibus paratis, Cantores incipiunt Antiphonam, Exaudi nos Domine &c. *Tunc accedit ante Pontificem Subdiaconus Apoſtolicus, ut ſupra dictum eſt, paratus portans lancem Cineribus plenam detectam, quam de Altari Sacriſta, ſive Cæremoniarius, ſibi dedit, & ad dexteram Pontificis genuflectit, ibique dictam lancem cum Cineribus tenens, quouſque Papa omnibus Cineres imponat. Tunc accedunt duo Epiſcopi aſſiſtentes cum Libro, & Candela, & Papa benedicens Cineres, ſedens cum Mitra, dicit Antiphonam*, Exaudi nos Domine; *qua repetita, depoſita Mitra, ſurgit dicens*, Dominus vobiſcum. *Reſpon.*.. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, *cum tribus Orationibus ſequentibus, prout in Libro.*

III. Prolixum hunc locum Cæremonialis Pontificiæ Capellæ cum Rubricis noſtrorum Paragraphorum conferenti, profecto patebit, plures ritus, qui ad ſacros Cineres imponendos ſpectant, imo & verba ipſa non pauca, ex ipſo Cæremoniali Capellæ Pontificiæ fuiſſe in noſtro Epiſcoporum Cæremoniali deſcripta. Itaque ex præſcripto noſtri §. III. *hora competenti*, ſtatuta tamen arbitrio Epiſcopi, juxta Decreta Sacræ Rituum Congregationis alias allata, *Canonicus celebraturus Miſſam cum Diacono, & Subdiacono capiunt paramenta violacea*, Diaconus ſcilicet, & Subdiaconus Planetis ante pectus plicatis utuntur, juxta antiquum ritum ſuperius abunde a nobis jam explicatum; qui etiam una cum Celebrante *expectantes adventum Epiſcopi ſedent in aliquo ſcamno pro ipſis parato, ac viridi panno cooperto a latere Epiſtolæ. Cui advenienti aſſurgunt, & faciunt reverentiam*, detectis capitibus, & cum profunda inclinatione, ſi ſcilicet tam Celebrans, quam Miniſtri ſint Canonici, nam ceteroqui ſolus Canonicus celebrans inclinabit caput, Miniſtri vero genuflectent, uti expreſſe habetur in ipſo noſtro §. III.

IV. Epiſcopum hac die aſſociatum more ſolito pergere ad Eccleſiam, edicit noſter §. IV. ex cujus etiam præſcripto, *factis conſuetis Orationibus*, ad Altare ſcilicet primum Sanctiſſimi Sacramenti, & deinde ad Altare majus, *ſtans apud Sedem ſuam, accipit paramenta eodem ordine, quo in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis dictum eſt*, nempe, Amictum, Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, Stolam, Pluviale coloris ſcilicet violacei, uti videre eſt ſupra Cap. XVI. §. IV. *& pariter omnes Canonici capiunt ſua, prout ibi dictum fuit*, ſcilicet §. VI. ubi edicitur, Canonicos ipſos in locis ſuis ſtantes, ſeu in Sacriſtia, ſi prope eſt, accipere debere ſacra paramenta eis convenientia, juxta ritum jam alio loco præfinitum: *eo excepto, quod Diaconi, aut Subdiaconi, non quidem Dalmaticis, & Tunicellis, ſed Planetis ante pectus plicatis in hujuſmodi officio utuntur, cum ſit feriale*; & ſi commode paramenta haberi nequeant pro omnibus Canonicis, quatuor, aut ſex digniores ſaltem induere Pluvialia debent, uti in laudato §. VI. Cap. XVI. habetur expreſſum.

V. Omnibus paratis, Epiſcopo, ſcilicet & Canonicis, ex præſcripto noſtri §. V. *Subdiaconus, qui eſt cantaturus Epiſtolam in Miſſa, ſive alius ex Beneficiatis Eccleſiæ, paratus Planeta ante pectus plicata*, non Tunicella, ut ait etiam Craſſus, Lib. II. Cap. XLIII. *accedit ad Altare cum debitis reverentiis*, cum inclinatione ſcilicet capitis, ſi eſt Canonicus, alias cum genuflexione, *& capit vas illud cum Cineribus, ambabus manibus, quod elevatum portat ante Epiſcopum*, ſcilicet in Solio ſuo ſedentem, *ubi genuflexus*, ſi nempe non eſt Canonicus, *illud retinet uſque in finem diſtributionis, ad dexteram Epiſcopi. Tum Epiſcopus*, ut ſubdit noſter §. VI. *accedente Capellano cum Libro, & altero cum Candela, aſſiſtentibus Diaconis hinc inde, legit ſedens Antiphonam*, Exaudi nos Domine &c. Idem quod hic noſter §. docet etiam in ſuo Cæremoniali Patricius de ritu loquens Pontificiæ Capellæ; tametſi Craſſus loco citato longe aliter ritum ipſum deſcribat: *Paratus*, inquit, nempe Epiſcopus, *cum omnibus aliis..... ac habens ante ſe bacile cum Cineribus ſuper Altari poſitum, ſtanſque ſine Mitra, ſed cum bireto, non quidem cantat, ſed intelligibiliter legit Antiphonam &c.* Verum tum ex Cæremoniali Patricii, tum ex noſtro §. VI. Epiſcopus non ſtans ad Altare ſine Mitra, ſed in Solio ſuo ſedens cum Mitra legit ipſam Antiphonam, *Exaudi nos Domine &c.*

VI. Deſumta eſt hæc Antiphona ex Pſalmo LXVIII. ejuſque meminere, ſicut & Orationum, quibus Cineres initio Quadrageſimæ benedicuntur, Miſſales, & Pontificales antiqui Codices, tametſi juxta veteres Monachorum præſertim Ritus, non omnes ſimul quatuor Orationes, ſicut hodie in Miſſali Romano habentur, ſed unica tantum ad benedicendos Cineres Oratio diceretur; nempe apud Cluniacenſes, Carthuſienſes, & Caſalinos Oratio illa: *Deus qui non mortem &c.* Apud Corbejenſes hæc: *Omnipotens ſempiterne, qui primo homini &c.* Apud Pariſienſes S. Germani iſta: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui miſereris &c.* quam una cum illa Oratione, *Deus, qui non mortem &c.* & alia, quæ incipit, *Omnipotens ſempiterne Deus parce metuentibus*

Digitized by Google

tibus &c. continet S. Petri ſupra Divam Collectaneum, uti obſervat Martene Lib. III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. IX. Num. VII. ubi etiam notat, hujuſmodi benedictioni præmiſſas fuiſſe multas alias preces, quas longum eſſet recenſere hoc loco.

§. VII.

Quibus finitis, & jam ante eum ſtantibus, Presbytero aſſiſtente parato, & Acolythis cum thuribulo, navicula, & Aſperſorio cum aqua benedicta, imponit incenſum in thuribulum, more ſolito aſpergit, & thurificat Cineres triplici ductu.

§. VIII.

Tum ſedet ſine Mitra, & ſine bireto; & Canonicus celebraturus Miſſam, ſolus accedit ad eum, facta Altari, & Epiſcopo reverentia, & imponit Cineres in caput ipſius ſedentis, dicens, *Memento homo, quia pulvis es &c.*

COMMENTARIUS.

I. IDem eſt plane ritus, quem in ſuo Cæremoniali Lib. II. Sectione I. Cap. XXXI. deſcribit Patricius, quemque hoc loco referre lubet ad explicandas magis magiſque Rubricas duorum præſentium Paragraphorum: *Incæpta quarta Oratione*, inquit, *vocatur ad Pontificis dexteram Prior Presbyterorum Cardinalium, & duo Acoluthi Superpelliceis induti, unus cum thuribulo, & incenſo, alius cum vaſe aquæ benedictæ, & Aſperſorio, qui ambo etiam ad dexteram Pontificis locantur poſt Presbyterum Cardinalem aſſiſtentem. Finitis Orationibus, Papa, miniſtrante Presbytero Cardinali aſſiſtente, imponit incenſum, aſpergit Cineres, deinde incenſat.* Sed audiamus hic Rubricam Miſſalis, Parte IV. Tit. VI. Num. IV. ubi brevius quidem, ſed luculentius ritus ipſe ita exponitur: *Impoſito incenſo in thuribulo, ter aſpergit Cineres aqua benedicta*, nempe, ut notat Gavantus, in medio, a dexteris, & a ſiniſtris, *dicendo Antiphonam*, Aſperges, *ſine cantu, & ſine Pſalmo, & ter adolet incenſo*, eodem ſcilicet modo, quo aſperſit.

II. Juxta Cæremoniale Patricii, dum Papa Cineres aſpergit, atque thurificat, *tunc Cantores incipiunt*, nempe, *Immutemur habitu &c.* quod tamen ex noſtro §. X. Chorus incipit, cum incipiunt venire Canonici parati ad capiendos Cineres, ſed hoc parum refert; ut ergo quod noſtrum eſt, proſequamur, notandum primo illud, quod tradit idem Patricius, & ante ipſum in Ordine Romano XV. Petrus Amelius, Capite XXXIX. nempe Bonifacium IX. Pontificem ſtatuiſſe quidem, ut prior Epiſcoporum juxta antiquam conſuetudinem Pluviali indutum ſine Mitra, imponeret Cinerem Pontifici. Sed conſtat ea conſuetudo ex antiquo Romano Ordine XII. Auctore Cencio, Cap. VIII. & ex aliis. Verum ſubdit mox ipſe Patricius eum ritum ſuo ævo ſervatum fuiſſe: *Nunc vero celebraturus Cardinalis jam omnibus ornamentis ſacris pro Miſſa dicenda indutus, demtis tamen Chirothecis, & annulo Pontificali, accedit ad Papam, & ſine Mitra ſolus detecto capite, facta Papæ reverentia, ſtans coram eo ſupra ſcabellum, nihil dicens, imponit Papæ ſedenti Cineres ſupra caput in formam Crucis.* Sed hæc nova eſt diſciplina, nam alias, ut inquit laudatus Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, citato Cap. VIII. *Prior Epiſcoporrm imponit ei Cinerem dicens hæc verba*, nempe, *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* In quem locum notat Mabillonius, conſueviſſe hæc verba omitti tempore Urbani VI. erga Papam, ex Cæremoniali Petri Amelii, ſive ex Ordine Romano XV. quem ipſe Amelius concinnavit, Cap. XXIV.

III. Quod attinet ad Epiſcopos, ait Craſſus Lib. II. Cap. XLIII. de Cardinali Epiſcopo Bononienſi loquens, quod benedictis Cineribus, *poſito ante medium Altaris in ſupremis gradibus Faldiſtorio, ſedet nudo capite Epiſcopus, ad cujus dexteram genuflexus manet continue Capellanus tenens bacile cum Cineribus, & ex venientibus Canonicis primus accedens, antequam Cineres capiat, oſculatur proprios digitos, quibus acceptturus eſt Cineres imponendos Cardinali, & ſic capit, & ponit ſuper capite ejus, dicens*, Memento homo, quia pulvis es, *non autem*, cinis &c. *quo facto Cardinalis ſedet &c.* Varia hic tradit Craſſus, quæ a noſtro §. & ab ipſo Pontificiæ Capellæ ritu diſcrepant. Nam primo, non in Faldiſtorio, ſed in Sede ſua Pontificali, ibi non ſtans, ſed ſedens ſacrum Cinerem accipere debet Epiſcopus. II. non a primo ex Canonicis, ſed a Canonico celebraturo Miſſam accipere Cinerem debet, idque non modo ex noſtro §. ſed ex Decreto etiam Sacræ Rituum Congregationis XXVIII. Maji anni MDCXVI. ubi edicitur, Cineres miniſtrare Epiſcopo Feria quarta Cinerum, non ad primam Dignitatem, ſed ad Canonicum ea die celebrantem pertinere. III. peculiarem eſſe eum ritum, ut Cinerem miniſtraturus Epiſcopo, antequam illos capiat, oſculetur proprios digitos, quibus Cineres ipſos accepturus eſt imponendos capiti Epiſcopi Cardinalis.

IV. Formula imponendi Cineres per ea verba, *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*, legitur in laudato ſuperius Romano

Digitized by Google

mano Ordine XII. & in aliis quibuſdam, ſicut etiam in multis Pontificalibus, & Miſſalibus Libris. Non erat tamen ea generalis omnium Eccleſiarum formula; nam in Eccleſia Pictavienſi Cineres imponebantur ſub hac forma: *Pœnitentiam age in Cinere, & cilicio; & memento, quia Cinis es, & Cinis eris, & in Cinerem reverteris, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* In Tolonienſi: *Homo recognoſce, quia Cinis es, & in Cinerem ibis; pulvis es, & in pulverem reverteris; ideo age pœnitentiam, & habebis vitam æternam.* In Antiſiodorenſi hunc in modum: *Memento homo, quia Cinis es, & in Cinerem reverteris, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Miſſale Mozarabum poſt ea verba, *& in Cinerem reverteris*, hæc alia verba adjungit, *Age pœnitentiam, & prima opera fac.* Sed tenenda eſt ea formula, quam Miſſale Romanum præſcribit dicendam, illam nempe initio hujus numeri deſcriptam.

§. IX.

Quo facto, Epiſcopus accipit Mitram, & extenditur ſuper ejus gremio mappa munda per duos Acolythos, & imponit Cineres eidem Canonico celebranti, ante ſe inclinato, dicens, *Memento homo &c.* ut ſupra. Celebrans, acceptis Cineribus, ſine oſculo manus Epiſcopi, revertitur ad ſuum locum.

§. X.

Tunc incipiunt venire omnes Canonici parati ad capiendos Cineres, eodem modo, incipiendo a dignioribus, cum debitis reverentiis Altari, & Epiſcopo, & Chorus incipit: *Immutemur habitu &c.* cum ſequentibus.



COMMENTARIUS.

I. LIcet ſedens Epiſcopus ſacrum ipſe accipiat Cinerem, uti ſuperius jam dictum fuit, aliis tamen inclinatis, vel genu flexis idem Epiſcopus ſedens Cineres ipſos imponit pollice, & indice dexteræ manus illos accipiens. Itaque poſt acceptum Cinerem, *accipit Epiſcopus Mitram*, ait noſter §. IX. *& extenditur ſuper ejus gremio mappa munda per duos Acolythos, & imponit Cineres eidem Canonico celebranti ante ſe inclinato, dicens*, Memento homo &c. *ut ſupra*. Deſumtus eſt ritus ex Cæremoniali Auctore Patricio, ubi ita inquit: *Imponitur ei Mitra*, Papæ ſcilicet poſt acceptum Cinerem, *& accedunt duo Auditores portantes mantile, quod a Credentiariis Papæ acceperunt; illud hinc inde tenent ſuper gremio, qui illi Cardinali, a quo*

Digitized by Google

a quo Cineres accepit, inclinato capite coram ſe ſtanti, dat Cineres, dicens, Memento homo &c. Tum paulo inferius ſubdit: *Cardinalis autem, ſi eſt celebraturus, acceptis Cineribus, revertitur ad Faldiſtorium ſuum prope Altare &c.* Id quod etiam Rubrica ipſius §. noſtri IX. edicit, tametſi nec Celebrans, nec alii accipientes Cinerem de manu Epiſcopi, illam deoſculentur, quia ſcilicet, ut habetur infra §. XIII. *commode oſculum exhiberi nequeat in hoc actu*, cum alias Cardinales poſtquam Cineres a Papa acceperint, inclinati genu ejus oſculentur, alii autem Prælati parati genuflexi oſculentur pedem. Sed non omnes ritus Pontificiæ Capellæ, & qui erga Papam ſervantur, convenire omnino poſſunt Epiſcopis, ſunt enim ipſi Papa Epiſcoporum Epiſcopo dignitate, ac poteſtate longe inferiores.

II. Impoſito ab Epiſcopo Cinere Canonico Miſſam celebraturo, a quo ſcilicet, uti dictum eſt, ipſe prius Cinerem accepit, *tunc*, ut inquit §. X. *incipiunt venire omnes Canonici parati ad capiendos Cineres, eodem modo, incipiendo a dignioribus cum debitis reverentiis Altari, & Epiſcopo*, inclinantes ſe ſcilicet illi, a quo etiam inclinati, non vero genuflexi Cinerem capiunt, quia ſcilicet ſunt Canonici, reliquis tam Clericis, quam laicis Cinerem ipſum genuflexis accipientibus, ut infra §. XIII. edicitur. Romæ tanta fuit olim religio, ut non ſolum Cineres diſcalceatus Summus Pontifex, Cardinales, & alii acciperent, ſed etiam ab Eccleſia S. Anaſtaſiæ, ad S. Sabinam, in qua indicta Statio erat, pedibus nudis procederent, uti videre eſt in Ordinibus Romanis XI. & XII. Servatum fuiſſe hunc ritum paſſim a Monachis, ut diſcalceati, exceptis tamen Miniſtris Altaris, Cinerem ſumerent, pluribus tradit Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XVII. & in Opere, *De antiquis Monachorum ritibus*, Lib. III. Cap. IX. Num. XI.

III. Interim dum Cineres ipſi imponuntur, ex antiquo ritu in Codicibus priſcis notato, *Chorus incipit*, Immutemur habitu &c. *cum ſequentibus*, quæ ſcilicet in Miſſali Romano leguntur. Apud Divionenſes, & Corbejenſes unicam dumtaxat Antiphonam decantabat Chorus, eaque finita, remanebat ſub ſilentio, ut diſcimus ex antiquo Corbejenſi Ordinario, & ex Libro Conſuetudinum S. Benigni Divionenſis, ut notat Martenius, *De Monachorum ritibus*, loco citato, Numero IX. ubi tamen fatetur, apud alios decantari conſueviſſe plures Antiphonas, ac preces, quas hodie ex antiquo Eccleſiæ inſtituto in ea functione decantare ſolemus, uti in ipſo Romano Miſſali videre eſt.

§. XI.

Si quis Prælatus alias ſupra Canonicos ſtare, vel ſedere ſoleat, ei dabit Epiſcopus Cineres ſtanti: ſi aliquis Princeps, vel Oratores Regum, vel Principum maximorum, aut Rerumpublicarum liberarum Laici adeſſent, capiunt hac die Cineres poſt Canonicos paratos: Magiſtratus vero, & Officiales, ac alii Laici poſt omnes de Clero.

§. XII.

Quod ſic obſervatur hac die, & Feria ſexta in Paraſceve in adoratione Crucis, ut ibi dicetur, ex antiqua laudabili Eccleſiaſtica diſciplina, propter humilitatem, quæ in hoc actu repræſentatur iis diebus. Ideoque promtius, libentiuſque Laici, in his cedere debent omnino Eccleſiaſticis, prout etiam reſpective obſervatur per Imperatores, Reges, & Principes, quando ſunt præſentes in Capella Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ.

§. XIII.

Prælati, & Canonici parati, capiunt Cineres inclinati: reliqui vero, tam Clerici, quam Laici genuflexi, & omnes ſine oſculo manus, cum commode oſculum exhiberi nequeat in hoc actu.

COMMENTARIUS.

I. ILlud in Cinerum diſtributione advertendum eſt ex noſtro §. XI. ut ſiquis Prælatus alias ſupra Canonicos ſtare, vel ſedere ſoleat, ei det Epiſcopus Cineres ſtanti: ſi aliquis vero Princeps, qui ſcilicet non recognoſcit Superiorem, vel Oratores Regum, vel Principum maximorum, aut Rerumpublicarum liberarum Laici adeſſent, capiant hac die Cineres poſt Canonicos paratos; Magiſtratus vero, & Officiales, ac alii Laici poſt omnes de Clero. Ratio hujus diſtinctionis explicatur mox in ſequenti §. XII. qui plane cum iis concinit, quæ docet Craſſus in ſuo Cæremoniali Lib. II. Cap. XLIII. ubi etiam ait, hoc ſingulare dogma a Sanctis Patribus in hac Cæremoniali diſciplina conſultis traditum eſſe, ſcilicet, ut hodie pro capiendis Cineribus, & in Paraſceve pro Crucis adoratione, qui duo actus humilitatem præſeferunt, Principes omnes de ſeculo

Digitized by Google

ſeculo ſe ſubmittant Sacerdotio, eique in duobus his actibus cedant. Id etiam in Capella Papali reſpective ſervatur, ubi ſi Princeps, Dux major, Rex, & denique ipſe Maximus Imperator adſit, cum Cardinalibus, & Prælatis paratis, tunc quidem ipſe Imperator poſt Cardinales omnes, Reges poſt aſſiſtentes Prælatos, Duces autem poſt omnes reliquos Prælatos, etiam poſt Abbates, & Pœnitentiarios paratos accipiunt Cineres, & adorant etiam Crucem poſt eoſdem ordine prædicto, etiamſi Clerus non ſit paratus in Paraſceve; non autem ſic in aliis actibus, ut in Candelis, Palmis, & oblationibus, ac incenſationibus, & oſculationibus dandis, & hujuſmodi aliis actibus.

II. Hæc Craſſus in Cæremoniis Capellæ Pontificiæ apprime verſatus, utpote & ipſe aliquando Apoſtolicarum Cæremoniarum Magiſter, eademque docet ante Craſſum Auguſtinus Patricius in ſuo Cæremoniali Pontificiæ Capellæ, Libro II. Sectione I. Cap. XXXI. his verbis: *Nota, quod ſi Imperator, aut Rex, ſit præſens, accipit Cineres immediate poſt Cardinales omnes, & oſculatur pedem Papæ, & ſimiliter alii Principes, qui ſedent inter Cardinales, recipiunt Cineres poſt eos.* Additque mox: *Non idem ſervatur in diſtributione Candelarum, & Palmarum, quia hi accipiunt, prout ſedent; in iſto autem actu, qui humilitatem præſefert, Principes Sacerdoti ſe inclinant, & illis cedunt.* Ubi nota, multos ritus Cæremonialis Epiſcoporum, probari ex praxi Capellæ Pontificiæ, quam nos iccirco in Commentariis noſtris paſſim attulimus. Porro quod attinet Rubricam noſtri §. XIII. jam ſupra enarravimus in Commentario §. IX. & X.

§. XIV.

Datis Cineribus, Epiſcopus ſedens, in eodem loco lavat manus more ſolito; mox depoſita Mitra, ſurgit, & cantat manibus junctis, *Dominus vobiſcum*. *Oremus*, & Orationem, *Concede nobis Domine &c.* ad quam, more ſolito, veniunt duo Acolythi cum candelabris, & cereis accenſis, & finita Oratione, diſcedunt.

COMMENTARIUS.

I. COncinit hæc Rubrica laudato toties inſigni Cæremoniali Capellæ Pontificiæ, Auctore Patricio, ubi ita inquit: *Datis Cineribus, Papa adhuc cum Mitra ſedens abluit manus more conſueto, prout etiam ſupra in Purificatione dictum eſt; deinde detracta Mitra ſurgit, & Aſſiſtentibus ante eum duobus Ceroferariis, more ſolito cantat*, Dominus vobiſcum. *Reſponſ.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Concede nobis Domine &c. *ſub concluſione*, Per Chriſtum Dominum noſtrum, *ut in Ordinario*. Oratio ipſa, *Concede nobis Domine &c.* quæ ex Rubrica Miſſalis, & noſtri hujus §. dicenda eſt poſt finitam Cinerum diſtributionem, juxta Miſſale Mozarabum ante ipſorum benedictionem dicitur. Quidquid ſit, antiqua eſt ipſa Oratio, extatque in multis priſcis Miſſalibus Libris, ejuſque inter alios meminit in ſuo Rationali Durandus Lib. VI. Cap. XXVIII. Num. XVII. & alii Scriptores, ac Rituales Codices paſſim.

§. XV.

Quibus expeditis, ſi Epiſcopus non eſt celebraturus Miſſam, prout regulariter hac die non ſolet, Canonici omnes deponunt ſua paramenta; Epiſcopus autem retinebit ſua paramenta, quod magis conveniens eſt, vel illa deponet, & accipiet Cappam, prout magis libuerit, obſervans tamen regulam ſuperius traditam; & deſcendens de ſua Sede, faciet Confeſſionem cum Celebrante; qua finita, revertitur ad ſuam Sedem, ubi ſtatim cum Miniſtris, & Cæremoniis ſolitis imponit incenſum in thuribulum, & thurificatur Altare per Celebrantem, & mox ipſe Celebrans.

§. XVI.

Tum Epiſcopus legit Introitum ex Libro, & dicit, *Kyrie Eleiſon*, cum Canonicis in Circulo ſtantibus; & Celebrans in Miſſa dicit tres Orationes, prout in Miſſali, in æquali cantu Feriali; & antequam dicatur, *Dominus vobiſcum*, ante primam Orationem, Epiſcopus deſcendet e Solio ad Faldiſtorium, in quo, ſimul ac eo pervenerit, depoſita Mitra, genuflectet ad *Oremus*, omnibus pariter cum eo genuflectentibus, exceptis, Celebrante, Diacono, & Subdiacono, qui in hac Miſſa non genuflectunt, niſi ad Verſiculum, *Adjuva nos Deus &c.* ut infra dicetur. Dicta ultima Oratione, Epiſcopus ſurgens, & accepta Mitra, redit ad Sedem ſuam, & ite-

Digitized by Google

& iterum antequam inchoetur Verſiculus, *Adjuva nos Deus &c.* deſcendet ad Faldiſtorium, & genuflectit, retenta Mitra, ſic manens uſque ad finem Verſus, genuflectentibus etiam Celebrante, ac Miniſtris Altaris.

COMMENTARIUS.

I. CInerum diſtributione abſoluta, & dicta ultima Oratione, ideſt, *Concede nobis Domine &c.* cum ritibus jam ſuperius explicatis, *Si Epiſcopus non eſt celebraturus Miſſam, prout regulariter hac die non ſolet*, ex præſcripto noſtri §. xv. *Canonici omnes deponunt ſua paramenta, Epiſcopus autem retinebit ſua paramenta, quod magis conveniens eſt*, ut ſcilicet cum Pluviali aſſiſtat; *vel illa deponet, & accipiet Cappam, prout magis libuerit &c.* Quamquam autem ex Craſſo non modo omnes Canonici ſe exuunt paramentis, ſed *& ſimiliter Cardinalis*, Epiſcopus ſcilicet Bononienſis, *exutus deſcendit ad Confeſſionem faciendam pro Miſſa &c.* ex Cæremoniali tamen Pontificiæ Capellæ non videtur exui Papam paramentis, quibus Cineres benedixit, diſtribuitque, ſed cum eiſdem potius Miſſæ aſſiſtere, quæ hac die per Cardinalem celebratur, ut addiſcimus ex Cæremoniali Auguſtini Patricii ſic ajentis: *His finitis, Prælati, & Officiales omnes extra cancellum, Cardinales vero intus in locis ſuis dimittunt paramenta, & accipiunt Cappas ſuas conſuetas. Et Pontifex facta Oratione ante Altare facit cum Celebrante Confeſſionem, & more conſueto incipitur Miſſa.* Et mox: *Finita Confeſſione, Papa aſcendit Sedem eminentem, & Presbytero Cardinali*, qui ſcilicet Pontifici aſſiſtit, *miniſtrante, imponit incenſum in thuribulo ..... Incenſatur Altare, deinde Celebrans, poſtea Papa.*

II. Conſtat itaque ex recitato hucuſque loco, cui in omnibus concinit §. noſter, Papam cum iiſdem paramentis Miſſæ aſſiſtere, quibus benedictionem, ac diſtributionem Cinerum peregit, ideoque cum Pluviali, *quod magis conveniens eſt*, ut ait noſter §. qui etiam quamvis dicat, *regulariter* hac die non ſolere Miſſam, ſolemnem ſcilicet, dici ab Epiſcopo, prout etiam hodieque in Pontificia Capella ſervatur, in qua hac ipſa die ſolemni Miſſæ Papa aſſiſtit, ſciendum tamen, alium fuiſſe antiquum morem Summorum Pontificum, quippe qui celebrabant ipſi Miſſam ſolemnem die Cinerum in Capite Quadrageſimæ, uti conſtat ex antiquo Romano Ordine XII. Auctore Cencio, Cap. VIII. & ex XIV. Jacobo Gaetano Auctore, Cap. LXXIX. *His finitis, Dominus Papa ablutis pedibus ad ſanctam Sabinam in Sacriſtia, & recalceatus dicit Nonam; deinde procedit ad Altare ad Divina peragenda.* Addit tum alia, quæ mox paulo inferius deſcribemus, ex quibus liquido conſtat, celebraſſe olim ipſum Summum Pontificem ſolemnem Miſſam, & quidem in Eccleſia S. Sabinæ, ad quam nudis pedibus ab Eccleſia S. Anaſtaſiæ procedebat, ideoque in Sacriſtia S. Sabinæ lavabat pedes, Mappulariorum, & Cubiculariorum Schola aquam caldam offerente, uti docet nos Cencius in laudato ſuo Romano Ordine XII. Cap. VIII.

III. Peracta incenſatione, ut ad §. noſtrum XVI. deveniamus, *tum Epiſcopus legit Introitum ex Libro, & dicit*, Kyrie eleiſon, *cum Canonicis in Circulo ſtantibus, & Celebrans in Miſſa dicit tres Orationes, prout in Miſſali, in æquali cantu feriali.* Tres in hac Miſſa dicendas eſſe Orationes, præter Rubricas Miſſalis, docet etiam in ſuo Romano Ordine XV. Petrus Amelius, Cap. XXV. ubi tamen ait, *modernis temporibus* conſueviſſe tres dici Orationes, quia ſcilicet, ut idem Amelius notat, *ſecundum Dominum Jacobum Gajetani in hac Miſſa non debet dici, niſi tantum una Oratio.* Verba Gaetani, ſive, ut ait Amelius, Gaytani, in Ordine Romano XIV. Cap. LXXIX. hæc ſunt: *Solet Dominus Papa hac die ad Miſſam, unam tantum Orationem cantare, & in omnibus Dominicis diebus; ſed in Ferialibus, quando celebrat in Capella, dicit tres Orationes, videlicet, Orationem diei, & Orationem*, A cunctis, *& Orationem*, Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum &c. Mirum forte videri poteſt, quod circa numerum ipſarum Orationum ait Craſſus, non enim unius, vel trium meminit, ſed quinque: *Dicuntur*, inquit, *quinque Orationes æquali cantu, ideſt, feriali, videlicet, prima, de die; ſecunda*, A cunctis; *tertia*, Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum; *quarta, contra Paganos; quinta pro Papa; ad quas per Cardinalem, & per omnes genuflectitur, ſicut in Miſſa pro defunctis.* Quinque etiam haſce Orationes dicendas prima die Quadrageſimæ aſſerit in ſuo Cæremoniali Patricius.

IV. Sed tenenda eſt hodie Regula Rubricæ Miſſalis, quæ tres tantum Orationes dicendas præſcribit, in quibus etiam ſervandus eſt Ritus in hoc §. noſtro præſcriptus: *Et antequam*, inquit, *dicatur*, Dominus vobiſcum, *ante primam Orationem, Epiſcopus*, qui ſcilicet ſolemni tunc Miſſæ aſſiſtit, *deſcendet e Solio ad Faldiſtorium*, in plano ſcilicet paratum, *in quo, ſimul ac eo pervenerit, depoſita Mitra, genuflectet ad* Oremus, *omnibus pariter cum eo genuflectentibus, exceptis Celebrante, Diacono, & Subdiacono, qui in hac Miſſa non genuflectunt &c.* Itaque antequam dicatur, *Dominus vobiſcum*, ut ait noſter §. non vero, *dum dicitur*, ut habent antiqua Cæremonialia ante hoc noſtrum edita, deſcendet e Solio Epiſcopus ad Faldiſtorium, ut in eo, *depoſita Mitra*, genuflectat *ad Oremus*; quæ verba, *depoſita Mitra*, & *ad Oremus*, majoris explicationis gratia huic etiam §. adjuncta primum fuere in novo Cæremoniali; ut nimirum Epiſcopus *depoſita Mitra*, tunc genuflectat in Faldiſtorio, cum Celebrans dicit, *Oremus*, genuflexuſque maneat,

Digitized by Google

quousque omnes Orationes terminatæ fuerint; quem ritum ceteri omnes servabunt, *exceptis*, *Celebrante*, *Diacono*, & *Subdiacono*, *qui in hac Missa non genuflectunt*. Diaconi autem assistentes Episcopo, post ipsum Episcopum genuflectunt, dilatantes, & aptantes latera Pluvialis, vel Cappæ ejusdem Episcopi, quod semper faciunt in pari casu, ut infra. Porro, *dicta ultima Oratione*, ut ait hic idem noster §. *Episcopus surgens*, & *accepta Mitra redit ad Sedem suam*; ubi nota, verba illa, & *accepta Mitra*, in Cæremonialibus antiquis desiderari.

V. Quamquam vero celebrante Episcopo, prima ejus salutatio ad populum ante Orationem fieri ex antiquo ritu soleat per illa verba, *Pax vobis*, uti alibi notatum fuit, sciendum hic tamen est, quod alias docet Romanus Ordo XIV. Cap. LXXIX. itemque Durandus in suo Rationali, Lib. IV. Cap. XIV. in omnibus Feriis, & Dominicis Quadragesimæ, & Adventus, exceptis Dominicis, *Gaudete*, & *Lætare*, ut ait laudatus Ordo Romanus, neque ab Episcopo prima vice dici, *Pax vobis*, sed *Dominus vobiscum*. Ceterum cum de hoc ritu jam alibi fuse diserueriimus, ut ceteros enarremus, qui in hoc §. contenti sunt, licet ex ejusdem præscripto, & ex Rubricis etiam Missalis, Celebrans, ejusque Ministri, Diaconus scilicet, & Subdiaconus ad Orationes non genuflectant, debent tamen ipsi, sicut & cæteri omnes, genuflectere ad illum Versiculum, *Adjuva nos Deus &c.* Sane antequam inchoetur ipse Versiculus, *Adjuva nos &c.* ex præscripto §. nostri *descendet ad Faldistorium* Episcopus, & *genuflectit*, *retenta Mitra*, *sic manens usque ad finem Versus*, *genuflectentibus etiam Celebrante*, *ac Ministris Altaris*, in cornu scilicet Epistolæ, non in medio Altaris, ob reverentiam Episcopi ibi genuflexi, ut notat Bauldryus.

VI. Præteriri hic tandem non debet, verba illa, *retenta Mitra*, huic quoque §. adjuncta fuisse in novo Cæremoniali, nam in antiquis ante novam editionem factam auctoritate Benedicti Papæ XIII. legitur, *genuflectit ut prius &c.* Si autem *ut prius*, ad Orationes scilicet, genuflectit Episcopus, *deposita Mitra*, juxta ritum etiam Pontificiæ Capellæ, in qua Papa, ut inquit Patricius, ad ipsas Orationes e Solio etiam suo descendens ad Faldistorium, ibi *abstracta Mitra genuflectit*; Mitra quoque deposita genuflectere debebat ad Versiculum, *Adjuva nos &c.* quod tamen hodie in hoc nostro §. correctum est, ubi expresse edicitur, genuflectere tunc Episcopum, retenta Mitra, sicque manere usque ad finem Versus, nempe, *Adjuva nos Deus &c.*

§. XVII.

Quo Versu dicto, & non prius, Diaconus cum solitis Ministris, deposita jam Planeta plicata, & eadem, vel alia jam involuta, & complicata super sinistrum humerum, & super Stolam posita, & sub ejus brachio stricte cordulis colligata, ne decidat, accedit ante ultimum gradum Sedis Episcopi, & ab ipso sedente petit Benedictionem pro Euangelio recitando; quo finito, Episcopus deosculatur textum Euangelii sibi a Subdiacono delatum, & adhuc stans sine Mitra, a Presbytero assistente thurificatur.

§. XVIII.

Tunc accedit, qui Sermonem, vel Concionem habiturus est, & petit Benedictionem, & Indulgentias ab Episcopo; & alia fiunt prout in Cap. XXII. Lib. I. de Concionibus, & Sermonibus explicatum fuit.

COMMENTARIUS.

I. QUæ in duobus hisce Paragraphis Cæremoniale præscribit, jam supra non uno in loco explicata a nobis fuere. Dicemus nonnulla hic tamen, quæ Concionem spectant diei Cinerum, & totius Quadragesimæ. In nostra Calabria ex Ordinario Lucæ Episcopi Consentino, *nulli Capellanorum Civitatis*, idest Parochorum, sic enim ibi, ac aliis etiam in locis hodieque Parochi appellantur, *antequam Cineres benedicerentur in Majori Ecclesia*, & *Sermo fieret*, *celebrare licebat*. Peracta benedictione Cinerum, uti ex eodem Ordinario liquet, *Episcopus* ascendebat pulpitum, & Sermonem faciebat, *subjungendo generalem Confessionem*, & *Absolutionem cum Benedictione solemni*. Erat plane communis ritus, ut in Capite jejunii, idest, die ipsa Cinerum Sermo haberetur ad populum, uti nos docent Codices antiqui Missarum a Martenio allati in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XVII. Ordine I. & pluribus sequentibus.

II. Prædicari etiam vel primis seculis consueviisse singulis diebus Quadragesimæ, ex S. Joanne Chrysostomo addiscimus, qui in Homilia XI. in Genesim ita inquit: *Non hoc solum exquiritur, carissimi, ut per singulos dies huc conveniamus, & de iisdem audiamus continue, & totam jejunemus Quadragesimam. Si nihil enim ex eo, quod huc assidue convenimus, & admonemur, & ex jejunii tempore lucrari deberemus, hæc non modo nihil*

Digitized by Google

nihil nobis prodeſſent, verum & majoris occaſio damnationis fierent nobis. Addit & alia, quibus docemur, quotidie habitam fuiſſe olim Concionem in Quadrageſima. De ipſo etiam Quadrageſimæ tempore idem Chryſoſtomus loqui videtur in ſua Homilia IV. ubi ita ſub finem inquit: *Age obſecramus vos, ut ſi per quod aliud, maxime per jejunii tempus, magnam bene vivendi curam geratis, ne fiat vobis Sermo faſtidioſus, ſi quotidie loquamur*. De S. Cæſario Arelatenſi Epiſcopo illud inter alia in ejus Vita narratur apud Surium die v. Maji, quod *ſedibus poſt paratis in jejunio ab hora diei ſeptima uſque ad decimam epulis plebem ſpiritualibus ſaginabat*. Inter Sermones ſancti Leonis habentur plane non pauci pro Feriis Quadrageſimæ, de jejunio, & de tempore Paſſionis; in nonnullis autem videtur Pontifex ipſe affirmare, quod Dominica tantum, & Feria quar- prædicaretur.

III. Licet autem proprium ſit munus Epiſcoporum frequenter, ac præſertim in Quadrageſima Concionem habere in ſua Eccleſia, ſolent tamen hodie ſilere ipſi, eamque provinciam aliis committere. Teneri hujuſmodi Concionibus intereſſe Canonicos, ſæpe edixit Sacra Rituum Congregatio, ex cujus etiam Decreto die XXXI. Martii MDCCIII. apud Meratum in ſuis ad Gavantum Additionibus, & in Indice Decretorum, *Canonici Eccleſiæ Cathedralis intereſſentes Concionibus præſertim Quadrageſimalibus debent eſſe induti Habitu Canonicali, dum ſedent in propriis Stallis*.

§. XIX.

Finita Præfatione, & dicto per Epiſcopum cum Canonicis ad Circulum venientibus, *Sanctus, Sanctus &c.* iterum Epiſcopus deſcendit ad Faldiſtorium, & ibidem genuflectit, & deponit Mitram, ſic manens uſque ad *Per omnia ſecula &c.* ante, *Pax Domini &c.* & tunc Mitratus revertitur ad Sedem ſuam, & iterum depoſita Mitra, dicit, *Agnus Dei*, cum Canonicis, qui ſimiliter veniunt ad Circulos. Subdiaconus in hac Miſſa ſuſtinet Patenam, prout in aliis Miſſis; & Diaconus, & Subdiaconus cantaturi Euangelium, & Epiſtolam reſpective, deponunt Planetam, & oſculantur manum Epiſcopi, prout in Dominicis Adventus.

COMMENTARIUS.

I. AGit de Præfatione Quadrageſimæ, ideſt, *Qui corporali jejunio &c.* Honorius Auguſtodunenſis, affirmatque, a Papa Gelaſio fuiſſe præſcriptam, de qua tamen Præfatione hæc habet Durandus in ſuo Rationali Lib. VI. Cap. XXVIII. Num. XI. *Ab hac quoque quarta Feria uſque ad Dominicam Palmarum dicitur omni die Præfatio de jejunio, etiam Dominicis diebus apud quoſdam. In illa vero Dominica, & ſequentibus diebus dicitur Præfatio de Paſſione. Sed videtur eſſe incongruum, quod in Dominicis diebus cantetur Præfatio de jejunio, cum in illis non jejunetur; & ideo quidam dicunt in illis quotidianam Præfationem: ſed licet non jejunetur numero, jejunatur tamen qualitate, ideſt in cibo Quadrageſimali, ſicut in aliis diebus. In quibuſdam tamen Eccleſiis incipiunt dicere Præfationem de Paſſione in Dominica de Paſſione; & in quibuſdam dicunt Præfationem de jejunio uſque ad quartam Feriam ante Paſcha*. Ita ille de vario uſu variarum Eccleſiarum circa ipſam Præfationem, de qua etiam quædam notat Martene in ſuo Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XVIII. Num. XX. ubi inter alia inquit, in quibuſdam Eccleſiis conſueviſſe communem Præfationem dici in Feſtis novem Lectionum. Quod in Eccleſia Romana a Feria quarta Cinerum, *& deinceps uſque ad Dominicam Palmarum, tam in Feria, quam in Dominicis* diceretur Præfatio, *Qui corporali jejunio &c.* teſtatur Ordo XIV. Romanus, Cap. LXXIX.

II. Quicquid ſit de hoc ritu, qui alias hodie ſublatus eſt, dum a die Cinerum uſque ad Dominicam Paſſionis excluſive, ex Rubricis Miſſalis, Præfatio de jejunio dicitur, exceptis Feſtis, quæ habent propriam Præfationem, & Miſſis Defunctorum, in quibus etiam in Quadrageſima dicitur Præfatio communis; ut noſtrum §. enarremus, *finita Præfatione, & dicto per Epiſcopum cum Canonicis ad Circulum venientibus*, Sanctus, Sanctus &c. *iterum Epiſcopus deſcendit ad Faldiſtorium, & ibi genuflectit, & deponit Mitram, ſic manens &c.* Verba, *& deponit Mitram*, addita ſunt huic §. in novo Cæremoniali, quemadmodum & illa, quæ paulo poſt ſequuntur, ubi ſcilicet dicitur, ut poſtquam Epiſcopus manſit depoſita Mitra genuflexus in Faldiſtorio uſque ad *Per omnia ſæcula &c.* ante *Pax Domini &c.* tunc *Mitratus* revertatur ad Sedem ſuam, & iterum, *depoſita Mitra*, dicat, *Agnus Dei &c.* ea enim verba, *tunc Mitratus*, & *depoſita Mitra*, in antiquis Cæremonialibus ante hoc noſtrum editis etiam deſiderantur. Porro debere Canonicos ad *Agnus Dei &c.* facere Epiſcopo Circulum; Subdiaconum in hac Miſſa ſuſtinere Patenam, prout in aliis Miſſis, & Diaconum æque, ac Subdiaconum, cantaturos Euangelium, & Epiſtolam reſpective, deponere Planetam, & oſculari manum Epiſcopi, conſentaneum iis eſt, quæ in ſuis Cæremonialibus inter alios Scriptores diſerte, atque abunde docent Auguſtinus Patricius, & Paris de Craſſis.

Digitized by Google

§. XX.

Poſt Communionem, antequam Celebrans dicat, *Dominus vobiſcum*, Epiſcopus iterum deſcendit ad Faldiſtorium, permanens genuflexus, ut ſupra, ad omnes Orationes, quæ poſt Communionem dicuntur. Dicta ultima poſt Communionem, Diaconus vertit ſe ad populum, & dicit Verſiculum, *Humiliate capita veſtra Deo*, Epiſcopo, & aliis genuflexis manentibus, & capita inclinantibus: finita ultima Oratione, Epiſcopus cum Mitra revertitur ad Sedem ſuam, & ibidem dat Benedictionem ſolemnem more ſolito.

§. XXI.

Quæ dicta ſunt ſuperius circa genuflexiones ad Orationes, & poſt Præfationem, ſervabuntur in omnibus aliis Miſſis Ferialibus, tempore Quadrageſimæ, & Vigiliarum, præſente Epiſcopo.

COMMENTARIUS.

I. INſuper poſt Communionem, ut inquit noſter §. xx. Cæremonialibus Patricii, & Craſſi concinens, *antequam Celebrans dicat*, Dominus vobiſcum, *Epiſcopus iterum deſcendit ad Faldiſtorium*; *permanens genuflexus*, *ut ſupra*, ideſt, ſine Mitra, *ad omnes Orationes*, *quæ poſt Communionem dicuntur*. *Dicta ultima*, Oratione ſcilicet, *poſt Communionem*, *Diaconus vertit ſe ad populum*, *& dicit Verſiculum*, Humiliate capita veſtra Deo, *Epiſcopo*, *& aliis genuflexis manentibus*. Tradit Durandus in ſuo Rationali Lib. VI. Cap. XXVIII. Num. VII. frequentari eum Verſiculum, *Humiliate capita veſtra Deo*, in ipſis Miſſis Quadrageſimalibus, *eo quod illo tempore Diabolus magis impugnat nos*; *unde Deum humiliter orare*, *& nos ſibi humiliare debemus*; *& ut nos ſub Omnipotentis Dei manu humiliemus*, *dicitur etiam*, Flectamus genua.

II. Addit præterea Durandus, Verſiculos hoſce, *Flectamus genua*, & *Humiliate &c.* ſe ſe comitari, & neutrum dici in Dominica die, quia ſcilicet ait S. Gregorius, quod qui in Dominica die genua flectit, Deum reſurrexiſſe negat. Verum non eſt certa regula, quam tradit Durandus, nam non dicitur, *Flectamus genua*, in orationibus Miſſæ, niſi quando plures extant Prophetiæ, vel quando in Miſſa duæ extant Lectiones a Prophetis deſumtæ, ut ait Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. XLIII. ſive potius Romanus Ordo XIV. Cap. LXXIX. in quo etiam habetur, quod, *quando legimus unam Prophetiam*, *dicitur in modum Epiſtolæ*, *& dicitur*, Dominus vobiſcum; *quando duæ Prophetiæ in Miſſa leguntur*, *prima legitur in modum Lectionis*, *& dicitur*, Flectamus genua; *ſecunda in modum Epiſtolæ*, *& dicitur*, Dominus vobiſcum.

III. Porro de iis Verſiculis, *Flectamus genua*, & *Humiliate capita veſtra Deo*, ac de Oratione poſtrema, quæ dicitur ſuper populum, plura videri poſſunt apud ipſum Durandum loco citato, ubi hanc etiam ejus ritus affert rationem: *Olim omnes communicabant*, *& Communicaturos Diaconus ad flectendum genua invitabat*; *nunc vero*, *quia multi ſuſcipiunt Corpus Domini indigne*, *pro Communione utimur Oratione*, *Diacono*, *ſicut prius*, *ſuo fungente officio*, *& dicente*, Humiliate capita veſtra Deo; *quia quicumque humiliaverit ſe*, *exaltabitur &c.* Eandem rationem affert Micrologus, Cap. LI. Ex præſcripto noſtri §. xx. genuflectit Epiſcopus, aliique omnes de Choro ad Orationes, quæ poſt Communionem dicuntur, manentque genuflexi, etiam ad illam, cui præmittitur dictus Verſiculus, *Humiliate &c.* ad quam capita quoque inclinant. Finita vero ipſa Oratione, *Epiſcopus cum Mitra revertitur ad Sedem ſuam*, *& ibidem dat Benedictionem ſolemnem more ſolito*. Verbum, *cum Mitra*, non extat in antiquis Cæremonialibus, utpote primum huic §. additum in novo hoc noſtro Cæremoniali, quod vel in hac parte Cæremoniali Pontificiæ Capellæ concinit, in quo inquit Patricius, quod dicta poſtrema Oratione, *Pontifex ſurgit*, *& accepta Mitra*, *aſcendit ad Solium*.

IV. Licet Epiſcopus retenta Mitra ſolemnem det populo Benedictionem, poſtquam ſcilicet dixit Diaconus, *Benedicamus Domino*, eique a Choro reſponſum fuit, *Deo gratias*, notandum hic tamen, quod jam alias non ſemel dictum eſt, nempe, ſi Archiepiſcopus daturus eſt benedictionem, tunc Mitram ei auferri ob reverentiam Crucis Archiepiſcopalis, quæ ad eum defertur, ubi Benedictionem populo eſt largiturus. Ceterum quæ dicta ſunt ſuperius circa genuflexiones ad Orationes, & poſt Præfationem, ex præſcripto §. noſtri XXI. & uti omnes Scriptores notant, *ſervabuntur in omnibus aliis Miſſis Ferialibus*, *tempore Quadrageſimæ*, *& Vigiliarum*, *præſente Epiſcopo*.

§. XXII.

Si vero Epiſcopus vellet hac die ſolemniter celebrare, finita Oratione poſt Cinerum aſperſionem, ſedet aliquantulum, & mox ſurgens ſine Mitra, incipiet, *Deus in Adju*

Digitized by Google

Adjutorium &c. pro Nona; & cum inchoatur Pſalmus, *Mirabilia teſtimonia tua &c.* ſedet cum Mitra, & legit Pſalmum, *Quam dilecta &c.* & interim imponentur eidem Sandalia, Canonicis, & aliis omnibus, remanentibus paratis.

§. XXIII.

Finita Nona, ut alias, Epiſcopus lavabit manus cum Cæremoniis conſuetis, prout finita Tertia in aliis Miſſis per ipſum celebrandis; & dum lavat manus, accedet Presbyter aſſiſtens cum Pluviali, & adjuvabit, incipiendo ſervire Epiſcopo in Officio aſſiſtentiæ. Lotis manibus, Diaconus Euangelii, & Subdiaconus parati uſque ad Planetam excluſive abſque Manipulis, induent Epiſcopum paramentis Miſſalibus, adjuvantibus duobus Diaconis aſſiſtentibus cum Planetis plicatis ante pectus.

§. XXIV.

Parato Epiſcopo, Diaconus, & Subdiaconus capient Planetas plicatas, & Manipulos pro Miſſa, & fiet Proceſſio ad Altare, & inchoatur Miſſa, in qua omnia ſervantur, quæ in Cap. VIII. hujus Lib. I. de Miſſa ſolemni, Epiſcopo celebrante, explicata ſunt, exceptis his, quæ hac die particulariter facienda ſunt, ut ſupra narratum eſt.

COMMENTARIUS.

I. MIſſam celebrari olim conſueviſſe a Papa Feria quarta Cinerum, jam ſupra oſtendimus ex Ordine Romano XIV. Auctore Jacobo Gaetano, Cap. LXXIX. eratque is antiquus mos, uti nos docent Romani Ordines XI. & XII. ex quibus etiam deſumtus eſt ritus in Paragraphis hiſce præſcriptus, ut nimirum facta Cinerum diſtributione, & dicta Hora Nona, procedat ad Altare, ad celebranda ſcilicet Miſſarum ſolemnia: *Dominus Papa, ablutis pedibus ad S. Sabinam in Sacriſtia, & recalceatus dicit Nonam; deinde procedit ad Altare ad Divina peragenda.* Verba ſunt memorati Romani Ordinis XIV. Quam ob cauſam, & a quibus abluerentur pedes Papæ in Sacriſtia Eccleſiæ S. Sabinæ, nos ſupra explicuimus in noſtris Commentariis.

II. Sed non omittendus eſt ritus, qui olim in ea Miſſa, quam Papa in Eccleſia S. Sabinæ cantabat, ſervabatur, quem ita enarrat Romanus Ordo XI. Auctore Benedicto, Num. XXXIV. *Dominus Pontifex cantat Miſſam ſine* Kyrie, *propter Letaniam*, ideſt, propterea quod dictum fuerat, *Kyrie eleiſon* in Litania, ideſt, in Proceſſione quæ fiebat a Papa, & a Cardinalibus diſcalceatis ab Eccleſia S. Anaſtaſiæ ad Eccleſiam ſanctæ Sabinæ. Sed audiamus alium celebrem ritum quem memoratus Ordo ſic deſcribit: *Ante Communionem vero ſtat Subdiaconus Regionarius juxta Altare, dicens alta voce*: Craſtina die veniente Statio erit in Eccleſia S. Georgii Martyris ad velum aureum. *Reſpondet Schola*, Deo gratias; *& ſic poſtea Primicerius cantat Communionem*. Vide quæ de hiſce Stationibus Auctores eruditi ſcribunt, præſerti m vero Mabillonius in ſuo Muſeo Italico Tomo II.

III. Curioſum vero eſt, quod mox de alio ritu ſubjicit Ordo ſupracitatus: *Finita Miſſa, Acolythus debet tollere papyrum*, ideſt, ellychnium, *& intingere in oleo Candelæ, & diligenter extergere, & portare ad Palatium ante Pontificem, dicens*, Jube Domne benedicere. *Pontifex benedicit. Ille vero dicit*: Hodie fuit Statio ad S. Sabinam, quæ ſalutat te. *Pontifex reſpondet*: Deo gratias. *Acolythus repræſentat ei papyrum, qui oſculatur eum pro devotione Sanctæ, & dat eum Cubiculario. Cubicularius reponit, & diligenter obſervat uſque ad mortem Pontificis. Et ſic fit in omnibus Stationibus. Ad mortem facit ex eis pulvillum, & ponit ſub capite ejus in ſepulcro*. Hactenus Ordo ipſe Romanus XI. Auctore Benedicto Canonico S. Petri, cujus locum variis ritibus fœtum placuit hoc loco deſcribere; nam quod attinet noſtrorum Paragraphorum Rubricas, perſpicuæ illæ ſunt, ut cuique illas legenti patet, præſertim cum ſe remittant ad ea, quæ jam ſuperius dicta fuere in aliis Capitibus. Videri tamen poſſunt quæ in ſuo Cæremoniali ſcribit Auguſtinus Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. XXXIII. ubi explicantur ritus ſervandi in Pontificia Capella, *ſi Papa in die Cinerum celebrabit*; multa enim ex eo Capite in hoc noſtrum præſens Caput XVIII. translata ſunt.

§. XXV.

Ante primam Orationem Epiſcopus non dicet, *Pax vobis*, ſed *Dominus vobiſcum*, & cum dicitur Verſiculus, *Adjuva nos Deus &c.* Epiſcopus genuflectet, non in Faldi-

Digitized by Google

Faldiſtorio, ſed apud Sedem ſuam. In reliquis omnia fient, ut ſupra explicatum eſt, & prout dicitur in dicto Cap. VIII. de Miſſa ſolemni Epiſcopo celebrante.

COMMENTARIUS.

I. RUbricam hujus §. luculenter enarrat Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gaetano, Cap. LXXIX. ubi inter alia Miſſæ Ritus exponit, quæ a Papa Feria IV. Cinerum, ſive prima die Quadrageſimæ celebrabatur: *Ante Orationem*, ait, *non dicit*, Pax vobis, *ſed tantum*, Dominus vobiſcum, *& ſic in omnibus Feriis, Dominicis tam Quadrageſimæ, quam & Adventus, exceptis Dominica*, Gaudete, & Lætare. *Et notandum, quod in Tractu, qui in hac die cantatur, quando pervenitur ad Verſum*, Adjuva nos, *dictus Dominus Papa, depoſita Mitra, ſtat genuflexus in Sede ſua, quandiu cantatur ille Verſus.*

II. Sed audiamus quæ mox idem Ordo ſubjicit, pertinent enim ad eos ritus, qui ſcilicet ſervari debent ab Epiſcopo non celebrante, ſed ipſi Miſſæ aſſiſtente: *Si Papa non celebraret, ſed alius eorum eo, debet ire ad Cathedram cum ſcabello coram Altari paratam*, ideſt, ad Faldiſtorium, *& ibi ſtat, quandiu Verſus cantatur, depoſita Mitra; & ipſo finito, debet redire ad Sedem ſuam, repoſita Mitra; & etiam dicto*, Sanctus, *ſi non celebret, ſtatim debet accedere ad eandem Cathedram, & ibi ſtare*, nempe genuflexus, *uſque ad* Agnus Dei, *cum Mitra; & dum incipit*, Per omnia, *redit ad Sedem ſuam. Hoc idem facit Papa non celebrans, quandocumque dicuntur primæ, & ultimæ Orationes in Miſſis de Feria, Vigilia, aut diebus quatuor Temporum, ſive ſolemniter celebretur, aut ferialiter. Quandiu enim Orationes dicuntur, ſemper ſtat flexis genibus, ut ſupra, cum Mitra in capite, niſi illam ex devotione ſpeciali deponere vellet; & Orationibus finitis, dum dicit*, Per Dominum, *vel quando vult, ſurgit, & revertit ad Cathedram ſuam.* Sane quod ait de retentione Mitræ, cum dicuntur Orationes, mutatum id poſtea fuit, ut conſtat ex Cæremoniali Auguſtini Patricii, ex cujus præſcripto, *cum dicitur*, Dominus vobiſcum, *ante Orationem Papa deſcendit ad Faldiſtorium, ubi abſtracta Mitra, genuflectit, & ſic manet uſque ad finem omnium Orationum.* Id quod jam nos ſuperius notavimus in Commentario §. XVI.

CAP. XIX.

In Collegiatis, & abſente Epiſcopo, Feria quarta Cinerum, Celebrans, & Miniſtri, ubi, & quibus paramentis induantur. Quæ præparanda ab Acolythis ſuper Altare. Ordo benedicendi Cineres, & eos ſingulis imponendi.

§. I.

Eadem omnia, quæ ſuperius in præcedenti Capite expreſſa ſunt, exceptis his, quæ ad Epiſcopum pertinent, præparentur, & ſerventur, abſente Epiſcopo, & in Eccleſiis Collegiatis, paucis infraſcriptis mutatis.

§. II.

Nam Celebrans parabitur cum Miniſtris in Sacriſtia, & accedet ad Altare cum debitis reverentiis, ut dictum fuit in Cap. XII. hujus Lib. I. de Feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis abſente Epiſcopo.

§. III.

Miniſtri vero erunt hac die, tam in benedictione Cinerum, quam in Miſſa cum Planetis plicatis, quæ, quando tempus erit, in Miſſa deponent, & reaſſument, juxta regulas traditas in Capitibus de Dominicis Adventus, & de Dominicis Quadrageſimæ.

§. IV.

Vas cum Cineribus collocabitur ſuper Altare a latere Epiſtolæ, vas autem cum aqua benedicta, & Aſperſorio, ac thuribulum cum navicula, & incenſo, ponentur in angulo Altaris ſuper parva menſa. Celebrans ſtans in cornu Epiſtolæ, benedicet Cine-

Digitized by Google

Cineres, prout in Miſſali, & imponet incenſum, & illos aſperget aqua benedicta, & thurificabit, prout de Candelis dictum fuit. Et ſimiliter, finita benedictione, medius inter Diaconum, & Subdiaconum ſtabit, & Diaconus tenet vas cum Cineribus.

COMMENTARIUS.

I. SIcut in Cæremoniali Pontificiæ Capellæ poſt explicatos ritus Lib. II. Sectione I. Cap. XXXI. in ea ſervandos die Cinerum, Papa præſente, ritus alii deinde recenſentur, Cap. ſcilicet ſequenti, ſervandi circa idem Officium, Papa abſente, ita quoque noſtrum Cæremoniale eundem ordinem ſequens, poſtquam dixit de Officio, & Miſſa in Feria quarta Cinerum Epiſcopo celebrante, vel non celebrante, ſed præſente, ſubjicit nunc Rubricam de eadem Feria quarta Cinerum, Epiſcopo abſente, & in Collegiatis. Ait autem in I. §. eadem omnia, quæ in præcedenti Capite expreſſa ſunt, exceptis his, quæ ad Epiſcopum pertinent, præparanda eſſe, ac ſervanda, abſente Epiſcopo, & in Eccleſiis ipſis Collegiatis; paucis ſcilicet mutatis, quæ nos mox infra adnotabimus.

II. Quantum ad præparanda hac die, hora competenti, ajunt Auctores, qui Sacras Eccleſiæ Cæremonias enarrant, per Sacriſtam, vel alium, paratur Altare ſimpliciter cum ſex, aut quatuor candelabris ſine floribus, aut aliis, quæ ſolemnitatem ſapiant, itemque parva menſa in angulo Altaris in cornu Epiſtolæ, ſuper quam præter conſueta, uti ait §. IV. ponitur vas cum aqua benedicta, & Aſperſorio; thuribulum cum navicula, & incenſo; pelvicula quoque cum medulla panis, bucali, & manutergio pro lotione manuum Celebrantis. Vas item argenteum, vel ex alia pulchra materia parabitur cum Cineribus mundis, & aridis, non in modum luti, uti ſuperius diximus ex Sacræ Rituum Congregationis Decreto, confectis ex ramis Palmarum, anno præterito benedictis Dominica die Palmarum juxta antiquum rituum; illudque *collocabitur ſuper Altare a latere Epiſtolæ*, ex eodem noſtro §. IV. nempe inter Librum, & cornu Epiſtolæ, & aliquo linteo, vel operculo tectum, donec Celebrans benedictionem incipiat ipſorum Cinerum, ut notat Bauldryus in ſuo Manuali, Parte IV. Cap. IV. Articulo I. Num. III.

III. Finita vero Nona, juxta rituum in Cap. præcedenti a noſtro Cæremoniali §. XXIII. expreſſum, dicto ſcilicet a Choro, *Benedicamus Domino*, immediate, non enim cum ſit celebrandum, dicitur Antiphona conſueta, *Ave Regina Cælorum &c.* ut notat Caſtaldus in ſua Praxi Lib. III. Sectione IV. Cap. III. Num. IV. accenſiſque Cereis ſuper Altare per Acolytos circa finem ipſius Horæ Nonæ, Celebrans Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali coloris violacei indutus, una cum Diacono, & Subdiacono paratis Planetis plicatis ante pectus ejuſdem coloris, Diacono ſcilicet etiam Stola, procedunt a Sacriſtia, ubi ſcilicet parati ſunt ſine Manipulis, ad Altare cum Ceroferariis, & Thuriferario procedente, manibus junctis, Diacono tamen, & Subdiacono hinc inde elevantibus Fimbrias Pluvialis ipſius Celebrantis, juxta generales Rubricas Miſſalis, ac Cæremonialis.

IV. Ad infimum gradum Altaris pervenientes, Celebrans, & Miniſtri, depoſitis biretis, ac facta debita reverentia, ad ipſum Altare aſcendunt, quod etiam Celebrans oſculatur, & accedens ad cornu Epiſtolæ, ibique ſtans cum Miniſtris, legit ſubmiſſa voce illam Antiphonam, *Exaudi*, quam Chorus cantat, ut Introitum Miſſæ; deinde eodem modo ſtans, & non ſe vertens ad populum cantat in tono feriali, *Dominus vobiſcum*, & Orationem, converſus tantiſper ad Cineres, & dum dextera format ſignum Crucis ſuper Cineres, ſiniſtram ponit ſuper Altare, & Diaconus elevat anteriorem partem Pluvialis illius, ſtantibus omnibus de Choro verſis ad Altare, & Ceroferariis ad Credentiam, qui jam facta genuflexione ad Altare, candelabra ſuper eandem Credentiam depoſuerant.

V. Interim dum Celebrans benedicit Cineres, Thuriferarius parat thuribulum cum igne, & alius Acolythus vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio, firmantque ſe prope Diaconum. Tum finita Oratione Celebrans imponit, & benedicit thus, aſpergitque, & incenſat Cineres juxta ritum jam ſuperius explicatum. Expleta autem benedictione, Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum ſtabit, & Diaconus tenet vas cum Cineribus; ſed de hoc ritu mox in Commentario ſequenti.

§. V.

Tunc accedit dignior Sacerdos de Choro, & Cineres Celebranti capite inclinato imponet, dicens, *Memento homo, quia pulvis es &c.* & ſtatim Celebrans eidem digniori ſtanti, capite ſimiliter inclinato ante ipſum Celebrantem, Cineres imponet; mox Diacono, & Subdiacono paratis, ſi ſint Canonici, & cæteris Canonicis per ordinem; qui omnes in habitu Canonicali, capite inclinato, ſtantes, a Celebrante Cineres accipient: Beneficiati, ſeu Manſionarii, & Clerici, & cæteri omnes, genuflexi.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Finita distributione, Celebrans, depositο Pluviali, lavabit manus private in angulo Altaris, & statim, accepta Planeta in plano ad cornu Epistolæ, incipiet, & prosequetur Missam, prout in Missali, servatis, circa genuflexiones, ad Orationes, & ad Versiculum, *Adjuva nos Deus &c.* omnibus, quæ in præcedenti Capite expressa sunt.

§. VII.

Post Euangelium fiet Sermo, seu habebitur Concio, nulla tamen petita per Sermocinaturum Benedictione.

COMMENTARIUS.

I. CInerum benedictione finita, Celebrans accedit ad medium Altaris, non omnino ad oram suppedanei, ut notat Bauldryus Parte IV. sui Manualis, Cap. IV. Articulo II. Num. I. sed quasi in medio scilicet inter Altare, & oram ipsam, ibique vertit se ad populum medius inter Diaconum a dexteris tenentem vas Cinerum, & Subdiaconum a sinistris: *tunc accedit*, ad ipsum Altare scilicet *dignior Sacerdos de Choro*, ut inquit §.v. in suo habitu Chorali, & non cum Stola, ex Gavanto, cum Cæremoniario a sinistris, & facta debita reverentia Altari, & Celebranti in plano, ascendit ad secundum gradum, ubi stans, *Cineres Celebranti capite inclinato imponet*, signum scilicet Crucis cum eis formans, *dicens*, Memento homo, quia pulvis es &c. *& statim Celebrans eidem digniori stanti capite similiter inclinato ante ipsum Celebrantem, Cineres imponet*. Si non sit alius Sacerdos, ex Gavanto, ipsemet Celebrans versus Altare genuflexus sibi ipsi imponet Cineres, nihil dicens, quasi Cineres a Deo accipiens, cui omne genu flectitur.

II. Sed hoc obiter notato, ubi dignior Sacerdos Cinerem a Celebrante accepit, accedunt ad ipsum Celebrantem Sacri Ministri parati, Diaconus, & Subdiaconus manibus junctis, ac deinde ceteri Canonici per ordinem; qui omnes in habitu Canonicali capite inclinato stantes ab eodem Celebrante Cineres accipient; idest, supra capitis verticem; Beneficiati vero, seu Mansionarii, & Clerici, ac ceteri omnes, genuflexi. Porro Diaconus accepturus Cinerem, vas ponit in manibus Cæremoniarii, aut alterius, illudque recipit acceptis Cineribus, tenetque a dextris Celebrantis quousque Cinerem distribuerit. Datis enim Cineribus Clero ad Altare, ibidem etiam dantur Magistratibus, atque Nobilioribus, qui hac die, sicut & Feria VI. in Parasceve quantumvis sint nobiles, ac potentes, & summi Principes, cedunt Clericis, præsertim vero Canonicis, ut in præcedenti Capite dictum est.

III. Descendit deinde Celebrans ad cancellos, eodemque ritu distribuit Cinerem populo, utriusque sexus singulis verba prædicta repetens, nempe, *Memento homo &c.* licet feminis distribuat, & his non supra velum, sed supra capillos, si commode fieri potest, ne benedictus Cinis supra velum deperdatur ex Gavanto, & Bauldryo, ac aliis, qui Missalis Rubricas enarrant. Viris quoque, qui ficto capillitio utuntur, curabit Celebrans, ut sacrum Cinerem non super ipsa coma fictitia, sed super propriis capillis imponat. Incoepta vero distributione Cantores statim in Choro inchoant Antiphonam, *Immutemur habitu*, & alia, quæ Chorus prosequitur, quæque etiam repeti possunt usque ad finem distributionis, si magnus sit populi concursus.

IV. Cinerum distributione finita, ex nostro §. VI. *Celebrans, depositο Pluviali, lavabit manus private in angulo Altaris, & statim accepta Planeta in plano ad cornu Epistolæ incipiet, & prosequetur Missam &c.* Quæ tamen verba ita intelligenda sunt, ut non prius deponat Celebrans Pluviale, quam dixerit ad Altare Versus, *Dominus vobiscum*, & Orationem, *Concede nobis Domine &c.* quæ ex ritu Missalis dici post ipsam distributionem Cinerum debet. Dicta autem Oratione, descendet cum Ministris ad planum Altaris in medio, ubi depositο Pluviali, *lavabit manus private in angulo Altaris*, idest, sine illa pompa, de qua alibi dictum est; accipit deinde Manipulum, & Planetam, Manipulos suos etiam tunc sumentibus Diacono, & Subdiacono. In Missa ad Confessionem, & ad Orationes ante Epistolam, ac etiam ad illas, quæ dicuntur post Communionem, præter Celebrantem, & Diaconum, ac Subdiaconum, omnes genuflectent, quemadmodum & ad illum Versiculum, *Adjuva nos*, cum a Choro cantatur, exceptis duobus solis Cantoribus, qui eum forte secundum morem locorum decantant in medio Chori stando, nam alias Celebrans ipse, & Ministri ejus Diaconus, & Subdiaconus, antequam Versus ille inchoetur, descendunt ad secundum gradum Altaris, & ibi genuflectunt, dum cantatur a Choro.

V. Ex Rubrica tandem nostri §. VII. *post Euangelium fiet Sermo, seu habebitur Concio*; isque est Ritus Basilicæ Vaticanæ, & quarumdam aliarum insignium Ecclesiarum, licet in aliis plurimis insignibus etiam Ecclesiis Sermo ipse, vel Concio non post Euangelium, sed post finitam Missam haberi soleat, contra nostri Cæremonialis præscriptum. Quidquid sit de eo more, qui jam passim

Digitized by Google

passim invaluit, morem alium a probato variarum Ecclesiarum usu alienum vidi alicubi introductum; solent enim Canonici post Missam statim Vesperas recitare, deinde Concionem haberi sinunt. Sane absente Episcopo, ex eodem nostro §. VII. nulla a Sermocinaturo peritur benedictio.

CAP. XX.

Quæ observanda sint in Dominicis Quadragesimæ circa Altarium, Ecclesiarum, Ministrorum ornatum, Cæremonias Missæ, & cantum.

§. I.

In Dominicis Quadragesimæ eadem omnia serventur, tam circa ornatum Ecclesiæ, & paramenta Altaris, ac Ministrorum, quam circa Cæremonias in Missa, quæ superius expressa fuerunt in Cap. XIII. hujus Lib. II. de Vesperis, & Missis in Dominicis Adventus, sive ab Episcopo, sive ab alio, præsente Episcopo, celebrandis.

§. II.

Quæ autem ibidem dicta sunt de Dominica tertia Adventus, circa paramenta Altaris, & Ministrorum, observantur eodem modo in quarta Dominica Quadragesimæ.

COMMENTARIUS.

I. CLarissima sunt, quæ duo hi Paragraphi ajunt, servanda scilicet in Dominicis Quadragesimæ, *tam circa ornatum Ecclesiæ, & paramenta Altaris, ac Ministrorum, quam circa Cæremonias in Missa, eadem omnia, quæ superius explicata fuerunt in Capite* XIII. *hujus Libri II.* excepta tamen Dominica quarta Quadragesimæ, in qua Diaconus, & Subdiaconus non Planetis ante pectus plicatis, sed Dalmatica, & Tunicella utuntur, coloris scilicet violacei, sicut in aliis Quadragesimæ diebus. Cetera videri possunt variæ observationes in Quadragesimam apud eruditos Scriptores, Martenium in Lib. *De antiqua Ecclesia disciplina &c.* Cap. XIX. & Grancolassium in Breviarium Romanum, Capite XLVI. & seqq. qui singulos ritus exponunt celebrari olim solitos in singulis Dominicis, & Feriis Quadragesimæ, ut omittam Durandum, aliosque antiquiores Scriptores, ac Ordines etiam antiquos Romanos, in quibus passim Ritus ipsi occurrunt, & enarrantur.

II. Apud Romanos certe celebrior habita fuit Dominica IV. propter Rosam auream musco, & balsamo plenam, quam ea die gestare solebat Summus Pontifex, mittendam postea ab ipso ad aliquem Principem, aut magni nominis Virum; de quo ritu jam alibi nos disseruimus, & videri in eum potest, quod inter alios scripsit Cartarius. Unum est, quod minime hic omittendum censeo, nempe morem fuisse antiquum, ut pii homines sacri præsertim secessui studerent, uti nos docet Auctor Vitæ S. Marii Bodanensis Abbatis, Num. IV. *Cum autem*, inquit, *ut mos est. Religiosorum, in Quadragesima Vir Dei in cella retrusus parcius solito viveret, Lucretius Diensis Episcopus ad eum visitandum assidue veniebat.* Item S. Braulio in Vita S. Æmiliani ita ad rem ait: *Mos quippe erat ei his diebus solum cellula esse contentum, nec quemquam videre solitum, nisi unum e suis, qui propter vitæ hujus subsidium, ei parcissimum, ac vilem ministrabat cibum.*

III. Episcopis quoque nonnullis familiarem fuisse piam ipsam consuetudinem secedendi in Quadragesima, pluribus probat exemplis Joannes Mabillonius in sua Præfatione ad Seculum I. Ordinis S. Benedicti, Num. CXI. quod tamen intelligendum est *sine præjudicio*, ut dici assolet, functionum Ecclesiasticarum, quæ præsertim in Quadragesima peragi solebant, inter quas a laudatis Martenio, & Grancolassio recensentur Processiones, Stationes, aliaque pietatis opera, quæ non modo Episcopi, & Clerici, sed laici homines religiose exercebant. Quamobrem summa est quorundam hominum nostri temporis impudentia, qui summo abusu, ac scelere frequentius in Quadragesima comessationibus, ebrietatibus, impudicitiis, quam in aliis per annum diebus in suam ipsorum, & aliorum perniciem, studeant.

IV. Multiplicata in Quadragesima Officia, aliaque pietatis opera, docet nos exemplum sancti Udalrici Augustani Episcopi, de quo Auctor ejus Vitæ scribit, I. quod præter Officium divinum, quod ipse quotidie cum Canonicis suis in suæ Ecclesiæ Choro canebat, recitaret etiam privatim Officia Beatæ Virginis, sanctæ Crucis, & omnium Sanctorum, & Psalterium, & quod unam, vel duas alias Missas pro temporis opportunitate celebrare consueverat; sed Quadragesima post dictum Matutinum Nocturnum suas preces continuabat usque ad horam, qua pulsabatur signum Vigiliarum mortuorum, quas cum Choro decantabat, & exinde Primam. II. quod morabatur in Ecclesia orans, usque dum Canonici cum Cruce redirent ad celebrandam Missam, cui assistebat

Digitized by Google

ipſe, & Presbyteri Celebrantis dexteram oſculabantur. III. quod poſt Miſſam cantabat Tertiam cum Canonicis, & in Eccleſia permanebat uſque ad Sextam. IV. quod poſt Sextam viſitabat Altaria, & ante ea genuflectens, Pſalmos, *Miſerere*, & *De profundis* canebat. V. quod inde revertebatur in Cubiculum, abluturus faciem, & præparationem facturus ad Miſſam, & Veſperas poſtea dicendas. VI. quod in Xenodochio viſitabat pauperes, e quibus eligebat duodecim, & ipſis lavabat pedes, & unicuique denarium erogabat. Ita ſane ſanctiſſimum Præſulem ad Gregis ſui ædificationem ſingulis Quadrageſimæ diebus ad Dominicam uſque Palmarum feciſſe legitur.

§. III.

Ad primas autem Veſperas Dominicæ, quæ de Paſſione dicitur, cooperiantur, antequam Officium inchoetur, omnes Cruces, & Imagines Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti per Eccleſiam; & ſuper Altare nullæ ponantur Imagines Sanctorum.

§. IV.

Cantores vero ab hac Dominica quinta Quadrageſimæ uſque ad Paſcha, excepta Feria quinta in Cœna Domini, non utantur cantu figurato, ſed Gregoriano.

COMMENTARIUS.

I. LIquet ex S. Auguſtino in celebri Epiſtola ad Januarium, quod Feria ſexta in Paraſceve appellabatur *Dominica Paſſio*, ideſt, Paſſio Domini, & quod Apoſtoli Feſtum hoc inſtituerint ad honorandos cruciatus, & mortem Jeſu Chriſti. Deinde, uti inter alios notat Grancolas in Romanum Breviarium Cap. LI. duarum hebdomadarum tempus inſtitutum eſt, ut ad illam præparemur, & quemadmodum tempori Adventus nomen eſt inditum, quod proprie convenit Natalis Feſto, *Adventus Domini*, ita etiam tempori, quod Jeſu Chriſti mortem præcedit, tributum eſt nomen Dominicæ Paſſionis. Dicta itaque eſt Dominica quinta Quadrageſimæ, *Dominica Paſſionis*, eo quod Paſſionem Chriſti Jeſu ſingulari ratione recolere hac die incipiat Eccleſia, quæ ut ſummum triſtitiæ, & mœroris Fidelibus palam faceret, Verſum *Gloria Patri*, in Reſponſoriis, & Invitatoriis ad Officium, & in Miſſa ad Introitum reticet, Sanctorum ſuffragia omittit, eorumque velari Imagines jubet, præſertim vero *omnes Cruces, & Imagines Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti per Eccleſiam*; atque ut alia præteream ſigna triſtitiæ, cantum figuratum ab ipſa Dominica uſque ad Paſcha, excepta Feria quinta in Cœna Domini, vetat, uti videre eſt in noſtro §. III. & IV.

II. Velari conſueviſſe ſacras Imagines in Quadrageſima, ritus fuit omnium fere Eccleſiarum, eo ſcilicet in quibuſdam conſilio, ut auri fulgor, nitorque gemmarum pœnitentiæ diebus tegeretur, uti patet ex Vita S. Eligii a S. Adoeno deſcripta Lib. II. Cap. XXXIV. *Mos erat*, ait, *ut in diebus Quadrageſimæ propter fulgorem auri, vel nitorem gemmarum operiretur tumba velamine, linteo urbane ornatu holoſerico: igitur ingrediente Quadrageſima præcinxerant crepam hujuſmodi ſindone, ut moles radiantis metalli velata tegeretur diebus pœnitentiæ.* Videre licet deinde in variis Conciliis velum, quod ponebatur ante Altare, & vocabatur *velum Quadrageſimale*. Lanfranchus in ſuis Statutis, Cap. I. Sectione III. collocari velum iſtud præcipit prima Dominica Quadrageſimæ poſt Completorium, poſtridie Cruces, ac ſacras Imagines tegi: *Dominica prima Quadrageſimæ poſt Completorium ſuſpendatur cortina inter Chorum, & Altare*. Tum vero mox: *Feria ſecunda ante Tertiam debent eſſe cooperta Crux, coronæ, capſæ, Textus, quæ Imagines deforis habent.*

III. In noſtra Calabria uti olim ſervaretur is Ritus, explicat in ſuo Ordinario Lucas Archiepiſcopus Conſentinus ita inquiens: *Poſt Completorium ipſius Dominicæ*, primæ ſcilicet Dominicæ Quadrageſimæ, *Sacriſtæ cooperiant omnes Cruces, & cortinas ſuſpendant inter Chorum, & Altaria, vel ubicumque per Eccleſiam ſuſpendi ſolent; quæ cortinæ retrahantur in Sabbatis, & Feſtis* IX. *Lectionum ante Veſperas, & ſic maneant uſque poſt Completorium ſequentis diei. In Miſſa tamen Feriæ, quæ diebus Feſtis poſt Nonam dicitur, more ſolito ſuſpendantur. Retrahatur etiam ſola, quæ pendet ante majus Altare, dicta Sexta, cum fieri debet aſperſio ante Proceſſionem, & ſic maneat uſque ad finem Proceſſionis. Similiter retrahatur in Officiis, & Miſſa pro ſequenti defuncto, & in Ordinationibus Clericorum.* Similia videre eſt in aliis Ordinariis diverſarum Eccleſiarum, niſi quod nonnullæ poſt Completorium ipſius primæ Dominicæ, quædam ante Primam ſequentis Feriæ ſecundæ id faciendum præſcribant, ut notat Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XIX. Num. VI.

IV. Meminit & de eodem ritu diverſæ Eccleſiarum conſuetudinis in ſuo Rationali Durandus Lib. I. Cap. III. Num. XXXIV. *Sane omnia*, inquit, *quæ ad ornatum pertinent, tempore Quadrageſimæ removeri, vel contegi debent; quod fit ſecundum aliquos in Dominica de Paſſione, quia ex tunc Divinitas fuit abſconſa, & velata in Chri-*

Digitized by Google

Chriſto, dimiſit enim ſe capi, & flagellari, ut homo tanquam non habens in ſe virtutem Divinitatis; unde in Euangelio hujus diei dicitur: Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de Templo; *tunc ergo cooperiuntur Cruces, ideſt, virtus ſuæ Divinitatis*. Et ecce hic rationem, propter quam Cruces in Dominica de Paſſione cooperiri hodie ex univerſæ fere Eccleſiæ conſuetudine ſolent. Sed audiamus aliorum morem, quem ſuo ævo vigentem ita enarrat idem Durandus: *Alii hoc faciunt a prima Dominica Quadrageſimæ, quia ex tunc Eccleſia incipit de ejus Paſſione agere; unde eo tempore Crux per Eccleſiam nonniſi cooperta portari debet; & ſecundum morem quorumdam locorum duo tantum velamina, ſeu cortinæ tunc retinentur, quorum unum ponitur per circuitum Chori, aliud ſuſpenditur inter Altare, & Chorum, ne appareant, quæ ſunt intra Sancta Sanctorum &c.*

V. Teſtatur præterea in ſuo Cæremoniali Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. XXXVIII. *quinta Dominica Quadrageſimæ, quæ de Paſſione dicitur, antequam Papa de Camera exeat*, cooperiri *Cruces ſuper Altare, & quæ ante Pontificem portari ſolet*. Tum addit, quod *ſi Officium peragi debet in Capella majori, conſuevit parari quoddam velum ſericeum ſuper Altare, quo Imagines in pariete Altaris depictæ contegantur*. Sed non omittendum, quod tandem ibidem ſubjicit: *Cum in fine Euangelii dicitur*, Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de Templo, *Clerici Capellæ ſuper Altare velum paratum cordulis in rotulis ſupra in altum confixis euntibus ſurſum trahunt, ut eo Imagines omnes ibidem depictæ cooperiantur*. Idipſum tradit in ſuo Romano Ordine Craſſus, Cap. XI. ubi inter alia agens de quinta Dominica, quæ eſt de Paſſione, non modo ejus ritus meminit, ſed & illius non cantandi nempe ab ipſa Dominica uſque ad Paſcha cantu figurato, niſi in ſola die Feriæ V. Cœnæ Domini: *Cum dicitur*, Chriſtus autem abſcondit ſe &c. *cooperiuntur Imagines Altaris, & Chorus non cantat cantum figuratum uſque ad Paſcha, niſi in die Jovis ſanctæ hebdomadæ.*

VI. Viget hodieque is ritus in Patria mea Paula Urbe citerioris Calabriæ, ac in aliis etiam multis Italiæ locis, ut magna ſtatua Crucifixi, quæ in Arcu majori Eccleſiæ ex antiquo ritu collocata eſt, ad ea Euangelii verba, *Jeſus autem exivit de Templo, & abſcondit ſe*, quæ in ſolemni Miſſa a Diacono proferuntur, cooperiatur, ceteris Altarium Crucibus, atque Imaginibus non ſolum Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ſed & aliorum Sanctorum jam coopertis ad primas Veſperas Dominicæ ipſius de Paſſione, & quidem velo violaceo, ſeu nigro juxta uſum inſignium Eccleſiarum, non autem albo, vel aliam Imaginem ſecum habente, ut ſcite inter alios notat Gavantus in Rubricas Miſſalis, Parte IV, Tit. VII.

CAP. XXI.

Ordo Officii in Dominica Palmarum. Altaris ornatus qualis eſſe debeat. Præparanda pro benedictione Palmarum. Quis earum ornatus. Ordo in benedictione, & diſtributione earum ſervandus. Palma Epiſcopo, a quo, & quomodo tradenda. Ordo Proceſſionis, & Miſſæ hujus diei. Numerus, & munus eorum, qui cantaturi ſunt Paſſionem. Quomodo aſtantes ad Paſſionem ſtare debeant. Ritus cantandi verba, Altera autem die, *in tono Euangelii.*

§. I.

Officium in Dominica Palmarum, hoc eſt, benedictio, & diſtributio illarum, ac deinde Proceſſio, ſimile eſt fere in omnibus Officio, quod fit in die Purificationis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, in benedictione, & diſtributione Candelarum, & demum in Proceſſione. Remiſſius tamen aliquanto hac die paratur Altare, & Tribuna, quam illa.

COMMENTARIUS.

I. Dominica Palmarum, uti eruditi Scriptores notant, ob diverſas functiones, quæ ea die peragi olim in Eccleſia ſolebant, variis proinde nominibus eſt appellata. Ergo ab aliquibus dicta eſt, *Oſanna*, propter multitudinis Chriſtum Dominum Hieroſolymam intrantem excipientis acclamationes. Ab aliis *Dominica Indulgentiæ*, ut in ms. Pontificali Eccleſiæ Pictavienſis, & in Vita S. Gebehardi, & S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani, propter Indulgentias ſcilicet, quæ ipſa die ſolemniter concedi ſolebant; uti videre eſt apud Ekkehardum in Libro, *De caſibus S. Galli*, Cap. I. A nonnullis *Paſcha petitum*, ſeu *Competentium*, quia Catechumenis tradebatur Symbolum, & quidem ex antiquo ritu, uti conſtat ex Concilio Agathenſi anni DVI. Can. XIII. *Ut Symbolum ante octo dies Paſchæ Competentibus prædicetur.* Dicta vulgo eſt etiam *Capitulavium*, quia, ut ait S. Iſidorus, Lib. I. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. XXVII. & poſt eum creditus Alcuinus, *tunc moris erat lavandi capita infantium, qui ungendi ſunt, ne forte obſervatione Quadrageſimæ ſordidata ad unctionem accederent*. Hac eadem de

Digitized by Google

causa, Feria tamen quinta majoris Hebdomadæ in Africa baptizandi balnea adibant, ut tradit S. Auguſtinus Epiſtola XXXIV. Quia vero hujuſmodi caput lavandi ratio cum Baptiſmo confundebatur, circa undecimum Seculum antiquatus eſt uſus, ut notat Grançolas in Breviarium Romanum, Cap. LIII.

II. At vero communiter vocata eſt vel antiquitus *Dominica Palmarum*, de qua ita ſcribit memoratus S. Iſidorus citato Lib. I. Cap. XXVII. *Dies Palmarum ideo celebratur, quia in eo Dominus, & Salvator noſter, ſicut Propheta cecinit, tendens Hieroſolymam, aſello ſedisſe perhibetur. Tunc gradiens ramis Palmarum multitudo plebium obviam ei, clamaverunt*, Oſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael. *In ramis enim Palmarum ſignificabatur victoria, qua erat Dominus mortem moriendo ſuperaturus, & trophæo Crucis de diabolo mortis principe, triumphaturus*. Porro celebris eſt ipſa Dominica, de qua agimus, ob benedictionem Palmarum, earumque diſtributionem, ac ſolemnem cum ipſis Proceſſionem, ut ex iis, quæ infra dicemus, patebit. Nunc in præſenti notandum illud, quod ait noſter §. Officium nempe hujus Dominicæ ſimile fere eſſe in omnibus Officio, quod fit in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, in benedictione, & diſtributione Candelarum, & demum in Proceſſione. Addit tamen, remiſſius aliquanto hac die parandum eſſe Altare, & Tribunam, quam illa. Id quod etiam docet Craſſus Lib. II. *De Cæremoniis Cardinalium, & Epiſcoporum in eorum Diœceſibus*, Cap. XLIV. ubi ita inquit: *Quaſi in omnibus Officium Palmarum concordat cum Officio Candelarum, niſi quod non ita feſtiviter parabitur Tribuna, & Altare*. Ratio illa eſt, quam mox idem Auctor ſubjicit: *Nam ſolemnitas hæc per Myſteria Paſſionis remiſſius agetur*. Solent nihilominus juxta ritum inſignium Eccleſiarum, ea die loco florum poni inter Altaris candelabra rami Palmarum, ſeu Olivarum auro, vel argento decenter ornati.

§. II.

Præparantur igitur in menſa apud Altare, & Sedem Epiſcopi, ut de Candelis dictum fuit, Palmæ, ſeu rami Olivarum benedicendi, inter quos, ſi Palmæ haberi non poſſent, ornentur, & aptentur aliquot ex dictis ramis Olivarum, floſculis, & parvis Crucibus de Palmarum foliis compoſitis, ut ſpecioſiores cæteris appareant, pro Epiſcopo, Canonicis, & Magiſtratibus, & ſaltem Palmæ perquirantur pro Epiſcopo, Prælatis, & majoribus Magiſtratibus, aut aliquibus magnis Viris, ſi aderunt. Abacus quoque a latere Epiſtolæ, ea omnia, quæ in dicta die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis enumeravimus, continens, accommodetur.

§. III.

Super Altari etiam ponentur eadem paramenta pro Epiſcopo, eodem ordine, ut ibi dictum fuit; ante Altare pallium violaceum. Cuſtodes etiam, ſi opus erit, adhibeantur, qui populi preſſuram cohibeant.

COMMENTARIUS.

I. PRo benedicendis Palmis hac die, præparanda in primis eſt hora competenti *menſa apud Altare, & Sedem Epiſcopi*, linteo ſcilicet pulcro undequaque tecta, in eaque ponendæ *Palmæ, ſeu rami Olivarum benedicendi, inter quos, ſi Palmæ haberi non poſſent*, ornandi & aptandi aliquot ſunt ex dictis ramis floſculis, & parvis Crucibus de Palmarum foliis compoſitis, ut ſpecioſiores ceteris appareant, pro Epiſcopo ſcilicet, Canonicis, & Magiſtratibus, ſed ita tamen, ut Palma Epiſcopo tradenda, ſit pulcre ornata, & aliis ſpecioſior. Quod ſi Epiſcopus ſit S. R. E. Cardinalis, parari tunc etiam debent *duæ aliæ Palmæ, ſeu Olivarum frondes magnæ, & longæ floribus, ac herbis odorantibus, ac ſertis florentibus contextæ, & ornatæ, quæ portabuntur per duos nobiliores Scutiferos*, in Proceſſione ſcilicet, ut docet in ſuo Cæremoniali Craſſus Lib. II. Cap. XLIV.

II. Is plane ritus ex Capella Pontificia deſumtus eſt, ut ex Patricio addiſcimus Libro II. Sectione I. Cap. XXXIX. *Sexta Dominica Quadrageſimæ*, inquit, *quæ Palmarum appellatur, ordinentur Palmæ in Capella benedicendæ, & diſtribuendæ, videlicet, duæ magnæ variis floribus, & perpulchre laboratæ, tertia parva ſimili modo ornata pro Pontifice; aliæ Palmæ primis duabus minores etiam pulchre ornatæ ſine floribus tamen pro Cardinalibus, minores pro Prælatis, & pro Oratoribus, & magnis Nobilibus, pro Officialibus, ac aliis omnibus ad Capellam venientibus*. Palmis deficientibus, ſubdit mox idem Patricius, parandos eſſe ramos Olivarum, *in numero copioſo Crucibus ex foliis Palmarum confectis cingulis alligatis*. Addit autem & illud Bauldryus, Parte IV. Cap. VI. Articulo I. Num. II. tegendas ipſas Palmas, ſeu Olivarum ramos linteo pulcro, removendo poſtea ad benedictionem,

III. Pa-

Digitized by Google

III. Paranda præterea alia mensa, seu abacus *a latere Epistolæ ea omnia quæ in dicta die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis enumeravimus, continens*, in quo scilicet, ut eo loci dictum est, nempe Cap. XVI. §. III. ultra candelabra cum luminaribus, & alia consueta, & ordinaria, adsit vas aquæ benedictæ cum aspersorio, thuribulum cum navicula, vas ad abluendum manus cum medulla panis, mantile ad abstergendum, mappa altera linea pulchre laborata apponenda super gremio Episcopi, cum incipit Palmas distribuere. Super Altari demum, ut ait noster §. III. *ponentur eadem paramenta pro Episcopo*, coloris scilicet violacei, *eodem ordine, ut ibi dictum fuit*, nempe §. IV. ubi recensentur Amictus, Alba, Cingulum, Crux pectoralis, Stola, Pluviale, & Mitra simplex. Ante Altare ait noster hic §. ponendum esse *pallium violaceum*, & Custodes etiam adhibendos, si opus erit, qui populi pressuram cohibeant. Id quod etiam monet Crassus in suo Cæremoniali: *Custodes in aditibus ad Tribunam deputabuntur ad confusionem evitandam*. Sed cavendum, ut sæpe accidit, ne ipsi potius confusionem faciant.

§. IV.

Episcopus hora competenti, eodem modo, & ordine, cum Cappa veniet ad Ecclesiam, orabit, ascendet ad Sedem suam, capiet paramenta, & pariter Canonici, prout ibidem latius explicatum fuit. Quibus expeditis, cantatis Epistola, & Euangelio, prout in Missali, ab iis Ministris, qui in Missa ministraturi sunt; & iis omnibus, quæ cantantur ab Episcopo in sua Cathedra sedente, lectis, adhuc stans in sua Sede sine Mitra, incipiet benedictionem Palmarum, manibus junctis, dicens, *Dominus vobiscum*, Capellano Librum sustinente; deinde cantans Orationes, & in tono feriali incipiens ab ea, videlicet, *Auge fidem &c.* tum Præfationem, & alias quinque Orationes sequentes.

COMMENTARIUS.

I. Sicut in Officio Purificationis Deiparæ, juxta ritum supra expositum Cap. XVI. §. VI. ita & in Officio Dominicæ Palmarum, hora competenti Episcopus in sua Cappa a Canonicis associatus veniet ad Ecclesiam, & facta Oratione, accedet ad Sedem suam, ubi deposita Cappa accipit paramenta in Commentario præcedenti enumerata, suo ordine, afferentibus ea cum debitis reverentiis ab Altari Acolythis, seu Ministris Cottis indutis, acceptoque Pluviali & Mitra, sedet. Interim Canonici omnes in locis suis stantes, seu in Sacristia, si prope est, accipiunt sacra paramenta eis convenientia, prout superius declaratum fuit, eo excepto, quod Diaconi, aut Subdiaconi, non quidem Dalmaticis, & Tunicellis, sed Planetis ante pectus plicatis in hujusmodi Officio utuntur, cum sit feriale; & si commode paramenta haberi nequeant pro omnibus Canonicis, quatuor, aut sex digniores saltem induentur Pluvialibus, uti etiam superius dictum fuit.

II. Hæc sane præscribit in benedictione Candelarum servanda Rubrica §. VI. Cap. XVI. eademque servari mandat præsens noster §. in benedictione Palmarum. Paratis itaque omnibus, ut ex Rubrica Missalis Romani addiscimus Parte IV. Tit. VII. cantatur a Choro Antiphona, *Osanna filio David; benedictus qui venit in nomine Domini, o Rex gloriæ, Osanna in excelsis*, quam sicut & cetera, quæ cantantur ab ipso Choro, in Cathedra sua sedens summissa voce legit Episcopus, Capellano Librum sustinente, ac Ministro de Candela more solito lumen tenente; tum vero præmisso, *Dominus vobiscum*, & responso a Choro, *Et cum spiritu tuo*, junctas manus tenens, ut ait Gavantus, dicit Orationem, *Deus, quem diligere, & amare &c.*

III. Deinde, uti nos Rubricæ ipsæ Missalis docent, Subdiaconus in loco solito sine tamen Planeta ante pectus plicata, sed indutus Amictu, Alba, Cingulo, & Manipulo cantat in tono Epistolæ Lectionem ex Libro Exodi, *In diebus illis. Venerunt filii Israel in Elim &c.* & in fine osculatur manum Episcopi, facta prius eidem debita reverentia, & si non sit Canonicus, etiam genuflexione. Interim dum cantatur ℟. Diaconus etiam sine Planeta plicata ante pectus, sed ultra vestes Subdiaconi, indutus etiam Stola, more solito canit Euangelium secundum Matthæum, *In illo tempore: Cum appropinquasset Jesus Hierosolymis, & venisset Bethphage &c.* servatis scilicet ritibus in solemni Euangelii decantatione consuetis, ut idem Gavantus docet.

IV. Palmarum benedictioni præmissam fuisse non modo ipsam Euangelii lectionem, de Christi scilicet in Civitatem Hierosolymam ingressu, verum etiam Concionem, quæ ab Episcopo ipso habebatur utplurimum, licet in aliquibus Ecclesiis, ac præsertim in celebri Consentina Concio ipsa fieret ad Stationem in Processione, liquido constat ex variis antiquis insigniorum Ecclesiarum Ordinariis, nempe, Remensi, Turonensi, Arelatensi, Rotomagensi, Diocensi, Bajocensi, Cabilonensi, Laudunensi, Cenomanensi, Namnetensi, Silvanectensi Lemovicensi, Uticensi, atque ex variis Missalibus itidem priscis, Parisiensi, Tolosano, Tolonensi, aliisque nonnullis, teste Martenio in Libro, *De antiqua Ec-*

Digitized by Google

Eccleſiæ diſciplina &c. Cap. xx. Num. v. Sed celebre eſt præ omnibus, quod de eo ritu ſervatum olim fuit in noſtra Calabria, utriuſque enim meminit, Concionis ſcilicet, & Euangelii Lectionis, quam etiam Græce pronunciari jubet, in ſuo Ordinario Lucas Archiepiſcopus Conſentinus, ſic inquiens: *Mediante Proceſſione legit Euangelium Græce Diaconus aſcendens Pulpitum, & verſus ad Orientem; quo dicto, fit Sermo ad populum.*

V. In quibuſdam autem, ſed paucis plane Eccleſiis, ut notat Martenius, Lectioni Euangelii præmiſſa fuit etiam lectio ex veteri Teſtamento, ut videre eſt in Pontificali Apamienſi in Syria, & Arelatenſi, atque in Ordinario Cenomanenſi, ex cujus etiam præſcripto debebat legi *in Cappa nigra*. Utriuſque meminit in ſuo Rationali Durandus Lib. VI. Cap. LXVII. ubi Dominicæ in ramis Palmarum enarrat ritus, Num. x. ubi ita inquit: *Et quidem huic Proceſſioni lectio Zachariæ, & Euangelium Joannis recte præmittuntur, quoniam ibi Dominica Proceſſio prophetatur, hic hiſtoria declaratur.* Ait, propterea fieri tunc ab Eccleſia *Stationem in aliquo loco competenti, ut ibi cum devotione, & lætitia ſuſcipiatur Verbum Dei; id eſt, Chriſtus, qui eſt Verbum Patris, ſuſceptus eſt cum lætitia a pueritia in Hieruſalem.* Ex ms. Ordinario Rotomagenſi legebatur quidem ipſum Euangelium *a Diacono cum Dalmatica in pulpito*, ante ſcilicet benedictionem Palmarum. Verum ex Pontificali Pictavienſi ante annos DCCC. exarato, poſt benedictionem, una cum aliis etiam Euangeliis, uti videre apud Martenium.

VI. Cantatis Epiſtola, & Euangelio, ex noſtro §. *ſtans in ſua Sede* Epiſcopus *ſine Mitra incipiet benedictionem Palmarum, manibus junctis, dicens*, Dominus vobiſcum, *Capellano Librum ſuſtinente; deinde cantans Orationes, & in tono feriali incipiens ab ea, videlicet*, Auge fidem &c. *tum Præfationem, & alias quinque Orationes.* Eadem hæc tradit in ſuo Cæremoniali Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. XXXIX. *Omnibus*, inquit, *paratis, Papa, depoſita Mitra, ſurgit, & miniſtrantibus duobus Epiſcopis aſſiſtentibus Librum, & Candelam more ſolito, Papa ſtans benedicit Palmas, incipiens Verſum*, Dominus vobiſcum. Oremus. Auge fidem in te ſperantium Deus &c. *cum Præfatione, & quinque Orationibus ſequentibus; interim nihil cantatur.* Sane non ubique inveniuntur quinque Orationes, quæ ex Romano Miſſali dicuntur in benedictione Palmarum, duas tantum memorat creditus Alcuinus, quæ ætate ſua dicebantur, poſt quas fiebat diſtributio Palmarum, & interim cantabatur Antiphona, *Puer Hebræorum*. Præfatio quoque in multis antiquis Miſſalibus, & Ordinariis deſideratur, in nonnullis etiam concepta aliis verbis legitur. Jam nec ad *Dominus vobiſcum*, neque ad *Oremus*, neque ad Orationes debet Celebrans deducere, vel extendere manus, ſed junctas eas ante pectus tenebit, quod etiam obſervatur, quando ipſæ extra Miſſam dicuntur, niſi Rubrica aliter jubeat.

VII. Quando incœperit in Eccleſia benedictio Palmarum, non eſt facile definire; certe apud Auctores ante VIII. Seculum nulla apparet mentio, nullumque prorſus extat veſtigium in pervetuſtis Miſſalibus Francorum, & Gothorum a Religioſiſſimo, & doctiſſimo S. R. E. Cardinale Thomaſio editis: nullum in antiqua Liturgia Gallicana ex ms. Codice Bobienſi a Mabillonio edita Tomo I. Muſei Italici, nullum in Ordine Gelaſiano, nullum in S. Gregorii Sacramentorum Libro eruditis Menardi Notis illuſtrato, nullum denique in Egberti Eboracenſis Pontificali, ſed neque apud S. Iſidorum in Libris, *De Officiis*, ut ſcite notat Laudatus Martenius citato Cap. xx. Num. XXII. ubi etiam teſtatur, nullum Amalario antiquiorem ſe vidiſſe, qui ejus ritus mentionem fecerit; tametſi neque Amalarii locus ſit ita clarus, ut inde certum erui poſſit argumentum, benedici conſueviſſe Palmas Amalarii ævo, cujus verba hæc ſunt: *In memoriam illius rei nos per Eccleſias noſtras ſolemus portare ramos, & clamare Oſanna.* Quæ verba, ut mihi videtur, non benedictionem Palmarum, ſed Proceſſionem cum illis innuunt.

VIII. Porro in Vita S. Udalrici decimo Seculo Auguſtani Epiſcopi dicitur, quod Dominica Ramorum ibat ſummo mane ad Eccleſiam S. Afræ ubi canebat Miſſam de Trinitate, & faciebat Ramorum benedictionem, quos, comitantibus Clericis, & populo, deferebat cum Euangelio, Cruce, Vexillis, & Imagine Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſuper aſinam repræſentante, uſque ad certum locum, quo illi occurrebat Canonicorum Chorus, & magnus populi cœtus, qui Ramos, aut veſtimenta proſternebant in via; ac præterea quod facta illis ab Epiſcopo exhortatione ſuper Paſſione Domini, ſimul ad cantandam in Eccleſia Cathedrali Miſſam revertebantur. Fuiſſe autem antiquum morem, ut benedictio, & diſtributio Ramorum pluribus in locis extra Urbem fieret, ex antiquis Ordinariis conſtat, & notat Graneolas in Breviarium Romanum, Cap. LIII. ubi etiam ait, cerni adhuc in Galliis Cruces prope Vicos, & Villas, & ſæpe etiam lapideas menſas, ut apponantur ibi Rami, & benedicantur.

§. V.

Cum dicitur quinta Oratio, videlicet, *Deus, qui per Olivæ ramum &c.* accedunt duo Acolythi, unus cum thuribulo, & navicula; alter cum vaſe aquæ benedictæ, & Aſperſorio ad Epiſcopum cum debitis reverentiis; qui dicta per eum ſexta Oratione videlicet, *Benedic, quæſumus Domine &c.* imponit thus in thuribulum, cum ſolita benedictione aſpergit Palmas, & thurificat, miniſtrante Presbytero aſſiſtente parato,

Digitized by Google

rato, ut ibi; tum adhuc ſtans, eodem vocis tono dicit, *Dominus vobiſcum*, & ſeptimam Orationem, videlicet, *Deus qui Filium tuum &c.* qua completa, ſedet, & accipit Mitram.

COMMENTARIUS.

I. UTi enarranda ſit Rubrica hujus §. addiſcere licet ex Cæremoniali Auguſtini Patricii Pontificiæ Capellæ ritum ſic exponentis: *Cum quinta Oratio dicitur, prior Presbyterorum Cardinalium venit ad dexteram Papæ, & duo Acolythi, unus cum thuribulo, & navicella, & alius cum aſperſorio, & vaſæ aquæ benedictæ. Finitis Orationibus, miniſtrante priore prædicto, Papa adhuc ſtans ſine Mitra imponit incenſum, deinde aſpergit verſus Palmas tertio; poſtea incenſat ter ducens thuribulum; tum dicit*, Dominus vobiſcum, *& aliam orationem, quæ incipit*, Deus qui Filium tuum &c. *Tum ſedens accipit Mitram, & Presbyter Cardinalis*, qui ſcilicet Aſſiſtentis munere fungitur, *ac Acoluthi ad ſua loca revertentur*. Ita ille, cujus recitatus locus egregie Rubricam §. noſtri illuſtrat. Ritus aſpergendi Palmas aqua benedicta, eaſque thurificandi, licet in multis Ordinariis, ac Libris Miſſalibus deſideretur, in aliis tamen reperitur, quas legere eſt apud Martenium. Idem & de Orationibus dicendum, uti etiam ſupra notatum a nobis fuit, & conſtat ex antiquis mſs. Codicibus.

§. VI.

Tunc dignior ex Canonicis præbet ei Palmam pulchriorem, acceptam de manibus Sacriſtæ, vel alterius ad id deputati, oſculando Palmam, & manum, quam Epiſcopus tradit tenendam alicui ſuo Capellano: nec refert, an dicta Palma pro commoditate Epiſcopi ſit brevior, vel longior ceteris, dummodo ſit pulchrior ornatu: ponitur deinde mappa per Acolythos ex Abaco allata, ſuper gremio Epiſcopi, quam ipſi hinc inde genuflexi tenent uſque ad finem diſtributionis Palmarum; & elevantur hinc inde fimbriæ Pluvialis ipſius per Diaconos aſſiſtentes. Epiſcopus tunc incipit Palmas diſtribuere Canonicis, & aliis eodem ordine, prout de Candelis dictum fuit, & Chorus tunc incipiet Antiphonam, *Pueri Hebræorum &c.*



COMMENTARIUS.

I. IGitur benedictis Palmis, ſive ramis Olivarum, & Epiſcopo ſedente cum Mitra, *tunc dignior ex Canonicis*, ſtans detecto capite, cum debita reverentia, *præbet ei Palmam pulchriorem, acceptam de manibus Sacriſtæ, vel alterius ad id deputati, oſculando Palmam, & ma-*

Digitized by Google

& manum, quam Episcopus tradit tenendam alicui suo Capellano, postquam scilicet Palmam ipsam est deosculatus. Si Episcopus sit S. R. E. Cardinalis, tunc dignior ille, ut ait Crassus Lib. II. Cap. XLIV. dabit eidem tres Palmas cum osculis solitis, primo scilicet duas magnas, & aliam parvam eodem modo, quo supra dictum est de Candelis. Atque hic ritus a Pontificia quidem Capella acceptus est, ut enim docet Patricius, ubi finitis Orationibus, *accedit prior Episcoporum Cardinalium, stans detecto capite ante Pontificem, illi dat sigillatim duas magnas Palmas, quas Pontifex dat duobus nobilioribus Curiæ tenendas, & perferendas, qui juxta Pontificem hinc & inde collocantur; deinde dat eidem tertiam minorem, qua Pontifex in Officio utitur, & hanc unus ex Cubiculariis secretis servat, & ad unamquamque Palmam osculantur Palmam, & manum Pontificis*. Plura de Dominica Palmarum, earumque benedictione videri possunt in Ordine Romano XV.

II. Accepta sua ab Episcopo Palma, quæ parum refert, an pro commoditate Episcopi sit brevior, vel longior cæteris, dummodo sit pulchrior ornatu, ut inquit noster §. *ponitur deinde mappa per Acolythos ex abaco allata super gremio Episcopi, quam ipsi usque ad finem distributionis genuflexi tenent*, & elevantibus hinc inde fimbrias Pluvialis ipsius Diaconis assistentibus, *Episcopus tunc incipit Palmas distribuere Canonicis, & aliis eodem ordine, prout de Candelis dictum fuit*, supra scilicet Cap. XVI. *& Chorus tunc incipiet*, & non prius, uti notavit Crassus, *Antiphonam*, nempe, *Pueri Hebræorum &c.* quæ passim legitur in antiquis Missalibus, & Ordinariis. Restat ut corrigatur figura post hunc §. VI. apposita, in qua Episcopus distribuit Palmas manu sinistra, cum debeat dextera; duæ quoque Dignitates hinc inde cum Pluvialibus ad capiendas Palmas accedunt post paratos Planetis, cum alias ire ante illos debeant.

§. VII.

Finita distributione, Episcopus more consueto lavat manus; accedunt ad eum duo Acolythi Ceroferarii cum candelabris, ac cereis accensis; ipse vero, deposita Mitra, surgit, & cantat ex Libro, *Dominus vobiscum*, deinde Orationem ultimam, videlicet, *Omnipotens sempiterne Deus &c.*

§. VIII.

Qua finita, sedet, accipit Mitram, ponit thus in thuribulum, ministrantibus Presbytero assistente, & Acolytho; & dicto per primum Diaconum, *Procedamus in pace* ordinatur per Cæremoniarum Processio circum Ecclesiam eodem ordine, prout ibi dictum fuit, & omnes gerunt suas Palmas in manibus, Episcopus autem illam sinistra defert, & dextera benedicit. Exire debet Processio extra portam Ecclesiæ, & antequam Crux Processionis ingrediatur dictam portam, præveniunt aliqui Cantores, illam ingredientes, & mox claudentes, & versus ipsam Processionem cantantes Versiculum, *Gloria, laus, & honor &c.* respondentibus aliis Cantoribus extra portam, prout traditur in Missali.

COMMENTARIUS.

I. PAlmarum distributione finita, Episcopus ex præscripto §. VII. lavat manus cum mica panis, easque more consueto extergit; quo facto, accedunt ad eum Ceroferarii cum debitis reverentiis, & ipse deposita Mitra surgit, & præmisso, *Dominus vobiscum*, ultimam Orationem cantat, *Omnipotens sempiterne Deus &c.* quæ legitur in multis Ordinariis antiquis, licet in multis aliis desideretur. Ultima Oratione finita, ut ait noster §. VIII. *sedet* Episcopus, *accipit Mitram, ponit thus in thuribulum, ministrantibus Presbytero assistente, & Acolytho*, præsente semper Cæremoniario; *& dicto per primum Diaconum*, stantem scilicet a dexteris Episcopi, & conversum ad populum, alta voce, *Procedamus in pace*, & responso per Chorum, *In nomine Christi, Amen*, eodem scilicet vocis tono; *ordinatur per Cæremoniarium Processio circum Ecclesiam, prout ibi dictum fuit*, nempe Cap. XVI. ubi recensetur Processio in Festo Purificationis Deiparæ cum Candelis; *& omnes gerunt suas Palmas in manibus, Episcopus autem illam*, Palmam scilicet suam pulchriorem, *sinistra defert, & dextera benedicit*.

II. Notat autem illud Crassus, Libro II. Cap. XLIV. quod, *dum interim ordinabitur Processio, Cardinalis*, ideſt, Episcopus Bononiensis, *acceptos manu propria manipulos, sive fasciculos Olivarum benedictarum dabit aliquibus idoneis, & dignis patribus de Ecclesia, qui ramos Olivarum ex alto suggestu de mandato ipsius ad populum projicient*. Sed huic usui minime adhæreo, quippe qui solet excitare tumultum in Ecclesia, aliis alios prementibus, & sæpe non propter devotio-

Digitized by Google

votionem accipiendi Palmam Benedictam, ſed ad ſolam incivilium hominum voluptatem, contra ſanctitatem loci, & ſacras Conciliorum ſanctiones, quibus omnis in Eccleſia ſtrepitus, atque tumultus, iterum iterumque prohibetur.

III. Ad Proceſſionem vero quod attinet, ex præſcripto noſtri §. *exire debet extra portam Eccleſiæ*, rejicimuſque iccirco ſententiam Craſſi, qui melius ſibi videri inquit, *ſi per Eccleſiam fiat ex una navi ad aliam*; præſertim cum longe alia fuerit olim complurium Eccleſiarum diſciplina, in quibus, ut repræſentaretur, quod fecit Chriſtus, fiebat egreſſus non ab Eccleſia ſolum, ſed ab ipſa Urbe, & deinde in eandem ſolemnis ingreſſus, ac veluti triumphalis cum ramis arborum. Cæremoniam ipſius Proceſſionis ample deſcribit vetus Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. XI. ubi inter alia ait, deferri conſueviſſe feretrum cum ſacro Euangelii Codice tanquam Chriſti perſonam exhibente: *Die Dominica Palmarum præparetur quoddam portatorium honeſtiſſime, in quo intromittitur ſanctum Euangelium, quod intelligitur Chriſtus, & ſtatuitur in Eccleſia ante Aram, unde Clerus proceſſurus eſt.*

IV. Idem hic ritus, qui totidem verbis a vulgato Alcuino refertur, fiebat olim in aliis etiam Eccleſiis, & Monaſteriis, uti videre eſt apud Martenium in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in celebrandis divinis Officiis*, Cap. XX. & Lib. III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. X. Sane in Libello MS. Conſuetudinum Germaniæ, Monaſteriorum ritus ipſe ita deſcribitur: *Mane in Pſalmis Cuſtodes præparent diligenter quoddam portatorium in modum feretri, in quo reponantur parvæ capſæ, ſive textum Euangeliorum. Deſuper quoque appendantur philacteria, ſive buxæ Reliquiarum. Ferant autem illud latenter ante horam primam ad Eccleſiam, vel ad locum, quo procedere debent, & Cruces, & candelabra, & thuribulum, & aquam benedictam, & textum Euangelii, & albas, flores, palmas, & omnia, quæ proceſſioni illi conveniunt.* Similia legere eſt in aliis pluribus variarum Eccleſiarum Ordinariis antiquis.

V. Loco Euangelii quibuſdam in locis reponebatur in feretro ſacra Euchariſtia, ejuſque ritus meminere Statuta Lanfranci Cantuarienſis Archiepiſcopi, Codices quidam antiqui Miſſarum, & inter alios Auctores Matthæus Paris in ſuo Libro, *De Vitis* XXIII. *Abbatum Monaſterii S. Albani*, ubi deſcribit vaſculum, ſeu ſcrinium a Simone Abbate eleganter elaboratum ad portandum Corpus Domini in Proceſſione in ramis Palmarum. Eundem ritum deſcribunt Liber uſuum Monachorum Beccenſium, & Conſuetudines Monaſterii Lyrenſis ejuſdem Provinciæ, in quibus variæ ad ſacrum feretrum genuflexiones præſcribuntur, quæ ſacroſanctæ Euchariſtiæ venerationem manifeſte probant. Porro docet Mabillonius in Commentario ad Ordinem Romanum, Cap. X. in fine, ſervari eum ritum in Eccleſia Rotomagenſi, cujus præcipuum ſtudium in expugnanda Berengarii hæreſi naſcente ſatis ea oſtendunt, quæ inter alios Scriptores idem Mabillonius refert Tomo II. Analectorum.

VI. Ordinata Proceſſio dirigebatur ad aliquam Eccleſiam, ſeu locum, ubi lecto Euangelio, & facto Sermone, uti notatum ſuperius fuit, Rami benedicebantur, ſi tamen non eſſent prius benedicti. Proceſſionis autem præcipuus is erat ſcopus, in Statione facere Crucis adorationem, iteratis ante ipſam Crucem genuflexionibus, quibus nonnulli pium ſubjungebant oſculum. Id quod ita enarrat antiquus Ordo Romanus: *Ut autem pervenerint cum Pſalmis, ubi Statio eſt ſanctæ Crucis, Clerus, populuſque reverenter ſtent per turmas in ordine ſuo cum baculis, & reliquo ornatu, & infantes paraphoniſtæ in loco competenti ſubſiſtentes imponant Antiphonam*: Fulgentibus Palmis proſternimur advenienti Domino; huic omnes occurramus cum hymnis, & canticis, glorificantes, & laudantes, Benedictus Dominus. *Reſpondet Schola ex parte populi*: Occurrunt turbæ cum floribus, & Palmis Redemtori Domino, & Victori Triumphanti digna dant obſequia. Filium Dei olim Gentes prædicant, & laude Chriſti voces tonant per nubila Oſanna. *Tunc Scholaſtici e regione Crucis lento gradu veniant ante eam, & cum omni reverentia Caſulas, & Cappas in terram jactantes, proni adorent Crucifixum, Clero interim cantante Antiphonam*, Pueri Hebræorum. *His recedentibus, continuo veniant ex latere pueri laici*, Kyrie eleiſon, *cantantes, & ſequendo vexillum, quod ante eos portatur, veniant ante Crucem, & annuente Ædituo, jactent ramos Palmarum in terram, proni adorando Crucifixum, & Clerus interim cantat Antiphonam*, Pueri Hebræorum.

VII. Similia legere eſt in variis Eccleſiarum diverſarum Ordinariis, quæ vix variant, niſi in modo Crucis adorandæ, & in cantandis Antiphonis, & Reſponſoriis, ut notat Martene. Videri autem poteſt Ordo Romanus XII. Auctore Cencio, Cap. IX. Durandus, & alii, inter quos eruditus Jacobus Eveillon in Libro, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, Cap. IX. ubi varias Dominicæ Palmarum Proceſſionis Cæremonias enarrat, ſervari olim ſolitas in Eccleſia tum Latina, tum Græca, in qua cum inſigni apparatu, & reverentia Proceſſio ipſa celebrabatur. Scribit enim Codinus in Libro, *De Officialibus aulæ Conſtantinopolitanæ*, Cap. X. proximis diebus ante Dominicam Palmarum extrui ſolere publicam ambulationem a Palatio Imperatoris uſque ad Eccleſiam, ipſa autem nocte, quæ eam antecedit, omnes ambulationis columnas myrteis, laureis, vel oleaginis ramis ornari, & iiſdem pavimentum ſterni; tempore autem matutini Officii ſupplicationem per eam viam hoc ordine inſtrui, ut ante omnes procedat Lampadarius manu lampadem ardentem geſtans, & modulata voce cantans hoc Idiomelon: *Egredimini gentes, egredimini populi, contemplamini hodie Regem Cælorum. Chriſti enim figuram gerens Euangelium progreditur.* Sequitur Imperator Diademate coronatus, & Sacco, ideſt, feſta veſte, indutus, dextera Crucem præ-

Digitized by Google

præferens, ſiniſtra lampadem; deinde univerſus aulæ comitatus; tum Archidiaconus Euangelium geſtans, cui ſuccedit Patriarcha; poſt eum Sacerdotes quinque, vel plures ſacras Imagines portantes &c.

VIII. Juxta hodiernum morem benedictis, & diſtributis Palmis ordinatur Proceſſio per Cæremoniarium eo modo quo in Feſto Purificationis dictum eſt, Clericis, qui ſunt a dexteris, tenentibus ramos dextera, & qui ſunt a ſiniſtris, ſiniſtra, altera manu Rituale; Cantores vero incipiunt Antiphonam, *Cum appropinquaſſet &c.* & alias, quum opus erit, quas Chorus proſequitur, quandiu durat Proceſſio, poſſuntque repeti, ſi ſit longior, & breviari, ſi ſit brevior. Porro dum redit Proceſſio, *antequam Crux Proceſſionis ingrediatur portam*, ex præſcripto tum hujus §. tum etiam ex Rubricis Miſſalis, ac Ritualis Romani, *præveniunt aliqui Cantores illam ingredientes*, nempe duo, vel quatuor, ut inquit Rubrica Miſſalis Parte IV. Tit. VII. Num. XVI. *& mox claudentes, & verſus ipſam Proceſſionem cantantes Verſiculum*, Gloria, laus, & honor &c. *reſpondentibus aliis Cantoribus extra portam, prout traditur in Miſſali*. Nempe, illi qui ſunt in Eccleſia incipiunt Verſum, *Gloria, laus &c.* quem integre cum ſuo pentametro proſequuntur, Celebrans vero tecto, & alii nudo capite, repetunt eoſdem Verſus etiam integre, ex Gavanto in ipſam Miſſalis Rubricam. Deinde prædicti Cantores, qui ſunt intra Eccleſiam, cantant alios duos Verſus ſequentes, tum qui extra, repetunt primos duos, ſcilicet, *Gloria, laus*, quod ſimiliter faciunt iterum, atque iterum poſt quoslibet Verſus, qui conſequenter cantantur ab eiſdem, qui ſunt intra Eccleſiam.

IX. Ergo in reditu Proceſſionis ad portas Civitatis, uti ex antiquis Ordinariis liquet, ſive ad valvas Eccleſiæ, cantari jam olim ſolitus fuit memoratus Hymnus, *Gloria, laus &c.* cujus Auctorem faciunt Theodulphum Aurelianenſem Epiſcopum, quem, cum ille eſſet Andegavis, ut ajunt, vinctus in carcere, tranſeunti cum Proceſſione Ludovico Pio Imperatori ceciniſſe ſupponunt; cujus modulatio ſuavis iratum ita demulſit Imperatorem, ut vinculis abſolutum libertate donaverit. Verum hanc fabellam, quam alias priſci atque inſignes Auctores narrant, validiſſimis rationibus refutat eruditus Menardus in Notis ad S. Gregorii Sacramentarium, ejuſque ſententiæ adhæret inter alios Martenius, dicto Cap. XX. Num. XIII. ubi tamen non negat, hunc Hymnum a Theodulpho fuiſſe compoſitum, & quidem ad uſum Eccleſiæ Andegavenſis, maxime cum illum ſub illius nomine citaſſe videatur Lupus Abbas Ferrarienſis in ſua Epiſtola XX.

X. Teſte Grancolaſſio in Breviarium Romanum, Cap. XLIV. ipſe Hymnus, *Gloria, laus &c.* a junioribus Clericis cantatur, quia in ſecundo ejus Verſu legitur, *Cui puerile decus &c.* Pluribus in locis cani ait in Sacello aliquo elevato, alludendo ad verba illa, *Cœtus in excelſis &c.* Pariſiis vero cani in cubiculo ſuper unam Oppiduli portam, ubi ſunt carceres, qui vel olim erant juxta Urbium portas, ubi Judices jus dicebant, ut jam notavimus in noſtra Opella, *De Vita Clericorum, & Sacerdotum*. Hoc nomen Portæ ob eam forte cauſam Turcarum Imperatoris aula retinuit.

§. IX.

Cantatis omnibus Verſiculis, vel eorum parte, prout tempus, & occaſio poſtulabit, Subdiaconus portans Crucem, tangit cum illius haſta portam, quæ ſtatim aperitur, & Proceſſio ingreditur, Choro cantante Antiphonam, *Ingrediente Domino &c.*

COMMENTARIUS.

I. FUit vetus Eccleſiarum complurium mos, ut Verſiculis dicti Hymni, *Gloria, laus &c.* finitis, Epiſcopus, ſive ille, qui Officio præerat, portas Civitatis, vel Eccleſiæ percuteret, dicens, *Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. Cui exiſtentes in Eccleſia reponebant, *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Ad quos cum ille tertio dixiſſet, *Attollite portas &c.* ſimilemque illi dediſſent reſponſionem, ipſe tandem clamabat, *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ*; & tunc clauſæ aperiebantur valvæ; atque is quidem ritus legitur in Miſſalibus, Arelatenſi, Bituricenſi, Catalaunenſi, Pictavienſi, & in aliis pluribus tum Ordinariis, tum Ritualibus, quem etiam pie explicat eruditiſſimus Eveillon in ſuo Libro, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, Cap. IX. ubi inter alia ait: *Sacerdos fores Templi, ſeu portas Civitatis pulſans, & impacta Cruce aperiens, Chriſtum exprimit virtute Paſſionis ſuæ portas Cæli aperientem, & de diabolo victoriam in Cruce reportantem; ſicut hac die divina virtute effecit, ut patentibus portis Civitatis Jeruſalem, cum honore ab univerſo populo, quaſi Rex Iſrael intra mœnia exciperetur*. Notat mox, eundem ritum aperiendi portas, eodem prorſus modo obſervari in dedicatione Eccleſiæ, tum apud Græcos, tum apud Latinos, uti videre eſt in Pontificali Romano, atque in Romano Ordine, & apud Nicolaum Cabaſilam Libro V. *De Vita in Criſto*.

II. Sed hiſce ad notitiam antiquitatis dictis, & priſci uſus variarum Eccleſiarum, ex præſcripto noſtri §. *cantatis omnibus Verſiculis, vel eorum parte, prout tempus, & occaſio poſtulabit, Subdiaconus portans Crucem, tangit cum illius haſta portam*, cum ima ſcilicet parte ipſius haſtæ, ſive, ut ait Craſſus, *percutiet Crucis pede ipſam portam*; non amota ſcilicet Cruce ab haſta, percutit

Digitized by Google

cutit ſemel ipſam portam nihil dicens, ſed ita tamen, ut fragor audiatur; eaque ſtatim aperitur, & Proceſſio Eccleſiam ingreditur, Choro cantante Antiphonam, *Ingrediente Domino*, quæ tum in Romanis Ordinibus nonnullis, tum etiam in multis antiquis Miſſalibus, & Ordinariis legitur. Ex Cæremoniali Patricii Lib. II. Sectione I. Cap. XXXIX. ingreſſa Proceſſione in Eccleſiam Prælati, & Officiales antequam cancellum Capellæ intrent, deponunt paramenta, & Superpellicea, & capiunt Cappas; Cardinales vero in locis ſuis paramenta deponunt, & Cappas accipiunt; Papa cum fuerit ante Altare, orat in Faldiſtorio ſine Mitra, ſi prius ibidem non oravit, tum ſurgit, & cum Celebrante dicit Confeſſionem, ſi ſcilicet alius tunc Miſſam celebret, de qua infra.

§. X.

Interim Canonicus Miſſam celebraturus, cum Diacono, & Subdiacono debent eſſe parati: & remota menſa, Canonici, ingreſſi Chorum, deponunt Paramenta, & Palmas, quas reſumunt, dum cantatur Paſſio, & Euangelium.

§. XI.

Proceditur ad Miſſam, & omnia obſervantur, prout in dicta die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis dicitur, ſive celebraturus ſit Epiſcopus, ſive non, ut ibi.

§. XII.

Differentia erit tantum, quod Diaconus, & Subdiaconus hac die utuntur Planetis ante pectus plicatis, & obſervant regulam, illas deponendo, & accipiendo, prout ſupra in Cap. XIII. hujus Lib. II. de Veſperis, & Miſſis in Dominicis Adventus dictum fuit.

§. XIII.

Cum Subdiaconus in Epiſtola pronunciabit verba illa, *Ut in nomine JESU omne genuflectatur*, Epiſcopus, & omnes uſque ad terram genuflectunt, & permanent genuflexi uſque ad illa verba, *& infernorum*, incluſive.

COMMENTARIUS.

I. PAucis ſe expedit Craſſus, ubi Libro II. Cap. XLIV. quatuor hoſce enarrat Paragraphos, ſic inquiens: *Miſſa fiet ordinaria, in qua Oratio unica, &* Credo *dicetur; & Miniſtri utentur Planetis plicatis. Pro Epiſtola cantanda Subdiaconus deponet Planetam plicatam, quam finita Epiſtola reſumet, & in Epiſtola cum dicitur videlicet*, Ut in nomine Jeſu omne genuflectatur &c. *omnes genuflectent uſque ad verbum*, & omnis lingua &c. *excluſive*. Sed antequam nonnulla notemus in hoſce præſentes Paragraphos, ſciendum illud eſt, quod olim vel ipſi Romani Pontifices ſolemnem hac die Palmarum celebrabant Miſſam, uti conſtat ex Ordine Romano XI. Benedicti Canonici S. Petri, Num. XXXVIII. ubi poſtquam dixit, finitis Verſibus, *Gloria, laus &c.* aperto oſtio, Proceſſionem intrare Eccleſiam cantando, *Ingrediente Domino &c.* ita mox ſubdit: *In ſecretario Pontifex induitur, & intrat ad Miſſam ſine mappula*; ideſt panno ſuper caput Pontificis extenſo, quatuor haſtis alligato; erat enim mos, cujus meminit in ſuo Rationali Durandus Lib. IV. Cap. VI. ut quatuor Miniſtri ſuper Pontificem Miſſam celebraturum e Secretario ad Altare procedentem mappulam ferrent ſummitatibus quatuor baculorum colligatam.

II. Obiter hoc ritu notato, ex teſtimonio tamen Jacobi Gaetani in Ordine ſuo Romano XIV. Cap. LXXXII. *in hac die non conſuevit eſſe Sermo, nec Romani Pontifices officiare conſueverunt, ſed bono mane in Capella ſecreta celebrant Miſſam ſuam; eunt tamen, & diſtribuunt Palmas; licet aliquando modernis temporibus celebrent*. Ex Auguſtino Patricio, uti notatum eſt ſupra ad præcedentis Commentarii calcem, ingreſſa in Eccleſiam Proceſſione, ſtatim Miſſa celebratur, & Papa cum Celebrante facit Confeſſionem, qua finita, aſcendit ad Solium, & miniſtrante priore Presbyterorum, imponit incenſum. Porro cum ex noſtro §. X. ingrediente Proceſſione, Canonicus Miſſam celebraturus, cum Diacono, & Subdiacono debeant eſſe parati, abſtinebunt iccirco ipſi ire ad Proceſſionem, ut promti ſcilicet inveniantur ad celebrandam Miſſam, ad ingreſſum Proceſſionis; tunc etenim, *remota menſa, Canonici ingreſſi Chorum, deponunt paramenta, & Palmas, quas reſumunt, dum cantatur Paſſio, & Euangelium*.

Digitized by Google

III. Ad Miſſam tandem proceditur, & omnia fiunt, obſervanturque, prout in Miſſa Purificationis Deiparæ, ſive celebraturus ſit Epiſcopus, ſive non, uti ibidem videre eſt, excepto, quod Diaconus, & Subdiaconus hac die utuntur Planetis ante pectus plicatis coloris ſcilicet violacei, & obſervare regulam debent in illis deponendis, atque accipiendis, prout ſupra in Capite XIII. tametſi olim ad Miſſam in quibuſdam Eccleſiis, ut ex Ordinariis liquet, ornamenta coloris rubri adhiberentur, & in aliis quoque Dalmaticæ a Diaconis, & a Subdiaconis Tunicellæ, teſte Martenio in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina*, Cap. XX. Num. XIX. Cum Subdiaconus tandem, ut ait noſter §. XIII. in Epiſtola pronunciabit verba illa, *Ut in nomine Jeſu omne genuflectatur*, genuflectet Epiſcopus, & omnes alii cum eo, ipſeque Subdiaconus, ac Celebrans quoque cum Diacono, uſque ad verbum, *& infernorum*, incluſive.

§. XIV.

Tres, qui Paſſionem ſunt cantaturi, dum cantatur Epiſtola, & Tractus, parantur Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, Stola ab humero ſiniſtro pendente, coloris violacei, in Sacriſtia; & circa finem Tractus procedunt a Sacriſtia hoc ordine.

§. XV.

Antecedit Cæremoniarius, tum ille, qui Euangeliſtæ perſonam agit, portans ſibi Librum, deinde qui Turbarum, ultimo, qui Chriſti, ſequentibus tribus Capellanis cum Cottis ſine candelabris, & ſine incenſo; & factis Altari, & Epiſcopo debitis reverentiis, accedunt ipſi tres ad oſculum manus Epiſcopi, eodem ordine; nullam tamen petunt benedictionem; deinde deſcendunt ad locum, ubi cantant Paſſionem verſus cornu Euangelii, ſeu in pulpito, ſecundum conſuetudinem Eccleſiarum. Et Capellani tres antedicti ſtant contra illos, quorum qui eſt medius, tenet Librum, quem inter ſe mutuant æquali ſpatio, dum recitatur Paſſio, prout Cæremoniarius eos prius admonuit, & in ipſo actu, cum tempus eſt, eiſdem ſignificat nutu.

§. XVI.

Cum Paſſio inchoatur, Celebrans cum ſuis aſſiſtentibus legit Paſſionem, tenens Palmam in manibus, & ſtans in cornu Epiſtolæ, & Epiſcopus, & omnes ſurgunt, detecto capite, Palmas manibus tenentes uſque ad finem Paſſionis, in qua, dum recitatur, *Jeſus autem exclamans voce magna emiſit ſpiritum*, Epiſcopus in ſua Sede, & omnes in ſuis locis genuflectunt, etiam ipſi Cantores, & Capellani; deinde ſurgunt, & is, qui Euangeliſtam agit, perficit ſuam lectionem, iiſdem Comminiſtris aſtantibus, ut prius: qua finita, Epiſcopus ſedet, & accipit Mitram, depoſita Palma.

COMMENTARIUS.

I. TEſtis eſt eruditus Martenius Libro III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Capite XII. Paſſionem olim privatis in Miſſis Dominica Palmarum recitatam minime fuiſſe a Monachis, ſed ejus loco Euangelium de Chriſti in Civitatem Jeroſolymæ ingreſſu. Verum Miſſale Athanecenſe ita inquit: *Dominica in Ramis Palmarum ambæ Miſſæ ſunt de Dominica, & in majori Miſſa dicitur Paſſio; in Matutinali vero Euangelium*, Cum appropinquaſſet. *In Miſſis privatis poteſt dici Paſſio, vel prædictum Euangelium pro devotione Celebrantis*. Similia videre eſt in Miſſali Arelatenſi, ubi ad arbitrium Archiepiſcopi relinquitur Paſſionem in Miſſa cantare, aut Euangelium, *Cum appropinquaſſet*. In Miſſali Ambroſiano anno MDLX. edito duæ habentur Miſſæ, una dicenda in minori Eccleſia, in qua legitur Euangelium ſecundum Joannem, *Turba multa*, uſque ad *Benedictus qui venit in nomine Domini*; altera in majori Eccleſia cujus Euangelium eſt etiam ſecundum Joannem, nempe, *Proximum erat Paſcha Judæorum*, uſque ad *Quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jeſum*.

II. Hinc idem Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XX. Num XXII. colligit, lectam non fuiſſe Paſſionem in Eccleſia Mediolanenſi Dominica Palmarum, neque in ſequentibus Feriis, Secunda, Tertia, aut Quarta. Feria Quinta in Cœna Domini de Paſſione Domini ſecundum Matthæum habebatur lectio ad uſque Petri fletum, & pœnitentiam, reſervatis, quæ

Digitized by Google

quæ ſequuntur ex eadem Paſsione in ſubſequentem Feriam Sextam. Eundem ait fuiſſe uſum Mozarabum, niſi quod unica ex quatuor Euangeliſtis Paſsio pronunciabatur Feria Sexta; tametſi in Miſſali Bobienſi ſola ſecundum Joannem Paſsio contineatur. In Africa etiam tempore S. Auguſtini unica legebatur Paſsio ſecundum Matthæum, ut patet ex S. Auguſtino in Sermone CCXXXII. novæ editionis, ubi ait, optaſſe ipſum in Eccleſiam ſuam inducere morem legendi Paſſionem ſecundum reliquos Euangeliſtas. Hæc ejus verba: *Paſſio autem quia uno die legitur, non ſolet legi, niſi ſecundum Matthæum. Volueram aliquando, ut per ſingulos annos ſecundum omnes Euangeliſtas etiam Paſſio legeretur. Factum eſt. Non audierunt homines quod conſueverant, & perturbati ſunt.*

III. Legebatur quidem in Eccleſia Romana hac die Paſſio ſecundum Matthæum, uti conſtat ex Romano Ordine XI. Auctore Benedicto, Numero XXXVIII. ex cujus etiam præſcripto præmittebat Diaconus, *Dominus vobiſcum*, cui reſpondebat Schola, *Et cum ſpiritu tuo*, ac etiam, *Gloria tibi Domine*, ubi ille pronunciaverat, *Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum Matthæum*. Monet tum nihilominus, *in Quarta Feria, & Sexta ſolummodo cum pronunciatione legi Euangelium Paſſionis ſine ſalutatione, & ſine reſponſione*. At vero juxta Romanum Ordinem XV. Auctore Amelio, Num. LX. *Diaconus Cardinalis dicturus Paſſionem, oſculatur more ſolito pedem Papæ, & reverſus ad Altare, genuflectit ante illud, & dicit baſſe*, Munda cor meum &c. *& ſurgens recipit de Altari Librum Euangeliorum, deferens ipſum ante pectus, ita quod tabula Libri, ubi eſt Crucifixus, a populo videri poſſit, & non petit benedictionem a Papa, ſed recte vadit ad pulpitum coopertum cum tobalea, & ibi abſque luminaribus, & incenſo, & ſine* Dominus vobiſcum, *abſolute incipit*, Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti; *nec reſpondetur*, Gloria tibi Domine; *ſed ſubſequenter dicit Paſſionem more ſolito.*

IV. Ex recitato hactenus loco plura addiſcimus circa ritum dicendæ Paſſionis, qui in uſu, erat labente Seculo XIV. quo floruit Amelius. I. unum Diaconum Cardinalem recitaſſe in Miſſa Paſſionem. II. acceptum fuiſſe Librum de Altari, & ibidem ab ipſo Diacono Cardinale genuflexo dictum, *Munda cor meum*. III. Librum coopertum fuiſſe tabula habente ex una parte Imaginem Crucifixi, quem ita cantaturus Paſſionem ante pectus geſtabat, ut Imago illa videri poſſet a populo. IV. lectam fuiſſe Paſſionem in pulpito cooperto *cum tobalea*. Forte ſequenti Seculo XV. invaluit mos, ut Paſſio a tribus diceretur in Miſſa ſolemni, uti ex Auguſtino Patricio addiſcimus, qui Seculo ipſo floruit, quique in ſuo Cæremoniali Lib. II. Sectione I. Cap. XXXIX. ita ritum enarrat Pontificiæ Capellæ in decantanda Paſſione, Dominica die Palmarum: *Dum cantatur Tractus, Clerici Capellæ portant paramenta ad locum, ubi ſtant Cantores, ubi tres ex eis dicturi Paſſionem, parantur Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, & Stola in modum Diaconi, coloris violacei: omnes conſueverunt tamen plerumque uti variis coloribus importunitate aliquorum, & contra voluntatem Clericorum Cæremoniarum, videlicet, qui Euangeliſtæ perſonam ſuſtinet, albo, Judæus rubro, Chriſtus nigro. Sed honeſtius eſt, ut omnes utantur violaceis.*

V. Sed audiamus cætera, quæ de ritu, atque ordine procedendi ad cantandam Paſſionem mox idem Auctor ſubjicit: *Et circa finem Tractus moveant ſe a loco, ubi ſe induerint, & ille, qui Euangeliſtam aget, portat Librum, & præcedit. Sequitur Judæus, deinde Chriſtus: faciunt reverentiam Altari, & Papæ, deinde aſcendunt ad oſculum pedis Papæ, unus poſt alium, prout venerunt: deinde vadunt ad locum Euangelii conſuetum, ubi Paſſionem cantare debent ſine luminaribus, & incenſo. Adducuntur etiam illuc tres Capellani celebrantes, quorum unus ſtans in medio aliorum duorum tenet Librum ſupra caput ſuum, ſicut ad Euangelium Subdiaconus tenere conſuevit, & mutantur per vices. Dum incipitur Paſſio, Papa ſurgit, depoſita Mitra, & omnes alii ſurgunt, & ſtant uſque in finem, Palmas manu tenentes. Celebrans vero, depoſita Mitra vadit de Faldiſtorio ſuo ad cornu Epiſtolæ Altaris, ubi ſtat diſcooperto capite, & Palmam etiam manu tenet; ſuper Altare habet Miſſale, & plane legit Paſſionem verſus aliquantulum ad illam cantantes.* Addit tum alia Patricius, quæ nos inferius opportune dicemus; ex iis autem, quæ hactenus dixit, jam illud colligimus, varios ritus circa Paſſionem cantandam in Eccleſiis Cathedralibus, ex Pontificia Capella fuiſſe acceptos.

VI. Concinunt præterea Rubricæ noſtrorum Paragraphorum & illa plane, quæ in ſuo Cæremoniali Lib. II. Cap. XLIV. docet Craſſus decantanda Paſſione. Tres cantaturi Paſſionem, inquit, debebunt eſſe induti habitu Diaconali, præter tamen Dalmaticam, Stolæ autem eorum omnes erunt coloris violacei, & ipſi ſequentibus tribus Capellanis Eccleſiæ ſine incenſo, & ſine luminibus, præcedente omnes Cæremoniario ductore, ibunt hoc ordine ad oſculum manus Epiſcopi. Primo ille, qui Euangeliſtæ perſonam ſuſtinet, portans Librum; ſecundo, qui loco Judæorum, & aliorum reſpondet; tertio, qui Chriſtum repræſentat; qui ſoli tres, oſculata Epiſcopi manu, nullam ab eo benedictionem petent, ſed abſolute ibunt ad locum Paſſionis cantandæ, idcirca, extra Presbyterium, & nullatenus intra illud, directi ad cornu Euangelii Altaris, non quidem faciebus, ſed brachiis dexteris illis verſis: qui Chriſtum repræſentat, ſtabit in medio, qui Euangeliſtam ad dexteram, qui Judæum ad ſiniſtram. Capellani illi tres æquales, & ſimul facie ad faciem contra Cantores ſtabunt, & qui erit medius tenebit Librum, alii duo per vices æquali temporis, & laboris ſpatio mutantes ſe ſuſtineat.

VII. Hæc quidem totidem pene verbis Craſſus, qui tamen in eo labitur, quod Chriſtum in medio ponat, cum alioqui ex ſententia plurium Scriptorum, & ex communi Eccleſiarum praxi, medium inter ipſos cantantes tenere debeat locum,

Digitized by Google

cum, qui Euangeliſtæ perſonam gerit; dexterum qui Chriſti, & ſiniſtrum, qui Synagogæ. Ceterum tametſi ex noſtro §. xv. & ex recitatis locis Patricii, & Craſſi, medius ex tribus Capellanis, ſeu Acolythis, qui ſtant contra cantantes Paſſionem tenere debeat Librum, *quem deinde alii inter ſe mutuant æquali ſpatio, prout Cæremoniarius eos prius admonuit, & in ipſo actu, cum tempus eſt, eiſdem ſignificat nutu*; is tamen hodie vix ritus ſervatur, dum vel in ipſis Eccleſiis exiguis in tribus pulpitis Paſſio cantari ſoleat, unoquoque cantante in ſuo Libro, Acolythis tamen ad latera pulpitorum aſſiſtentibus, vel facie ad Cantores verſa, uti Auctores docent.

VIII. Ex præſcripto noſtri §. xvi. *cum Paſſio inchoatur, Celebrans cum ſuis aſſiſtentibus*, Diacono ſcilicet, & Subdiacono, *legit Paſſionem tenens Palmam in manibus*, nempe manu ſiniſtra, ex Patricio in ſuo Cæremoniali Lib. ii. Sectione i. Cap. xli. *& ſtans in cornu Epiſtolæ; & Epiſcopus, & omnes ſurgunt detecto capite, Palmas manibus tenentes uſque ad finem Paſſionis*. Standum eſſe ad Euangelium, & quidem etiam nudo capite, fuſe oſtendimus in Opere noſtro, *De Codice ſancti Euangelii*, Lib. ii. Cap. xxi. & xxiv. Tenendas eſſe manibus Palmas uſque ad finem Paſſionis docet inter alios Romanus Ordo xv. Auctore Amelio, Num. lx. licet ex Ordine Romano xii. Auctore Cencio, Cap. ix. in fine, *Miniſtri* tenere dicantur *Palmas uſque ad completionem Miſſæ*. Ex Miſſali Athanacenſis Monaſterii a benedictione Ramorum, eos cuncti manutenere debent uſque ad Offertorium; *& tunc*, ut inquit, *quilibet offerat Sacerdoti ramum ſuum cum manipulo ſuo*. Teſte Martenio, Canonici Regulares Cruce ſignati, & Fratres Prædicatores in reditu Proceſſionis ſuper gradus Altaris Ramos projiciebant, & mox a Sacriſta inde aſportandos, idque, ut autumat, ad imitandam Judaici populi pietatem, qui hac die ramos Palmarum venienti Domino proſtraverunt. Sed obſervanda eſt Rubrica Miſſalis, præſcribens ramos tenendos uſque ad finem illius Euangelii, *Altera autem die &c.* de quo ritu etiam infra in Commentario ſequenti non nihil dicemus.

IX. In Paſſione tandem dum recitatur, *Jeſus autem exclamans voce magna emiſit ſpiritum*, ex ejuſdem noſtri §. xvi. præſcripto, *Epiſcopus in ſua Sede, & omnes in locis ſuis genuflectunt, etiam ipſi Cantores, & Capellani*. Eſt ritus antiquus, cujus meminit laudatus Ordo Romanus xv. loco citato, ſic inquiens: *Cum autem ipſe Diaconus dixerit in Paſſione illa verba*, Emiſit ſpiritum, *ſtatim Papa, & ipſe Diaconus, & omnes alii genuflectunt ad Deum verſus Altare; & ſic manent genuflexi per ſpatium, quo poſſet dici*. Pater noſter, *ſemel*. Idipſum tradit Craſſus: *Dicto Verſu, videlicet*, Jeſus autem clamans voce magna emiſit ſpiritum, *tunc, & non prius, genuflectent omnes per ſpatium unius*, Pater, *& ſimiliter ipſi Cantores genuflectent*. In Conſuetudinibus Ciſtercienſium ad ea verba præſcribitur ritus oſculandi terram, & in Ordinario Carthuſianorum traditur, quod ad hunc locum dicatur: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemiſti mundum*. Sane poſt unius *Pater noſter* morulam in ea genuflexione, quæ fit ad ipſa verba, *emiſit ſpiritum*, omnes *deinde ſurgunt, & is qui Euangeliſtam agit, perficit ſuam lectionem, iiſdem Comminiſtris aſtantibus, ut prius; qua finita, Epiſcopus ſedet, & accipit Mitram, depoſita Palma*. Cantores vero, ut ex Patricio addiſcimus, factis reverentiis Altari, & Epiſcopo, recedunt.

X. Omiſſis aliis Ritibus, qui olim in ipſa Paſſione ſervari ſolebant, illud, quod hic omitti nullatenus debet, eſt, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Viterbien. vii. Julii mdcxii. apud Barboſam in Summa Apoſtolicarum Deciſionum Collectan. dli. & noviſsime apud Meratum in Additionibus ad Gavantum, conſuetudinem immemorabilem, quod Paſsio Domini in Dominica Palmarum, & in Feria vi. Paraſceves decantetur a Canonicis, ſervari debere, *non obſtante Cæremoniali, in quo diſponitur, eam a Cantoribus decantandam eſſe*. Certe, ut de aliis ſileam, Romæ in Baſilica Vaticana ſolent hodieque in Dominica Palmarum, & Feria vi. in Paraſceve, tres Canonici Paſſionem canere.

§. XVII.

Tum Diaconus Euangelii, depoſita Planeta, eaque, ſive alia duplicata, ſuper humerum ſiniſtrum poſita, & ſub brachio dextero colligata, portat Librum ad Altare, mox vadit ad oſculum manus Epiſcopi, ducente Cæremoniario, & revertitur ad Altare, dicens genuflexus, *Munda cor meum &c.*

§. XVIII.

Interim Epiſcopus, miniſtrante Acolytho, vel Cæremoniario, ac Presbytero aſſiſtente, imponit incenſum more conſueto.

§. XIX.

Diaconus cum Libro ante pectus, præcedentibus Thuriferario, & duobus Acolythis ſine

Digitized by Google

ſine candelabris, ſubſequente Subdiacono, petit Benedictionem, incenſat Librum, & cantat Euangelium, *Altera autem die &c.*

§. XX.

Ad elevationem ſolus Epiſcopus tenet Palmam; cætera fiunt, ut in aliis Miſſis.

COMMENTARIUS.

I. PAſſione tandem finita, ac depoſitis Palmis a Celebrante, & Miniſtris, ut nonnullos ſuppleamus Ritus, qui in noſtro Cæremoniali deſiderantur, Subdiaconus mutat Librum Celebrantis a cornu Epiſtolæ ad cornu Euangelii cum debitis reverentiis. Tum Celebrans dicto in medio Altaris, *Munda cor meum &c.* & *Jube Domine &c.* accedit ad idem cornu, ubi non ſignans Librum, nec ſeipſum, legit eam partem Paſſionis, quæ habetur loco Euangelii, aſſiſtente ſibi Subdiacono, qui etiam ad ejus finem reſpondet, *Laus tibi Chriſte.* At vero Diaconus, finita a Cantoribus Paſſione, uti inquit noſter §. XVII. citatis Cæremonialibus Patricii, & Craſſi concinens, *depoſita Planeta, eaque, ſive alia duplicata, ſuper humerum ſiniſtrum poſita, & ſub brachio dextero colligata*, ſive ſumta latiori Stola, juxta hodiernum morem, *portat Librum ad Altare*, & in medio ponit, *mox vadit ad oſculum manus Epiſcopi, ducente Cæremoniario, & revertitur ad Altare, dicens genuflexus*, Munda cor meum &c. *Interim Epiſcopus*, ex ſequenti noſtro §. XVIII. *miniſtrante Acolytho, vel Cæremoniario, ac Presbytero aſſiſtente*, non autem Diacono, ut tradit Craſſus, *ponit incenſum more conſueto*; atque, ut mox ait Rubrica §. noſtri XIX. *Diaconus cum Libro ante pectus, præcedentibus Thuriferario, & duobus Acolythis ſine candelabris, ſubſequente Subdiacono, petit benedictionem*, ab Epiſcopo ſcilicet, ad cujus Sedem accedit, eaque accepta pergit ad ſolemnem Euangelii lectionem, *incenſat Librum*, quem non ſignat, nec ſe, neque dicit, *Dominus vobiſcum*; ſed abſolute *cantat Euangelium*, Altera autem die &c.

II. Quamquam vero ad ipſam Euangelii lectionem Ceroferarii candelabra cum Cereis accenſis non deferant, quia ſcilicet, ut ait Craſſus, *Lux mundi extincta eſt*, aſſiſtunt tamen, ut ſolent, cum candelabris, non tamen loco illorum ramos Palmarum tenentes, niſi ea alicubi ſit conſuetudo, quam probant Caſtaldus Lib. III. Sectione V. Cap. V. Num. IX. & Bauldryus Parte IV. Cap. VI. Articulo III. Num. XIX. præſertim, quod, uti docet memoratus Craſſus, *omnes iterum acceptis Palmis ſurgent reverenter audientes Euangelium*. Id quod etiam tradit Rubrica Miſſalis Parte IV. Tit. VII. Num. XVIII. ubi ita inquit *Deinde celebratur Miſſa, & Rami tenentur in manibus, dum cantatur Paſſio, & Euangelium tantum*. Labitur autem in eo ipſe, ubi ait, Diaconum incipientem Euangelium, *Altera autem die &c.* ſignare *Librum, & ſe in fronte, ore, & pectore, ut alias*; non enim is ritus in ea Miſſa ſervandus eſt, tametſi Craſſo patrocinetur Romanus Ordo XV. Auctore Amelio, Cap. LX. *Facit Crucem*, inquit, *cum pollice ſuper Euangelium, & ſibimet tam in fronte, quam in labiis, & in pectore, more ſolito.*

III. Tradit autem & alia eo loco Amelius, quæ penitus in deſuetudinem abierunt, ut cum ait, Diaconum ipſum Cardinalem, qui cantavit Paſſionem, poſt genuflexionem, & morulam ad ea verba, *emiſit ſpiritum*, petita benedictione a Papa, canere etiam illam partem, *Altera autem die &c.* & portari *ipſi Diacono Cardinali duo candelabra cum cereis accenſis per Acolythos, vel Auditores, ſicut conſuetum eſt fieri ad Euangelium*. Sed abolitus jam fuit hic ritus paulo poſt Amelium, nam, uti ait Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. XL. loquens de Officio Dominicæ Palmarum, Papa celebrante, *noſtris temporibus non portantur luminaria ad hoc Euangelium, ſed incenſum tantum*. Tum vero ſubjicit alludens haud dubie ad Ordinem etiam ipſum Amelii: *Legi tamen in Libris Cæremonialibus, quod luminaria portantur ad hanc partem.*

IV. Demum cantato Euangelio, defertur Liber deoſculandus ad Epiſcopum, qui etiam incenſatur, omniaque alia fiunt, ut in aliis Miſſis. Teſte Craſſo Lib. II. Cap. XLIV. in Eccleſia Bononienſi, finito Euangelio, ſuo ævo ex more Feſtivitates indicebantur, quod tamen non probat. Ad noſtrum autem ritum quod attinet, licet, uti ſuperius ex Rubrica Miſſalis dictum eſt, alii omnes, finito Euangelio, deponant Palmas, ex præſcripto nihilominus noſtri §. XX. *ad elevationem ſolus Epiſcopus tenet Palmam*, propriis manibus, ut ait idem Craſſus monens ibidem, *id bene notandum, quia myſterium habet*. Acceptus eſt ritus a Pontificia Capella, in qua, teſte Patricio Lib. II. Sectione I. Cap. XXXIX. *ad elevationem Sacramenti Papa etiam ſolet tenere Palmam ſuam, & non alii*. Addit mox, finita Miſſa, Papam dare benedictionem, & Celebrantem pronunciare Indulgentias, ac duos nobiles illos cum Palmis præcedere debere immediate Pontificem poſt Diaconos aſſiſtentes uſque ad cameram Papagalli, & illas ibi Camerariis ſecretis conſignare. Idipſum tradit & Craſſus loco citato: *In fine dabitur Benedictio, & Indulgentia publicabitur, & illi duo Scutiferi cum magnis Palmis ante Cardinalem præcedent uſque ad ejus Cameram, ubi eas reverenter cuſtodiendas per totum annum deponent*. Sed hi peculiares ſunt Ritus; nam alias ſervandum hodie, quod Rubricæ Miſſalis, & Cæremonialis præſcribunt.

CAP. XXII.

Digitized by Google

CAP. XXII.

Altaris ornatus, ac Cereorum numerus, & qualitas pro Matutinis Tenebrarum. Archiepiſcopus, & Epiſcopus quomodo ad Eccleſiam accedant pro peragendis Matutinis Tenebrarum. Ordo incboandi Matutini, dicendarum Lectionum, & extinguendi Cereos in triangulari Candelabro. Quando, & quomodo abſcondatur extremus Cereus Trianguli. Quomodo terminetur Matutinum. Epiſcopus extremam Orationem dicit. Fragor quando fiat. Sedes Epiſcopi, Altare, tota Tribuna, & pavimentum in bis tribus Matutinis ſint denudata. Qua bora bæc Officia perficienda ſint.

§. I.

Poſt Dominicam Palmarum nullæ occurrunt Solemnitates, quæ indigeant ſpeciali declaratione ante Officium Tenebrarum: nam licet tertia, & quarta Feria celebrari ſoleat Miſſa ſolemnis, & infra eam decantari Paſſio Domini Noſtri Jeſu Chriſti, celebrabitur ſecundum Ritum, & Cæremonias, quæ obſervari ſolent in diebus Ferialibus, prout ſuperius declaratum fuit, præſente, vel abſente Epiſcopo.

§. II.

Paſſio autem recitabitur, prout in præcedenti Dominica dictum fuit, tam quoad habitum, & numerum Miniſtrorum, quam quoad alias Cæremonias.

COMMENTARIUS.

I. SCiendum primo initio hujus Commentarii illud, a Græcis Hebdomadam magnam, quæ eſt Quadrageſimæ ultima appellari, uti liquet præſertim ex S. Chryſoſtomo Homilia xxx. in Geneſim, & ex Anaſtaſio Nicæno, Quæſtione LXXVII. in Scripturam, Tomo I. Eam Theophilus Alexandrinus in Epiſtola II. Paſchali Hebdomadam Majorem dixit, quia ſcilicet in illa eſt maxima adhibenda parſimonia, ſive quod majus Officium recolitur in ea, uti exponit vulgatus Alcuinus in Libro, *De divinis Officiis*, Cap. XV. Ab eodem etiam Theophilo in Epiſtola ipſa II. appellatur Hebdomada ſalutaris Paſchæ, & in Epiſtola III. Hebdomada Dominicæ Paſſionis. Communiter hodie dicitur, & quidem ex pervetuſto Eccleſiæ ritu, Septimana, vel Hebdomada Sancta ob ſanctiſſima Myſteria, quæ in ea a primis ſeculis celebrare Eccleſia conſuevit: *Incipite ſanctam Hebdomadam Paſchæ jejunantes ipſum omnes cum timore*. Verba ſunt antiqui Auctoris Apoſtolicarum Conſtitutionum, Lib. V. Cap. XII. Hebdomadam autem ſanctam vocat Hebdomadam Paſchæ Græcorum more, qui Hebdomadas vocant per Dominicam ſubſequentem.

II. Quamquam prioribus Eccleſiæ ſeculis Feria ſexta tantum, & Sabbato ipſius Hebdomadæ, celebraretur commemoratio Paſſionis, ac mortis Jeſu Chriſti Domini noſtri, illiſque duobus diebus repræſentarent luctum in vigilia duarum noctium, quibus preces, & Officia publica fiebant, & in jugi quadraginta horarum jejunio; addita tamen deinde fuit Feria IV. & poſtea tota Hebdomada deſtinata. S. Dionyſius Alexandrinus in Epiſtola ad Baſilidem Can. I. fuiſſe quoſdam affirmat, qui per totam hanc Hebdomadam abſtinerent, alios autem per quatuor continuos dies. Xerophagiæ hebdomadam vocat S. Epiphanius in Expoſitione Fidei, Cap. XXIX. quia res tantum ſiccæ ſine condimento comedebantur, vel panis tantum, & aqua cum ſale ſumebatur. Idem jam olim rigidius præceptum a Conſtitutionibus Apoſtolicis fuit, ubi ſic inquiunt: *Jejunate diebus Paſchæ, incipientes a ſecunda Feria uſque ad Sextam, & Sabbatum, ſex diebus, pane tantum, ſale, oleribus, & aqua menſæ adhibitis. Abſtinete hiſce diebus vino, & carne; dies quippe luctus, & non feſti ſunt.*

III. Vacandum nihilominus erat ipſa Hebdomada, ſicut & Hebdomada Paſchatis, ob Chriſti mortem, & Reſurrectionem, quæ duabus hiſce Hebdomadis celebrabantur, quia ſcilicet, ut ajunt ipſæ Apoſtolicæ Conſtitutiones Lib. VIII. *opus eſt docere, quis ille ſit, qui mortuus eſt, & reſurrexit*. Forte ob hanc etiam rationem in Summa Legum Imperialium, & Canonum, refert Photius, duas ipſas Hebdomadas feſtivas fuiſſe: *Dies feſti ſunt ſeptem dies ante Paſcha, & poſt Paſcha*. Sed & XIII. Seculo apud nos Latinos Gregorius Papa IX. Capite V. *De feriis*, inter feſtivos, quindecim ipſos dies computat. Occupandi tunc enim ſunt Chriſtifideles in pura, & ſincera peccatorum Confeſſione, & in operibus pietatis peragendis. Teſte Fileſaco in Opuſculo, *De Quadrageſima Chriſtiana*, Cap. XV. ſolent Æthiopes reliquo anni tempore, ac præſertim nobiliores, cum ſe obvios habent, humerum dexterum

Digitized by Google

rum viciſſim deoſculari, ſed in hac Hebdomada, nec ſe invicem ſalutant, demiſſo vultu, & oculis iter proſequentes. Veſtibus quoque nigris, aut cæruleis tunc temporis utuntur, & ab omni opere ceſſant, in Eccleſiam conveniunt, ac divinis interſunt officiis, quæ valde prolixa ſunt.

§. III.

Ipſa vero Quarta Feria, hora vigeſima prima, vel circa, Epiſcopus veniet cum Cappa ad Eccleſiam, ſequentibus Canonicis; & ingrediens Eccleſiam cooperit ſibi caput caputio Cappæ, & ſi erit Archiepiſcopus, non defertur Crux ante eum in Matutinis horum trium dierum.

§. IV.

Eccleſia autem, Tribuna, Altare, & Sedes Epiſcopi poterunt remanere parata, prout fuerunt Dominica præterita, ſeu aliquanto parcius, vel remiſſius; & a latere Epiſtolæ ponitur Candelabrum triangulare, accommodatum ad ſuſtinendos quindecim Cereos ceræ communis, ſingulos ponderis unius libræ, vel circa; qui paulo ante adventum Epiſcopi accenduntur ſimul cum Cereis Altaris, ex eadem cera communi.

COMMENTARIUS.

I. POſtquam Capitis hujus initio noſtrum Cæremoniale dixit nihil ſpeciale occurrere in Feria Secunda, & Tertia Majoris Hebdomadæ, ait nunc in §. III. quod *ipſa Feria Quarta, hora vigeſima prima, vel circa Epiſcopus veniet cum Cappa ad Eccleſiam*, ad cantandum ſcilicet Matutinum, quod Tenebroſum, vel Tenebrarum vocant, quia ſcilicet noctu dicebatur, ut notat Grancolas in Breviarium Romanum Cap. LV. ubi etiam obſervat, nomen illud, quod huic triduo remanſit, proprium fuiſſe Officii, quod quotidie noctu dicitur. Quidquid ſit de ea nomenclatura, Matutinum Feriæ V. in Cœnæ Domini, quod hodie præveniri ſolet hora vigeſima prima Quartæ Feriæ ex ritu alias non adeo recenti, ipſa nocte Feriæ V. celebrabatur, uti videre eſt in antiquiſſimo Ordine I. Romano, Cap. V. *Media*, inquit, *nocte ſurgendum eſt, & tangitur ſignum, & poſt hæc non niſi in nocte ſanctum Paſcha ad Matutinum &c.* Ad quem locum ſcitiſſime notat doctiſſimus Joannes Mabillonius: *Ergo etiam hoc triduo Romani nocturnas vigilias faciebant media nocte.*

II. Licet autem ea diſciplina initio Seculi XIII. quo floruit Lucas Archiepiſcopus Conſentinus, viguerit in noſtra Calabria, ut ſcilicet ipſum Matutinum *tranſacta media nocte* celebraretur, uti ejuſdem Lucæ Ordinarium nos docet, ſciendum tamen Seculo ipſo XIII. invaluiſſe Romæ uſum, ut nocturnæ vigiliæ, quæ nocte Feriæ V. & Feriæ VI. ac nocte Sabbati Sancti perſolvebantur in memoriam paſſionis, & mortis, ac triduanæ Sepulturæ Chriſti Domini, pridie dicerentur: *Item notandum*, ait Jacobus Gaetanus in Ordine ſuo Romano XIV. Cap. LXXXII. *quod die Mercurii ſancta de ſero hora competenti Papa venit ad audiendum Officium in Capella ſimpliciter cum chlamyde rubea, & caputio ſuper caput, non tamen replicato, ſicut in aliis diebus conſuevit, ſed ſolum extenſo ſuper oculos.* Idem totidem verbis tradit in Ordine ſuo XV. Romano Cap. LXII. Petrus Amelius, qui etiam paulo poſt ita ſubjungit: *Item in die Mercurii de ſero hora competenti Dominus Papa venit ad Officium Matutinarum cum chlamyde de ſcarletto cum capucco extenſo ſuper fronte, non replicato, & ſine Mitra.*

III. Tempus, ac ritum, quo ſummus Pontifex ad celebrandum prima die Officium ipſum Tenebrarum ad Capellam procedebat Seculo XV. enarrat in ſuo Cæremoniali Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. XLII. his verbis: *Hora convenienti Papa indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola violacea, & manto cum caputio inverſo ſupra caput, vel Cappa rubra de ſcarlato, ſine Mitra, & non præcedente Cruce, vadit ad Capellam, & poſt eum Cardinales, & Prælati. Alii Diaconi Cardinales, qui alias aſſiſtere ſolent, vadunt poſt Presbyteros Cardinales in loco ſuo, quia Papæ non fit aſſiſtentia. Fimbrias portat dignior ex aſſiſtentibus Epiſcopis poſt Papam &c.* Multa in hoc teſtimonio habemus, quibus Rubrica noſtri §. III. illuſtratur, & præſertim quod attinet ad Crucem non deferendam tunc temporis ante Archiepiſcopum, ſicut etiam nec ante Papam defertur.

IV. Porro quia Matutinum hac die celebrandum, ad diem ſequentem ſpectat, quæ eſt ſolemnis ratione Cœnæ dominicæ, licet Officium ipſum ratione Paſſionis Chriſti, in omnibus luctuoſum ſit, docet Horatius Chriſtiani in ſua Praxi Pontificali Majoris Hebdomadæ, Sectione II. Cap. VII. præveniendum eſſe Matutinum Campanarum ſono harmoniaco, prout in præcipuis ſolemnitatibus, uſque ad *Gloria in Excelſis*, in Miſſa ſequentis diei. Circa horam autem viceſimam primam accedet Epiſcopus ad Eccleſiam cum eodem comitatu, & ordine jam alio loco explicatis, cum hac tamen differentia, quod Canonicos poſt ſe habebit, & ingredietur Eccleſiam, abſque aſperſione aquæ benedictæ; & ſi eſt Archiepiſcopus, Crux ante illum minime defertur,

Digitized by Google

ut ſupra notatum eſt. Accedens ad Sacellum Sanctiſſimi Sacramenti, antequam genuflectat, dimittit caudam Cappæ, & orat; eamque ſurgens reſumet, adjuvante Caudatario, & procedit ad Altare Majus, ubi dimiſſa iterum cauda, orat.

V. Quantum vero ad Eccleſiæ, Tribunæ, & Altaris, ac Sedis Epiſcopalis ornatum, ex præſcripto noſtri IV. §. *poterunt remanere parata, prout fuerunt Dominica præterita, ſeu aliquanto parcius, vel remiſſius*. Ex Sententia Craſſi Lib. II. Cap. XLV. *nulla tapetia, & nulli apparatus fiunt in tota Tribuna*. Et mox de Altari loquens, *ſuper Altari*, inquit, *ſex candelabra omnino, & non pauciora, cum totidem Candelis*, ceræ ſcilicet communis, unciarum decem, aut libræ unius quælibet, apponenda, cum ſua Cruce. Sedem vel Cardinalis Epiſcopi in his diebus Tenebrarum debere eſſe ait nudam *cum uno tantum pulvino, violaceo paratam*. Sed attendenda eſt regula noſtri Cæremonialis, ex quo præſcriptum habemus, non prima die Tenebrarum, ideſt non Feria quarta, ſed in Matutino, quod celebratur Feria quinta, & Feria ſexta, Altare, Sedem Epiſcopalem, ac pavimentum, debere eſſe *penitus denudata*, uti videre eſt infra in Rubrica §. XVII.

VI. Potiſſimum autem præparandum eſt ex Rubrica præſentis hujus §. IV. *a latere Epiſtolæ Candelabrum triangulare, accommodatum ad ſuſtinendos quindecim Cereos ceræ communis, ſingulos ponderis unius libræ, vel circa*, accendendos ſcilicet, *paulo ante adventum Epiſcopi cum cereis Altaris, ex eadem cera communi*. Circa hujuſmodi Cereorum numerum, qui in ipſis Matutinis accendi, atque extingui ſolent, non una fuit omnium temporum, & Eccleſiarum diſciplina. Romanus Ordo I. Cap. V. mandat, ut tunc *Eccleſia omni lumine decoretur*. Ex Vulgato Alcuino, *accenduntur in hac nocte lumina viginti quatuor, & extinguuntur per ſingulas Lectiones, & Reſponſoria*. Totidem præſcribit Joannes Abrincenſis, totidem Ordinarium Rotomagenſe, & Silvanectenſe. Viginti quatuor Cereis omnes Eccleſiæ lampades adjungit in ſuo Ordinario noſter Lucas Archiepiſcopus Conſentinus. Vetus Pontificale inſignis Eccleſiæ Pictavienſis lampades triginta ad nocturnum Officium accendendas ſtatuit per ſingulas Antiphonas, Lectiones, Reſponſoria, & Verſus extinguendas, ſeptem vero ad Laudes. Triginta quatuor habet Carnotenſe S. Joannis Ordinarium. Laudunenſe Ordinarium jubet, ut *ad Matutinum ponantur ante Altare quindecim Cerei, & præter hos in dextera parte Presbyterii decem & octo, & in ſiniſtra alii decem & octo*.

VII. Hæc ſane de Candelarum numero tradit Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXII. Num. II. ſed ſcitu dignum eſt, & curioſum, quod de eadem re docet Durandus in Rationali Lib. VI. Cap. LXXII. Num. XV. ait enim, quod *quidam accendunt ſeptuaginta duas Candelas, quidam viginti quatuor, quidam quindecim, quidam duodecim, quidam novem, quidam ſeptem*. Addit, ſecundum quoſdam non eſſe numerum certum, quemlibet laicum pro arbitrio ſuo Candelam apponere, ſed omnes tamen non ſine Myſterio agere, quod fuſe mox ipſe exponit. Notat & illud Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. LV. quod ſuper Altaria non ponebantur candelabra, quodque adhuc ſervatur in nonnullis Eccleſiis, quas non recenſet; Cereoſque illos, ſeu lampades ait fuiſſe luminaria ſuſpenſa, vel ſuper elevatas trabes, *Hirpices* appellatas, quæ per totum Chorum extendebantur, vel ſuper magna candelabra prope Altare defixa, quæ plures habebant ramos, in quibus Cerei, vel lampades, Officii nocturni tempore accendebantur.

VIII. Itaque antiqui ritus veſtigium eſt Candelabrum triangulare, quod hodie ex ritu non ita recenti a latere Epiſtolæ ante Altare ponitur cum quindecim Cereis, qui accenſi initio Matutini, extinguuntur poſtea ſingulatim, quilibet ſcilicet finito quolibet Pſalmo, nempe Matutini, ac Laudum, in fine ſcilicet Pſalmorum, in quibus ad finem Antiphona repetenda eſt, uſque ad ſupremum Cereum excluſive, qui eſt in cuſpide memorati Candelabri triangularis. Teſte eodem Durando ibidem Num. XXIII. quidam ſuo ævo, ut hodieque fit, extinguebant Candelas poſt ſingula cantica uſque ad plenam extinctionem; alii tribus vicibus, & in quibuſdam Eccleſiis Candelæ ipſæ *quadam manu cerea* extinguebantur, qua ſignificari inquit, *manum Judæ, quæ fuit quaſi cerea, ideſt, ad malum flexibilis, per quam Chriſtus Rex noſter, & vera lucerna, traditus fuit, & quantum in illo fuit, extinctus*. Sunt hæ piæ reflexiones, quæ apud alios quoque Scriptores occurrunt.

IX. Paranda eſt præterea prope ipſum Candelabrum arundo, ſeu virga cum ſpongia humefacta, vel alio modo pro extinguendis Candelis quindecim, ut dum extinguuntur, non moveantur de Candelabro, ut ait Craſſus loco citato; id quod etiam de candelis dicit, quæ in ſex candelabris Altaris extant. Porro ſi ſuper Altare, ante quod dicendum eſt Matutinum, ſit Tabernaculum cum Sanctiſſimo Sacramento, omnino inde removendum eſt Sacramentum, & ad aliud Sacellum transferendum, in quo accenſæ ſint lampades, quæ nunquam debent extingui, tametſi vel ultima candela extinguatur Candelabri triangularis ad finem Matutini.

§. V.


Epiſcopus, factis ſolitis Orationibus, ſibi ipſi trahens Cappæ caudam per terram, accedit ad ſuam Sedem, nullo ſibi tunc Canonico aſſiſtente, ſed tantummodo aliquibus Capellanis, cum Cottis circa eum ſtantibus. Quod ſi magis placeret accedere ad Chorum apud Canonicos, eſſet laudabile.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Poſtquam Epiſcopus aliquantulum quieverit in ſua Sede, ſurgit, ſurgentibus omnibus, & detecto capite, dicit verſus Altare ſecrete, *Pater noſter*, *Ave Maria*, & *Credo*, uſque ad finem: tum ſibi ipſe caput tegit eodem caputio, & ſic ſtat, quouſque ad ejus nutum Chorus dixerit Antiphonam, *Zelus domus tuæ &c.* qua finita, & incœpto Pſalmo, ſedet, & Capellani aptant fimbrias Cappæ; ſimiliter Canonici, & alii omnes ſedent.



COMMENTARIUS.

I. RItus, quo Epiſcopus ad celebrandum Matutinum Tenebrarum accedere ad ſuam Sedem debet, idem fere ac ille eſt, quem refert Craſſus in Cæremoniali, Lib. II. Cap. XLV. tametſi de Cardinali Epiſcopo Bononienſi diſſerat: *Cardinalis*, inquit, *ingrediens Chorum, non ſinit ſibi caudam Cappæ deferri, quæ etiam eſſe debet ex panno, & non zambelloto, violacei coloris, ſed cauda ante locum Orationis dimiſſa, procedit ad Altaris gradus* (ex noſtro Cæremoniali, non in hoc, ſed in aliis duobus ſequentibus Matutinis nudati eſſe debent) *ubi Oratione facta longiore ſolito, vadit trahens caudam per terram ad ſeſſionem paratam, ubi non habet ante ſe Librum aliquem.* Monet tum vero ſtatim, tribus hiſce diebus non convenire, Cardinalem *ante ſe clavas argenteas habere, quæ pro dignitate Cardinalium ante ipſos ſolent ſemper deferri*; additque etiam, quod ſi ipſe Cardinalis humilius agere volet, *non utique ad ſuam Sedem amplam, ſed ad cancellos, ſive ſtalla Canonicorum convenientius iret, atque ſimiliter ibi convenientius cum ipſis ſederet in eorum cancellis cum nullo tapete, ſed omnino humiliter, ac mæſto potius vultu, quam hilari.* Ubi in Sede ſua ſederet, nullos tunc Canonicos ait debere aſſiſtere, ſed Capellanos, & ipſos quidem ſine Cottis.

II. Si poſtremam hanc Craſſi ſententiam, qua dicit, Capellanos debere Epiſcopo aſſiſtere *ſine Cottis*, jam cetera fere omnia Rubricæ noſtri §. v. concinunt, ex cujus tamen præſcripto, celebrante Epiſcopo Matutinum in Sede ſua, Capellani *cum Cottis circa eum* ſtant, nullo tunc alio Canonico ei aſſiſtente, juxta ritum ſcilicet Pontificiæ Capellæ, in qua, uti dictum eſt ex Cæremoniali Patricii in Commentario præcedenti, nulla tunc Papæ fit aſſiſtentia. Atque ut videas, cæteros ritus in noſtro §. VI. præſcriptos cum Cæremoniali ipſius Capellæ Pontificiæ convenire, hæc plane ſunt ejus verba apud laudatum Patricium Lib. II. Sectione I. Cap. XLII. *Cum Papa pervenerit ad Capellam, facit orationem modo ſolito, deinde vadit ad Sedem ſuam. Cardinales non aſſiſtunt, neque fit ei reverentia a Cardinalibus.* Et mox: *Cum quieverit aliquantulum, ſurgit, & detecto capite verſus ad Altare, dicit ſecrete,*

Digitized by Google

Pater noſter; *quo completo, caput ſibi ipſi cooperit, & Cantores incipiunt pro Matutinis*, Zelus domus tuæ &c. *Cum incipitur Pſalmus, Papa ſedet, & omnes alii, aſſiſtentes Epiſcopi aptant mantum Papæ, ſive Cappam.*

III. At audiamus hic iterum Craſſum, qui ritum fuſe enarrat, rituſque alios ad eum magis magiſque illuſtrandum refert, ex generalibus Cæremonialis Rubricis, quas nos ſuo loco explicuimus: *Poſtquam pauliſper quieverit Cardinalis, ſurgit, ſurgentibus omnibus, & detecto capite dicit verſus ad Altare tacite totum* Pater noſter; *quo toto tacite completo, primo tegit caput, & ſic remanet tectus, & rectus. Chorus autem, hoc viſo, incipit Antiphonam*, Zelus domus tuæ &c. *Ipſi Canonici intimatas eis Antiphonas more ſolito cantant, quorum ſenior ille, qui eſt apud Cardinalem in Choro, etiamſi Archidiaconus ſit, etiamſi Ordo Chori eſſet, ut tunc ab alia parte inchoari deberet. Et uno ex ipſis tunc ſurgente, ſurgunt omnes, non tamen Cardinalis Epiſcopus, & primo inchoante, reliqui omnes hinc inde ſimiliter cantare ſuas Antiphonas debent ſine alicujus intermiſſione, & nullius excuſatione admiſſa, præſente Cardinali. Itaque cantata per Chorum Antiphona prima ſecundi Nocturni* (puto legendum, *primi Nocturni*) *& incepto Pſalmo, Cardinalis ſedet, & ſimiliter Canonici, & alii omnes ſedent.* Hæc memoratus Paris de Craſſis, apud quem, ſicut & apud Auguſtinum Patricium, & alios, præter Dominicam Orationem nulla fit mentio Symboli Apoſtolorum, & Orationis Angelicæ, quia ſcilicet, ut alias oſtendimus, recens eſt ritus, ut initio Officii, una cum ipſa Oratione Dominica, dicatur etiam *Ave Maria*, & *Credo*.

IV. Eſt autem antiquus ritus, cujus præter varios Auctores meminit etiam Ordo 1. Romanus in Appendice Cap. 1. ut ſcilicet in hoc Officio Tenebrarum, nec *Deus in adjutorium meum intende &c.* nec Invitatorium, nec *Gloria Patri &c.* dicatur, ad exprimendam ſcilicet de Chriſti morte triſtitiam. Affirmari quidem poteſt, Officium ipſum tum nocturnum, tum diurnum, a mille & trecentis fere annis dici conſueviſſe, quale hactenus celebramus. Incipit ab Antiphona, *Zelus domus tuæ &c.* quam ex Rotomagenſi S. Laudi Ordinario, *Prælatus mediocri voce* inchoabat. Pſalmi ſunt de Feria quinta, variantque parumper Feria ſexta, & Sabbato, juxta antiquum in Regula ſancti Benedicti expreſſum ritum mutandi Pſalmos in magnis ſolemnitatibus, & ex iis eligendi, ſi fieri poteſt, qui ſolemnitati Officii, quod celebratur, conveniant. In noſtris Breviariis nihil eſt plane antiquius hujus tridui Officio, quod minus ceteris variatum eſt, uti conſtat ex antiquo Romanæ Eccleſiæ Antiphonario, & Gregoriano a Venerabili Servo Dei, & doctiſſimo S. R. E. Cardinale Thomaſio vulgato; idque nos etiam infra oſtendemus ſuis locis. Illud hic minime prætermittendum, in nonnullis Eccleſiis Pſalmos hujus Officii voce ſuppreſſa, ſeu remiſſa, perſolutos fuiſſe, in ſignum ſcilicet mœſtitiæ de Chriſti morte, eamque ob cauſam ex Rotomagenſi Ordinario duo in Cappis nigris Chorum regebant. Porro licet communiter ad finem Pſalmi, *Gloria Patri &c.* reticeretur, jubet nihilominus Galtinenſe, & Carnotenſe S. Joannis Ordinarium, ut ejus loco ſubjiciatur, *Laus tibi Chriſte*, tam ad nocturnas vigilias, quam ad horas diurnas. In quibuſdam quoque Monaſteriis Orientis, loco ipſius, *Gloria Patri*, dicebatur hiſce diebus, *Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri.* Verum in Officio Dominicæ Paſſionis Feria ſexta Paraſceves Majoris Hebdomadæ ſecundum ritum Græcorum quod latinitate donavit, ediditque Romæ anno MDCXCV. Religioſiſſimus S. R. E. Cardinalis Thomaſius, occurrit paſſim non modo *Gloria Patri*, ſed etiam *Alleluja*.

§. VII.

Finito quolibet Pſalmo, Cæremoniarius, vel aliquis Capellanus accedit cum debitis reverentiis, & cum inſtrumento apto ad extinguendum, ad Candelabrum triangulare, & extinguit Cereum in illius extremitate poſitum a latere Euangelii; deinde in fine alterius Pſalmi alterum ab alio latere, & ſic ſucceſſive alternatim ab utroque latere ſingulos Cereos extinguit in fine cujuslibet Pſalmi, tam primi, quam ſequentium Nocturnorum, & Laudum.

COMMENTARIUS.

I. QUis olim ritus in Candelarum extinctione in variis Eccleſiis fuerit ſervatus, jam ſupra explicuimus in Commentario ad §. IV. Quod autem in præſenti edicitur, ita in ſuo Cæremoniali a Craſſo enarratur: *Finito quolibet Pſalmo, Cæremoniarius, vel aliquis Capellanus, factis reverentiis*, Altari nempe, & Epiſcopo, *vadit ad candelabrum triangulare, & extinguit unam ex quindecim candelis, non auferendo candelam de candelabro, ſed arundine, vel ſpongia humefacta admota, vel alia ſimili materia, extinguit, placide tamen, incipiendo a parte lateris Euangelii directe, deinde ab altera, & ſic alternatim.* Brevius eundem ritum exponit Cæremoniale Patricii dicens: *Ad finem cujuslibet Pſalmi tam in Matutinis, quam in Laudibus, Cæremoniarius, facta reverentia Papæ, accedit ad candelabrum quindecim candelarum, & extinguit unam ex candelis.* Sane varia in ea candelarum extinctione excogitavit

Digitized by Google

tavit Durandus Lib. VI. ſui Rationalis Cap. LXXII. poſtquam ſcilicet notavit, Candelas non ſimul, ſed unam poſt aliam extingui.

II. In Appendice Romani Ordinis I. Cap. I. Num. II. is circa luminum extinctionem ritus exprimitur: *Lumen autem Eccleſiæ ab initio cantus Nocturnæ inchoatur extingui, hoc tamen ordine, ut ab introitu ipſius Eccleſiæ incipiat paulatim tutari, ut, verbi gratia, peracto primo Nocturno videatur eorum pars tertia eſſe extincta; medio nocturno iterum tertia; tertio vero expleto, exceptis ſeptem lampadibus, nihil lumen relinquunt. Quæ in Matutinis extinguuntur, hoc ordine. Initio primi Pſalmi ſit cuſtos ſemper paratus in loco dexteræ partis Eccleſiæ prope lampadibus, ut ubi audierit Antiphonam, tenens cannam in manu ſua, tutet lampadem unam; in fine vero Pſalmi ipſius tutet aliam partis ſiniſtræ. In ſecundo Pſalmo cum Antiphonas audierit, tutet dextera parte aliam. Sic una ex parte una, alia ex alia tutantur uſque ad Euangelium; in Euangelio vero tutatur mediana lampada*. Ex ipſo Romano Ordine præſcriptum illud jam fuerat Num. I. ut ſit *tunc Eccleſia omni lumine decorata*, ideoque multæ extinguebantur candelæ; id enim ſignificat hodieque in noſtra Calabria verbum illud *tutare*, vel *ſtutare*, ideſt, *extinguere*. Quod ait, *in Euangelio* tutari medianam lampadam, pro Euangelio intelligit Canticum, *Benedictus*, ex Euangelio Lucæ deſumtum; eumque in modum idem ipſe Ordo Canticum *Magnificat* deſignat, ut alios Scriptores omittam, qui ita eam vocem explicant.

§. VIII.

Finita Antiphona tertii Pſalmi, in quolibet Nocturno, poſt Verſiculos Epiſcopus ſurgit, ſurgentibus omnibus, caput detegit, & finito Reſponſorio, dicit ſecrete totum *Pater noſter*, ut prius; quo finito, tecto capite ſedet, ſedentibus omnibus.

§. IX.

Tunc Cantores accedunt, cum debitis reverentiis Altari, & Epiſcopo, ad Legile præparatum in medio Chori, ſeu ad locum conſuetum, ſecundum conſuetudines Eccleſiarum, & ibi cantant Lamentationes; quibus finitis, ac factis reverentiis Altari, & Epiſcopo, recedunt.

§. X.

Lectiones ſecundi, & tertii Nocturni cantant vel ipſi Cantores, vel Canonici pro more Eccleſiarum, incipiendo a junioribus, ſinguli ſingulas.

COMMENTARIUS.

I. NOſtris hiſce Paragraphis explicandis lubet afferre hic locum Cæremonialis Pontificiæ Capellæ, Auctore Patricio Lib. II. Sectione I. Cap. XLII. *Finito*, inquit, *primo Nocturno, Papa ſurgit, & detecto capite ſtans verſus ad Altare, dicit*, Pater noſter, *ſecrete, & illud proſequitur; quo finito, ſine ulla pronunciatione, abſolutione, ſive benedictione, ſedet: ſimiliter & alii omnes Cantores in loco eorum ſtantes ex Libro ſuper eorum pulpito poſito, verſi ad Altare, abſolute incipiunt Lectiones ex Libro Threnorum, ſive Lamentationum Jeremiæ Prophetæ, ut in Breviario; & in principio, & fine faciunt reverentiam Altari, & Papæ*. Sed ut ritum ipſum paulo luculentius explicemus, dicta Antiphona tertii Pſalmi cujuſque Nocturni, dicitur mox Verſus a duobus Cantoribus; tum ſurgit Epiſcopus, ideſt, cum cantatur Verſiculus, juxta Rubricam poſitam ſupra Cap. v. §. v. & conſuetudinem inſignium Eccleſiarum, niſi dicamus peculiarem eſſe ritum Officii Tenebrarum, ut Epiſcopus ſurgat poſt Verſiculos, ſurgentibus omnibus, caputque detegit, omnibus etiam nudo capite ſtantibus; & finito Reſponſorio, dicit Epiſcopus abſolute, & ſecrete totum *Pater noſter*. Ut enim obſervat Durandus Lib. VI. Cap. LXXII. Num. IX. finis Dominicæ Orationis, ideſt, *Et ne nos inducas in tentationem*, qui alias intelligibili voce dici ſolet ante Lectiones, in hoc Officio dicitur in ſilentio, *pro eo quod de Euangelio ſumitur; nam tunc Euangelica enunciatio, fugientibus Apoſtolis, ceſſavit; & eſt notandum, quod Chriſtus, cujus eſt ipſa Oratio, avulſus a ceteris, & quaſi in ſilentio oravit*.

II. Quamquam vero ſola Dominica Oratio, & quidem tota in ſilentio dicenda ſit ad finem cujuſque Nocturni, ut omnes ferme Cæremoniales Libri, atque Auctores docent, Breviarium nihilominus Eccleſiæ Bituricenſis non modo Orationem ipſam Dominicam, ſed & Angelicam ſalutationem ſubjicit. Ex veteri Breviario Toloſano, *dicto*, Pater noſter, *Hebdomadarius facit ſonitum cum manu, Lector incipit Lectiones*. Turonenſes S. Martini, ut teſtatur Martenius, pro ſigno Lectionis incipiendæ malleolo ter Chori formas percutiebant. Meminit & ejus Ritus Durandus loco citato, ubi ait, ante lectionem fieri ſonitum *per tactum ligni, quia & Chriſtus in ligno Crucis pendens*

Digitized by Google

dens voce magna clamavit. Quidquit ſit de hac ratione, illud plane conſtat ex recitatis locis, fieri olim ante lectionem conſueviſſe ſonitum per tactum ligni, ſive mallelo ter Chori formas percutiente, uti nos multi antiqui Codices docent.

III. Lectiones, quas in ipſo Officio dicere hodieque ſolemus, eædem plane ſunt, quæ dicebantur olim, ut conſtat ex Ordine I. Romano, Cap. V. ubi etiam & alia quædam notantur, quæ ad ipſas ſpectant: *Lectiones vero legantur tres de lamentatione Hieremiæ Prophetæ, ubi dicit*, Quomodo ſedet ſola civitas, *uſque*, Cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Sion. *Tres de tractatu S. Auguſtini in Pſalmo*, Exaudi Domine orationem meam, *primo*. *Tres de Apoſtolo, ubi ait ad Cor. Cap.* LVII. Ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis. IX. *Pſalmos*, IX. *Lectiones*, IX. *Reſponſoria &c.* Variatum dictum ritum vel in ipſa Romana Eccleſia aliquando fuiſſe, addiſcimus plane ex Ordine XI. Romano, quem concinnavit Benedictus Canonicus S. Petri, quippe qui licet Num. XXXIX. tres primas Lectiones, *De lamentatione Jeremiæ Prophetæ* aſſignet, alias tamen ſequentes memorat, *De expoſitione Euangelii*.

IV. Teſte Durando, in quibuſdam Eccleſiis ſex primæ lectiones de Threnis Jeremiæ legebantur, eratque is uſus Eccleſiæ Cabilonenſis, in qua etiam tres ultimæ de expoſitione Euangelii, *Ante diem Feſtum*, ſine titulo decantabantur. Ex Gaſtinenſi autem Ordinario erant ſex poſteriores, *de Pſalmis, & Sermone*; & ex Laudunenſi Ordinario ultimæ tres de expoſitione Euangelii; id quod etiam præſcribit Joannes Abrincenſis Epiſcopus. Sane communis eſt hodie ritus, quem olim præſcripſit Ordo ipſe I. Romanus, quem ſupra attulimus, tametſi in ipſis decantandis varius etiam ſervatus fuerit antiquitus ritus; nam tametſi tres primæ lectiones multo ab hinc tempore legantur cum cantu, & alphabeto Hebræorum, in Statutis tamen ſuis tum Lanfrancus, tum Udalricus eas *ſine cantu, & ſolitis alphabetis* legi jubent. Extant Statuta, ſive Declarationes Caſſinenſium Monachorum in Regulam XIX. Numero III. edita anno MDCXLII. in quibus edicitur, *ut in Hebdomada Sancta nullo pacto varietur, aut mutetur cantus, tam in Lamentationibus, &* Benedictus, *& Paſſione Domini, quam in aliis omnibus; ſed ſecundum ritum, & morem antiquum Congregationis fiat, ut ſimplicitas, & uniformitas ſervetur in omnibus, ne ſcandalizentur laici hujuſmodi vanitatibus*.

V. At vero teſtes nos ſumus, hoc Statutum ſaltem Neapoli minime obſervari ab ipſis Monachis Caſſinenſibus, utpote qui in ſua ipſorum Eccleſia S. Severini ſtudioſa vocis harmonia Lectiones ipſas cantare ſolent, confluente ad eaſdem audiendas magna populi multitudine, qui tamen minime ſcandalizatur, ſed potius ad eum cantum compungitur. Illum equidem abuſum eliminandum cenſerem, qui in aliquibus Regularium Eccleſiis graſſatur, in quibus ſcilicet vel ipſa Domini Paſſio cantu figurato, & cum inſtrumentis muſicis decantatur, contra præſcriptum noſtri Cæremonialis mandantis ſupra Cap. XX. §. IV. ut *Cantores a Dominica quinta Quadrageſimæ uſque ad Paſcha, excepta Feria quinta in Cæna Domini non utantur cantu figurato, ſed Gregoriano*. Sed hæc lex, ut multis notum eſt, jam alicubi negligitur, licet præter Cæremonialis præſcriptum, variæ extent Synodi vetantes, in Paſſione Domini præſertim, ac in Officio Tenebrarum, cantum, & inſtrumenta muſica adhiberi.

VI. Omiſſo hoc abuſu, ut ritum noſtrum proſequamur, ex Durando dicuntur primæ Lectiones *lamentabiliter*, ſive, ut ait Ordinarium Argentinum, *voce lacrymabili*. In fine Lectionum vel ex antiquo ritu, cujus meminit laudatus Ordo I. Romanus, non dicitur, *Tu autem Domine &c.* ſicut nec in principio, *Jube Domne benedicere*; quia, ut notat Durandus, *receſſit Paſtor, & Sacerdos, qui gregi benedicere, & miſereri debet; ſed quia illum propter peccata amiſimus, ad hoc ut eum recuperare valeamus, admonemur per Verſum illum*, Jeruſalem, Jeruſalem convertere ad Dominum Deum tuum, *qui in fine Lectionum dicitur, ut ad pœnitentiam convertamur &c.* Sed ea verba deſiderantur in antiquioribus Romanis Ordinibus, ex quorum præſcripto lector ipſarum, *ex verbis lectionis jubetur facere finem*, elevata ſcilicet paululum voce. Eadem verba pronunciare etiam vetat Ordinarium Uticenſe, ſed Laudunenſe tres primas Lectiones cum clauſula, *Jeruſalem, Jeruſalem &c.* terminandas eſſe conſtituit, ſex vero ſequentes, his verbis: *Tu autem Domine ne elongeris a me, Deus meus in auxilium meum reſpice*. Juxta communem ritum terminantur ſolæ primæ tres Lectiones per ipſum Verſiculum, *Jeruſalem, Jeruſalem &c.* eſtque fructus a Lectione percipiendus, nempe aſtantium converſio, & ad pœnitentiam exhortatio. Repetitur *Jeruſalem*, ad exemplum Chriſti, qui in Euangelio Matthæi dixit, *Jeruſalem, Jeruſalem quoties volui &c.* Lectiones Jeremiæ repræſentant animam pro peccato captivam, non ſecus ac afflictum populum Babylonica captivitate detentum.

VII. Quantum ad Cantores ipſarum Lectionum ex Ordinario Narbonenſi, ſex priores, quæ erant de lamentatione, pronunciabant in primo Nocturno tres pueri; in ſecundo tres Clerici; in tertio de expoſitione ſuper Pſalmos, ſeptimam, & octavam, nonam, is qui præerat Officio. Ex præſcripto noſtri §. X. *Lectiones ſecundi, & tertii Nocturni cantant, vel ipſi Cantores, vel Canonici pro more Eccleſiarum, incipiendo a junioribus, ſinguli ſingulas*. Extat de ea re Decretum Sacræ Rituum Congregationis in Converſana IV. Aprilis MDCXX. apud Barboſam in Summa Apoſtolicarum Deciſionum Collectan. CDXLIV. & noviſſime apud Meratum in Additionibus ad Gavantum, ubi edicitur, Lectiones, & Lamentationes, deficientibus Cantoribus, cantandas eſſe a Canonicis, incipiendo a junioribus.

VIII. Varios ritus notatu hic dignos in decantatione ipſarum Lectionum ſex ſcilicet ultimarum ſervandos exponit in ſuo Cæremoniali Craſſus Lib. II. Cap. XLV. his verbis: *Lectiones ſecundi & ter-*

Digitized by Google

& tertii Nocturni ibidem, ideſt, in Legili ante Presbyterium Altaris poſito, *cantant Canonici juniores, incipiente eo juniore, qui eſt in parte Cardinalis, & deinde alio in alia parte, & ſic alternatim uſque ad finem abſque ullius intermiſſione, ut ſupra de Antiphonis dictum eſt; & incipiunt ex loco ſuo diſcedere ituri ad Legile pro Lectionibus cantandis, quando incipit repeti Antiphona poſt Pſalmum tertium; tunc enim, vocante per nutum Cæremoniario, vadunt ad Legile, & eis tunc ſurgentibus, nulli ex Canonicis aſſurgunt, & cum diſcedunt ex Choro, non tranſeunt ante Cardinalem, ſi ibi eſt cum Canonicis; ſed ſine reverentia ejus tunc procedunt deſcendentes per longum Chori in medio cancellorum, & ibi revoluti ad Cardinalem, faciunt reverentiam, tum pervenientes ad Legile, faciunt reverentiam Altari, & ibi nudo capite ſtant, ſtante poſt eos continue Cæremoniario quaſi ad ſiniſtram, ut interim volvat folia, & cuſtodiat lumen, ſi opus eſt. Finita Lectione, faciunt reverentiam Altari, & Cardinali, deinde ad locum ſuum reverturtur, ubi a Canonicis omnibus aſſurgentibus recipiuntur more ſolito, ſine tamen riſu, aut plauſu aliquo in omnibus his Officiis Tenebroſis, & idem fit in ſecundo, & tertio Nocturno.* Hæc ille quibus multa nos docet, quæ ſunt in Lectionibus canendis obſervanda.

IX. Circa Lectiones II. & III. Nocturni, ut aliqua notemus, pari modo, ſed diverſo tono a Canonicis cantari debent, vel a Cantoribus pro conſuetudine Eccleſiarum, incipiendo pariter a junioribus, ut dictum eſt ſupra ex noſtro §. x. Advertendum tamen, quod in earum fine non dicitur, *Jeruſalem, Jeruſalem &c.* multoque minus, *Tu autem Domine &c.* uti etiam notatum fuit.

§. XI.

Ad *Benedictus*, Epiſcopus ſurgit, detecto capite, ſurgentibus omnibus; & cum dicitur Verſiculus, *Ut ſine timore &c.* Cæremoniarius, ſeu aliquis Cappellanus, cum inſtrumento apto extinguit ſingulatim ad quemlibet Verſiculum ſingulos Cereos Altaris, alternatim incipiendo a cornu Euangelii, & pariter omnia alia luminaria, ſi qua ſunt per Eccleſiam, extinguuntur, præter quam ante Sanctiſſimum Sacramentum, ita ut in fine *Benedictus*, reperiantur omnia extincta.

COMMENTARIUS.

I. NOcturnis Vigiliis ſubjiciuntur Matutinæ Laudes eodem plane ritu perſolvendæ, quas etiam Matutini nomine Romanus Ordo I. Cap. v. appellat, & Regula S. Benedicti: *Cum autem omnia complenda ſunt*, inquit, *ſequitur Matutinum*. Inceptis Laudibus, ut docet Craſſus, Epiſcopus non ſurgit, nec aliquis, ſed ſic manet ſedens, ſedentibus omnibus, uſque ad Pſalmum, *Benedictus*; quo inchoato, *ſurgit detecto capite, ſurgentibus omnibus*, ut ait noſter §. *facienſque ſibi ſignum Crucis a facie ad pectus*, ut notat Craſſus, *ſtat verſus Altare; & interim remanente unica Candela ſuper candelabro triangulari, Cæremoniarius obſervat ſingulos Verſiculos ipſius Pſalmi*, Benedictus, *dum a Choro cantantur; cum enim cantatur ſextus Verſiculus, videlicet*, Jus jurandum quod &c. *Cæremoniarius vadit ad Altare cum prædicta arundine, & deinde pro unoquoque Verſiculo, qui ſunt remanentes ſex, unam de ipſis ſex candelis Altaris extinguit cum prædicto inſtrumento, itaut finito ultimo Verſiculo ſint omnes ſex candelæ pariter extinctæ, incipiens ab illis tribus, quæ ſunt verſæ ad cornu Euangelii, ideſt, in dextera manu Crucis, & deinde aliæ tres*; nempe, uti exponit Bauldryus in ſuo Manuali Parte IV. Cap. VIII. Num. XIX. ille cui curæ eſt extinguendi candelas, cum debita reverentia accedit ad cornu Euangelii, & ad quemlibet Verſum extinguit candelam unam in Altari, incipiendo ab ea, quæ eſt Cruci remotior in eodem cornu Euangelii, iiſque tribus extinctis, accedit ad aliud cornu, facta iterum debita in medio reverentia, & eodem ordine extinguit tres alias in cornu Epiſtolæ, etiam incipiendo ab ea, quæ eſt remotior a Cruce. Jam paſſim in Eccleſiis video hunc ritum ſervari, candelas *alternatim* extingui, nempe, unam a cornu Euangelii, alteram vero a cornu Epiſtolæ, & ſic deinceps, uſque ad ultimam, eumque puto eſſe noſtri §. ſenſum, cum ait extinguendos ſingulos cereos Altaris, *alternatim incipiendo a cornu Euangelii*.

II. Cautum tandem illud eſt ex noſtro §. ut *omnia luminaria, ſi qua ſunt per Eccleſiam, extinguantur, præterquam ante Sanctiſſimum Sacramentum, itaut in fine*, Benedictus, *reperiantur omnia extincta*; juxta antiquiſſimum ſcilicet ritum, quem ſupra ex Ordine I. Romano oſtendimus. Notandum autem hic illud, quod docet Durandus in ſuo Rationali Lib. VI. Cap. LXXII. ita de ea extinctione inquiens: *Conſequenter candelæ, & lumen extinguuntur, nam hæ Tenebræ tribus noctibus celebratæ ſignificant tenebras, quæ tribus horis fuerunt, Chriſto in Cruce pendente; vel ideo tribus noctibus lumen extinguitur, quia verum lumen triduo jacuit in ſepulchro*. Porro cum Tenebrarum Officium media nocte, vel duabus poſt horis diceretur, & ſub lucis ortum duraret, iccirco ex Grancolaſſii, & aliorum ſententia extinguebantur lumina, prout adventabat dies; atque ita omnia in fine Laudum remanſiſſe ajunt extincta, quod tunc dies illuceſceret; proceſſuque temporis terminationem illam Officii, cum omnia

Digitized by Google

omnia extincta jam lumina eſſent, non ſine myſterio fieri dictam. Sed hujuſmodi Eruditorum quorundam obſervationes, quas fortaſſe nonnulli claras, & perſpicuas eſſe putaverint, ſuas quoque tenebras habent, & obſcuritates, quod hic notare & operæ pretium duxi.

§. XII.

Cum repetitur Antiphona poſt *Benedictus*, Cæremoniarius, ſive alius Capellanus, removet ex Candelabro triangulari unicum Cereum accenſum, in ſummitate Trianguli poſitum, eumque accenſum elevata manu ſuſtinet ſuper cornu Epiſtolæ Altaris; & cum inchoatur, *Chriſtus factus eſt pro nobis &c.* illum ſic accenſum abſcondit retro Altare, vel alio modo.

COMMENTARIUS.

I. ANtiphona ad *Benedictus*, quæ ex antiquo Eccleſiæ inſtituto incipit, *Traditor autem &c.* Ex Lingonenſi Ordinario decantari debebat, *terribili, & alta voce*; & ut habet Rituale S. Martini Turonenſis, interim, extraneis, pueriſque, de Eccleſia egreſſis, ac omnibus lampadibus, Cereiſque extinctis, uno dumtaxat ſuperſtite, qui ſtatim abſcondebatur, cuncta cæcis tenebris occupantibus, Nocturno finis imponebatur Officio, quod inde Tenebrarum nomine cœpit nuncupari. Ex præſcripto noſtri hujus §. cum repetitur Antiphona ad Canticum, Benedictus, *Cæremoniarius, ſive alius Capellanus, removet ex Candelabro triangulari unicum cereum accenſum, in ſummitate Trianguli poſitum, cumque accenſum elevata manu*, ac genuflexus, uti notavit Craſſus, *ſuſtinet ſuper cornu Epiſtolæ Altaris; & cum inchoatur*, Chriſtus factus eſt pro nobis &c. *illum ſic accenſum abſcondit retro Altare, vel alio modo*. Corrigendus eſt ergo Craſſus, ubi inquit, quod incepto Pſalmo, *Miſerere mei Deus &c.* & non prius, Cæremoniarius candelam illam unicam ardentem ſuper Altari occultat; occultanda enim eſt, cum inchoatur, *Chriſtus factus eſt pro nobis &c.* Verſus ille, *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem*, extat plane in multis antiquis Ordinariis Eccleſiarum, ac præſertim in Ordine XI. Romano, Auctore Benedicto, Num. XXXIX. ex cujus etiam præſcripto, Verſu illo cantato, *tacendo recedunt*. Sed vide, quæ mox in Commentario ſequenti dicemus.

§. XIII.

Epiſcopus autem, dum prædicta Antiphona repetitur, deſcendit a Sede, & dum inchoatur, *Chriſtus factus eſt &c.* genuflectit ſuper Faldiſtorio præparato ante Altare, omnibus genuflectentibus; & poſtea Chorus incipit ſub ſilentio, *Pater noſter*, mox Pſalmum, *Miſerere mei Deus &c.* modulata, ſed flebili voce.

§. XIV.

Quo finito, Epiſcopus genuflexus, ac capite aliquantulum inclinato, vel ex Libro, vel memoriter, recitat clara voce Orationem, *Reſpice, quæſumus &c.* uſque ad *Qui tecum*, excluſive, quod ſecrete complet.

COMMENTARIUS.

I. SI vetera Eccleſiarum Ordinaria conſulamus, varius fuit olim ritus terminandi Matutinum cum Laudibus hujus Officii Tenebrarum. Juxta Romanum Ordinem XI. uti ad calcem Commentarii præcedentis notatum eſt, completis Laudibus *cum ſuis Antiphonis, & Pſalmis*, non dicebatur, *Kyrie*, ſed cantato Verſiculo, *Chriſtus factus eſt obediens &c.* tacendo recedebant. Verum tametſi ex Ordine quoque I. Romano, & ex aliis non paucis Ordinariis, prohiberetur tunc dici ad finem Officii, *Kyrie eleiſon*; dicebatur tamen una cum aliis precibus in multis Eccleſiis, ac præſertim in noſtra Archidiœceſi Conſentina, uti liquet ex Ordinario Lucæ Archiepiſcopi Conſentini, ubi ita inquit: *Poſt*, Benedictus, *imponunt duo pueri*, Kyrie eleiſon, *& cantatur ab utroque Choro novies, interpoſitis verſibus alternatim a duobus Chorereiis. In fine ultimi Verſus puer Clericus voce alta ſubjungit*, Mortem autem Crucis, *& tunc omnis populus flexis genibus cantat*, Kyrie eleiſon, & Domine miſerere; *itaut alternatim Viri dicant, & feminæ reſpondeant. Clerici vero ſimiliter flectentes genua dicant more ſolito Orationem Dominicam, & tacita*

Digitized by Google

cita voce ſubjungant, Miſerere mei Deus, *& Orationes, quas volunt. Tunc cuſtos luminis deponat lanternam per feneſtram ſuper Chorum, & Eccleſia illuſtrata, pronunciet Martyrologium, & ſtatim tabula ex more lecta diſcedant*. Atque hi erant ſacri, ac priſci Ritus, qui, ſi non in omnibus, in multis certe noſtræ Calabriæ citerioris Eccleſiis, ſervati olim fuere in terminatione prædicti Officii.

II. Ergo ex hoc celebri Ordinario inter alia addiſcimus I. antiquum plane eſſe ritum, ut præter alias preces diceretur Oratio Dominica, & Pſalmus *Miſerere mei Deus*, tacita voce, & genibus flexis, ſicut ad Verſiculum, *Chriſtus factus eſt obediens &c.* II. ritum quoque fuiſſe antiquum, ut poſt ipſum Pſalmum *Miſerere*, Orationes, quas vellent, dicerent; licet ex Ordine XI. Romano, poſt cantatum Verſiculum, *Chriſtus factus eſt &c.* nulla facta mentione Orationis, *tacendo* recederent. Ex Ordinario quoque Eccleſiæ Lugdunenſis præſcriptum erat, ut non diceretur Oratio, *ſed proſtrati* cantarent cum ſilentio, *Pater noſter*, & *Miſerere mei Deus*. Porro pluribus jam ab hinc ſeculis invaluit ritus in Pontificia Capella, qui in duobus noſtris hiſce Paragraphis præſcriptus eſt, ut ex ipſo Cæremoniali Patricii conſtat ita ajentis: *Cum incipitur*, Chriſtus factus, *Papa genuflectit in Faldiſtorio, & ſuper illud procumbit; quo finito, Cantores dicunt*, Miſerere, *alte legendo ſine nota uſque ad finem; & Papa adhuc genuflexus dicit Orationem*, Reſpice &c. *voce intelligibili, uſque*, Qui tecum, *excluſive, quod ſecrete complet.* Notat Craſſus, dicendam eſſe ipſam Orationem genibus quidem flexis, ſed *capite potius inclinato, quam elevato, & voce mæſta potius, quam ſonora, alioquin intelligili*. Orationis ipſius, *Reſpice &c.* in fine Officii dicendæ meminit inter alios in ſuo Rationali Durandus, Lib. II. Cap. LXXII. Numero XXVIII.

§. XV.

Qua Oratione finita, Cæremoniarius manu ſcabellum, ſeu Librum percutiens, per breve ſpatium, ſtrepitum, fragoremque facit, & a ceteris ſimiliter fit, donec Cæremoniarius Cereum prædictum accenſum, qui fuerat abſconditus, in medium proferat; quo prolato, omnes ceſſare debent a ſtrepitu.

§. XVI.

Finito ſtrepitu, Epiſcopus, & omnes ſurgunt, & recedunt eodem modo, & ordine, quo venerant.

COMMENTARIUS.

I. NUllibi reperiri ait Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. LV. quod ſtrepitus fieret in fine Tenebrarum, quia ſcilicet Miniſter tantum dabat ſignum manibus pulſando Librum, aut ſedem, ut abeundi facultas fieret; & in ſolemnioribus diebus, ac magna populi frequentia iteratis ictibus ſignum dare tenebatur, ut univerſus populus admoneretur. Sed puto, hunc Auctorem labi, conſtat enim jam pridem in uſu dictum ritum fuiſſe faciendi ſtrepitum in fine Tenebrarum, quem ita in ſuo Cæremoniali deſcribit Patricius Libro II. Sectione I. Cap. XLII. in fine: *Finita Oratione, Cæremoniarius incipit pulſare manibus ſuper gradum Altaris, vel aliquod ſcabellum, & omnes faciunt fragorem, & ſtrepitum aliquantulum*. Tum vero addit: *Et mox Cæremoniarius profert Candelam accenſam, & omnes ſilent, ſurgunt, & diſcedunt.* Concludit autem, Candelas quindecim ipſas ſpectare ad Clericos Cæremoniarum.

II. Curioſum autem eſt, quod de ipſo fragore in fine Tenebrarum faciendo ſcribit Craſſus Lib. II. Cap. XLV. his plane verbis: *Finita Oratione, Cæremoniarius, adjuvantibus quatuor, aut ſex Capellanis, incipit, & non prius, manibus ſuper Altaris ſcabello pulſare, fragorem faciens: reliqui omnes tunc ſimiliter facientes adjuvant Cæremoniarium, ſed unica vice tantum fit fragor ille, qui durat per ſpatium unius* Pater noſter, *& non amplius. Nam Cæremoniarius inchoans fragorem, ſimul & cum eo omnis populus dicit*, Pater noſter, *ſub ſilentio, in fine cujus Cæremoniarius candelam accenſam profert, qua viſa, omnes ceſſant a fragore, & ſtrepitu*. Porro teſtatur Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Capite XXII. §. I. Num. VIII. in multis Ritualibus Libris, quos ipſe percurrit, trinam tantum decerni ad formas Chori percuſſionem, qua veluti ſigno, Eccleſiæ Cuſtodi innoteſceret, Candelam abſconditam ſuo loco reſtituendam, & palam omnibus exponendam; addit, in uno Lingonienſi Ordinario legi, quod Oratione, *Reſpice &c.* dicta, *percutitur ſupra Libros*; & apud Durandum Libro VI. Cap. LXXII. Num. XXVIII. *Poſtea fit cum manu, vel alio quodam modo ſonitus ante luminis revelationem*. Quæ tamen verba an de fragore, vel de trina percuſſione ad lucernam accendendam debeant intelligi, aliis judicandum Martenius relinquit. Quicquid ſit, cautum eſt ex hoc §. XV. ut, ubi per breve ſpatium factus eſt fragor, *Cæremoniarius Cereum prædictum accenſum, qui fuerat abſconditus, in medium proferat*, eoque prolato, ac reſtituto ſcilicet in capite Trianguli, ut ait Memoriale Rituum &c. ceſſare a ſtrepitu omnes debeant. Quocirca magnus eſt abuſus, ut inſolentia puerorum fragor tunc fortius creſcat.

Digitized by Google

§. XVII.

Eadem ſervantur in duobus ſequentibus Matutinis Tenebrarum; hoc tantum excepto, quod Altare, Sedes Epiſcopalis, & tota Tribuna, ac pavimentum ſint penitus denudata: poterit tamen in Sede Epiſcopi adhiberi pulvinar, pro ejus commoditate, ſi voluerit, & advertatur, ut Officium perficiatur hora tarda, hoc eſt, ſole Occidente.

COMMENTARIUS.

I. OMnia, quæ hucuſque ſunt dicta de primo Officio Tenebrarum, ſervari in aliis duobus ſequentibus, *niſi quod Altare nudum erit, & tota tribuna poſitiva, atque ſimplex*, notavit in ſuo Cæremoniali Craſſus Lib. II. Cap. XL. in fine. Poſſe tunc in Sede Epiſcopi adhiberi pulvinar, unum ſcilicet, & violaceum, jam idem Auctor initio Capitis notarat, ubi etiam & illud tradidit, primo quoque Officio Tenebrarum Sedem Epiſcopi nudam eſſe debere, quod tamen a noſtro Cæremoniali correctum eſt, dum ait, non in primo Officio, ſed in duobus ſequentibus, Altare, Sedem Epiſcopalem, Tribunam totam, ac pavimentum debere eſſe penitus denudata. Officia ipſa, quæ ad Feriam Sextam, & ad Sabbatum Majoris Hebdomadæ pertinent, antiqua eſſe in Eccleſia, nos jam ſupra notavimus. Non omittendam hic illud, ritum illum eſſe quoque antiquum, ejuſque meminit Ordo Romanus XI. Auctore Benedicto, Numero XXXIX. ut nempe in primo Officio, ad ejus finem Verſiculus tantum ille dicatur: *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem*; in ſecundo cum illo additamento: *Mortem autem Crucis*; & in tertio tandem cum illa clauſula: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*. Plura de iis Officiis videri poſſunt in Ordine I. Romano, Capite VI. & VII. & apud Auctores, qui de ritibus Majoris præſertim Hebdomadæ ſcripſerunt.

CAP. XXIII.

Quæ præparanda ſint pro Miſſa, & Officio Feriæ Quintæ in Cœna Domini. Sacellum pro recondendo Sanctiſſimo Sacramento, & Altare, quomodo ornandum. Quo ordine Epiſcopus ad Eccleſiam hac die procedat. Altera ex duabus Hoſtiis conſecratis, quando, & quomodo reponatur. Communio generalis totius Cleri fiat. Ritus genuflectendi apud Altare poſt Communionem, & perficiendi Miſſam hujus diei. Ordo inchoandæ Proceſſionis, ponendi incenſum in thuribulis, tradendi per Diaconum Sanctiſſimum Sacramentum in manibus Epiſcopi. Quomodo in Proceſſione procedatur, & Sanctiſſimum Sacramentum collocetur. Benedictio Epiſcopalis quando danda. Si Epiſcopus non celebret, ille tamen Sanctiſſimum Sacramentum ad præſtitutum Sacellum deferat.

§. I.

Quia hac die plura occurrunt officia in Eccleſia Dei peragenda, ſcilicet, Pœnitentium reconciliato, Oleorum conſecratio, Miſſa, Proceſſio, ac repoſitio Sanctiſſimi Sacramenti, ac demum Mandatum; ſubjungemus ea tantum, quæ ad Miſſam, Proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti, & Mandatum pertinent; cætera namque in Pontificali late explicantur, unde ſumi poſſunt.

§. II.

Præparandum igitur, ornandumque erit aliquod Sacellum intra Eccleſiam, quo pulchrius, magnificentiuſque poterit, multis luminibus ornatum, in quo poſt Miſſam hujus diei recondendum ſit Sanctiſſimum Sacramentum; & in eo Altare cum ſex candelabris, ac cereis.

COMMENTARIUS.

I. SCitiſſime notat Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis Officiis*, initio Capitis XXII. Feriam quintam in Cœna Domini, quam S. Eligius, aliique veteres Scriptores, uti jam nos notavimus Tomo III. Romani Pontificalis, & Tomo II.

Digitized by Google

mo II. Conciliorum, *Natalem Calicis* vocant, adeo multiplici Rituum varietate gaudere, ut nulla in toto anni circulo dies ei valeat æquiparari. Nam, ut ait Amalarius Lib. I. *De Officiis divinis*, Cap. XII. *in ea non canitur*, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; *in ea consecratur tribus modis Oleum trium Officiorum; in ea reservatur Corpus Domini usque in crastinum, reficiturque in commemorationem refectionis Christi; lavantur pedes Fratrum, & pavimenta Ecclesiæ; nudantur Altaria usque in Sabbato sancto; in ea die Pœnitentes veniunt ad solutionem, & apud quosdam redditur Symbolum a Catechumenis, ut in Canone Concilii Laodiceni continetur.* His addi poterant & alii ritus ea die servari soliti, inter quos benedictio etiam novi ignis, & alii quidam quos infra recensebimus, omissis iis, quæ in laudatis Pontificalis, & Conciliorum Tomis a nobis fuse jam sunt explicata.

II. Antequam ergo ad ritus deveniam in hoc præsenti Capite præscriptos, nonnulla hic dicam de ipso novi ignis ritu, de quo Cap. v. *De Feria v. Cœnæ Domini*, hæc habet Ordo I. Romanus: *Ea vero die hora nona faciunt excuti ignem de lapide in loco foris Basilicam; si ibidem Oratorium non habuerint in porta, ibi excutiunt; sin vero, in loco, in quo consideraverit Prior, itaut ex eo possit candela accendi, quæ candela in arundine debet poni, & a Mansionario Ecclesiæ portata, præsente Congregatione, vel populo; & de ipso igne continuo in eadem Ecclesia, vel loco, ubi accenditur, lampada una servetur usque in Sabbato sancto ad illuminandum cereum, qui eodem die benedicendus est ordine quo in Sacramentorum continetur.* Tradit plane Zacharias Papa in Epistola XII. ad Bonifacium, nempe, moris olim fuisse, *ut quinta Feria Paschæ*, idest, ante Pascha, *quando sacrum Chrisma consecratur, tres lampades in secretiori loco Ecclesiæ constitutæ ardeant usque ad tertium diem*, idest, Sabbatum. Ejusdem ritus meminit vulgatus Alcuinus in Libro, *De divinis Officiis*, Cap. *De Cœna Domini*; & Amalarius in Libro, *De Ordine Antiphonarii*, Cap. XLIV. ubi observat, ex illo igne benedicto cibos decoctos fuisse, & ad Nocturnos candelas, seu lampades accensas. Docet etiam Joannes Abrincensis, ignem ita benedictum ex Ecclesia *per ceteras domos Christianorum* distributum ad communem usum cujusque familiæ.

III. Plura de hoc eodem ritu refert Martenius loco citato, §. v. ubi etiam varios Rituales Libros de ipso igne recenset, una cum benedictionibus pro Feria v. VI. & Sabbato ad ipsum benedicendum ignem ex antiquo Codice Remensi S. Remigii annorum CD. & supra descriptis. Quod ergo nostri Cæremonialis attinet ritus, præparandum primo ait in §. II. Rubrica, ornandumque esse *aliquod Sacellum intra Ecclesiam, quo pulchrius magnificentiusque poterit, multis luminibus ornatum, in quo post Missam hujus diei recondendum sit Sanctissimum Sacramentum, & in eo Altare cum sex candelabris, ac cereis.* Sacellum hoc debet esse omnino ab Altari distinctum, ad quod mane celebratur, decenterque quoad fieri potest ornatum velis pretiosis, non nigris, luminibus, floribus, thimiamateriis, itaut id quod ibi apparet, solemnitatem, & splendorem demonstret, nec ullo modo luctum, & tristitiam, quia Christus vere vivit, & regnat mortis triumphator in repræsentatione mortis suæ; & quantum fieri potest, sex candelabra pulchre elaborata cum totidem Cereis ceræ albæ super Altari collocentur sine ullis Sanctorum Reliquiis, aut Imaginibus. Porro ne cubilis stragulæ, cortinæ, conopea, seu tentoria ad usum profanum adhibita, ad ipsum Sacellum circumvestiendum, atque exornandum usui sint, nisi Ecclesiæ oblata, ejus jam propria facta, & sacro usui dicata sint, sapientissime statuit S. Carolus in suo Concilio Provinciali IV. Cap. *De ornatu decore, ac nitore sacrorum locorum.*

IV. Agit de hoc Sacello præparando Crassus in suo Cæremoniali Lib. II. Cap. XLVI. sic inquiens: *Primo Capella aliqua in corpore Ecclesiæ, quam solemnius poterit, ornabitur pro repositione Sacramenti, pro quo solemniter custodiendo etiam poterunt aliqui custodes idonei pro forma, ac reverentia adhiberi, & Altare ibi ornabitur cum Capsula super eo pro inclusione Sacramenti.* Capsula ipsa, ut notat Bauldryus Parte IV. sui Manualis, Cap. IX. Articulo I. Num. IV. debet esse ad modum arcæ, vel sepulchri, longitudinis scilicet quatuor palmorum, latitudinis, & altitudinis proportionatæ longitudini, neque fenestellam, aut portulam vitream in ejus parte anteriori habens, ut non sine magno abusu alicubi fit, verum egregie debet esse elaborata, & argento, vel auro illita, tam intus, quam extra, ex consuetudine Urbis. Cum autem hæc arca esse debeat usui Sacramento custodiendo, puto equidem, illam prius esse benedicendam, sicut & cætera tabernacula, seu vascula pro sacrosancta Eucharistia asservanda juxta ritum in Romano Pontificali præscriptum, uti videre est in nostro II. Tomo Commentariorum in Romanum ipsum Pontificale ad Titulum XVIII.

V. Clave quoque obseranda est ipsa Capsula, quia nullo modo, ut idem Bauldryus notat, debet hac die poni Tabernaculum ostensorium, sicut solet fieri in Festo Corporis Christi, in quo appareat Sanctissimum Sacramentum; neque etiam debet exponi, ut in Oratione Quadraginta horarum contra quosdam, qui in hoc manifeste agunt contra intentionem Ecclesiæ, & contra Rubricas Missalis; debet enim sacer Calix cum Hostia, & Patena superposita, velo esse coopertus, atque etiam clausus intus Capsulam clave obseratam, & habentem in fundo Corporale extensum. Ponenda vero Capsula est, si fieri possit, super Altari in loco eminenti, quo per gradus ascendatur, habeatque desuper Tribunam, seu Baldachinum album, & circum Angelorum simulacra candelas manibus tenentia, si facultas loci id concedat. Si etiam locus, in quo Capsula ponitur, sit eminentior, & tamen per gradus ad eam non ascendatur, parari debet aliquod scabellum, super quod ascendat Diaconus, ut in Capsula repo-

Digitized by Google

nat Sanctiſſimu m Sacramentum, vel, ut inde extrahat ſuo tempore, ideſt Feria VI. in Paraſceve.

VI. In Summa, ut ait noſter §. II. *præparandum, ornandumque erit aliquod Sacellum intra Eccleſiam, quo pulcrius magnificentiuſque poterit &c.* Sacellum, inquit, non theatrum in modum ſcenæ, ubi comœdiæ repræſentari ſolent; non Altariolum ſine ullo ornatu, & ubi pauca ſint lumina ex oleo, vel cera inferiori, ſed *multis luminibus ornatum*, juxta laudabilem uſum Eccleſiarum, licet non adeo antiquus ſit ritus parandi ornandique Sacellum, quo pulchrius magnificentiuſque poterit, multis luminibus ornatum; nam juxta Ordinem Romanum XV. Auctore Amelio, qui floruit labente Seculo XIV. Cap. LXV. in fine, Papa, vel ipſe Epiſcopus Cardinalis, qui ei ſerviebat in Miſſa Feriæ V. Cœnæ Domini, *Calicem cum Corpore Chriſti coopertum portabat ad Armariolum, in quo conſervabatur uſque in craſtinum.*

VII. Porro in Ordinario Carthuſienſium, qui veterum rituum tenaces ſunt, Cap. XLIX. habetur, Euchariſtiam in eodem loco aſſervandam eſſe, ubi in majori Altari cuſtodiri ſolet, & prohibetur parari ſepulcra, & Altaria, Monachorum ſolitudini minime convenientia: *Euchariſtia reponatur in loco conſueto majoris Altaris, prohibentes fieri pro ea reſervanda de more ſecularium monumenta, vel alios apparatus noſtræ ſolitudini non convenientes.* Neque omittendus hic locus antiquarum Conſuetudinum Udalrici, ex quibus, ut Lib. I. Cap. XII. habetur, Feria V. Majoris Hebdomadæ, dum Veſperæ dicerentur in Choro, Celebrans retro Altare reponebat Euchariſtiam, quæ Communioni craſtinæ inſervire debebat. Sed hæc diſciplina obſoleta eſt, ſervandumque iccirco, quid ea de re, ac aliis plurimis, noſtri Cæremonialis, & Romani Miſſalis Rubricæ abunde præſcribunt.

§. III.

Præparetur etiam Baldachinum album perpulchrum, thuribula duo cum navicula, velum unum parvum pro Sacramento, alterum magnum, & amplum, quod circum humeros Epiſcopi ponetur, dum Sacramentum portabit; & ambo hæc vela ſint ſericea, vel aureata, aut pulcherrime ornata; Calix item amplior, & pulchrior cæteris, ubi ſacratiſſima Hoſtia reponetur; funalia, ſeu candelæ ceræ albæ in numero ſufficienti pro Canonicis, & Clericis; una inter eas picta, & ornata pro Epiſcopo, quam unus ex ſuis Capellanis, vel Scutiferis deferat in Proceſſione, accendendæ: item duæ Hoſtiæ conſecrandæ; item vas argenteum, ſeu aureum cum multis particulis conſecrandis, pro communicandis Canonicis, & Clero.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam non ita antiquus ſit ritus, ut paretur Sacellum quam decentiſſime ornatum pretioſis velis, ac multis luminibus pro aſſervanda in eo Sanctiſſima Euchariſtia in quinta Feria Cœnæ Domini; conſtat tamen, qualiſcumque fuerit is locus, in quo illa aſſervabatur, delatam vel olim ipſam fuiſſe ad eum locum, magna cum pompa, atque Proceſſione, quam ita in ſuo Romano Ordine XV. enarrat Amelius, Cap. LXV. *Ipſe Papa, vel Epiſcopus Cardinalis, qui ſervit ſibi in Miſſa, prædictum Calicem cum Corpore Chriſti ſic coopertum.... portat ad Armariolum, in quo conſervatur uſque in craſtinum, antecedentibus luminaribus, Cruce, & incenſo, proceſſionaliter cum devotione &c.* Fuit etiam is aliarum Eccleſiarum ritus; nam mandat Ordinarium Eccleſiæ Rotomagenſis, ut, *dum Veſperæ cantantur, Hoſtiæ, quæ remanſerant, deferantur a Domino Archiepiſcopo cum cereis, & torcheis in Sacrarium, quod eſt retro Altare, & ibi ſit cereus continue ardens uſque in craſtinum, poſt adorationem Crucis.* Alia vetera monumenta videri poſſunt apud Martenium Libro III. *De antiquis Monachorum ritibus*, Cap. XIII. Numero XLVII. & in Lib. *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXII. §. VI. Num. XII. notatque Num. XIII. quod licet ſimplices fuerint veterum ritus in recondenda Euchariſtia, noſtris tamen temporibus pia Fidelium devotio ad reſarciendas aliquo modo illatas a nefandiſſimis hæreticis Sanctiſſimo Sacramento injurias, cum ſumma rituum pompa ad præparatum, quamornatius fieri poteſt, Oratorium illud deducit.

II. Sed ut ad §. noſtrum deveniamus, *præparetur*, inquit, *Baldachinum album perpulchrum*, cujus etiam meminit in ſuo Cæremoniali Capellæ Pontificiæ Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. XLIV. & Craſſus Lib. II. Cap. XLVI. *thuribula duo cum navicula*, ideſt ſi fieri poteſt cum duabus naviculis: *velum unum parvum pro Sacramento, alterum magnum, & amplum, quod circum humeros Epiſcopi ponetur, & ambo hæc vela ſint ſericea, vel aureata, aut pulcherrime ornata*, ideſt, præter illud velum, quo utitur Subdiaconus in Miſſa cum Patenam ſuſtinet, ut alias dictum fuit: *Calix item amplior, & pulchrior cæteris*, præter illum de Miſſa, ut notat Craſſus, cum Palla ſcilicet, & Patena, *ubi ſacratiſſima Hoſtia reponetur: funalia, ſeu candelæ ceræ albæ in numero ſufficienti pro Canonicis, & Clericis, una inter eas picta & ornata pro Epiſcopo, quam unus ex ſuis Capellanis, vel Scutiferis deferat in Proceſſione, accendendæ.* Qui ritus ex Pontificia quidem Capella deſumtus eſt; ut enim in ſuo Cæremoniali

Digitized by Google

niali ait Patricius, inter candelas distribuendas pro deducendo Sacramento hac die, una debet esse *duarum librarum, vel circa, pulchre laborata pro Papa*. Præparandæ sunt demum ex nostro §. *duæ Hostiæ consecrandæ*, una scilicet pro sumtione Celebrantis, altera asservanda in Sacello, ut supra; *item vas argenteum, seu aureum pro communicandis Canonicis, & Clero*.

III. Fuit autem complurium Ecclesiarum mos, ut tres hac die Hostiæ præpararentur consecrandæ in Missa; una scilicet qua Celebrans communicaret, duæ uero in sequentem diem reservandæ; ut scilicet ex una posset communicare Sacerdos in Paraseeve, altera vero recondi in Sepulcro cum Cruce. Ita enim præscribunt Pontificale Moguntinum, Ordinarium Bajocense, Missale Saresberiense, ac Rituale Svessionense, tametsi hoc Rituale tertiam Hostiam ad Processionem in die Paschæ deferendam jubeat conservari: *Sciendum*, inquit, *quod die ista tres Hostiæ proponuntur in Altari, una pro præsenti Missa, altera pro crastina, tertia reservetur usque ad diem Resurrectionis*. Communiter duæ præparandæ sunt Hostiæ, ut in nostro §. & vas cum particulis pro Communione Canonicorum, & Cleri.

IV. Præparanda hæc quidem mandat noster §. sed sciendum, præparandum in primis esse Altare majus, ubi hac die solemnissima celebranda est Missa, pretiosioribus ornamentis albis, ita tamen, ut ad denudationem Altarium facile removeri possint, Cruce etiam ipsa majoris Altaris velo albo tecta, ex Gayanto, non vero Cruce processionali, quæ omnino debet esse tecta velo coloris violacei, ex præscripto nostri §. x. sicut & Cruces aliorum Altarium, quæ parata remanent suis ornamentis violaceis usque ad ipsorum denudationem. Paranda præterea sunt paramenta alba pro Episcopo celebraturo, & ejus Ministris, Plures Stolæ albæ pro Sacerdotibus communicaturis; Pluviale quoque album pro Processione Sanctissimi Sacramenti; instrumentum præterea ligneum, quo campanarum loco uti solemus hoc triduo, ac alia notata a Bauldryo, Horatio Christiani, & ab aliis Auctoribus multis.

§. IV.

Summo mane Episcopus, si ipsemet erit celebraturus, veniet ad Ecclesiam ordine consueto cum Cappa, associatus a Canonicis; parabitur in Sacristia, vel Secretario, ut alias; & interim, dum dicetur Nona, capiet Sandalia, leget Psalmos sine, *Gloria Patri*, & in fine cum dicitur a Choro, *Christus factus est &c.* genuflectet ante Altare, & finito Psalmo, *Miserere mei Deus &c.* genuflexus dicet Orationem, *Respice quæsumus Domine &c.* mox redibit ad Sedem, deponet Cappam, lavabit manus, accipiet paramenta alba, ut alias; & cum eo parabuntur Canonici, & perficiet, si volet, ea, quæ supra dicta sunt, secundum Rubricas Pontificalis Romani circa reconciliationem Pœnitentium, & Oleorum consecrationem; procedetque in Missa cum solitis Cæremoniis, & prout in Missali Romano, & ut dicitur in Cap. VIII. hujus Lib. II. de Missa solemni &c.

COMMENTARIUS.

I. RItibus illis omissis, qui Pœnitentium reconciliationem, & Oleorum consecrationem spectant, utpote jam fuse explicatis Tomo III. nostri Romani Pontificalis, ut de Missa Feriæ V. agamus paulo fusius, ac in hoc Capite explicatur, notandum initio hujus Commentarii est, summo mane debere Episcopum hac die, si ipsemet erit celebraturus, venire ad Ecclesiam ordine consueto cum Cappa associatum a Canonicis, omissaque aspersione aquæ benedictæ, ut inter alios docet Horatius Christiani in Praxi Pontificali Majoris Hebdomadæ Sectione III. Cap. III. & IV. procedere ad Orationem ante Altare Sanctissimi Sacramenti, & inde ad Secretarium, ante cujus Altare, in quo prius accensæ sint candelæ, orat genuflexus in Faldistorio, ceteris orantibus in propriis locis. Ascendit deinde solus ad Sedem suam, ubi postquam sedit aliquantulum, sedentibus omnibus, surgit, & surgunt omnes, dictisque secreto, *Pater noster*, & *Ave Maria*, Chorus incipit, & prosequitur Nonam.

II. Interim, dum dicitur Nona, Episcopus *capiet Sandalia*, ex nostro §. sed albi coloris, allata per Capellanum cum velo humerali violaceo, ut ait Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ Tit. V. Cap. II. §. I. Num. IX. *leget Psalmos sine* Gloria Patri, *& in fine cum dicitur a Choro*, Christus factus est &c. *genuflectet ante Altare, & finito Psalmo*, Miserere mei Deus &c. *genuflexus dicet Orationem &c.* ex citato nostro §. quem ita explicat laudatum superius Memoriale Rituum: *In fine Nonæ Archiepiscopus*, sive etiam Episcopus, pergit *ad Faldistorium, trahens sibi caudam Cappæ explicatæ, ubi genuflectit ad Versiculum*, Christus factus est &c. *ad Psalmum*, Miserere &c. *& ad Orationem, quam ipse dicit*. Item ex præscripto ejusdem Memorialis, Episcopus, dum ad initium Nonæ sedet, *statim sine mora, accedentibus duobus solitis Diaconis cum Presbytero, & Ministris legit Psalmos consuetos pro præparatione &c.* Verum alia est aliorum sententia, inter quos Horatius Christiani in sua Praxi, Sectione III. Cap. IV. ait quidem, legendos ab Episcopo Psalmos

Digitized by Google

mos ipsos dici solitos pro præparatione ad Missam *cum Capellanis*, *nullo assistente Canonico*.

III. Dicta Oratione ad Nonam, ex §. nostro *Episcopus mox redibit ad Sedem, deponet Cappam*, dicens scilicet Orationem, *Exue me Domine &c.* & tunc accedentibus ad ipsum Episcopum Presbytero, ac Diaconis assistentibus, & consuetis Ministris. Lavat deinde Episcopus manus, juxta ritum scilicet Lib. I. Cap. XI. abunde explicatum; eisque lotis, ac recedentibus Diaconis, & Presbytero assistente, accedunt ad Episcopum Diaconus, & Subdiaconus, parati Dalmatica, & Tunicella albi coloris, habentes post se Acolythos unum post alium Pontificalia paramenta coloris albi portantes, & factis debitis reverentiis, Cæremoniario semper functionem dirigente, accedunt ad Episcopum, quem Diaconus ad dexteram, & Subdiaconus ad sinistram stantes paramentis ipsis Pontificalibus induunt, eo scilicet ordine, de quo supra Lib. I. fuse jam dictum fuit. Interim ex nostro §. parantur etiam Canonici, & uti Auctores docent, amovetur velum violaceum a Cruce Altaris majoris, remanente albo, itemque Pallium violaceum ejusdem Altaris, albo similiter remanente, ac vestes Sedis Choralis, & pulvinaria violacea, appositis festivis; tandemque Episcopus, ut ait noster §. *perficiet, si volet, ea, quæ supra dicta sunt secundum Rubricas Pontificalis Romani, circa reconciliationem Pœnitentium, & Oleorum consecrationem, procedetque in Missa cum solitis Cæremoniis &c.*

IV. Uti agendæ sint Cæremoniæ reconciliationis Pœnitentium, & consecrationis Oleorum, præter ea, quæ in Romano Pontificali a nobis Commentariis illustrato præscripta sunt, multa alia scitu digna docent Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ, & Horatius Christiani in sua Praxi. Quantum vero ad Missam, jam non unam olim solemnem Missam decantari consuevisse hac die, sed plures, unam scilicet pro Pœnitentibus, alteram pro sacri Chrismatis confectione, tertiam ad vesperam, & quartam pro baptizandis, ex antiquis mss. Codicibus, atque Ordinibus tradit Martenius. Tempore S. Augustini duas a nonnullis Ecclesiis celebratas fuisse Missas, nempe unam a jejunis, alteram fere post cœnam, constat ex ipso Augustino in Epistola LIV. novæ editionis ad Januarium, idque alias S. Doctor non improbat; extat enim de eo ritu Canon XXXIX. Concilii III. Carthaginensis, mandans, *Ut Sacramenta Altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Dominica celebratur*. Quem quidem Canonem licet approbet Synodus Trullana Can. XXIX. tamen ne deinceps observetur, summopere vetat. Sed de eo Canone videri potest, quod nos fuse scripsimus nostro II. Tomo Conciliorum in nostro ad ipsum Trullanum Canonem Commentario.

V. Missa, quæ hodieque ipsa die celebratur, semper jam fuit ubique fere solemnis etiam antequam Urbanus Papa IV. instituerat Sanctissimi Sacramenti Festum, quod egregie in Opusculis suis enarrat Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas, qui etiam de ea celebritate ab Urbano ipso Pontifice Maximo instituta Officium, & Missam ritu sane admirabili concinnavit. Teste eodem Doctore Angelico usque ad prædicti Papæ tempora, Feria hæc Quinta destinata erat ad præcipuum hujus Mysterii cultum, & appellabatur, *In Cœna Domini*, seu *Natalis Domini*, sive etiam *Natalis Calicis*, uti jam alibi ostendimus, ac præsertim Tomo ipso II. Conciliorum. Durandus, qui de Festo Corporis Christi minime egit, quod forte nempe nondum ætate sua institutum fuerat ubique, Lib. VI. Cap. LXXV. Num. I. affirmat, hujus diei Festum reliqua omnia antecellere, & Sacramenti Sacramentorum institutionem esse illius objectum: *Propter institutionem Sacramenti Sacramentorum, est gaudium &c.*

VI. In Sacramentario S. Gregorii unica tantum extat Missa, cujus Introitus est, *Nos autem &c.* Dicitur, *Gloria in excelsis*, si celebret Episcopus, non autem si alius Sacerdos, uti ex veteri Romanæ Ecclesiæ more docet Nicolaus I. Papa in Epistola ad Rodulphum Episcopum Bituricensem: *Porro*, Gloria in excelsis, *ab Episcopis in Cœna Domini inter Missarum solemnia more nostro dicenda est*. Reliquis omnibus vetat in suis Statutis Lanfrancus, sic dicens: *Missa festive celebretur*; Gloria in excelsis Deo, *minime dicatur, nisi Episcopus Missam celebret; Chrisma faciat*. Id ipsum mandat Udalricus Lib. I. Cap. XII. Ex Rubricis Missalis sive Episcopus, sive alius Sacerdos celebret, dicitur semper, *Gloria in excelsis Deo*, & tunc ex antiquo ritu pulsantur Campanæ, & deinceps non amplius usque ad Sabbatum sanctum. Ex Ordine Gelasiano, & antiquissimis Codicibus, mss. Noviomensi, Remensi, atque Gellonensi, nisi olim Episcopus Chrisma consecraturus, Missam cantaret, prætermitti solebat salutatio ad populum, statimque Sacerdos dicebat, *Oremus*, Diacono subjungente, *Flectamus genua*, & post modicum temporis spatium, *Levate*.

VII. Oratio, quæ hodieque dicitur, *Deus a quo & Judas &c.* occurrit quidem in multis antiquis Ordinibus, tametsi in aliis desideretur. Ex Ordine Romano XI. Auctore Benedicto, Numero XL. unica tantum dicenda est Oratio, & *Subdiaconus legit Epistolam in Ambone*, nempe ex Apostolo in Epistola I. ad Corinthios Cap. II. *Fratres, convenientibus vobis in unum &c.* cujus meminit Ordo I. Romanus, Cap. V. & inter alios in suo Rationali Durandus, loco citato, Num. III. Post Epistolam, ex laudato Romano Ordine XI. *duo Cantores incipiunt Graduale*, Christus factus est pro nobis obediens. *Primicerius cum Schola respondet, & illi duo Cantores reiterant Graduale*. Et mox: *Diaconus legit Euangelium*, nempe ex Cap. XIII. Joannis, *Ante diem Festum Paschæ &c.* ut legitur in antiquis Missalibus, & Ordinibus Romanis, ac aliis variarum Ecclesiarum, inter quos hæc habet de ipso Euangelio Ordo Corbejensis pro Majori Hebdomada: *Euangelium legatur secundum Joannem, sed nec Diaconus cum legerit*, Dominus vobiscum *dicat, sed inchoat*: Sequentia sancti Euangelii secudum Joannem

In

Digitized by Google

In illo tempore ſciens Jeſus, quia venit hora ejus, *uſque*, Quemadmodum feci vobis, ita & vos faciatis.

VIII. Ex Ordinario noſtri Lucæ Conſentini Archiepiſcopi, *poſt Euangelium fit Sermo ad populum*. Addit Romanus Ordo XI. quod *eodem die, dum Pontifex prædicat, Cardinales levant menſam de Altari, & denudant Altare, & ponunt eam in ſecuro loco*. De hoc ritu levandi menſam Altaris apud Lateranum, mentio fit in Ordinibus aliis Romanis, X. ſcilicet & XII. & apud Durandum, Lib. VI. Cap. LXXV. Num. XIII. Sed videri poteſt eruditiſſimus Mabillonius in Commentario prævio ad Ordinem Romanum, Cap. XI. ubi ſingulares ritus exponit haberi olim ſolitos in Eccleſia Romana triduo ante Paſcha, & primo quidem in Cœna Domini, & Paraſceve. Sane ex ipſo Romano Ordine XI. *peracta Prædicatione, facit*, Pontifex, *remiſſionem, populo benedicit, & deſcendit ad Sedem, ubi nunciat*, Credo in unum Deum. *Offerenda non dicitur, ſed ſolus Pontifex intrat ad Altare ad Sacrificium; de quo Sacrificio ſervat pro alia die Paraſceve*. Verſiculus ad Offertorium eſt, *Dextera Domini fecit virtutem &c.* habetque relationem cum reconciliatione Pœnitentium, ut notat Grançolas. Quod Præfationem attinet, quæ hodie de Cruce dicitur, olim ex multis Ordinariis, ac Ritualibus mſs. Libris apud Martenium, erat quidem communis.

IX. Pacis oſculum dari non conſueviſſe hac die in Miſſa, Romani Ordines, ac priſci Auctores docent, inter quos creditus Alcuinus hanc rationem reddit: *A pacis oſculo, ſive ſalutatione abſtinetur, non quod malum ſit, ubi ex caritate profertur, ſed ad evitandam ſalutationem peſtiferam, qualem Judas proditor exercuit, ut demonſtretur, quam injuriam paſſus eſt Chriſtus a ſuo diſcipulo, & nos vitemus eadem ratione injuriam Fratribus facere*. Idipſum docet Durandus, ſed tamen non deſunt alia Eccleſiarum Ordinaria, in quibus ſcilicet Pacem dari præſcribitur, ſi modo ipſe celebret Epiſcopus, ut conſtat ex Ordinario præſertim noſtri Lucæ Archiepiſcopi Conſentini. Miſſale vero Sarisberienſe de ea re ſic ſcribit apud laudatum Martenium: *Hac die non dicitur*, Agnus Dei, *nec Pax datur, niſi Epiſcopus celebraverit; tunc enim dicatur*, Agnus Dei, *ſolemniter more duplicis Feſti; & ſacri Chriſmatis ampulla pro Pace deoſculetur*. Atque hi ſunt veteres ritus, qui ſervari olim ſoliti fuere in Miſſa, ut de aliis hic ſileam, quos in ſequentibus Commentariis referam.

§. V.

Paulo ante Communionem, Cæremoniarius, vel aliquis Capellanus, portat ex Abaco ad Altare ſupradictum Calicem magnum vacuum, & dicta duo vela; ſumtaque Communione Corporis, & Sanguinis, antequam ſe purificet Epiſcopus, reponet Sanctiſſimum Sacramentum in Calice, quem Diaconus Palla, & Patena deſuper poſita, ac demum velo ſerico cooperit, & in medio Altaris collocat reverenter.

COMMENTARIUS.

I. COncinunt fere huic explicando ritui Patricius, & Craſſus, quorum primus Lib II. Sectione, Cap. XLIV. ita inquit: *Paulo ante Communionem, Cæremoniarius portat Calicem prædictum*, nempe cum Palla, & Patena, & mappa ſericea, *de credentia ad Altare pro reponendo in eo Corpus Domini reſervandum*. Et mox: *Facta Communione per Celebrantem de utraque ſpecie, antequam ſe purificet, reponit reverenter Corpus Domini reſervandum in Calicem ultimo paratum, quem Diaconus cum Palla, Patena deſuper poſita, ac velo ſericeo cooperit, & in medio Altaris collocat reverenter*. Paulo aliter hunc ritum enarrat Craſſus Libro II. Cap. XLVI. ubi poſtquam dixit, paulo ante Communionem, Cæremoniarium portare ex Abaco ad Altare Calicem vacuum cum magno velo, ita ſtatim ſubjicit: *Facta communione de utraque ſpecie, priuſquam Celebrans ſe purificet, reponit Sacramentum intra concavum Calicis ultimo portati, & non ſuper Patenam, & Calicem cooperit primo Palla, deinde Patena, quibus in Miſſa uſus eſt, & iſta parvo velo Diaconus tegit*. Docent plane omnes, qui ſacros hoſce ritus enarrant, non cooperiendum tum Calicem de Abaco allatum Palla, ac Patena, quibus Celebrans uſus eſt in Miſſa, ſed aliis, ideſt illis, quæ una cum Calice pulchriori, & velo ſuper Abaco poſitæ jam prius fuere.

II. His ergo de Abaco allatis ad Altare per Cæremoniarium, ſive aliquem Capellanum, & Diacono ad dexteram Celebrantis Epiſcopi ſtanti traditis, mox hic Calicem diſcooperit, & tenet ante ipſum Celebrantem apertum, qui facta genuflexione, poſtquam ſcilicet Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini ſumſit, in eo ponit reverenter alteram Hoſtiam conſecratam, itaut facile, & commode illam poſſit extrahere ſequenti die; tum iterum genuflectit, & Diaconus prædictum Calicem collocat in medio Corporalis, illumque Palla prius, tum Patena inverſa, ac parvo demum velo expanſo cooperit, genuflectitque ſicut Epiſcopus cum Subdiacono, ut notat Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ pro functionibus perſolvendis, Tit. VI. Cap. II. §. V. & alii Scriptores paſſim. Sunt qui tunc etiam velum Calicis ad ejus nodum vitta ſericea ligant; ſed hoc faciendum eſt initio Proceſſionis, ut ſuo infra loco dicemus.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Deinde, antequam ſe purificet, communicat primum Diaconum, & Subdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, & alios Sacerdotes de Eccleſia, qui Stolam a collo pendentem ſupra Cottam habere debent, & denique omnes de Clero, eo modo, & forma, prout latius explicatur in Cap. XXIX. hujus Lib. II. de Miſſa in die Paſchæ, per Epiſcopum celebranda, & Communione generali. Sed hodie Diaconus, & Subdiaconus, Aſſiſtentes, & cæteri Canonici parati, faciem Epiſcopi celebrantis non oſculantur.



COMMENTARIUS.

I. CUm Sacerdotes omnes, ſive Dignitates, ſive Canonici, ſive ſimplices Presbyteri non debeant hac die celebrare, ſed Communionem accipere de manu Celebrantis juxta morem univerſalis Eccleſiæ, quem Sacra Rituum Congregatio Decreto ſuo firmavit in Civitaten. XXVII. Septembris MDCVIII. apud Barboſam in Summa Apoſtolicarum Deciſionum Collectan. CXCII. & apud Gavantum in Rubricas Parte IV. Tit. VIII. in memoriam ſcilicet, quod Chriſtus Dominus hac die manu propria Apoſtolos communicavit, iccirco Epiſcopus, poſtquam ipſe Corpus Domini, & Sanguinem ſumſit, & poſt repoſitam alteram Hoſtiam conſecratam in Calice deferendo ad Sacellum præparatum, uti ſupra jam dictum eſt, *antequam ſe purificat, communicat primum Diaconum, & Subdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, & alios Sacerdotes de Eccleſia ..... & denique omnes de Clero &c.* Debet enim Feria V. in Cœna Domini ipſe Epiſcopus per ſe ipſum miniſtrare Euchariſtiam Canonicis, & Clericis, nunquam vero Diaconus miniſtrare illam debet, vel unus ex Aſſiſtentibus, juxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis die VIII. Auguſti MDCXLIII. apud Meratum in Additionibus ad Gavantum.

II. Abſolute præſcribunt generalem hanc communionem Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi Capitulare, Walterius item in Anglia Epiſcopus, qui Seculo X. florebat, Joannes Abrincenſis, & Libri Pontificales, & Miſſales antiqui omnes, uti obſervat Martenius, qui tamen jure miratur, quod in quodam Caſſanenſi Ordinario anni MCCCLXXXVII. renovato hæc legantur: *Feria quinta majoris hebdomadæ propter multitudinem pauperum, & hoſpitum, non communicant Canonici, neque Fratres, ſed Feria ſexta in Paraſceve, & Sabbato ſancto, & Paſcha, fiat communio generalis; & communio, quæ fiebat olim in hac die Cœnæ Domini, debet fieri in Dominica prima Quadrageſimæ. Communicet tamen, qui ex devotione voluerit.* Recentiores Libros nonnullos ab annis trecentis, aut quadringentis ſcriptos Communionem quoque prædictam ad libitum permittere,

Digitized by Google

tere, tradit mox idem Martene, probatque ex Cusano Ordinario, ex cujus præscripto, *solus Pontifex solito more communicat, & repositio prius in crastinum Dominico Corpore, communicat Sacerdotes, & Ministros, & alios, qui communicare volunt*. Ubi nota, factam aliquando alicubi Communionem post repositum Christi Domini Corpus in loco, seu Sacello, de quo supra dictum est.

III. Esset hic tandem de ritu agendum, quo ab ipsis præsertim Canonicis, & ceteris de Choro, sumenda est sacra Eucharistia, sed cum is ex nostro Cæremoniali explicetur in Cap. XXIX. nostri instituti ratio postulare videtur, ut ibidem nos de ipso ritu dicamus, quædam hic tamen notantes, quæ edicit hic præsens §. nempe, in hac Communione, quæ scilicet in Missa Feriæ V. in Cœna Domini fit, Diaconum, & Subdiaconum, Assistentes, & ceteros Canonicos paratos faciem Episcopi celebrantis non osculari, eadem scilicet ratione, qua non fuit datum osculum Pacis. At vero licet de generali Cleri Communione infra Cap. XXIX. nostrum Cæremoniale agat, operæ nihilominus pretium est, ut de ipsa Communione ex veteri, ac nova Ecclesiæ disciplina, & praxi ad hanc Missam Feriæ V. pertinente non nihil dicamus, ex iis scilicet, quæ nostrum ipsum Cæremoniale loco citato, Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ Tit. VI. Cap. II. §. VI. Horatius Christiani in sua Praxi Pontificali ejusdem argumenti, Sectione III. Cap. VI. & alii Scriptores tradunt de ritu in ea Communione servando.

IV. Postquam itaque Episcopus Hostiam alteram consecratam reposuit in Calice, ut supra, delato, & Diaconus illum in medio Corporalis collocans, cooperuit Palla, & Patena inversa, & velum desuper expandit, ac genuflexit, sicut Episcopus cum Subdiacono, surgunt mox omnes isti, & Diaconus accipit Pyxidem, quæ erat post Calicem, & ponit ante eumdem Calicem, atque discooperit. Tunc iterum genuflectunt omnes, & Diaconus, ac Subdiaconus paulum se retrahentes, iterum super primo gradu genuflectunt, ut communicent; Episcopus interim erigens se, atque accepta Pyxide, vertit se ad illos, & præbet eis Communionem, dicens: *Corpus Domini nostri &c.* Illi tametsi faciem Episcopi hac die non osculentur, osculantur tamen manum ipsius, supponentibus interim Acolythis velum, uti docet Memoriale Rituum; ex cujus etiam præscripto vertit deinde se Episcopus ad Altare, & collocat Pyxidem super illud, quam cooperit, & interim Diaconus, & Subdiaconus vadunt in plano Epistolæ pro sumenda purificatione, Acolythi vero, amoto velo, genuflectunt hinc inde in plano Presbyterii.

V. Inde retrahit se Episcopus ad cornu Euangelii, versa facie ad cornu Epistolæ, sicut etiam facit Subdiaconus stans post Episcopum, facta prius in medio debita genuflexione. Diaconus vero sumta purificatione stans in plano in cornu Epistolæ versus Celebrantem inclinatus, ac manibus junctis, cantabit Confessionem in tono, & notis consuetis, ac descriptis in Cap. XXXIX. genuflectentibus omnibus etiam Canonicis, quia sunt Communionem accepturi. Cantata per Diaconum Confessione, Episcopus vel legit ex Libro ante se allato, vel memoriter, voce intelligibili Absolutionem dicit, idest, *Misereatur vestri*, & *Indulgentiam &c.* faciens super omnes signum Crucis. Data absolutione, vertit se ad Altare Episcopus, ad cujus sinistram ascendit Diaconus, ad dexteram vero Subdiaconus per breviorem, omnesque simul tunc, & non prius, genuflectunt Sanctissimo Sacramento.

VI. Accipit postea Diaconus Pyxidem cum Particulis consecratis Patena coopertam, & vertit se ad Communicandos per humerum dexterum, Episcopus vero cum Subdiacono per humerum sinistrum. Firmat se interim Episcopus in medio Altaris, renes illi vertens, ad ejusque dexteram stat Diaconus cum Pyxide, ad sinistram vero Sebdiaconus cum Patena, quam ab ipsa Pyxide amovit supponendam manui Episcopi in distributione Communionis. Tum Episcopus, accepta una ex particulis consecratis, & tenens eam aliquantulum elevatam super Pyxidem, dicit de more, *Ecce agnus Dei &c.* acceduntque interim duo Capellani, seu Acolythi Cottis induti cum albo mantili, quod genuflexi sustinent hinc inde ambabus manibus per quatuor angulos quousque perfecta fuerit Communio.

VII. Ordo euntium ad Communionem accipiendam, ex præscripto nostri Cæremonialis infra Cap. XXIX. §. VI. erit idem, qui servatur in distributione Candelarum, Palmarum, ac incensi, ut in suo loco dicitur. Sane communicabit universus Clerus incipiendo a dignioribus, & prout a Cæremoniario vocabuntur, cum solitis reverentiis, bini scilicet, præmissa genuflexione in plano, ascendent superiorem Altaris gradum, communicabuntque cum osculo manus tantum. Assistentes item Canonici, & omnes parati, cum eisdem paramentis sacram accipient Communionem; reliqui autem Sacerdotes, qui non sunt parati, & Diaconi, sicut & Canonici, qui accedunt cum Cappa, Stolam albam de collo super Cottam pendentem, vel ab humero, ut solent Diaconi, juxta ritum suorum Ordinum, habebunt; unde corrigenda est Figura, in qua cernuntur Canonici communicare cum Cappa sine Stola. Alii Clerici servato sui Ordinis gradu communicabunt, & deinde tredecim Pauperes, quibus pedes erunt lavandi, sed hi extra cancellos, vel ad scamna in fine Presbyterii ad hoc parata, & dispositi in gyrum, sicut & ceteri laici, si & iis voluerit tunc Episcopus Communionem præbere.

VIII. Communicati, repetita genuflexione in plano, accedent ad cornu Epistolæ ad accipiendam purificationem de manu Ministri Calicem cum vino, & mappulam ad tergendum ministrantis. Ex præscripto nostri Cæremonialis Cap. XXIX. §. IV. cum Communio exhibetur Canonicis, vel Magistratui, convenienter debet aliquis Canonicus, vel eorum ultimus, dummodo tamen sit in Sacris constitutus, purificationem præbere, deinde pro reliquis Beneficiatis id munus exequitur

Digitized by Google

aliquis Beneficiatus; pro reliquo Clero, & Populo aliquis Capellanus; & ne confusio inter euntes, & redeuntes fiat, conveniens erit, adhibere aliquos de Clero ad id deputatos, ut omnes quiete, devote, & ordine suo progredi curent, & per latus sinistrum revertantur. Sed & advertendum illud, præter illos, qui sunt communicandi, qui scilicet genuflectunt, alios, qui non actu communicant, debere stare, non genuflectere, uti habetur expresse in nostro Cæremoniali infra Cap. XXIX. §. III. cui adhærens aliquando Benedictus XIII. Pontifex Maximus sacrorum rituum peritissimus, ac fidelissimus custos inter alia & consuetudinem illam correxit Basilicæ Vaticanæ, ubi præter communicandos, Canonici, & alii de ejus Capitulo, & Clero, qui non communicabant, genuflexi ad Communionem manebant. At mortuo Pontifice, suo vigori antiquo restituta ipsa est consuetudo, quæ & in aliis ceteroqui passim servatur Ecclesiis. Verum minime illam probare possum, utpote expresse contrariam non modo veteri Ecclesiæ disciplinæ, sed & nostro Cæremoniali a pluribus Pontificibus Maximis approbato, uti illud legenti vel clausis, ut ita dicam, oculis patet. Sed de his, sicut & de aliis vide, quæ inferius suo loco dicemus.

§. VII.

Finita Communione, Episcopus se purificat, & abluit digitos, & facta reverentia cum genuflexione Sanctissimo Sacramento, retrahit se extra cornu Epistolæ, versa facie ad populum, ubi lavat manus sine Mitra; & eundo, & redeundo ad Altare, semper usque ad terram genuflectit ante Sanctissimum Sacramentum; & dum vertit se ad populum dicturus, *Dominus vobiscum*, non utique in medio Altaris vertit renes Sacramento, sed in latere Euangelii.

§. VIII.

Dicto *Ite Missa est*, Episcopus sine Mitra stans in latere Euangelii, & non perficiens circulum, dabit Benedictionem solemnem, sed Indulgentiæ publicabuntur in loco, ubi reponitur Sanctissimum Sacramentum.

§. IX.

Cum Episcopus post Missam dicturus erit Euangelium, *In principio erat Verbum &c.* nullum signum faciet super Altari, ut alias; quo finito, retrahens se ad suam Sedem, deponit sacras vestes usque ad Stolam exclusive, & accipit Pluviale album.

COMMENTARIUS.

I. SAcra Communione peracta, *Episcopus*, infuso tunc vino in suo Calice, *se purificat, & abluit digitos*, non extra gradus Altaris, sed in loco solito; tum *facta reverentia cum genuflexione Sanctissimo Sacramento retrahit se extra cornu Epistolæ, versa facie ad populum, ubi lavat manus sine Mitra*, ob reverentiam scilicet Sacramenti, ut in suo Cæremoniali notat Patricius, & nostro §. concinens ait Crassus: *Eundo, & redeundo ad Altare, semper usque ad terram genuflectit ante Sacramentum*; advertens tamen, *ut dum se ad populum vertit dicturus*, Dominus vobiscum, *non in medio se vertat ante Sacramentum, ne aut illi renes convertat, aut prospectum populi impediat*. Addit mox alia, quibus eadem plane tradit, quæ perspicua sunt in Rubricis nostrorum Paragraphorum VIII. & IX. ex cujus præscripto tametsi dicturus, *In principio erat Verbum &c.* non signet Altare, signabit tamen, Crucis scilicet signo, tabellam in qua est Euangelium, ut ait Bauldryus, & citatum Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ pro functionibus persolvendis ad usum Metropolitanæ, atque insignis in Italia Beneventanæ Ecclesiæ, Tit. VI. Cap. II. §. VIII. atque Auctores alii complures. Ad ea verba, *Et verbum caro factum est*, genuflectet Episcopus aliquantulum versus Sanctissimum Sacramentum, sicut & Ministri. Finito autem Euangelio, accedit primum ad medium Altaris, ubi genuflectit cum ipsis Ministris ad oram illius; tum vero retrahens se ad suam Sedem, deponet sacras vestes, quibus Missam celebravit, usque ad Stolam exclusive, ut ait Rubrica §. IX. & accipt Pluviale album; sive, ut ipsum Memoriale Rituum docet, finita Missa, Episcopus iterum genuflectit in medio Altaris, & descendens, in secundo gradu accipit Mitram; receditque ad Sedem suam cum Diaconis Assistentibus tantum, Diacono, & Subdiacono Missæ remanentibus ad sua scabella, ubi deponunt Manipulos. Episcopus tandem non recedentibus Diaconis Assistentibus, per Diaconum, & Subdiaconum Paramenta deponit usque ad Stolam exclusive, & sumit Pluviale, & Mitram.

§. X.

Digitized by Google

§. X.

Interim alter Subdiaconus accipit Crucem velatam velo violaceo, Acolythi ſua candelabra cum cereis accenſis, Canonici parati accipiunt cereos accenſos, & digniores ex Beneficiatis, ſive ex Manſionariis parati Pluvialibus, capiunt haſtas Baldachini.

COMMENTARIUS.

I. DUm manus Celebrans lavat, & complet Miſſam, ex Cæremoniali Patricii Lib. II. Sectione I. Cap. XLIV. *interim Prælati, & Subdiaconi, Auditores, Clerici Cameræ, & Acoluthi extra cancellum Capellæ capiunt paramenta, & Superpellicea, ut moris eſt. Subdiaconus Crucem ante Pontificem portaturus, omnia paramenta accipiat, ac ſi Epiſtolam eſſet dicturus. Per Cæremoniarium vero diſtribuentur candelæ, quæ portantur per Clericos Capellæ. Pro Sanctiſſimo Domino Noſtro datur uni ex Cubiculariis, ſive Secretis, & pro Cardinalibus dantur ſuis familiaribus ſervientibus, de cera alba, omnibus autem aliis Prælatis de cera communi.* Sed hæc ritum Capellæ Papalis ſpectant; nam quantum ad Rubricam hujus §. interim ac Epiſcopus complet Miſſam, alter Subdiaconus paratus jam in Sacriſtia Amictu, Alba, Cingulo, & Tunicella albi coloris ſine Manipulo ad Crucem deferendam velatam velo violaceo, eam capit. Acolythi ſua candelabra cum cereis accenſis, Canonici parati accenſos cereos, & digniores Beneficiati parati Pluvialibus capiunt haſtas Baldachini.

II. Quamquam vero alicubi ſoleant Nobiles, vel Magiſtratus Civitatis haſtas in ea Proceſſione deferre, contendit tamen Lib. II. Cap. XLVI. Paris de Craſſis, ſolos Manſionarios Eccleſiæ debere Baldachinum geſtare, *etiamſi Magiſtratus adeſſet, qui vellet illud ferre*. Concinit plane hæc ſententia noſtro §. ſed illud penitus rejiciendum eſt, ubi de indumento ipſorum Manſionariorum Feria V. in Cœna Domini, & Feria VI. in Paraſceve, Baldachini haſtas ferentium ita ſcribit: *Præparabitur Umbraculum, ſive ſolitum Baldachinum, ut vocant, & præmonebuntur ſex, vel octo Manſionarii ex dignioribus, & ſenioribus Eccleſiæ, ut finita Miſſa induant Planetas ſolas ſine Amictu ſuper Cottis, quia hodie ſic, ſed cras in Cottis debent portare Baldachinum ſupra Sacramentum*. Sed pace Craſſi ridiculum plane videtur, ut eo modo induti tunc Manſionarii incedant contra regulam in noſtro §. traditam, dicente, Manſionarios paratos Pluvialibus capere Baldachinum. Convenire hunc ritum cum Cæremoniali Pontificiæ Capellæ, ex Patricio conſtat ajente, geſtari Baldachinum ab Aſſiſtentibus Papæ Epiſcopis *cum ſuis Pluvialibus*.

§. XI.

Epiſcopus, accepto Pluviali, & Mitra, ſtans, ponit incenſum in duo thuribula abſque benedictione, & ſine oſculo manus Epiſcopi, miniſtrante Presbytero aſſiſtente, ut alias.

§. XII.

Quo facto, redit ad Altare, ubi, nudo capite genuflexus ſuper pulvino, accepto altero ex dictis duobus thuribulis ab aſſiſtente Presbytero, incenſat Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu: tum imponitur ſuper ejus humeros velum, & firmatur ſpinulis, & Diaconus aſſiſtens, & non alius, cum debitis reverentiis capit Sanctiſſimum Sacramentum de Altari, & illud, ſtans, offert Epiſcopo genuflexo, ſine reverentia verſus Epiſcopum, & ſine oſculo. Sed poſtquam illud in manibus Epiſcopi reliquit, genuflectit; Epiſcopus vero cum Sacramento ſurgit, & ſtatim Cantores incipiunt Hymnum, *Pange lingua glorioſi &c.* Miniſtri aſſiſtentes hinc inde elevant fimbrias anteriores Pluvialis. Cæremoniarius vero, vel aliquis Capellanus, dum Epiſcopus aſcendit, & deſcendit per gradus, elevat extremitatem veſtis anterioris a parte anteriori, & nobilior laicus, vel alius, juxta conſuetudinem loci, qui adeſt, ſublevat Pluviale a poſteriore parte.

COMMENTARIUS.

I. ACcepto Pluviali Epiſcopus in ſua ſcilicet Sede, ut ex §. IX. addiſcimus, ac etiam Mitra, ut ait §. noſter XI. *ſtans ponit incenſum in duo thuribula abſque benedictione, & ſine oſculo manus Epiſcopi*, ob reverentiam ſcilicet Sacramenti, & quia, ut ait Craſſus, nunquam incenſum benedici debet, cum quo Sacramentum incenſandum eſt; duo ipſa thuribula

Digitized by Google

tenentibus duobus Capellanis, ſeu Thuriferariis, naviculam vero miniſtrante Presbytero aſſiſtente, qui ſcilicet ad Epiſcopum acceſſit cum dictis duobus Thuriferariis. Poſito in thuribulis thure, ex noſtro §. XII. & ex Cæremonialibus Patricii, & Craſſi, Epiſcopus redit ad Altare, ubi nudo capite orat aliquantulum genuflexus ſuper pulvino, *acceptoque altero ex dictis duobus thuribulis ab aſſiſtente Presbytero, incenſat genuflexus*, cum profunda capitis inclinatione ante, & poſt, *Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu*, Miniſtris ſcilicet elevantibus anteriores partes Pluvialis, genuflexis pariter, & ſe cum Epiſcopo inclinantibus. Ex præſcripto recitati Memorialis Rituum, & ex aliis Auctoribus, ac praxi inſignium Eccleſiarum, Epiſcopus, ubi ad Altare pervenit, ibi depoſita Mitra, genuflectit prius in plano, ſuper pulvino, & deinde in ſuppedaneo genuflexus Sacramentum incenſat.

II. Facta hac incenſatione, & quidem in ſilentio, ac reddito thuribulo aſſiſtenti ipſi Presbytero, *imponitur ſuper ejus humeros velum, & firmatur ſpinulis; & Diaconus aſſiſtens, & non alius, cum debitis reverentiis capit Sanctiſſimum Sacramentum de Altari*, nempe, ut ait Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ, & alii Auctores complures docent, aſcendit ad ſuppedaneum Altaris, genuflectit, erigit ſe, & ad cautelam firmat velum Calicis vitta ſericea albi coloris; deinde accipit dextera nodum, ſiniſtra pedem Calicis, in quo ſcilicet eſt Sanctiſſimum Sacramentum; *& illud*, ut inquit §. noſter XII. *ſtans offert Epiſcopo genuflexo ſine reverentia verſus Epiſcopum, & ſine oſculo*. Id quod etiam notat Craſſus, qui tamen in eo corrigendus eſt, quod dicit offerri Epiſcopo Sacramentum per duos Miniſtros Canonicos paratos, cum alias ex citato noſtro §. hoc ſpectet ad Diaconum aſſiſtentem, & non ad alium.

III. Epiſcopus, Calice manu ſiniſtra accepto, ſubmittit eam velo, & dexteram ſuper Calicem ponit, ſupra quam Diaconus extendit extremitates ambas veli humeralis, & ſurgente Epiſcopo, genuflectit Diaconus, & Sacramentum adorat. Tum ille in planum ſuppedanei aſcendit, & vertit Altari renes; interim Diaconi ambo aſſiſtens loca ſua cum debita genuflexione mutant; & tunc quidem ſtatim Cantores genuflexi incipiunt Hymnum, *Pange lingua glorioſi &c.* quem ſcilicet compoſuit S. Thomas Aquinas pro Officio Corporis Chriſti, quemque Chorus proſequitur graviter, & devote, pauſando aliquantulum ad ſingulos verſus, ſi locus paratus multum diſtet, & Proceſſio ſit longior, quæ tamen hac die, & ſequenti, exire non debet extra Eccleſiam, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis.

IV. Erecto Epiſcopo, & cum Sacramento ad populum verſo, *Miniſtri aſſiſtentes hinc inde elevant fimbrias anteriores Pluvialis; Cæremoniarius vero, vel aliquis Capellanus, dum Epiſcopus aſcendit, & deſcendit per gradus, elevat extremitatem veſtis anterioris a parte anteriori; & nobilior laicus, vel alius juxta conſuetudinem loci, qui adeſt, ſublevat Pluviale a poſteriore parte*. Quod hic §. noſter de laico ait, acceptum eſt plane ex ritu Pontificiæ Capellæ, Auctore Patricio, qui poſtquam dixit, Papam in ea Proceſſione medium incedere inter duos Diaconos Cardinales aſſiſtentes ſub Baldachino, qui hinc inde phrygium Pluvialis illius elevatum retinent, mox ita ſubdit: *Caudam portet dignior laicus Urbis*. Juxta Cæremoniale Paridis Craſſi, qui illud præſertim concinnavit pro Cardinali Epiſcopo Bononienſi, *Prior Vexilliferorum populi, vel aliquis ex omnibus magis excellens, & magnificus, dummodo laicus, portat caudam Cardinalis, qui vadit devote quidem, ſed nihil dicendo, ſub Baldachino, quod Manſionarii parati deferunt*.

V. Unum hoc loco reſtat, quod nullatenus omitti debet, nempe probandam omnino illam, ſi adeſſet alicubi, conſuetudinem, ut Epiſcopus, Pluviali quidem accepto, ſicut abſque benedictione, & ſine oſculo manus, ut ait noſter §. XII. ita quoque ſine Mitra ob reverentiam Sanctiſſimi Sacramenti thus in duo thuribula imponeret. Sed hæc mea eſt opinio, ſolumque conſuetudinem, ſi ea alicubi eſſet, quam paulo ſuperius innui, probarem, nam alias clara eſt §. XI. Rubrica, ex cujus præſcripto, *Epiſcopus, accepto Pluviali, & Mitra ſtans, ponit incenſum in duo thuribula*. Huic Rubricæ multi jam, ac docti Auctores concinunt; verum non puto, meam opinionem eſſe omnino rejiciendam.

§. XIII.

Epiſcopus intrat ſub Baldachinum, portans Sanctiſſimum Sacramentum devote. Canonici parati cum intorticiis præcedunt ordine ſolito; cum pervenerint ad Sacellum, ubi Sacramentum deponi debet, relinquitur extra illud Baldachinum, & Cantores in cantu pio, & devoto, cantant, *O ſalutaris Hoſtia &c.* vel, *Tantum ergo Sacramentum &c.* donec Sacramentum fuerit per Epiſcopum repoſitum, & incenſatum. Cum Epiſcopus erit ante ſupremum gradum Altaris, Diaconus accipiet de manu ipſius ſtantis Sanctiſſimum Sacramentum genuflexus, ſine oſculo manus, quod deponet ſuper Altari in loco præparato, cooperiens velo undique Calicem, & interim Epiſcopus paulo retrocedens, ſtans, imponet incenſum in altero ex thuribulis, & rurſus genuflexus Sacramentum incenſabit triplici ductu; & clauſo oſtiolo per Diaconum aſſiſtentem, Epiſcopus aſcendens Altare, eodemque cum genuflexione deoſculato, dabit benedictionem ſolemnem, ſtans ſine Mitra in latere Euangelii, accepto

Ba-

Digitized by Google

Baculo paſtorali, dum dicit, *Pater, & Filius &c.* & Presbyter aſſiſtens tunc publicabit Indulgentias quadraginta dierum, more ſolito. Demum Epiſcopus eodem ritu Proceſſionali redit ad Sedem in Choro, ubi ipſe, & Canonici deponunt paramenta, & dicuntur Veſperæ, quibus finitis, denudantur Altaria, & omnia, & deinde fit Mandatum, ut in ſequenti Capite.



COMMENTARIUS.

I. ERgo Epiſcopus intrat ſub Baldachinum, & procedit *portans Sanctiſſimum Sacramentum devote* elevatum fere ob oculos, quos defixos habebit ſemper in ipſum. *Canonici parati cum intorticiis præcedunt ordine ſolito*, Cleruſque omnis cum candelis in manibus vadit cantando Hymnum prædictum, *Pange lingua glorioſi &c.* ut notat Craſſus. Prælati ſiqui ſint, immediate poſt Baldachinum procedent. Thuriferarii vero præeuntes, hinc inde pergunt, ut ait Bauldryus, Parte IV. Cap. IX. Articulo III. Numero XVII. quaſi converſa facie ad ſe invicem, ita ut ne terga ſua minimum vertant Sacramento, moventes continue, & tractim manibus dexteris thuribula ſua fumantia, quaſi ſternentes viam Sanctiſſimo Sacramento, cum odore incenſi, ſiniſtris, quibus naviculas tenent, & manubria thuribulorum, pectori admotis, & ſi fieri poteſt, immobilibus; & hic modus videtur magis uſitatus, & majorem reverentiam demonſtrat erga ipſum Sacramentum, quod nunquam extra elevationem in Miſſa incenſari ſolet, niſi a Sacerdotibus etiam genuflexis, ex Gavanto in Rubricas Miſſalis Parte IV. Tit. VIII. Num. VIII. Sed puto equidem probandum potius alium morem in Eccleſiis inſignioribus ſervatum, ut ſcilicet deferentes thuribula, ipſorum manubria manibus ſuis dexteris geſtent, ſiniſtris autem manibus ſolas naviculas pectori quaſi admotas.

II. Cum pervenerint ad paratum Sacellum, ubi Sacramentum deponi debet, Subdiaconus cum Cruce, & Ceroferarii, ſiſtunt ſe in loco congruo, unde nullum impedimentum afferant Celebranti, ſtando, & nunquam prorſus genuflectendo ante Sanctiſſimum Sacramentum. Tum Clerus dividitur in duas partes hinc inde, adeout digniores ſint Sacramento proximiores, qui omnes ante illud genuflectant, & ſic manent genuflexi, donec inde recedant. Relinquitur extra Sacellum Baldachinum, inter manus ſcilicet Sacriſtæ, vel aliorum, qui ſtatim illud in Sacriſtiam, vel alium locum congruum deferunt.

III. Poſtquam ingreſſi fuerint Capellam, Thuriferarii ceſſant a thurificatione, & Celebrans & Miniſtri aſcendunt ad ſecundum gradum Altaris, & Diaconus aſcendit ſuper ſuppedaneum, ubi genuflectit, quaſi vertens renes ad cornu Altaris in cornu Epiſtolæ, & Celebrans ſtans porrigit illi Calicem, quem ipſe Diaconus accipiet ſine oſculo manus, & deponit ſuper Altari in loco præparato; *& interim Epiſcopus paulo retrocedens, ſtans imponet incenſum in altero ex thuribulis, & rurſus genuflexus Sacramentum incenſabit triplici ductu*, juxta ritum ſcilicet ſuperius expli-

Digitized by Google

explicatum. Tunc Cantores, & non prius, uti ex noſtro hoc §. notat Bauldryus, in cantu pio, & devoto cantant, O *ſalutaris Hoſtia &c.* vel, *Tantum ergo Sacramentum &c.* Miniſtris elevantibus hinc inde Pluviale Epiſcopi thurificantis.

IV. Facta incenſatione, idem Diaconus aſcendit ad Altare, & genuflectit; tum imponit Calicem in Capſula ſuper Corporale in ea prius explicatum. Poſito Calice in Capſula, genuflectit iterum, & ſurgens Capſulam claudit, & clave obſerat, quam tradit Sacriſtæ, vel Cæremoniario, tametſi ex Cæremoniali Patricii, *Sacriſta locellum claudit, & clavem tradit Cardinali in craſtinum celebraturo.* Reconditam Euchariſtiam in Capſula, ſeu alio decenti loco, clave quidem obſerari jubet Miſſale Auguſtodunenſe; Mozarabum autem Miſſale addit, ut cum cera duobus ſigillis obſignetur, ad ſimilitudinem haud dubie Sepulchri Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod, ut in Euangelio S. Matthæi legimus, Pilatus ſignari juſſit cum cuſtodibus.

V. Porro Clavis Cuſtodiæ, ſeu Capſulæ Sacramenti Feria Quinta in Cœna Domini unica debet eſſe, retinenda a Sacriſta, vel a Sacerdote in craſtinum celebraturo, & nullo modo a perſonis laicis, & ſecularibus, cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, non obſtante conſuetudine contraria, & hoc in omnibus Eccleſiis, tam ſecularibus, quam Regularibus quovis modo a juriſdictione Ordinariorum exemtis, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die xxx. Januarii MDCX. apud Gavantum in Rubricas Miſſalis, Parte IV. Tit. VIII. Num. IX. & ex alio ejuſdem Congregationis Decreto in Curien. XV. Decembris MDCXXXII. cujus meminit Barboſa in Tractatu, *De Parochis*, Cap. XX. Num. LI. & in Summa Apoſtolicarum Deciſionum Collectan. CLI. ubi ait eandem Congregationem in Calaguritana Collegiatæ de Victoria, inhærentem Decretis antiquis, die XIII. Septembris MDCXLII. reſpondiſſe, Clavem Tabernaculi, in quo Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Feria ipſa Quinta in Cœna Domini aſſervatur, nequaquam laicis etiam illuſtribus, uti alicubi fieri ſolet, tradendam eſſe, ſed potius Dignitati, vel Canonico in craſtinum celebraturo.

VI. Solum in craſtinum diem Corpus Domini reſervari, præcipiunt jam Codices omnes antiqui Miſſarum, Sanguine in Miſſa hujus die penitus abſumto. Verum licet hæc praxis ubique paſſim uſu fuerit recepta, notat tamen Martenius, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXII. Num. XIV. ſuam hunc morem habuiſſe exceptionem; nam in veteri Codice Sacramentorum Carnotenſis Monaſterii S. Petri, cujus character annos circiter ſeptingentos refert, reperitur, Sanguinem etiam cum Corpore Domini reſervatum fuiſſe; quippe deſcribens Codex ipſe ſequentis diei ritus poſt adorationem Crucis, inquit: *Ingrediuntur duo Diaconi in Sacrario, & procedunt cum Corpore, & Sanguine Domini, quod ante diem remanſit, & ponunt ſuper Altare &c.* Sed hic peculiaris fuit Ritus, nam alias communiter ſolum Corpus ex antiquo ritu ſervari conſuevit: *Non autem Sanguis propter periculum, & quia Sanguis ſpecialius eſt imago Dominicæ Paſſionis*; ut ait Theologorum omnium Magiſter, ac Princeps S. Thomas III. Parte Summæ, Quæſtione LXXXIII. Articulo II.

VII. De Sanguine Chriſti cur non reſervetur, præter rationes Angelici Doctoris, aliam docet Hugo a S. Victore Lib. III. Eruditionis Theologicæ, Cap. XX. ita ſcribens: *Quæritur iterum, quare hac die*, in Paraſceve ſcilicet, *non ſumatur Sanguis Chriſti, ſicut & Caro Chriſti? Ad quod dico, quod utrumque ſub utraque ſpecie ſumitur, ſed quia ſpecies vini labilis, non poteſt tuto reſervari, ſine ea Corpus Chriſti reſervari conſtitutum eſt; vel quia Dominus in Cœna dixit*, Non bibam amodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cum illud bibam novum vobiſcum in Regno meo. *Eccleſia a die Cœnæ uſque ad diem Paſchæ, quæ in veſpere incipit, unde in Cerei benedictione dicitur*, Hæc nox eſt, quæ peccatorum &c. *de hoc genimine vitis bibere non conſuevit. Porro de ſanguine ſuo, quem Diſcipulis porrigebat, loquebatur Chriſtus, quem quantum ad ſpeciem, genimen appellabat; hoc eſt, reſurrectionem in Regno ſuo, ideſt, in regia claritate, bibit ipſe cum Diſcipulis ſuis; quia in Reſurrectione totus Chriſtus, quantum ad Corporalem ſubſtantiam, innovatus eſt.* Græci ſimiliter in Præſanctificatis ſuis ſola ſpecie Panis utuntur, licet extra diem Dominicæ Paſſionis celebrent, uti jam fuſe diximus Tomo II. Conciliorum in Canonem LI. Concilii Trullani.

VIII. Ritus hic ille minime prætereundus, quem alias enarravimus in Opere, *De Codice ſancti Euangelii &c.* Lib. III. Cap. III. nempe ſacrum Euangelii Codicem una cum Chriſti Corpore in Sepulchro fuiſſe aliquando reconditum, juxta ritum, quem ita deſcribit antiquum Rituale ms. Eccleſiæ Sveſſionenſis, ubi agit de Feria VI. Paraſceves: *Dum Tractus cantatur, Archidiaconus aſcendat in Pulpitum ſic; Clericulus cum incenſo nudis pedibus eum præcedat; deinde Subdiaconus ferens temporalia infula indutus, poſt illum Archidiaconus ferens Euangelium panno ſerico rubro involutum, infula ſua plicata, & in modum Stolæ ſuper humerum impoſita; finitoque Tractu, ſtatim incipiat*, Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum Joannem. Gloria tibi Domine *non dicitur*. Egreſſus Jeſus &c. *Et cum dicitur*, Diviſerunt ſibi veſtimenta mea &c. *duo Subdiaconi, qui primum Tractum cantaverunt, ſtantes in Albis ad cornu Altaris, rapiunt illas duas paulas, qui veſtem Domini ſignificant, ſuper quam milites miſerunt ſortem. Lumen non portatur ante Euangelium. Lumen in tota Eccleſia hodie debet celari. Tenebræ enim factæ ſunt ſuper univerſam terram ab hora tertia uſque ad horam nonam; moriente vero illo, qui ait*, Ego ſum Lux mundi, *Sol obſcuratus eſt, & Luna non dedit lumen ſuum. Finito Euangelio, Subdiaconus accipiat illud, & quaſi in occulto ſub infula ſua, velut in ſinu ſuo deferat ad Sepulcrum, Cle-*

riculo

Digitized by Google

rieulo cum thure præcedente, positoque super Altare, quod est in Sepulcro, ambo revertuntur.

IX. Celebrior plane est ritus, qui de eadem re servatus est aliquando Feria ipsa v. Cœnæ Domini in Monasterio S. Martini Athanacensis; post perceptionem etenim Eucharistiæ, deponebatur Christi Domini Corpus inter Euangelii Codicem, qui deinde in Sepulcro recondebatur, hæc quidem Cæremonia, quam in recitato loco nostri Operis, *De Codice &c.* descripsimus. Est autem hujusmodi: *In his tribus diebus post perceptionem Eucharistiæ, habeat Sacrista paratum textum Euangeliorum cum scutellis argenteis ad hoc deputatis, & posito Corpore Domini inter duas patenas, & ponantur dictæ patenæ inter scutellas prædictas, & dictæ scutellæ ponantur inter textum Euangeliorum, & cum incenso, & cereis deportetur cum multo honore; & dum Presbyter defert Corpus Domini, teneant Ministri pannum sericum desuper ipsum, & ponatur Corpus Domini ad locum ad hoc præparatum; & dum defertur, totus conventus flectat genua, donec sit repositum, & ponatur cereus ante Corpus Domini, qui ardeat, quandiu ibi fuerit, nisi ad* Benedictus, *& tunc extinguatur cum aliis, & iterum accendatur.* In quibusdam Ecclesiis una cum sacra Hostia reconditam etiam fuisse in Sepulcro Crucem, jam supra innuimus ex quibusdam antiquis Codicibus in Commentario ad §. III. Sed de hoc ritu recondendi Eucharistiam Feria v. Cœna Domini, una cum sacro Euangelii Libro, & Cruce, satis sit.

X. Ut autem Rubricam nostri §. prosequamur, *clauso ostiolo*, Capsulæ scilicet, ubi reconditum est Sacramentum, *per Diaconum assistentem, Episcopus ascendens Altare, dabit benedictionem stans sine Mitra in latere Euangelii, accepto Baculo pastorali, dum dicit*, Pater, & Filius &c. *& Presbiter assistens publicabit Indulgentias quadraginta dierum more solito.* Hactenus Rubrica, in quam primo notandum est, verba illa, *clauso ostiolo per Diaconum assistentem*, addita primum fuisse huic §. in novo hoc Cæremoniali jussu Benedicti XIII. edito. Ad benedictionem quod attinet, ita ritum hac die servandum enarrat in Cæremoniali suo Crassus: *Quo facto*, idest, post incensatum Sacramentum, *Cardinalis solus ascendit Altare, & eo in genuflexione osculato, sine Mitra stans versus ad Sacramentum, sine Baculo cantat benedictionem solemnem, omnibus genuflexis, dicens:* Sit Nomen Domini &c. *& demum, priusquam se ad populum vertat, cedit modicum ad partem, versus cornu Epistolæ, ne renes directe vertat ad Sacramentum, dum se vertet, & sic versus ad populum, accepto Baculo pastorali, benedicet more solito manu, non Sacramento.*

XI. Post benedictionem, ex Rubrica nostri §. *Presbyter assistens tunc publicabit Indulgentias quadraginta dierum more solito*; tametsi ex Crasso, *Diaconus stans extra cornu Epistolæ publicat Indulgentiam*. Sed standum est præscripto nostri Cæremonialis, ex quo etiam cautum est, quod *demum Episcopus eodem ritu processionali*, accepta scilicet Mitra, sed extra locum Scramenti, ut notat Crassus, *redit ad Sedem in Choro, ubi ipse, & Canonici, deponunt paramenta, & dicuntur Vesperæ*. In antiquis ante hoc nostrum a Benedicto XIII. emendatum Cæremonialibus, nulla facta mentione de Episcopo, redituro ad Sedem in Choro, & ibi paramenta deposituro, solum legitur: *Et Canonici deponunt paramenta, & revertuntur in Chorum ad Vesperas.*

XII. Quantum ad Vesperas ipsas, excepta una Romana Ecclesia, quæ post absolutam Missam vespertinum decurrebat Officium, in aliis, peracta Communione, Vesperæ olim solemni ritu cum nota sub una Missæ oratione ad complendum cantabantur, uti inter alia docet Martenius ex Ordinario Turonensi, cujus ritus ita describitur: *Non datur Pax. Communio*, Dominus Jesus. *Tunc vadit Cantor cum Stola sua juxta Altare, & injungit Præsuli, vel Presbytero ministranti Antiphonam ad Vesperas*, Calicem, *Psal.* Credidi. *Sequitur in Choro Antiphona*, Cum his. *Psal.* Ad Dominum. *Tunc Subdiaconus revestitus incipit Antiphonam*, Ab hominibus. *Psal.* Eripe me. *Sequitur in Choro Antiphona*, Custodi me Domine. *Psal.* Domine clamavi. *Post hæc Diaconus revestitus incipit Antiphonam*, De manu filiorum. *Psal.* Benedictus. *Quibus finitis, injungit Cantor Præsuli, vel ministranti Antiphonam*, Cœnantibus. *Psalm.* Magnificat. *Tunc Præsul, vel Ministrans cum* Dominus vobiscum, *dicit Collectam. Diaconus, Ite Missa est*, si nimirum Episcopus celebraverit, alias, *Benedicamus Domino*. In Ecclesia Cabilonensi, ut alias omittam, Diaconus dicebat, *Ite requiescite in pace.*

XIII. Teste eodem Martenio, in quibusdam Ecclesiis Sacerdos celebrans Vesperas incepturus, Calicem manu accipiebat, decantans, *Calicem salutaris*. Hunc ritum videre est apud Joannem Abrincensem, & in Præmonstratentium Ordinario. In Argentino non Sacerdos, sed Diaconus, accepto Calice cum Patena, versus ad Populum Vesperas incipiebat dicens, *Calicem Salutaris*. Hanc Antiphonam, sicut & cæteras alias, antiquo ritu dici in Vesperis Feriæ v. in Cœna Domini, constat ex Ordinibus Romanis, ex aliis Ecclesiarum Ordinariis, & ex Auctoribus multis, inter quos videri potest Gulielmus Durandus in suo divinorum Officiorum Rationali Lib. VI. Cap. LXXV. in fine. Ex Ordine I. Romano Cap. v. quod inscribitur, *Feria* v. *Cœnæ Domini*, profecto illud cautum est, ut *a Vespera hujus diei nuda sint Altaria usque in mane Sabbati*. Hinc ex præscripto nostri §. Vesperis finitis, *denudantur Altaria, & omnia, & deinde fit Mandatum, ut in sequenti Capite.*

XIV. Quoniam vero, uti superius notatum fuit, ex ritu omnium fere Ecclesiarum, præter Romanam, Vesperæ in Missa dicebantur, ideo ex Ordinario nostri Lucæ Archiepiscopi Consentini, *Missa completa, omnia statim denudantur Altaria*. Quam antiqua sit ea denudatio, docent nos mss. antiqui Libri Rituales, ejusque meminit Toletana Synodus XVII. Can. II. ubi Baptisterii ostia initio Quadragesimæ sigillo Episcopi obsignata,

in

Digitized by Google

in Cœna Domini referari jubet, *quando more ſolito Altaria debent deveſtiri*. Quo ritu fieret, non unus fuit Eccleſiarum mos, nam in veteri Miſſali Fratrum Ordinis Prædicatorum annorum circiter D. *hac die inter Tertiam, & Sextam Sacriſta debet omnia Altaria detegere præter magnum Altare, quod, dum Veſperæ cantantur, detegetur; & unum ſolum linteamen ſuper ipſum uſque ad finem Miſſæ relinquitur*. Idem legere eſt in ms. Ordinario Canonicorum Regularium Crucefignatorum. Varias ejus denudationis myſticas ſignificationes minime contemnendas tradit Durandus Lib. citato, Cap. LXXVI. Num II. & ſeqq. ubi inter alia inquit, denudationem Altaris denotare, quod Chriſtus fuit nudatus in Cruce.

XV. Præter nudationem ipſam Altarium antiquus æque, ac celebris eſt ritus lavandi Altaria die ipſa Feria V. Cœna Domini, licet non in omnibus Ordinariis reperiatur; non enim mentionem ejus ritus facit primus & omnium antiquiſſimus Ordo Romanus, non Ordo Gelaſianus, non S. Gregorii Sacramentarium. Sed quidquid ſit de alto ſilentio iſtorum Ordinum, teſtem de eo ritu habemus inter alios veteres Patres, S. Iſidorum Epiſcopum Hiſpalenſem, qui Lib. I. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. XXVIII. ubi ritus Cœnæ Domini enarrat, *eodem die*, inquit, *Altaria, Templique parietes, & pavimenta lavantur, vaſaque purificantur, quæ ſunt Domino conſecrata*. Idem totidem verbis tradit Rabanus Lib. III. *De Inſtitutione Clericorum*, Cap. XXXVI. Meminit & ejus ritus in ſuo Ordinario noſter Lucas Archiepiſcopus Conſentinus, qui ubi dixit, quod *completa Miſſa omnia ſtatim denudantur Altaria*, ita mox ſubdit: *Poſt refectionem conveniunt omnes Clerici feſtinanter in Chorum, a cujus ingreſſu tunc penitus Laici ſunt arcendi. Epiſcopus veniens in toga ſua, lavat primo Altaria cum aqua deinde cum vino, & poſt facit Mandatum*.

XVI. Ergo in noſtra Calabria, vel ſaltem in Archidiœceſi Conſentina, omnes hæ tres Cæremoniæ obſervabantur in Feria V. Cœna Domini, nempe denudatio Altarium, eorum lotio, & Mandatum, ideſt, lotio pedum, de qua nos infra ſequenti Capite XXIV. Quo ritu lotio ipſa Altarium perageretur, varii Auctores tradunt, inter quos Chriſtophorus Battellus in Opella, de Ritu annuæ ablutionis Altaris Majoris &c.

§. XIV.

Quod ſi Epiſcopus neceſſario impedimento præpeditus, non celebraret hanc Miſſam, ſed illi per alterum celebratæ interreſſet paratus, ut alias, ſaltem non omittat portare Sanctiſſimum Sacramentum in Proceſſione, quo caſu Canonici accipient paramenta in fine Miſſæ; & demum, repoſito Sacramento, accedere ad Mandatum, & lavare pedes Pauperum, vel Canonicorum, ut infra.

COMMENTARIUS.

I. DEbere Epiſcopum hac die Feriæ V. in Cœna Domini celebrare Miſſam ritu Pontificali, aliaque Officia peragere, quæ ex antiquo Eccleſiæ inſtituto ad ipſam pertinent diem, docet nos perpetuus Eccleſiæ uſus, ex plurimis ſacris, atque pervetuſtis Synodis, & Cæremonialibus Libris conſtans. Ubi *neceſſario impedimento præpeditus*, atque iccirco non pro ſuo arbitrio, *non celebraret hanc Miſſam, ſed illi per alterum celebratæ intereſſet paratus, ut alias*, ſtatuit hic §. Cæremoniali Capellæ Pontificiæ concinens, Lib. II. Sectione I. Cap. XLIV. quod eſt de Quinta Feria Majoris Hebdomadæ, Papa præſente, ut *ſaltem non omittat portare Sanctiſſimum Sacramentum in Proceſſione &c.* Sane ex laudato Cæremoniali, quod concinnavit Auguſtinus Patricius, finita Miſſa, quæ nempe per alium celebrata eſt, *Papa dat benedictionem, & non Indulgentias, & Celebrans ſignans Altare, dicit*, Initum ſancti Euangelii &c. *accedit ad Faldiſtorium, exuitur omnibus paramentis Miſſalibus, & deinde alia Ordini ſuo convenientia accipit, ſicut alii Cardinales, & vadit ad locum ſuum inter alios Cardinales, qui omnes paramenta Ordinibus ſuis convenientia accipiunt*.

II. Ergo ex Pontificia Capella & ille proficiſcitur ritus in noſtro hoc §. præſcriptus, ut ſcilicet, non celebrante hac die Epiſcopo legitime impedito, ſed ſolum portante Sanctiſſimum Sacramentum in Proceſſione, eo caſu Canonici accipiant paramenta in fine Miſſæ. Sed & quemadmodum ex Cæremoniali citato, *cum Papa fuerit in loco, ubi Sacramentum reponi debet, Cardinalis, qui celebravit, vel Diaconus a dextris Papæ aſſiſtens*, ſi ſcilicet, ut autumo, celebravit Pontifex, *illud de manibus Papæ recipit, & in locellum reponit*; ita quoque & dicendum eſt, ubi Epiſcopus non celebret, ſed ſolum in Proceſſione Sacramentum portet, ut nimirum, qui celebravit, ſumat de manibus Epiſcopi Sacramentum, aliaque peragat, quæ facere ſolet Epiſcopo celebrante primus Aſſiſtens Diaconus. Advertendum tandem & illud eſt, quod noſter §. in fine edicit, nempe, repoſito demum Sacramento, Epiſcopum, qui non celebravit hac die, ſed Sacramentum ipſum in Proceſſione detulit, *accedere ad Mandatum, & lavare pedes Pauperum, vel Canonicorum, ut infra*. Ita plane ſtatuit hic noſter §. idque ſummopere optandum, ut Epiſcopi muneris ſui memores ſeduli ſint in Functionibus ſacris perſolvendis præſertim Hebdomadæ Sanctæ multis, ac magnis Myſteriis fœtæ.

CAP. XXIV.

Digitized by Google

CAP. XXIV.

Quæ paramenta ordinanda ſint pro Mandato, ſeu lotione pedum. Circa perſonas, quæ lavandæ ſunt, ſervetur uſus Eccleſiarum. Præparanda pro ipſa lotione. Qui lavandi erunt, veſtibus albi coloris induti ſint. Ordo cantandi Euangelium per Diaconum. Lotio quomodo ab Epiſcopo fiat. Obſervanda poſt lotionem. Si laverunt pedes Canonici, quo habitu ii induti eſſe debent,

§. I.

Hora competenti Epiſcopus accedit ad locum præparatum pro Mandato, ubi induitur Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali coloris violacei, & Mitra ſimplici. Diaconus autem, & Subdiaconus, qui in Miſſa miniſtrarunt, eidem aſſiſtent cum paramentis albis, quibus, præter Manipulos, parati erunt antequam Epiſcopus ad Mandati locum accedat, præſentibus etiam Canonicis, & Capellano cum Cruce Archiepiſcopali, ſi Celebrans erit Archiepiſcopus, ibique parati ſint Pauperes, quibus lavandi ſunt pedes.

COMMENTARIUS.

I. INter alias inſignes, ac pervetuſtas Feriæ Quintæ in Cœna Domini cæremonias, fuit haud dubie lotio pedum, quæ appellatur *Mandatum*, quia prima Antiphona, quæ in ea cantatur, incipit per illa Chriſti Domini verba cæremoniam ipſam commendantis, *Mandatum dedi vobis*. Cum enim Jeſu Chriſti ævo, uti obſervat Grancolas in Breviarium Romanum Cap. LXII. nudis pedibus cum Sandaliis tantum, ſive ſoleis, homines incederent, ac pedes facillime deturparent, ante alia officia Hoſpitibus præſtita, pedes etiam lavabantur, quod eorum quoque laſſitudinem recreabat. Viduarum munia eſſe ait Apoſtolus in ſua Epiſtola I. ad Timotheum Cap. V. hoſpitalitatem exercere, & Fidelibus pedes abluere. Sed notandum hic, non qualemcumque Viduam, ſed provectæ ætatis, ac probatæ virtutis munus illud exercuiſſe, uti ex eodem Apoſtolo addiſcimus, qui etiam Timotheum ipſum admonet, ut Viduas adoleſcentiores devitet, propter ſcandalum ſcilicet, periculumve.

II. Hanc cæremoniam, quæ alias ubique apud Chriſtianos ex Chriſti mandato, & exemplo in uſu erat, affirmat S. Auguſtinus in celebri ſua ad Januarium Epiſtola, prætermitti ævo ſuo a pluribus conſueviſſe, veritis, ne quoddam genus Baptiſmi videretur. Queritur tamen Synodus XVII. Toletana anni DCXCIV. Canone III. cæremoniam ipſam *partim deſidia, partim conſuetudine in quibuſdam Eccleſiis, in Cœna Domini*, fuiſſe omiſſam, ſtatuitque, *ut deinceps non aliter per totius Hiſpaniæ, & Galliarum Eccleſias eadem ſolemnitas celebretur, niſi pedes unuſquiſque Pontificum, ſeu Sacerdotum ſecundum hoc ſacroſanctum exemplum*, ſcilicet, Chriſti Domini, *ſuorum lavare ſtudeat ſubditorum*. Additque mox, *quod ſi quiſquam Sacerdotum hoc noſtrum diſtulerit adimplere Decretum, duorum menſium ſpatiis ſe ſe noverit a ſanctæ Communionis perceptione fruſtratum*.

III. Utrum Sanctimonialibus liceret ſibi invicem lavare pedes, ſicuti Viri faciunt in Cœna Domini, aliiſque etiam diebus, conſuluit aliquando Zachariam Papam S. Bonifacius Moguntinus Epiſcopus, ita ſcribens: *Si liceat Sanctimoniales Feminas, quemadmodum Viri faciunt, ſibi pedes abluere, tam in Cœna Domini, quam in cæteris diebus*. Et reſpondit Pontifex, licitum quidem eſſe, præceptumque Chriſti, qui communis eſt Dominus, ad maſculos æque, ac ad Feminas pertinere. Hinc in Vita Sanctæ Berthæ Abbatiſſæ Ordinis Vallumbroſani apud Bollandianos ad diem XXIV. Martii legimus, eam Feria quinta, Sanctimonialibus ſuis pedes lavare conſueviſſe. Chilienus quoque Monachus in S. Brigidæ Vita, Cap. II. de eadem cecinit.

Proxima Cœna fuit Domini, qua Sancta ſolebat
Mandatum Chriſti calido complere lavacro.

IV. Quam tenaces ejus cæremoniæ fuerint Monachi, abunde nos docent eorum Statuta, atque Ordinaria, allata a Martenio in Libris, *De antiquis Monachorum ritibus*. Imperatores quoque, ac magnos Principes ad imitandum Chriſti Regis Regum, ac Domini omnium dominantium humilitatis exemplum, eandem diſciplinam in ſe ſuſcipere non exhorruiſſe, multis probari poſſet exemplis. Audiamus hic ſolum Codinum, qui in Libro, *De Officiis Aulæ Conſtantinopolitanæ*, ita ritum enarrat, quo Græci Imperatores ſolebant Feria ipſa quinta Cœnæ Domini, Pauperum pedes lavare: *Conſtituunt*, inquit, *duodecim pauperes, eoſque ſubuculis, ſive tunicis curtis, braccis, ſeu caligis, & calceis veſtiunt, & poſita pelvi in Imperatoris conclavi, Protopapa ad januam conſiſtens recitat illud*, Benedictus Deus noſter, *cum Triſagio. Deinde lecto per illum Euangelio, quando proceſſit ad illa verba*, Mittit aquam in pelvim, *infundit Imperator aquam in pelvim. Poſtea adducunt jam antea præparatos pauperes ſigillatim, quorum quivis manu cereum ardentem geſtat, & hoc quidem ſedente, Protopapa autem Euangelium legente, illudque pronunciante*,

Digitized by Google

Cœpit Jesus lavare pedes Discipulorum; *idque sæpius, donec scilicet omnium pedes abluuntur. Lavat Imperator dexterum cujusque pedem, lotumque sindone, qua præcinctus est, abstergit, & osculatur. Quo peracto, terminat Officium lotionis; dantur cuilibet pauperi tria aurea numismata. Postmodum inchoatur Liturgia, seu Missa.*

V. Sed ut nostros explicemus ritus Latinos, ac illos præsertim, qui in hoc Capite XXIV. præscipti sunt, ex Rubrica hujus nostri §. *hora competenti Episcopus*, idest post Matutinas functiones, nempe post celebratam Missam, & recitatas Vesperas, vel a prandio, pro ipsius Episcopi arbitrio, ut infra §. v. non tamen ante Liturgiam, seu Missam, ut mos erat Imperatorum Constantinopolitanorum ex laudato Codino, *accedit ad locum præparatum pro Mandato*, in Ecclesia scilicet, ubi magis conveniret, seu in Aula Capitulari, vel alio loco consueto, & idoneo, uti ex §. III. addiscimus, vel alibi, prout commodius, & melius videbitur Episcopo; *ubi induitur Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali coloris violacei, & Mitra simplici*, uti mos est Pontificiæ Capellæ, in qua, absente Papa, Cardinalis lavaturus pedes, teste Patricio Libro II. Sectione I. Cap. XLIX. *in loco convenienti sibi præparato accipit Stolam, & Pluviale violacea*. Quantum ad Ministrorum vestes, ex ejusdem §. nostri Rubrica, *Diaconus, & Subdiaconus, qui in Missa ministrarunt, eidem assistent cum paramentis albis, quibus præter Manipulos parati erunt, antequam Episcopus ad Mandati locum accedat, præsentibus etiam Canonicis &c.* Verba illa, *quibus præter Manipulos &c.* primum huic §. fuere adjuncta in novo hoc Cæremoniali probato auctoritate Benedicti XIII. quo scilicet Rubrica ipsa clarior fieret; prius enim debent esse induti paramentis albis, præter Manipulos, Subdiaconus, & Diaconus, qui ministrarunt in Missa, quam Episcopus accedat ad locum Mandati; in quo etiam Canonici præsentes tunc esse debent, & Capellanus cum Cruce Archiepiscopali, si loturus pedes, sit Archiepiscopus; itemque Pauperes, quibus lavandi sunt pedes, parati, novis vestibus albi coloris induti, dexterumque pedem denudatum habentes, uti edicitur infra ad finem §. IV.

§. II.

Sed quia circa hoc diversi sunt ritus Ecclesiarum; alicubi enim in usu est, vestire sumtibus Episcopi, vel Capituli tredecim Pauperes, eosdemque cibo, & potu reficere, & mox suo tempore eisdem pedes lavare, & eleemosynam præbere; alibi Episcopi lavant pedes tredecim ex suis Canonicis; ideo relinquetur hoc faciendum, juxta consuetudinem Ecclesiarum, vel arbitrio Episcopi, si maluerit Pauperibus lavare, etiam in locis, ubi sit consuetudo lavandi Canonicis; videtur enim eo pacto majorem humilitatem, & charitatem præseferre, quam lavare pedes Canonicis.

COMMENTARIUS.

I. VAriis Ecclesiarum Ritibus missis, quorum meminit hic §. noster, notandum illud præsertim censemus, morem fuisse antiquum Ecclesiæ tum Latinæ, tum Græcæ inhærentem Euangelicæ historiæ, ut duodecim, non tredecim, Viris pedes lavarentur. Quantum ad morem Græcorum, jam supra a Codino audivimus, Græcos Imperatores consuevisse lavare pedes duodecim Pauperibus. Ejusdem numeri duodenarii non uno in loco meminit Euchologium apud Eruditissimum Goar in Officio, quod dicitur, *divini & sacri lavipedii*.

II. Ad morem quod attinet Ecclesiæ Latinæ, si antiquos Romanos Ordines consulamus, ii plane docent, consuevisse Romanos Pontifices Feria V. in Cœna Domini, duodecim Subdiaconis pedes lavare: *Missa solemniter peracta*, ait Ordo Romanus X. Num. XII. *indutus Pontifex ascendit Palatium, comitantibus eum tam Episcopis, quam Presbyteris, & Diaconibus, omnibus paratis secundum ordinem suum. Pontifex vero ingreditur Basilicam sancti Laurentii* (Codex Onufrii addit, *vel sancti Nicolai, si est apud sanctum Petrum*) *& sine Planeta residens in Sede facit Mandatum duodecim Subdiaconorum*. Idem quoque numerus legitur in Ordine Romano XI. Auctore Benedicto, Num. XLI.

III. Præstitum a Pontifice Mandatum Priori Basilicæ S. Laurentii, & undecim Subdiaconis, testatur jam Romanus Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. XI. in fine, curiosusque, ac notatu dignus ipse est ritus, qui ibidem describitur his verbis: *Missa tandem finita, Pontifex indutus cum ceteris ad Palatium in Basilica S. Laurentii revertitur, ibique expoliat usque ad Dalmaticam, & apposita Clamide rubea, ipsi ad collum sedet. Cubicularii ergo parant aquam calidam pro abluendis pedibus Subdiaconorum, & ponunt pelvim coram eo; & Diaconus Cardinalis, qui servit ei, ponit toaleam, quam Camerarius dat pro ipso servitio, super genua Domini Papæ. Duodecim autem Subdiaconi cum Priore remanent extra Basilicam discalceati, & Schola Ostiariorum, & Mappulariorum accipiunt Priorem Basilicæ, & alios undecim Subdiaconos in ulnis suis; sicque per ordinem portant eos, unum post alium ante Dominum Papam. Pontifex autem lavat pedes eorum & tergit cum linteo, & postmodum osculatur &c.* Idipsum nonnullis mutatis legitur in Ordine Romano XIV. Auctore Gaetano, Cap. LXXXIV. eique con-

Digitized by Google

concinit Romanus Ordo XV. Auctore Petro Amelio, Cap. LXIX. ubi enarrat ritum, quo *ipse Papa facit Mandatum* XII. *Subdiaconibus*.

IV. Hunc fuisse morem Romanæ Ecclesiæ, ut scilicet Papa ipse lavaret pedes *duodecim Subdiaconorum*, testis est ms. Codex Pontificalis insignis Ecclesiæ Apamiensis in Syria anno MCCXIV. exaratus. Quidquid sit de lotione pedum facta duodecim Subdiaconis usque ad Amelium, certe illud constat, etiam tempore Xisti Papæ IV. lotos fuisse pedes Pauperibus duodecim, teste Jacobo Volaterrano in Diario Romano ad annum MCDLXXXI. apud Muratorium Tomo XXIII. Rerum Italicarum Col. 129. ubi de ipso Xisto IV. Papa, & cæremoniis ab eo celebratis Feria V. in Cœna Domini sic inter alia scribit: *Postquam autem in Cubiculum reversus est, duodecim Pauperibus hominibus pedes lavit exemplo Salvatoris nostri, quos antea albis vestimentis, caligis, & calceis, vestiri ad hoc ipsum ministerium jusserat*. Idem Auctor idipsum confirmat ad annum Christi MCDLXXXII. ubi describens cæremonias memoratæ Feriæ V. postquam dixit, laudatum Pontificem benedixisse Populo, ita statim mox subjicit: *A benedictione postmodum rediens Pontifex, duodecim Pauperum pedes lavit, & absterst, & aureis, argenteisque nummis muneravit ex more*. Quod anno MCDLXXXIII. & LXXXIV. *acta fuere sacra consueta*; & *nihil præter morem actum fuit*, testatur idem Volaterranus ad ipsos annos, aitque tandem, mense Augusto anni MCDLXXXIV. Pontificem ipsum Xistum IV. obiisse, anno Pontificatus sui XIII. quamobrem labi videntur, qui ipsum Xistum statuisse ajunt, ut tredecim Pauperibus pedes lavarentur.

V. Forte qui in ejus locum suffectus est, Innocentius VIII. eum ritum statuit, vel saltem permisit; nam licet usque ad extremum Pontificatus Xisti annum lotos constet duodecim dumtaxat Pauperibus fuisse pedes; tamen Augustinus Patricius, qui Librum, quem ordinavit de sacris Cæremoniis Pontificiæ Capellæ, laudato Innocentio VIII. dedicavit, primus mihi fuisse videtur, qui tredecim Pauperum mentionem fecit, præscribens Lib. II. Sectione I. Cap. XLVI. ut *cum Papa pervenerit ad Aulam ad hoc paratam*, pro faciendo scilicet Mandato, *sint ibi ordinati tredecim Pauperes in albis vestibus novis a Pontifice sibi datis, sedentes super scamnis altis bene ornatis &c.* Jam scio, olim indefinitum fuisse eorum numerum, quibus pedes lavandi erant, sed enodanda est tamen hic ea difficultas, cur ex laudato Cæremoniali Patricii, & nostro hoc præsenti §. tredecim hominibus lavandi sunt pedes, cum juxta antiquum ritum nonnisi numerus duodenarius adhiberetur, ad exemplum scilicet Christi Domini, qui duodecim Apostolorum pedes lavit?

VI. Sunt quidem non pauci Auctores, qui hanc Quæstionem enodare conati sunt variis interpretationibus, quæ recensentur in Ordine recitandi Horas Canonicas &c. ad usum Cleri Ecclesiæ Septempedanæ, ejusque Diœceseos, jussu edito Religiosissimi æque ac eruditissimi ejusdem Ecclesiæ Antistitis Dionysii Pieragostini pro anno MDCCXLIV. Circa initium itaque dictæ Opellæ ad numerum VI. ubi ea proposita est Quæstio, tres afferuntur responsiones. Prima est, ut in tredecim Pauperibus, præter duodecim Apostolos, quibus Christus pedes lavit, Christus ipse repræsentetur, eique in persona Ecclesiæ, & Mariæ Magdalenæ hujusmodi obsequium præstetur. Fulciri ajunt hanc opinionam, seu interpretationem auctoritate Ruperti Abbatis Tuitiensis, Lib. V. *De divinis Officiis*, & Gulielmi Durandi, qui in Libro VI. sui Rationalis, Cap. LXXV. Num. IV. ita scripsit: *Pedum quoque lotio significat lotionem Mariæ, quando lavit lacrymis pedes Domini; ideo cantatur Antiphona illa*, videlicet, *Mulier quæ erat in civitate peccatrix*. Altera interpretatio est, tredecim Pauperibus lavari pedes in honorem, & memoriam tredecim Apostolorum, addito Paulo Apostolo, qui tertius decimus est Apostolus, uti inter alios docet Venerabilis Beda in Homilia quæ legitur in Officio Conversionis sancti Pauli ad diem XXV. Januarii. Interpretatio est tertia, ideo scilicet tredecim, & non duodecim lavari pedes, quia Innocentius III. de Orationibus in Missa differens, scripsit; *Impari numero gaudet Deus, qui cum sit indivisibilis, denotat unionem sanctæ Ecclesiæ, quæ fundata in Christo fuit per Apostolos propagata*.

VII. Tenent alii, decimumtertium Pauperem significare Patremfamilias Domus, quem in ultima Cœna accubisse cum Christo, ejusque pedes laviisse divinant; repugnat enim hæc opinio Euangelio Marci, ubi Cap. XIV. ita inquit: *Vespere autem facto venit cum duodecim, & discumbentibus illis, & manducantibus, ait Jesus &c.* Sed neque desunt, qui novas interpretationes excogitarunt, fortassis nempe locum lavandi pedes tredecim Pauperibus dedisse, Cæremoniarium aliquem, qui alicui alii Pauperi gratificari voluit, duodecim Pauperibus jam electis. Sed hæc levissima est conjectura, & penitus contemnenda. Quid autem de ceteris superius allatis interpretationibus dicendum sit, sapientissimi Lectoris judicio relinquo. Videri nihilominus de ipsa Quæstione possunt Sarnellius Tomo I. Epistola XIII. & in Opusculo, cui Titulus, *Sagra lavanda de' Piedi di tredici Poveri, che si celebra nel Giovedì santo &c.* Orlendus, *De duplici lavacro*, & Dissertatio, quæ inscribitur: *Pedilavium, sive de numero Pauperum, quibus lavandi sunt pedes Feria V. Majoris Hebdomadæ*, Auctore Anonymo, qui tamen creditur Joannes Franciscus Frescobaldi.

§. III.

Si igitur lavandi erunt pedes tredicem Pauperibus, præparabuntur in Ecclesia, ubi magis conveniret, seu in Aula Capitulari, vel alio loco consueto, & idoneo, infrascri-

Digitized by Google

pta, videlicet Faldiſtorium, ſeu Sedes pro Epiſcopo in capite Aulæ, Abacus, ſeu menſa capax, mappa nitida ſuperpoſita cum duobus candelabris, & cereis albis ardentibus: erunt ſuper ea plures pelves, ſeu lances argenteæ, ſi haberi poterunt, cum urceis, aqua aliquantulum calida implendis, & ad minus duo; alia lanx ſimilis cum tredecim mappulis ad extergendos pedes, & alia cum pecuniis pro eleemoſyna Pauperibus donanda, pro unoquoque æquali portione diviſis; item linteum, quo Epiſcopus præcingi debet; vas cum aqua calida, & aliud cum frigida; vaſa etiam cum mantili pro lavandis manibus Epiſcopi poſt lotionem pedum; thuribulum cum navicula, & incenſo per Acolythum tenendum; vas cum carbonibus accenſis: ipſa menſa jam dicta, ac vaſa, & totus ille locus floribus, & herbis odoriferis aſpergatur.

§. IV.

Præparetur etiam pulpitum, ſeu legile pallio ſerico, ſeu auriphrygiato coopertum, ſuper quo Liber Euangelii ponatur, cum illud cantandum erit, a latere ſiniſtro Epiſcopi, & aliud nudum pro Cantoribus, Liber Euangeliorum, Liber pro Epiſcopo, repagula pro Epiſcopo, ne opprimatur; ſcamnum oblongum, & prælatum a dexteris, panno viridi coopertum, ſuper quo ſedebunt Pauperes tredecim jam dicti, novis veſtibus albi coloris induti, dexterum pedem denudatum habentes.

COMMENTARIUS.

I. QUæ præparanda pro Mandato faciendo in duobus hiſce Paragraphis mandat noſtrum Cæremoniale Epiſcoporum, deſumta plane ſunt ex Cæremoniali Capellæ Pontificiæ, Auctore Patricio Libro II. Sectione I. Cap. XLVI. *Cum Papa*, inquit, *pervenerit ad Aulam ad hoc paratam, ſint ibi ordinati tredecim Pauperes in albis veſtibus novis a Pontifice ſibi datis, ſedentes ſuper ſcamnis altis bene ornatis. Credentia ordinata ſit cum floribus, & herbis odoriferis, vaſis cum aqua calida & frigida, ac rebus aliis opportunis, videlicet, pelvibus tredecim cum totidem vaſis aqua calida implendis, item tredecim mappulis in alio bacili. Item aurei Papales tredecim duplices, ſive viginti ſex ſimplices, & totidem nummi argentei pro eleemoſyna Pauperum. Nam Papa dat cuilibet Pauperi unum aureum duplicem, vel duos ſimplices, & totidem argenteos, & hi in aliquo vaſe diſponuntur: duo vaſa pro lavandis manibus Papæ cum ſuo mantili. Item paretur etiam pulpitum cum ſuo pallio albo pro Euangelio, & Liber Euangeliorum, ac aliud pulpitum pro Cantoribus, duo candelabra cum luminaribus, thuribulum cum navicella, & incenſo, quæ Acoluthi teneant, Sedes Pontificalis in plano, Pluviale rubrum, & ſimplex, & Stola violacea pro Pontifice, & Liber pro Oratione.* Hæc Cæremoniale Patricii pro Mandato a Papa faciendo præparanda præſcribit, quo rite Mandatum ipſum, ſeu pedum lotio peragatur, eademque fere ipſa præparari mandat noſtrum Cæremoniale pro Mandato faciendo ab Epiſcopis, de quibus fere omnibus fuſe agit Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ pro functionibus perſolvendis, Tit. VI. *De Feria V. in Cœna Domini*, Cap. II. §. XIV. Horatius Chriſtiani in Praxi Pontificali Majoris Hebdomadæ Sectione III. Cap. X. & alii complures, noſque infra opportuniori loco de eadem re in duobus hiſce Paragraphis præſcripta non nihil dicemus.

§. V.

His omnibus præparatis, Epiſcopus, finitis Veſperis, vel a prandio, prout Epiſcopo commodius, & melius videbitur, paratus, ut dictum eſt, cum ſuis Miniſtris illuc accedit; ſedet in ſua Sede, vel Faldiſtorio ſibi parato. Tunc Acolythus cum thuribulo, & navicula ad eum accedet, & Epiſcopus, miniſtrante Presbytero aſſiſtente naviculam, imponit incenſum in thuribulum, & benedicit, more ſolito: quo facto, Diaconus, ut ſupra, gerens ante pectus Librum Euangeliorum, accedit cum Subdiacono, & duobus Ceroferariis ante Epiſcopum, a quo genuflexus, ſi non eſt Canonicus, ſimul cum aliis jam dictis, petit benedictionem, dicens, *Jube Domne &c.* cui Epiſcopus reſpondet, *Dominus ſit in corde tuo &c.* Diaconus, benedictione accepta, ſurgit cum Comminiſtris ſuis, accedit ad locum Euangelii cantandi, & poſito Libro Euangeliorum ſuper legili, quem Subdiaconus a tergo ambabus

Digitized by Google

bus manibus retinet; & ſi erit Archiepiſcopus, Capellanus Crucem tenens, ſtabit prope ipſum Diaconum, facie Crucifixi verſa ad Archiepiſcopum. Duo Ceroferari ſtabunt hinc inde a lateribus legilis, faciebus ad Diaconum cantantem verſis. Tunc Diaconus dicit cantando, *Dominus vobiſcum*, ſignat, incenſat, & cantat Euangelium, more ſolito, videlicet, *Ante diem feſtum Paſchæ &c.*

COMMENTARIUS.

I. SIcuti & præcedentes, ita & §. præſens v. deſumtus ex ritu eſt Pontificiæ Capellæ, quem ita enarrat in ſuo Cæremoniali Patricius; *Cum perventum fuerit ad locum, Papa exuit Pluviale pretioſum, & induit ſimplex, & ſedet in Sede ſua cum ſimplici Mitra. Tunc Acoluthus cum thuribulo accedit, & miniſtrante primo Presbytero Cardinale, vel digniore alio poſt eum in ejus abſentia, Papa imponit incenſum more conſueto. Deinde Diaconus Cardinalis paratus ſacris veſtibus Librum tenens ante pectus ſtans ante Pontificem detecto, & inclinato capite petit benedictionem, dicens*: Jube Domne benedicere. *Deinde vadit ad pulpitum, poſt quod ſtet Subdiaconus Apoſtolicus Tunicella, & aliis paramentis indutus, tenens Librum more ſolito. Et Diaconus dicit*, Dominus vobiſcum, *ſignet, incenſet, & cantet Euangelium*, Ante diem feſtum &c.

II. Legi ex antiquo, ac ſolemni ritu hoc Euangelium initio Mundati, docent varii antiqui mſs. Codices a Martenio allati, licet ex aliis nonniſi poſt varias cantatas Antiphonas recitatum fuiſſe conſtet. Ita quoque apud Græcos in Officio divini, & ſacri Lavipedii deſcripto, ac Notis illuſtrato ab Eruditiſſimo Goar, poſt varios etiam decantatos verſus, ac preces, Orationeſque, ipſum idem Euangelium legebatur, & quidem quibuſdam cum Cæremoniis, quas lubet ex ipſo Officio referre: *Poſt exclamationem*, inquit, *dicente Sacerdote*, Et ut digni fiamus, *in diſpoſitis ſcamnis, qui lavandi ſunt, ſedent. Et Sacerdote primum Lavipedii Euangelium cantare incipiente, ſtat Superior, &, prout narrat, vel continet Euangelium, exequitur. Cum itaque dicit*: Ponit veſtimenta ſua, *deponit & ipſe Mandyam. Cum vero profert*: Linteo accepto, præcinxit ſe, *ipſe quoque Sabbano longiori linteamine ſe ſuccingit. Cum autem ait*: Mittit aquam in pelvim, *mittit & ipſe aquam tepidam. Et rurſus dicto*; Cœpit lavare pedes Diſcipulorum, *ipſe quoque lavare adoritur, facto initio ab Oſtiario ad Oeconomum uſque, & Eccleſiæ Præfectum, qui eſt duodecimus. Et uniuſcujuſque, poſtquam lotus eſt, pedes abſtergit, & oſculatur. Cum vero ad Oeconomum pervenit, tunc Euangelii reliquum Sacerdos percurrit*: Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei &c.

III. Apud Latinos pro Eccleſiarum diverſitate, diverſus quoque quoque fuit ritus cantandi Euangelium, Ex Ordinario Remenſi, dum poſt Antiphonam, *Mandatum novum &c.* a Cantore alta voce inceptam, *duo Acolythi in Albis, nudiſque pedibus*, decantabant Hymnum iſtum in medio Capituli, *Tellus, & Æthera jubilent &c.* Diaconus interim parabatur ad legendum Euangelium *nudis pedibus Dalmatica indutus, ſicut in feſtivis diebus, præcedentibus duobus Acolythis cum candelabris, & duobus aliis cum thuribulis*; & veniens petebat benedictionem ab Archiepiſcopo, & legebat Euangelium, *Ante diem feſtum &c.* Hiſce ad eruditionem notatis, non omittendum illud, quod licet in hoc §. nulla fiat mentio dicendi a Diacono, *Munda cor meum &c.* ſervatur tamen hic ritus in multis Eccleſiis, atque præſertim Romæ in Pontificia Capella, ideoque minime prætermittendus. Sane, ut alios ſileam, loquitur & de ipſo Ritu Horatius Chriſtiani in ſua Praxi Pontificali Majoris Hebdomadæ, Sectione III. Cap. x. Num. v. ubi de Diacono cantaturo Euangelium ad Mandatum, ſic §. noſtrum exponit: *Diaconus, ut ſupra, gerens ante pectus Librum Euangeliorum, dicit ante Crucem genuflexus*, Munda cor meum &c. *& accedit cum Subdiacono ante Epiſcopum &c.* ut in §. noſtro.

§. VI.

Quo finito, Subdiaconus portat Librum Euangeliorum apertum, oſculandum Epiſcopo, nullam ei reverentiam faciens, niſi poſt Euangelium deoſculatum. Acolythi Ceroferarii, factis debitis reverentiis, reportant tunc candelabra ad Abacum, & amovetur legile. Diaconus, capto thuribulo de manu Thuriferarii, incenſat Epiſcopum ſtantem in ſua Sede cum ſuis ſolitis Aſſiſtentibus hinc inde triplici ductu; mox recedit cum Subdiacono ad partem; & Cantores tunc incipiunt, & proſequuntur Antiphonam, *Mandatum novum do vobis &c.* prout in Miſſali.

COMMENTARIUS.

I. EX Cæremoniali Patricii, finito Euangelio, Ceroferarii revertuntur ad credentiam, & Clerici Capellæ amovent pulpitum, Subdiaconus portat Librum oſculandum Pontifici, & Diaconus, qui Euangelium dixit, illo finito, Papam incenſat, Cantores autem,

Digitized by Google

tem, recitato Euangelio, cantant Antiphonam, *Mandatum novum &c.* quæ ad ipſam pedum lotionem in omnibus Ordinariis legitur, licet in aliquibus legatur ante Euangelium, ut in Remenſi, & in aliis multis; in aliquibus vero poſt Euangelium, ut in Silvanectenſi, ex cujus etiam Rubrica, recitato Euangelio, *deinde fit Sermo, quo finito, Succentor debet incipere Antiphonam*, nempe, *Mandatum novum*. In noſtra Calabria, vel ſaltem in celebri Conſentina Archidiœceſi, uti diſcimus ex antiquo Ordinario noſtri Lucæ Archiepiſcopi Conſentini, Epiſcopus *veniens in Toga ſua*, lavabat *primo Altaria cum aqua, deinde cum vino*, & poſt faciebat Mandatum, lavans ſcilicet pedes duodecim tantum Canonicis; & duo Sacerdotes pedes lavabant omnibus Clericis. Poſt Epiſcopus, & Miniſtri Mandati, manibus ablutis, recipiebant Cappas ſuas, & ſedebant, potuſque omnibus offerebatur; quo ſumto, Diaconus legebat Euangelium, *Amen amen dico vobis &c.* uſque ad illum locum, *Surgite eamus hinc &c.* tunc vero Epiſcopus ſurgens dicebat preces, atque Orationes, & data Benedictione, diſcedebant. Hæc pene ad literam ex Ordinario ipſo deſcripſimus variis Ritibus fœto, inter quos notandus eſt ille, cujus ſupra meminit, nempe morem fuiſſe antiquum, præſertim vero in Metropoli Conſentina ſervatum, ut Epiſcopus lavaret *pedes duodecim tantum Canonicis*. Sed de lavandorum numero tam ex veteri, ac univerſalis Eccleſiæ diſciplina, quam ex nova poſt obitum Pontificis Maximi Xiſti IV. introducta, & jam communiter ubique locorum recepta, vide quæ nos ſuperius ſcripſimus.

§. VII.

Epiſcopus deponit Pluviale, & accipit linteum ex Abaco allatum per aliquem Capellanum, quo præcingitur, & retinens in capite Mitram ſimplicem, accedit ante primum Pauperem, & genuflexus ſuper pulvino, quem Cæremoniarius, ſive aliquis Capellanus continuo trahit, afferentibus pelves, & urceos Scutiferis, Clericali habitu indutis, lavat illi pedem dexterum, quem lotum tergit, & oſculatur, tradens ei eleemoſynam. Idem facit ſucceſſive ſingulis. Scutiferi autem ſi tot erunt, ſinguli pro ſingulis Pauperibus ſerviunt; ſi pauciores, mutantur per vices.



COMMENTARIUS.

I. TEſte Patricio, in Pontificia Capella, ubi Cantores Antiphonam cantant, *Mandatum novum &c.* Papa tunc ſurgit, extrahitur ei Pluviale, & portatur ex credentia linteum per Auditorem ſeniorem, minore Auditore ipſum præcedente, quo Papa per Cardinales aſſiſtentes præcingitur, & præcinctus deſcendit, & genuflexus cum Mitra ſimplici, ante pri-

Digitized by Google

primum Pauperem, assistentibus sibi duobus Diaconibus Cardinalibus, lavat ei pedem dexterum, quem Subdiaconus Tunicella indutus a dexteris Papæ genuflexus tenet. Unus ex Cubiculariis, nam per ordinem veniunt unus post alium cum pelvi, & aqua, ad sinistram Papæ genuflexus, sinistra sua vas tenet, & dextera ex aquimanario aquam tepidam miscet: lotum pedem Papa statim mantili tergit, & osculatur. Thesaurarius, vel in ejus absentia unus ex Clericis Cameræ tenebat olim pelvim cum pecuniis, & alius ex Clericis vas cum mappulis, & cum Papa osculatus fuerat pedem, dabat lavato mappulam, cum qua eum exterset, & aureum duplicem, vel duos simplices cum tot argenteis. Idem faciebat successive singulis, & pro singulis portabantur per alios Cubicularios singula vasa. Sed hic ritus aliter hodie in ipsa Pontificia Capella servatur.

II. Hactenus Pontificiæ Capellæ ritus a Patricio in suo Cæremoniali relatus multum profecto lucis affert explicando huic nostro §. in quo inter alia nulla fit mentio mappularum tradendarum Pauperibus, tametsi ex præscripto §. III. una cum aliis ad Mandatum faciendum præparandis tredecim etiam mappulæ recensentur ad extergendos lotorum Pauperum pedes. Esse autem antiquum ritum, ut singulis Pauperibus lotis singulæ mappulæ, quibus eorum pedes astergebantur, darentur, non obscure innuit in suo Ordine Romano XV. Amelius, Cap. LXVIII. ubi etiam duritiem cujusdam Cardinalis Camerarii sugillat, *qui noluit dare illas petias de tela ad tergendum pedes Pauperum, nisi duas per totam; sed omnia reportavit secum, & male.*

III. Ex Ordinario Remensi mox ut incepta fuerat a Cantore dicta prima Antiphona, *Mandatum novum &c.* surgebat a Sede sua Archiepiscopus, & præcinctus linteo, lavabat pedes Archidiaconi, & Præpositi, & Decani, & Personarum. Postea residens in Sede sua præbebat pedes suos Decano ad lavandum; Decanus autem, & cæteri Sacerdotes lavabant pedes aliorum Canonicorum in ordine, & interim duo Acolythi in albis, nudisque pedibus, ut jam superius notatum fuit, cantabant Hymnum istum in medio Capituli, *Tellus, & æthera jubilent*, & post singulos versus Chorus primum versum repetebat. Tum post ablutionem pedum Euangelii lectio sequebatur, & ad eum locum, *Surgite eamus hinc*, surgebant Dapiferi cum aliquot de Subdiaconibus, & vinum præparatum de Cellario Archiepiscopi, deferebant primum ad ipsum Archiepiscopum, & postea ad omnes, qui in Capitulo erant. Archiepiscopus autem *ex caritate, & tamen ex consuetudine* faciebat *distribui unicuique personarum, Sacerdoti, & Lectori duos solidos, Diaconis octodecim denarios, Subdiaconis duodecim denarios, Acolythis octo denarios.*

IV. Similes pecuniarum largitiones factæ ab Episcopis, a Romanis Pontificibus, & ab ipsis Principibus laicis occasione Mandati, in Cœna Domini, occurrunt passim in variarum Ecclesiarum Ordinariis, in Romanis Ordinibus antiquis, & apud alios, quos non opus est hic recensere.

§. VIII.

Lotis omnibus, revertitur Episcopus ad Sedem suam, ubi lavat manus, Scutifero altero, seu Nobili, ante eum lancem cum urceo portante cum solitis Cæremoniis. Et illico adsunt duo Ceroferarii cum candelabris, & cereis accensis, Cæremoniario eos ducente ante Episcopum, qui deposito linteo, & accepto Pluviali, ac deposita Mitra, surgit, & dicit voce intelligibili, *Pater noster*, quod secrete complet usque ad Versiculum, *Et ne nos &c.* quem alte pronunciat, respondentibus Cantoribus, *Sed libera nos a malo*; deinde Versiculos, & Orationem, prout in Missali.

§. IX.

Quibus finitis, Episcopus alte elevans manum, facit signum Crucis versus omnes existentes in dicta Aula, nihil dicens; & statim deponit sua paramenta, prout pariter ejus Ministri, & recedunt.

COMMENTARIUS.

I. POst lotionem, & abstersionem pedum, *revertitur Episcopus ad Sedem suam, ubi lavat manus, Scutifero altero, seu Nobili ante eum lancem cum urceo portante cum solitis cæremoniis*, de quibus jam alibi non uno in loco supra actum fuit. Meminit ejus lotionis manuum Episcopi post Mandatum, Bisuntinæ Ecclesiæ Pontificale annorum circiter DCC. *Completa*, inquit, *lavatione pedum, defertur aqua ad abluendas manus, & manutergia.* Fiebat deinde Cœna, delatique panes azymi, & nebulæ, & oblatæ, benedicebantur ab Episcopo, vel Decano, hoc modo: *Benedic Domine hanc creaturam panis, sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut ex ea gustantes accipiant tam corporis, quam animæ sanitatem. Per.* Tum distribuebat Episcopus, vel Decanus, panes ipsos singulis, dicens: *Accipite, & sumite in commemoratione Dominicæ Cœnæ.*

Digitized by Google

næ. Itaque cœnabant, bibebant, cantabantque Hymnum, *Tellus, & æthera jubilent &c.* poſt quem dicebatur ab Epiſcopo, vel Decano Oratio illa, quæ hodieque ad Mandatum legitur in Miſſali Romano, *Adeſto Domine officio ſervitutis noſtræ &c.* Et ſi Epiſcopus aderat, dicente Diacono: *Humiliate vos ad benedictionem*, ſubjungebat ille: *Benedicat vos Dominus, qui per Unigeniti ſui paſſionem &c.* Ubi nota veſtigium eſſe antiqui ritus, ut Epiſcopus peracta pedum lotione, ac recitatis precibus, & oratione, quæ leguntur in Cæremoniali Patricii, & in Romano Miſſali, alte elevans manum faciat ſignum Crucis verſus omnes exiſtentes in dicta Aula, licet *nihil dicens*, ex præſcripto noſtri §. IX. in quem vide Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ.

§. X.

Si Canonici erunt, quibus lavandi ſunt pedes, ſedebunt in dicto ſcamno in eorum habitu Canonicali, denudatis pedibus dexteris, & Epiſcopus eodem ordine lavabit illis pedes, terget, & oſculabitur, prout de Pauperibus dictum eſt, incipiendo a digniori, ſed non datur eleemoſyna; in cæteris ſerventur omnia ſupradicta. Abſente vero Epiſcopo, & in Collegiatis, ſerventur Rubricæ Miſſalis.

COMMENTARIUS.

I. COnſueviſſe Epiſcopos Feria V. in Cœna Domini lavare Canonicis pedes, ex variis Ordinariis liquet, quorum loca in Commentariis ſuperioribus attulimus; præſertim vero ex Ordinario noſtri Lucæ Archiepiſcopi Conſentini, ubi inter alia edicitur, quod *Epiſcopus lavat pedes duodecim tantum Canonicis*. Factam eiſdem non modo pecuniæ largitionem, ſed etiam vinum præbitum, præparatum ſuper menſam, dum Euangelium legeretur a Diacono, Pontificale ms. inſignis Eccleſiæ Arelatenſis ante CD. annos exaratum nos docet: *Interim dum legitur Euangelium, ſervitores apponunt vinum ſuper menſam, & Dominus Archiepiſcopus innuit Diacono, ut taceat, & ipſe dicit*: Potum charitatis benedicat dextera Dei Patris. *Et cum reſponſum fuerit*, Amen, *bibant cum ſobrietate*. Similia legere eſt in aliis multis Ordinariis antiquis, a Martenio allatis in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina*, Cap. XXII. Ceterum an Canonicis, vel Pauperibus lavandi potius ſint pedes, ex Rubrica §. II. uti ſupra videre eſt, ſtandum eſt conſuetudini locorum, quam infringere periculoſum eſt, & ſcandalis obnoxium. Tradit nihilominus idem II. §. id quoque relinqui arbitrio Epiſcopi, ſi maluerit Pauperibus lavare etiam in locis, ubi ſit conſuetudo lavandi pedes Canonicis. Puto quidem tenendam Eccleſiarum conſuetudinem, nam ſi prætermittantur Canonici, ubi eſt mos lavari eiſdem pedes ab Epiſcopo, lites ſtatim adverſus ipſum in Tribunalibus excitabuntur; ſi vero Pauperes relinquantur, occaſio dabitur cunctis arguendi avaritiæ Epiſcopum, quod Pauperes ſcilicet omittat, ne illis eleemoſynam præbeat.

CAP. XXV.

Præparanda pro Officio Feriæ Sextæ in Paraſceve, Epiſcopo celebrante. Altaris ornatus. Paramenta Epiſcopi, & Miniſtrorum ſint nigri coloris. Ordo procedendi ad Eccleſiam. Expleta Nona, Epiſcopus induitur paramentis Miſſalibus nigris. Orat diutius ſuper nudo genuflexorio ante Altare. Quomodo aſſiſtat Lectionibus, & Paſſioni. Diaconi munus circa ea, quæ dicenda ſunt in tono Euangelii. Sermo quando habendus ſit. Epiſcopus ubi cantet Orationes. Altare quomodo ornandum. Ordo detegendæ Crucis, & procedendi ad ejus adorationem. Proceſſio ad accipiendum Calicem cum Sanctiſſimo Sacramento, quomodo ordinetur. Quæ obſervanda in loco, ubi repoſitum eſt Sanctiſſimum Sacramentum, in ipſa Proceſſione, & apud Altare. Incenſum quomodo miniſtretur. Ordo dicendi: In Spiritu humilitatis: Orate fratres: Pater noſter. *Quomodo facienda elevatio Hoſtiæ, atque ea ſumenda ſit. Cætera quo ordine fiant.*

§. I.

Si Epiſcopus velit ipſemet celebrare in die Paraſceve, ſerventur infraſcripta; videlicet, Altare, Sedes Epiſcopi, ſedilia Canonicorum, & aliorum, ac tota Tribuna ſint penitus denudata.

§. II.

In Abaco mappa ſuperponatur, ſed a nulla parte pendat, ubi erit tantum pelvis cum urceo

Digitized by Google

urceo ad lavandas manus, & alia ad recipiendum pecunias, quæ Cruci offeruntur; in ipſo, & in Altari candelæ ex cera communi extinctæ ſuper candelabris ſint, ſed nullæ Imagines, aut alia ornamenta ſuper Altari collocentur, præter Crucem, & candelabra, & hæc non ſint argentea.

§. III.

Præparetur pannus, vel tapes oblongus, ſeu pannus violaceus, extendendus ſuo tempore pro adoratione Crucis; magnus item pulvinus, ex ſerico villoſo violaceo, auroque factus, ubi Crux erit ponenda, & velum album, ſerico violaceo intertextum, ſuper eo explicandum; Faldiſtorium nudum, ſuper quo Epiſcopus ante Altare genuflectat.

§. IV.

Paramenta autem Miſſæ erunt nigri coloris, & pro Diacono, & Subdiacono Planetæ ante plicatæ, & Pluviale ejuſdem coloris pro Presbytero aſſiſtente.

COMMENTARIUS.

I. PErvetuſta plane, & communi nomenclatura, Feria Sexta Majoris ac ſanctioris Hebdomadæ appellata eſt *Paraſceve*; ideſt, *Præparatio*, relatione habita ad Dominicam Paſchatis. Communis quoque Eccleſiæ ſententia eſt, Apoſtolos divinorum Myſteriorum, quorum teſtes fuerant, Feſta inſtituentes, unum præcepiſſe in honorem Dominicæ Paſſionis, uti obſervat S. Auguſtinus in Epiſtola XIV. novæ editionis; quod quidem Feſtum licet auguſtiſſimum eſſet, precibus tamen, jejuniis, & mortificatione potius, quam lætitiæ ſignis celebrabatur. Scite autem notat Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. LXIII. Paſchatis nomine hanc diem Paraſceves appellari a Tertulliano, & quidem non uno in loco, præſertim Lib. *Adverſus Judæos*, Capite x. & Lib. *De Oratione*, Cap. XIV. ubi mortem Chriſti in Judæorum Paſchate figuratam notat, diemque Paſchatis, ideſt, Paraſceves, quam Paſcha appellat, apud Nos eſſe ait diem luctus, triſtitiæ, publicique jejunii, ac propterea in Fidelium cœtibus oſculum pacis non dari: *Sic & die Paſchæ quo communis, & quaſi publica jejunii religio eſt, merito deponimus oſculum, nihil curantes de oſculando, quod cum omnibus faciamus*. Vide quæ & adverſus Judæos ſcribit.

II. Cum itaque Paraſceve dies ſit luctus, atque triſtitiæ, ut inter alios Patres tradunt ſanctus Innocentius Papa I. in Epiſtola I. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, Cap. IV. & Patres Concilii IV. Toletani, Can. VIII. recte admodum ex noſtro I. §. cautum eſt, ut *Altare, Sedes Epiſcopi, ſedilia Canonicorum, ac tota Tribuna ſint penitus denudata*, ad indicandum ſcilicet luctum ex morte reparatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui in Cruce denudatus fuit: *Hac ergo die*, inquit Rabanus Lib. III. De inſtitutione Clericorum, Cap. XXXVII. *Altaria indumentis ſuis ſpoliata denudantur, quia in ea Chriſtus ſuis veſtimentis exutus eſſe legitur, & velum Templi ſciſſum eſſe, occiſo Chriſto, per Euangelium prædicatur*. Quoniam vero celebranda & in hac die ſunt divina Officia, ac præſertim Miſſa Præſanctificatorum, & cæremonia denudandæ, atque adorandæ Crucis, ex ſequentibus Paragraphis quædam tum in Altari, tum ſuper Abaco præparanda ſunt. In Altari mandat §. II. ut *candelæ ex cera communi extinctæ ſuper candelabris ſint, ſed nullæ Imagines, aut alia ornamenta ſuper Altari collocentur præter Crucem, & candelabra, & hæc non ſint argentea*. Quod quidem ultimum, ne ſcilicet candelabra in Altari apponenda ſint argentea, additum primo huic §. fuit in hoc novo Cæremoniali a Benedicto XIII. probato. Ceterum hac die in Eccleſia luminaria non accendi, memorat laudatus Rabanus, eamque rationem aſſignat, *quia in ipſa Redemtore crucifixo, ſidera obſcurabantur*.

III. Ritum ponendæ ſanctæ Crucis ſuper Altari Sexta ipſa Feria, tradit antiquiſſimus Ordo Gelaſianus, itemque alii annorum circiter mille, Noviomenſis B. Mariæ, Remenſis S. Remigii, & Gellonenſis. Adhibendam eſſe ligneam Crucem, ex iis verbis addiſcimus, quæ ex antiquiſſimo ritu profert Sacerdos, dum Crucem revelat, *Ecce lignum Crucis*. Eam ob cauſam licet Petrus Cluniacenſis pati non poſſet, Crucem argenteam adhiberi, dum diceretur, *Ecce lignum Crucis*, ideoque ligneam afferri præciperet, non deſunt tamen antiqui Libri Rituales, ex quorum præſcripto etiam *Crux aurea* adhibebatur, uti videre eſt in Rituali Sveſſionenſi. Sane Jeroſolymis olim vera Crux, in qua Chriſtus pependit, & expiravit, omnibus hac duntaxat die adoranda præbebatur, teſte S. Paulino in Epiſtola XXXI. ad Severum novæ editionis, Cap. VI. ubi ait in ipſo Paſſionis loco fuiſſe Baſilicam coruſcam auratis laquearibus, aureis divitem Altaribus, quæ arcano poſitam Sacrario Crucem ſervabat: *quam Epiſcopus ejus quotannis, cum Paſcha Domini agitur, adorandam populo princeps ipſe venerantium promit. Neque præter hanc diem, qua Crucis ipſius Myſterium celebratur, ipſa, quæ Sacramentorum cauſa eſt, quaſi quoddam ſacræ ſolemnitatis inſigne profertur; niſi interdum religioſimi poſtulent,*

Digitized by Google

ſtulent, qui hac tantum cauſa illo peregrinati advenerint, ut ſibi ejus revelatio quaſi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur. Sed notæ clauſulam, quam mox ſubjicit: *Quod ſolum Epiſcopi beneficio obtineri ferunt*.

IV. Forte ex hac Jeroſolymitanæ Eccleſiæ conſuetudine, ubi ſcilicet Crux ipſa in qua Chriſtus pependit, & mortuus eſt, Fidelibus omnibus in Paraſceve adoranda oſtendebatur, provenire id potuit, quod ſcribit Amalarius Lib. I. *De divinis Officiis*, Cap. XIV. fuiſſe nempe quoſdam, *qui volebant dicere, ſe velle eandem Crucem adorare, in qua Dominus crucifixus eſt*. At ita mox ait: *Utinam in omnibus Eccleſiis haberetur, præ cæteris merito veneraretur*. Et rurſus: *Quamvis omnis Eccleſia eam non poſſit habere*, Crucem ſcilicet veram, vel ejus particulam, *tamen non deeſt eis virtus ſanctæ Crucis in eis Crucibus, quæ ad ſimilitudinem ſanctæ Crucis factæ ſunt*. Eodem quoque reſpicere videntur illa vulgati Alcuini verba: *Qui vero non poſſunt habere de ligno Domini, ſalva fide, adorent illam, quam habent*. Sed de adoratione Crucis, & ritibus, quibus ipſa perageretur, vide quæ infra dicemus ſuis locis non modo in hoc Capite, ſed & in ſequenti.

V. Celebrem fuiſſe vel primis ſeculis Feriam Sextam in Paraſceve ob celebrationem præſertim Myſterii ſanctæ Crucis, antiqui Patres docent, inter quos multa de ea celebritate notat S. Iſidorus Lib. I. *De Officiis Eccleſiaſticis*, Cap. XXIX. Verum audire hic præſtat Canonem VII. Concilii IV. Toletani, ubi abuſus refellitur quarundam Eccleſiarum Hiſpaniæ, in quibus in Paraſceve divina Officia minime celebrabantur: *Comperimus*, ajunt Patres ejus Concilii, *quod per nonnullas Eccleſias in die Sextæ Feriæ Paſſionis Domini, clauſis Baſilicarum foribus, nec celebratur Officium, nec Paſſio Domini populis prædicatur, dum idem Salvator noſter Apoſtolis ſuis præcoperit, dicens*: Paſſionem, & mortem, & reſurrectionem meam omnibus prædicate. *Ideo oportet, eodem die myſterium Crucis, quod ipſe Dominus cunctis nuntiandum voluit, prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum poſtulare, ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ Reſurrectionis, remiſſis iniquitatibus, ſuſcipere mereamur; Corporiſque ejus, & Sanguinis Sacramentum mundi a peccatis ſumamus*. Inter egregia ſanctæ memoriæ Benedicti XIII. Pontificis Maximi facinora, illud plane ſummopere commendandum eſt, quod Romæ quoque cum Parochi plures, qui ſuum omne ſtudium impendunt augendo marſupio ex ſumtibus funerum, poſt exceptas ſacras aliquorum Confeſſiones Feria V. in Cœna Domini, eoſque communicatos, fores ſuarum Eccleſiarum clauderent uſque ad Dominicam Reſurrectionis, merito juſſit, ut & ipſi tunc divina Officia peragerent.

VI. Tandem in ſignum luctus ex Chriſti Domini morte, *paramenta Miſſæ*, ut in §. IV. edicitur, *erunt nigri coloris, & pro Diacono, & Subiacono Planetæ ante plicatæ, & Pluviale ejuſdem coloris pro Presbytero aſſiſtente*. Statis diebus, ac præſertim in Paraſceve, fuſci, ſeu nigri coloris in Romana Eccleſia adhibitas fuiſſe veſtes, teſtis eſt vulgatus Alcuinus, *De Divinis Officiis*, Cap. XVIII. ubi Officium Feriæ VI. in Paraſceve ſecundum Romanæ Eccleſiæ ritum enarrans, Diaconos inquit, ea die Planetis fuſci coloris indui conſueviſſe: *Pontifex autem, ſeu Clerus, atque populus procedunt ad Eccleſiam. Interim vero egreditur Archidiaconus cum aliis Diaconibus de Sacrario, indutis ſcilicet Planetis fuſcis &c.* Sed ut alios omittam, teſte Jacobo Gaetano in Ordine ſuo Romano XIV. Cap. LIII. Romana Eccleſia *colore nigro utitur Feria Sexta in Paraſceve &c.* In Orientali quoque Eccleſia antiquitus colorem nigrum mœſtitiæ diebus obtinuiſſe, docet nos Theodorus Lector Lib. I. Hiſtoriæ, ubi ait, quod Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ut mœrorem, luctumque oſtenderet, quo Conſtantinopolitana Urbs anno XDLXXVI. conflictabatur, quod Baſiliſcus Imperator Chalcedonenſem Synodum rejici juſſiſſet, quum jam in Eccleſiam cunctus populus, mulieres, atque etiam parvuli conveniſſent, *ſemetipſum; Cathedram, & Altare nigris veſtibus obtexit*.

VII. At vero licet ex multis Ordinariis, Argentino, Silvanectenſi, Miſſali Catalaunienſi, & quibuſdam aliis, conſtet uſus nigri coloris in Paraſceve, non deſunt tamen Ordinaria complurium Eccleſiarum, ex quorum præſcripto veſtimenta Sacrorum Miniſtrorum rubri erant coloris. Nam ita videre eſt in Ordinariis, Lingonenſi, Noviomenſi, Lemovicenſi, Carnotenſi, itemque in Pontificali Biſuntino ante annos DC. ſcripto, in Rituali Sveſſionenſi, & aliis a Martenio allatis in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis Officiis*, Cap. XXIII. Ceterum in magnis Urbibus ſervari hunc ritum vidi, ut Nobiles præſertim, Viri æque, ac Mulieres, hac die veſtibus nigris utantur, in ſignum ſcilicet triſtitiæ de paſſione, & morte Chriſti Domini, ideoque tunc etiam curru abſtinent.

§. V.

Hora competenti Epiſcopus veniet ad Eccleſiam cum ſua Cappa, aſſociatus more ſolito, ut in Matutinis hujus Hebdomadæ. Orat ante Sanctiſſimum Sacramentum, & Altare majus, & intrat Secretarium, ubi pariter Altare, & omnia nuda, præter Crucem velatam, & cerei extincti ſuper eo. Ibi cum Cappa aſcendet ad Sedem ſuam nudam, ibidem præparatam, & ſtans, detecto capite, verſus Altare dicit ſecrete, *Pater noſter*. Quo finito, Chorus recitat Nonam. Incœpto primo Pſalmo, Epi-

Digitized by Google

Episcopus sedet; interim Canonici, Euangelium, & Epistolam cantaturi, capiunt sua paramenta, præter Manipulum, & Planetam, & sic in Albis remanent, donec erit tempus parandi Episcopum.

COMMENTARIUS.

I. QUidquid sit de nocturnis vigiliis hujus diei, sive de Matutino, quod licet hodie recitetur sero Feriæ v. antiquitas incipiebat ab hora noctis tertia, sive post mediam noctem juxta variam variarum Ecclesiarum disciplinam, & consuetudinem. Quod spectat Horas diurnas, in quibusdam locis communiter non dicebantur tunc in Choro, sed privatim, uti addiscimus ex Ritualibus non paucis, atque Ordinariis, Laudunensi, Lingonensi, Lemovicensi, Noviomensi, & aliis. Contra, recitabant in Choro Horas diurnas Turonenses sancti Martini Canonici, sed extra stalla, ut nos ipsorum vetustum Antiphonarium docet sic inquiens: *Hac die post prædicationem, quæ Hora nona finiri debet, recitantur Horæ, Prima, Tertia, Sexta, & Nona, submissa voce non in stallis sedendo, sed prope tumulum marmoreum in medio Chori stando.* Mediam tenuere viam Canonici Regulares Cruce signati, quippe qui Primam, & Tertiam privatim; Sextam vero, & Nonam in Choro persolvere pro suo instituto debebant.

II. Scitissime autem observat Martenius in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Capite XXIII. Num. IV. non negligentiæ causa, sed ad mœrorem, doloremque de Christi morte exprimendum, servatum fuisse a Majoribus nostris eum ritum, ut vel privatim diurnas Horas Canonicas dicerent, vel si in Choro publice, submissa tamen voce, & quod tunc de cantu, precibusque solitis remittebant, Psalterii recitatione compensarent. Multa afferri de ea re possent veterum testimonia, sed audiatur noster Lucas Archiepiscopus Consentinus, qui in Ordinario suo rationem, ac ritum, quo Psalterium ipsum in nostra Consentina Archidiœcesi cantaretur, ita describit: *Finitis Laudibus, egrediantur Clerici cum summo silentio. Tum incipiat Episcopus Psalterium, quod pronunciatis ab eo, cui committitur, per singulos Psalmos titulis, vicissim ab utroque Choro, plana, sed distincta voce psallatur. Ubi venerint ad quinquagesimum Psalmum, surgentes compleant illum. Quo completo, dicant Antiphonam*, Ne reminiscaris; *& flexis genibus fiat Litania prima, sicut habetur in Collectanco propria, cum precibus, & orationibus: quibus dictis, imponatur*, Quid gloriaris; *& residentes percurrant usque ad Psalmum centesimum; tum fit secunda Litania. Qua completa, imponitur*, Domine exaudi. *Completur Psalterium, & fit tertia Litania. Hoc Psalterium, quasi Sacrificium spiritus contribulati cum Litaniis, quasi libamentis suis in hac die pro vivis, & defunctis Christo pro peccatoribus passo ab omnibus est Clericis offerendum.* Hactenus Ordinarium Consentinæ Ecclesiæ a Luca Archiepiscopo editum,

III. Fuit vero mos complurium Ecclesiarum, ut Episcopi nudis pedibus cum Processione per viam Psalterium ipsum cantarent. Servatum fuisse a Papa hunc ritum Romæ, docet nos I. Ordo Romanus Auctore Benedicto Canonico S. Petri Num. XLIV. ubi ita inquit: *Dominus Papa descendens de Palatio, ibi*, ideſt in Basilica Salvatoris, *post Altare cum aliis ordinibus se induit, & discalceatus pergit cum Processione, & omnes cum eo cantando Psalterium usque ad sanctam Crucem.* In ea Processione quidam Cardinalis honorifice portabat Corpus Domini præteriti diei, conservatum in capsula Corporalium, Subdiacono Regionario ferente ad pectus Crucem Stationalem coopertam. Pontifex ad Ecclesiam ipsam Sanctæ Crucis perveniens, calceatus ascendebat ad Altare, ibique post alias functiones Corpus Domini sumebat, quod Cardinalis adduxerat. Confer Romanum XII. Auctore Cencio Cap. XIII. ubi una cum ritu hactenus enarrato varios alios refert.

IV. Sed iis omissis, ex præscripto nostri §. hora competenti, *Episcopus venict ad Ecclesiam cum sua Cappa associatus more solito, ut in Matutinis hujus Hebdomadæ*, postquam scilicet de mane datum fuit signum cum tabula, Horæque Canonicæ minores usque ad Nonam exclusive recitatæ fuerunt in Choro sine luminibus. Cum itaque accedit Episcopus ad Ecclesiam cum solito comitatu, & in ingressu deferens sibi Cappæ caudam, vadit ad Sacellum, *orat ante Sanctissimum Sacramentum*, quod præterita die in Sepulcro reconditum fuit, itemque ad Altare majus genuflexus scilicet in genuflexorio nudo, ut supra. Tum intrat Secretarium, ubi pariter Altare, & omnia alia nudata sunt præter Crucem velatam, & cerei super illud extincti. Ibi cum Cappa, postquam scilicet aliquantulum ad ipsum Altare Secretarii oravarit, ascendet ad Sedem suam præparatam, sed tamen nudam; & stans nudo capite, versus Altare, facto sibi signo Crucis, dicit, *Pater noster &c.* secreto; quo finito, Chorus recitat Nonam; inceptoque primo Psalmo, Episcopus sedet, Canonicis etiam sedentibus; ex quibus tamen duo, qui scilicet Epistolam, & Euangelium cantaturi sunt, ut infra, capiunt sua paramenta præter Manipulum, & Planetam, & sic in albis remanent, donec erit tempus parandi Episcopum, ut noster §. mandat.

V. Acceptus est plane hic ritus a Cæremoniali Pontificiæ Capellæ, auctore Patricio, Lib. II. Sectione I. Cap. LIV. ex cujus præscripto, *hora competenti Pontifex indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Cappa rubra Cardinalari, & Mitra alba simplici, more solito exit ad Ecclesiam, orat ante Altare, accedit ad Sedem, ubi consuevit accipere paramenta, & nunquam hac die ascen-*

Digitized by Google

dit ad Sedem eminentem, niſi in fine ad Veſperas. Et mox: *Cum aliquantulum quieverit ſedens, ſurgit ſine Mitra; nulla enim fit hodie reverentia, nullæ oſculationes; & verſus ad Altare ſub ſilentio dicit*, Pater noſter, *& mox Cantores legunt Nonam. Pontifex, ut illi incipiunt, ſedet. Interim Diaconus Euangelium dicturus, & Subdiaco nus capiunt paramenta omnia ſibi opportuna, præter Manipulum, & Planetam, & in Albis parant Pontificem, cum eſt tempus.* Eadem fere ſunt, quæ & in hoc §. noſtro ſtatuuntur, ut vel ex iis probetur, quod toties obſervatum a nobis in hoc Opere fuit, Cæremoniale Epiſcoporum, a Cæremoniali Pontificiæ Capellæ prodiiſſe.

§. VI.

Cum dicitur in fine Nonæ, *Chriſtus factus eſt &c.* Epiſcopus genuflectit ante Altare ſuper Faldiſtorio nudo, capite detecto; & finito Pſalmo, *Miſerere mei Deus &c.* dicit genuflexus Orationem, *Reſpice, quæſumus Domine &c.* mox revertitur ad dictam Sedem, deponit Cappam, & ſedens lavat manus more ſolito. Deinde per Diaconum, & Subdiaconum paratur ſolitis paramentis, exceptis Sandalis, & Chirothecis, quibus hodie non utitur; dicit Orationes ſolitas ad paramenta, non tamen Pſalmum, *Quam dilecta &c.* cum aliis. Epiſcopus, & omnes utuntur paramentis nigris, ſi haberi poſſint, & deficientibus nigris, coloris violacei.

§. VII.

Cum Epiſcopus incipit parari, Canonici pariter capiunt paramenta convenientia, prout ſuo loco dictum eſt. Diaconi habeant Planetas ante pectus plicatas, & Canonicus Presbyter, digniori Presbytero proximus, ſervit hac die Epiſcopo in aſſiſtentia cum Pluviali nigro. Epiſcopus paratus ſedet aliquantulum; Diaconus, & Subdiaconus capiunt Manipulos, & Planetas ante plicatas.

COMMENTARIUS.

I. ILle jam pluribus ab hinc ſeculis obtinuit ritus, ut Nocturnæ, atque diurnæ Horæ Officii Tenebrarum finirent cum Verſu, *Chriſtus factus eſt &c.* & cum Pſalmo, *Miſerere mei Deus &c.* atque Oratione, *Reſpice quæſumus Domine &c.* ſciendum tamen ex Ordinario Argentino Horas hujus diei omnes non a Verſu, *Chriſtus factus eſt &c.* ſed ejus loco, ab illo, *Proprio Filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, terminari debuiſſe. Sed quidquid ſit de antiquis hiſce ritibus, ex noſtro §. VI. *cum dicitur in fine Nonæ*, Chriſtus factus eſt &c. *Epiſcopus genuflectit ante Altare, ſuper Faldiſtorio nudo, capite detecto; & finito Pſalmo*, Miſerere mei Deus &c. *dicit genuflexus Orationem*, Reſpice quæſumus Domine &c. *mox revertitur ad dictam Sedem, deponit Cappam, & ſedens lavat manus more ſolito.*

II. Lotis manibus, Epiſcopus *deinde per Diaconum, & Subdiaconum*, qui jam, dum Nona diceretur, paramenta ſua acceperant, præter Manipulum ſcilicet, & Planetam, ut dictum eſt ſupra in §. V. & in Albis remanſerant, *paratur ſolitis paramentis, exceptis Sandaliis, & Chirothecis, quibus hodie non utitur; dicit Orationes ſolitas ad paramenta, non tamen Pſalmum*, Quam dilecta &c. *cum aliis*. Quod de Sandaliis dicitur, antiquus eſt Romanæ Eccleſiæ ritus, ut Papa illis minime utatur in Paraſceve: *Eo ſedente in Sede*, ait Ordo Romanus XII. Cap. XIII. *Miniſtri calceant cum non Sandalia, ſed quotidiana calceamenta, & induunt Planetam, & Pallium &c.* Porro concludit noſter §. VI. edicens, Epiſcopum hac die, & omnes alios uti paramentis nigri coloris, *& deficientibus nigris, coloris violacei*; quia ſcilicet, antiqua regula eſt, quam inter alios tradit Romanus Ordo XIV. Auctore Jacobo Gaetano, Cap. LIII. *diebus, quibus eſt uſus nigri coloris, uti violaceo non eſt inconveniens*. Quod eſt intelligendum, ut omnes veſtes, vel ſint nigri coloris, ſi haberi poſſint, vel omnes etiam coloris violacei; neque enim deceret, ut exempli gratia, Subdiaconus Planetam nigram, Diaconus violaceam indueret.

III. Præterea ex præſcripto noſtri §. VII. *cum Epiſcopus incipit parari, Canonici pariter capiunt paramenta convenientia, prout ſuo loco dictum eſt*; nempe Dignitates Pluvialia, Presbyteri, & Diaconi Planetas, ſed hi ante pectus plicatas coloris ſcilicet nigri, ſicut & Pluviale Canonici Presbyteri, qui digniori Presbytero proximus, ſervit hac die Epiſcopo in aſſiſtentia. Ubi tandem eſt paratus Epiſcopus, ſedet aliquantulum, & Diaconus, ac Subdiaconus Manipulos, & Planetas capiunt ante pectus plicatas. Atque hæc ſunt, quæ in duobus noſtris Paragraphis VI. & VII. præſcripta ſunt, quibus plane concinunt Pontificiæ Capellæ Ritus a Patricio deſcripti Libro II. Sectione I. Cap. LIV. ut ibidem videre eſt.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Si erit Archiepiſcopus, præcedet Capellanus cum Cruce velata inter duos Ceroferarios cum candelis extinctis, & ſine incenſo; & procedentibus Clero ante Crucem, & poſt Crucem Canonicis paratis, procedet ad Altare more ſolito. Si non erit Archiepiſcopus, non portatur Crux,

§. IX.

Epiſcopus ante Altare procumbit, & genuflexus ſuper nudo genuflexorio, depoſita Mitra, diutius orat, quod & omnes alii faciunt; & interim extenditur per Acolythos, aut Cæremoniarios Mappa ſuper Altari.

COMMENTARIUS.

I. HOra Nona abſoluta, paratum Epiſcopum una cum Miniſtris proceſſiſſe ad Altare nudis pedibus, antiqui Libri Rituales mſs. ſatis declarant: *Nona dicta*, inquit Ordinarium Uticenſe, *Sacerdos, & Miniſtri diſcalceati procedant ad Altare, nihil dicendo.* Idem docent Pontificale Pariſienſe, & Ordinaria Cabilonenſe, Mimatenſe, Narbonenſe, atque alia complura. Contrarium tamen præſcribit Pontificale Conſtantinopolitanum, aſſerens, *non licere, Presbyterum, vel Diaconum Altari miniſtrare per nudos pedes.* Sane, uti ſuperius notatum fuit, ex Ordine Romano XII. Auctore Cencio, Cap. XIII. licet Papa, omneſque alii diſcalceati hac die incederent cum Proceſſione ad Eccleſiam ſanctæ Crucis, ibidem tamen officium facturus, per Mappularios aqua calida in Secretario prius ablutis pedibus, & calceatus non Sandaliis, ſed calceamentis quotianis, atque indutus Planeta, & Pallio, ad Altare cum Proceſſione accedebat, *præeunte cum Cruce, & Euangelio ſine luminaribus, & incenſo cum ſilentio.*

II. Conſtat ergo ex his, ab antiquo Romanæ Eccleſiæ ritu prodire, quod in noſtro præſenti §. VIII. edicitur de proceſſu Archiepiſcopi e Secretario ad Altare; ſed audiamus Patricium, qui utrumque §. noſtrum, VIII. ſcilicet & IX. ita enarrat: *Præcedente alio Subdiacono cum Cruce inter duos Ceroferarios cum candelis extinctis, & ſine incenſo, Papa ordine conſueto accedit ad Altare; ſed Presbyteri non procedunt obviam Papæ apud Altare. Abſtrahitur ei Mitra a Diacono Euangelii, ac Papa genuflexus, ac procumbens, ſuper nudum Faldiſtorium diutius orat; & ſimiliter omnes alii genuflexi orant. Interim extenditur ſuper nudum Altare a Sacriſta, & Cæremoniariis mappula munda alba.* Ex Rubrica Miſſalis, Parte IV. Tit. IX. finita etiam Nona, Sacerdos, & Miniſtri, iuduti paramentis nigri coloris ſine luminaribus, & incenſo, procedunt ad Altare, & ante illud proſtrati aliquandiu orant.

III. Pro majori Paragraphorum noſtrorum intelligentia, Clerus, & Canonici, cum pervenerint ad Chorum, omnes ſe collocabunt ſecundum ordinem in locis ſuis, ac ſtallis, Epiſcopus vero ante Altare ſuper Faldiſtorio nudo genuflectit, & depoſita Mitra per Diaconum Euangelii, procumbit, & orat prolixe. Procumbunt etiam Canonici Miniſtri Epiſcopi ſuper ſuis pulvinis hoc ordine. I. Presbyter aſſiſtens a dexteris Epiſcopi, II. Diaconus Euangelii a ſiniſtris illius. III. Subdiaconus modicum retro a ſiniſtris Diaconi. IV. Diaconi aſſiſtentes directe poſt Epiſcopum. Miniſtri tres parati, pro Mitra, Libro, & Bugia, a ſiniſtris Cruciferi genuflectunt; ceteri omnes pariter genuflectunt in propriis locis ſpatio unius, *Miſerere*. Atque hæc ſunt, quæ ad majorem noſtrorum Paragraphorum intelligentiam placuit deſcribere ex Memoriali Rituum Majoris Hebdomadæ, Tit. VII. Cap. II, quæque inter alios docet Horatius Chriſtiani in Praxi Pontificali Majoris Hebdomadæ Sectione IV. Cap. II.

IV. Omnes divinorum Officiorum Scriptores eoſdem deſignant ritus, qui hodie ſunt in uſu. Finita Nona, proceditur ad Altare, quia, ut notat Rupertus Abbas Tuitienſis Lib. VI. Cap. IV. Hora Nona expiravit Chriſtus, ad cujus quaſi funus nos accedimus cum Nicodemo, & aliis, ut docet Durandus Lib. VI. Cap. LXXVII. Nudum eſt Altare, quia pridie mappæ ſublatæ fuerant, ad denotandam Chriſti nuditatem; una vero tantum mappa, quam antiqui Romani Ordines ſyndonem appellant, tempore Sacrificii ſuper Altare extenditur, quæ ſignificet ſyndonem monumenti, ex eodem Durando, loco citato, ubi varios antiquos ritus, qui hodieque ſervari ſolent, pie ac myſtice enarrat. Oratio, ac proſtratio ante Altare initio Officii, in multis antiquis Rituali-bus, atque Ordinariis occurrit; & licet hodie Epiſcopus ex præſcripto noſtri §. IX. ante Altare genuflexus *diutius orat*, ideſt, uti Patricius, & Craſſus explicant, per ſpatium unius *Miſerere*, ex Rubrica tamen Miſſalis, *Sacerdos, & Miniſtri ante illud proſtrati aliquandiu orant.*

V. Porro olim in Turonenſi S. Martini Eccleſia, ut ex ejuſdem Rituali conſtat, ſacri Miniſtri ſeptem Pſalmos pœnitentiales ante Altare proſtrati recitabant, ubi ſcilicet ad illud pervenerant celebraturi hac die Officium Miſſæ, videlicet Præſanctificatorum. Sed hiſce omiſſis, quod olim Papa, ejuſque Miniſtri pervenientes ad Altare, *omnes proſtrati ſuper tapetia ſtrata diutius* orarent, teſtem habemus Jacobum Gaetanum in Ordine Romano XIV. Cap. XCIII.

§. X.

Digitized by Google

§. X.

Poſtquam Epiſcopus oraverit, ſurgit, oſculatur Altare, & reaſſumta Mitra, ſedet ſuper nuda Cathedra, ſeu Faldiſtorio poſito in cornu Epiſtolæ Altaris, ita ut faciem vertat ad cornu Euangelii. Neque hac die umquam ſedet in Sede ſua Epiſcopali in hoc officio, niſi in fine, ut infra.

§. XI.

Presbyter aſſiſtens ſedet ſuper primum gradum ad pedes Epiſcopi, & poſt eum in eodem gradu Diaconus, & Subdiaconus, & prope ipſos duo alii Diaconi aſſiſtentes, ubi ſolent aſſiſtere.

COMMENTARIUS.

I. RItus, qui in duobus hiſce Paragraphis continentur, deſumti fuerunt quidem & ipſi ex Cæremoniali Pontificiæ Capellæ Auctore Patricio Lib. II. Sectione I. Cap. LIV. *Finita oratione*, quæ ſcilicet, ut idem ait Cap. L. ibidem, durabit per ſpatium unius *Miſerere*, vel circa, *ſurgit Pontifex, oſculatur Altare, deinde cum Mitra ſedet ſuper nudam Cathedram poſitam in cornu ſiniſtro, ideſt, Epiſtolæ, ita ut faciem vertat ad dexterum cornu Evangelii*. Tum de ſede Miniſtrorum ita mox ſubdit: *Presbyter Cardinalis aſſiſtens ſedet ſuper gradum primum ad pedes Papæ, & poſt eum tres Diaconi, in quorum medio ſedet qui Euangelium eſt lecturus: Subdiaconus eſt in gradu inferiori ad pedes Diaconi Euangelii &c.* Pontificem ipſum Romanum non ſedere hac die in ſolito Solio ſuo Pontificali, ſed in alia Cathedra nuda, tradit etiam Amelius in ſuo Ordine Romano XV. Cap. LXXV. ubi inter alia notandum inquit, *quod ſi aliquis Rex illa die eſſet præſens in dicto Officio, ipſe non ſederet in Cathedra more ſolito, ideſt, quando Papa facit Officium, ſed ſedet in ordine Epiſcoporum Cardinalium, videlicet, inter duos primos Epiſcopos Cardinales.*

II. Quantum ad noſtrum §. XI. perſpicue is loca præſcribit, in quibus primum ſedere debeant majores Miniſtri, nempe Presbyter aſſiſtens, Diaconus, & Subdiaconus, ac duo aſſiſtentes Diaconi; cum tamen nihil de Miniſtris inferioribus dicat, ideſt de ipſorum locis; audire præſtat Horatium Chriſtiani, qui inter alios ita ad rem inquit in Praxi Pontificali Majoris Hebdomadæ, Titulum VII. Cap. II. *Reliqui Miniſtri, de Mitra, Libro, & Bugia*, ſedebunt, *in infimo gradu anteriori Altaris; Acolythi vero pro ſervitio Pontificis, poſt terga ipſius in infimo gradu cornu Epiſtolæ, & alii e regione in cornu Euangelii paratis prædictis miniſtraturi*. Neque omittendum, quod ſtatim ſubjicit: *In ſeſſione omnes una ſimul ſedeant, ſe vertentes per humerum dexterum, facta prius Cruci, & inde Pontifici reverentia, quam in ſurrectione prius Pontifici exhibeant, ac inde Cruci, idem ſemper in ſeſſionibus, & ſurrectionibus ſervantes.*

§. XII.

Tunc unus ex Beneficiatis Cotta indutus, comitante Cæremoniario, cum debitis reverentiis, ſibi ipſi Librum tenens, dicit primam Prophetiam ſine titulo, in loco, ubi legitur Epiſtola, & ſine oſculo manus Epiſcopi.

§. XIII.

Qua finita, relinquit Librum in manu Cæremoniarii, & factis debitis reverentiis, revertitur ad locum ſuum. Epiſcopus vero, dum Tractus cantatur, legit ex Libro dictam Prophetiam ſine candela accenſa, Miniſtris tamen aſſiſtentibus, circa eum ſtantibus.

COMMENTARIUS.

I. SOlet jam Eccleſia Latina ex antiquiſſima traditione, hac die, & ſequenti, a Sacrificio abſtinere; nam quæ Sabbato celebratur Miſſa, non quidem ad diem, ſed ad noctem ipſam Sabbati pertinet, ut cuique patet legenti illam in Miſſali hodierno Romano. Antiquiſſimæ traditionis non celebrandi, ſcilicet Sacrificium duobus ipſis diebus, teſtis eſt S. Innocentius I. in ſua celebri Epiſtola I. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, ubi ſic loquitur: *Sexta Feria propter Paſſionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter triſtitiam, atque lætitiam temporis illius videtur incluſum. Nam utique conſtat, Apoſtolos biduo iſto, & in mœrore fuiſſe, & propter metum Judæorum ſe occuluiſſe. Quod utique non dubium eſt,*

Digitized by Google

eſt, in tantum eos jejunaſſe biduo memorato, ut traditio Eccleſiæ habeat, iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari. Mentionem hujus Epiſtolæ Decretalis faciunt quidem Capitularia Caroli Magni Lib. VII. Cap. XXXIII. ubi etiam docent, in Galliam tranſiiſſe Romanæ Eccleſiæ uſum, biduo iſto ante Paſcha Sacrificium non celebrandi: *Nec Miſſas in Paraſceve, aut in Sabbato ſancto, vel divina Myſteria his duobus diebus celebrentur. Canonibus quippe jubentibus, biduo iſto Sacramenta penitus non debent celebrari.*

II. Græci non ſolum iſto biduo ex antiqua Eccleſiæ ſuæ conſuetudine, de qua fuſe egimus Tomo II. Conciliorum in Commentariis ad Canones Trullanos, a Sacrificio tunc abſtinere ſolent, verum etiam per totam Quadrageſimam, Sabbatis, Dominicisque dumtaxat exceptis diebus, ac Feſto etiam Annunciationis Deiparæ, in quo quidem ex Concilio Trullano, etiam ſi in Feriam ſextam, & Sabbatum incidat, celebrare ipſi Sacrificium ſolent; imo licet Feſtum ipſum in hac die occurrat, adhuc non recuſant Sacrificium offerre, uti nos docet illorum Typicum Cap. XXI. apud Allatium, *De Miſſa Præſanctificatorum*, Cap. ultimo, his verbis: *Magna Feria VI. fit Oblatio, ſi in ea advenerit Annunciatio. Licet enim aliter Canones ſtatuant, invenimus nihilominus in Synaxario magnæ Eccleſiæ, in Oratoriis Deiparæ dicatis fieri Oblationem, & perfectam Miſſam celebrari.* Porro in utraque Eccleſia peragitur hac die Miſſa Præſanctificatorum, in qua etiam olim ex diei præcedentis Sacrificio non modo Celebrans, ut hodie apud Nos fieri aſſolet, ſed & Miniſtri, aliique Clerici, & ipſe quoque populus communicabant.

III. Hæc Miſſa ex Ordine Gelaſiano, & ex aliis antiquis Ordinariis variarum Eccleſiarum, ab Hora quidem Nona incipiebat, cui etiam nonnullæ Eccleſiæ ignis novi benedictionem præmittebant. In aliis quoque maxime Canonicorum Regularium Eccleſiis, ut teſtatur Martenius, ante Officium, appropinquante Hora diei Nona, Hebdomadarius aquam benedictam faciebat, ac deinde, dicta Nona, ſolemni ritu Altaria lavabat. Verum, licet in aliis Eccleſiis poſt Officium hujus diei, ipſa Altarium lotio perageretur, tamen communiter fiebat præcedenti Feria V. in Cœna Domini. Quidquid autem ſit de variis antiquis hiſce Ritibus, antiquus etiam Ritus eſt ille in noſtro §. XII. perſcriptus, ut Officium a Lectione Prophetiæ incipiat, & quidem Prophetæ Oſee, quam ex Romano XII. Ordine ſine titulo, legebat Subdiaconus, & ſine Manipulo ex Ordinario Noviomenſi; ex Miſſali vero Arelatenſi, non Subdiaconus, ſed Diaconus quidem Lectionem ipſam pronunciabat.

IV. Meminit ejus Lectionis Jacobus Gaetanus in Ordine XIV. Romano, Cap. XCIII. aitque, Subdiaconum, ſtatim ac Pontifex deoſculato Altari aſcendit Sedem, procedere ad legendum: *& ſine titulo, & ſine reverentia, & oſculo pedum*, in modum Lectionis incipere, *Hæc dicit Dominus: In tribulatione &c.* Finita hac Lectione inquit cantari Tractum, *Domine audivi &c.* ut ex antiquo ritu legitur in Romano Miſſali; & finito Tractu, dici a Pontifice, *Oremus*, & dicto a primo Diacono, *Flectamus genua*, & a ſecundo Diacono, qui aſſiſtit Papæ, *Levate*, ab ipſo Papa tunc dici Orationem, *Deus, a quo & Judas &c.* Teſte Petro Amelio in ſuo Romano Ordine XV. Cap. LXXV. *Capellanus abſolute ſine titulo in modum Lectionis Prophetiam dicit.* Ex Cæremoniali Patricii, *omnibus conſidentibus, unus ex Auditoribus, factis reverentiis Altari, & Papæ, accedit ad locum, ubi dicitur Epiſtola, ubi Librum ſibi tenens, dicit primam Prophetiam ſine titulo, & in fine non oſculatur pedem Pontificis, ſed dato Libro uni ex Miniſtris, factiſque ſolitis reverentiis, revertitur ad locum ſuum.* Plane conſtat, ex hoc Patricii loco deſumtum eſſe noſtrum §. XII. ac ſequentem etiam §. XIII. nam ait, idem Patricius, quod *finita prima Prophetia, dum cantatur Tractus, Papa legit ipſam Prophetiam, miniſtrantibus Librum Epiſcopis aſſiſtentibus, ſed ſine candela accenſa.* Poſſent afferri & de ea re alia teſtimonia, ſed hæc ſatis ſint.

§. XIV.

Finito Tractu, Epiſcopus ſurgit, & omnes ſurgunt; amovetur Faldiſtorium, & ſtans ibidem verſus Altare, dicit, *Oremus*, & Diaconus poſt Epiſcopum, dicit, *Flectamus genua*, & omnes genuflectunt, excepto Epiſcopo; Subdiaconus vero poſt Diaconum, dicit, *Levate*, & omnes ſurgunt; & Epiſcopus dicit Orationem.

§. XV.

Interim Subdiaconus deponit Planetam, & portans, & tenens Librum, cantat Epiſtolam, ſive alteram Prophetiam in loco jam dicto, qua finita, abſque oſculo manus, reſumit Planetam, & redit ad locum ſuum. Epiſcopus ſedet, & dum cantatur Tractus, legit Epiſtolam, & Tractum, ſervientibus ſibi ſolitis Miniſtris.

COMMENTARIUS.

I. SUpervacaneum eſt recenſere, quod ait in ſuo Cæremoniali Patricius circa hos ritus in hic Paragraphis noſtris præſcriptos, quippe qui ex ipſo Cæremoniali pene ad verbum deſumti ſunt. Unum eſt, quod hic minime omittendum, utramque Lectionem, tum pri-

Digitized by Google

primam ſcilicet, quæ ex §. XII. ab uno ex Beneficiatis Cotta induto, tum alteram, quæ a Subdiacono ex §. noſtro XV. depoſita Planeta, recitatur, legi quidem in antiquis Ordinariis, atque Miſſalibus, ſicut & illam Orationem, *Deus, a quo & Judas &c.* de qua nonnihil diximus in præcedenti Commentario. Plura de hiſce Lectionibus videri apud Durandum poſſunt Lib. VI. ſui Rationalis, Cap. LXXVII. Sciendum tamen, quod loco Tractus, *Eripe me Domine &c.* qui poſt ſecundam Lectionem dicitur, Veteres cantabant Tractum, *Qui habitat*, cujus meminit Amalarius Lib. I. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Cap. XIII. & vulgatus Alcuinus Cap. *De Feria* IV. *Paraſceves*, ubi hæc habet: *Sequitur altera Lectio, deinde more Romano ſequitur Tractus*, Qui habitat &c. *Canunt hic aliqui Tractum nuperrime compilatum*, ideſt, *Eripe me Domine ab homine &c.* Hunc Tractum, qui hodieque legitur in Miſſali Romano, ex Ordinario Laudunenſi cantare debent ſex Canonici, duo Sacerdotes, duo Diaconi, & duo Subdiaconi.

II. Unum eſt, quod notandum ſupereſt in Rubrica noſtri §. XIV. ea verba, quibus dicitur, quod *Diaconus poſt Epiſcopum dicit*, Flectamus genua, *Subdiaconus vero poſt Diaconum*, dicit, *Levate*, aliter legi in antiquis Cæremonialibus ante hoc noſtrum editis, ex quorum præſcripto, *Diaconus a dexteris*, Epiſcopi ſcilicet, dicit, *Flectamus genua*, & *Subdiaconus a ſiniſtris*, reſpondet, *Levate*. Sed ſtandum eſt hodie regulæ traditæ in ipſo noſtro §. XIV. qui ritum illum correxit tametſi a Cæremoniali Patricii acceptum. Porro ubi Diaconus dicit, *Flectamus genua*, ante omnes alios genuflectere debet, & excepto Epiſcopo, tunc alii omnes genuflectent, ſurgentque, cum Subdiaconus dicit erigens ſe, *Levate*. Tum dicit Orationem Epiſcopus, eaque finita, & repoſito Faldiſtorio, ſedet tunc ibi Epiſcopus cum Mitra; & ut ait Memoriale Rituum majoris Hebdomadæ Tit. VII. Cap. II. etiam cum Gremiali. Interim Subdiaconus ad Credentiam deponit Planetam plicatam, & accepto Libro, poſt debitas Cruci, & Epiſcopo reverentias, cantat Epiſtolam, ſive alteram Prophetiam in tono Epiſtolæ, Epiſcopus vero, *dum cantatur Tractus*, ut inquit §. noſter XV. *legit Epiſtolam, & Tractum, ſervientibus ſibi ſolitis Miniſtris*, de quibus ſcilicet jam ſupra diximus.

§. XVI.

Dum per Chorum cantatur Tractus, tres Capellani, ſeu Cantores, qui Paſſionem ſunt cantaturi, parantur in Sacriſtia in habitu Diaconali, præter Dalmaticam, prout in Dominica præterita dictum fuit, coloris tamen nigri; & circa finem Tractus, procedunt eodem ordine cum tribus Capellanis ſine candelabris, & incenſo, & cantant Paſſionem, prout ibi dictum fuit, ſed non oſculantur manum Epiſcopi.

COMMENTARIUS.

I. TRactu poſt ſecundam Prophethiam cantato, ex Ordine XII. Romano, Cap. XIII. *poſtmodum Diaconus Cardinalis non oſculatis pedibus*, ſcilicet Papæ, *facta reverentia, aſcendit pulpitum nudum, & ibi ſine faculis, & incenſo, incipit Paſſionem &c.* Enarrat eundem hunc ritum Romanus Ordo XIV. Cap. XCV. ſic inquens: *Antequam finiatur Tractus, Diaconus Paſſionem dicturus, debet exuere Planetam, & eam Planetam ad modum Stolæ recipere debet ſuper humerum ſiniſtrum, ita quod capita ejus firmentur ad latus dexterum quaſi retro.* Tradit hæc eadem in ſuo Romano Ordine XV. Amelius Cap. LXXV. & addit: *Finito Tractu, ipſe Diaconus Cardinalis, facta reverentia genuflexus coram Altari, ſine benedictione, & pedis oſculo, procedit cum Libro Euangeliorum ſine cereis, & incenſo ad pulpitum nudum, & abſolute ſine* Dominus vobiſcum, *incipit*, Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum Joannem, *& abſque aliquali reſponſione dicit*, In illo tempore egreſſus eſt Jeſus cum Diſcipulis ſuis &c.

II. Conſtat ex dictis, quod alias ſuperius notavimus, non a tribus, ut hodie fit, cantatam fuiſſe Chriſti Domini Paſſionem, ſed a ſolo Diacono. In Albienſi Eccleſia, uti ex illius antiquo Miſſali addiſcimus, ea verba, *Eli Eli Lammaſabactani*, ideſt. *Deus Deus meus ut quid dereliquiſti me?* cum nota, & cantu ſingulari proferebantur. Videſis, quæ de Paſſione cantanda etiam hac die ſcripſimus ſupra Cap. XXI. ubi enarravimus ritus Dominicæ Palmarum.

§. XVII.

Epiſcopus, & omnes, cum inchoatur Paſſio, ſurgunt, & ſtant, detecto capite, uſque ad ejus finem; & Epiſcopus apud Altare in cornu Epiſtolæ legit ſecrete ex Libro ſuper Altare poſito Paſſionem uſque ad finem, verſus aliquantulum ad ipſos Cantantes; & Miniſtri ſacri ſtant juxta Epiſcopum, dum legit Paſſionem pro ſitu loci in plano, ordine ſuo.

§. XVIII.

Digitized by Google

§. XVIII.

Cum autem Cantores pervenerint ad ea verba, *Et inclinato capite tradidit ſpiritum*, Epiſcopus, & omnes in locis ſuis genuflectunt, ſic parumper manentes, vel orantes; & ſurgente Diacono, ſeu Cantore, qui Euangeliſtæ perſonam gerit, omnes ſurgunt, ſtantes, & audientes reliquum Paſſionis, uſquequo legendum ſit in tono Euangelii. Tunc Epiſcopus, & omnes ſedent, & Cantores, qui cantaverunt Paſſionem, cum debitis reverentiis diſcedunt.

COMMENTARIUS.

I. QUamvis Ritus in Paragraphis hiſce contenti, explicati ſuperius a nobis fuerint, ubi egimus de Paſſione, quæ in Dominicæ Palmarum Miſſa cantatur, lubet nihilominus ad ipſos magis magiſque illuſtrandos referre hic primo locum Ordinis Romani XV. Cap. LXXV. *In principio Paſſionis, Papa ſurgit de Cathedra, & depoſita ſibi Mitra, ſtat pedes contra Altare circa medium, quaſi ſuſtentans ſe ſuper illud retro in ſcapulis, reſpiciens ad illum, qui legit Paſſionem, junctis ante pectus manibus, & ſic ſemper ſtat, quouſque perveniatur ad locum Paſſionis, cum dicitur*, Et inclinato capite &c. *Et tunc Papa genuflectit ad Altare, & ſtat genuflexus per tantum ſpatium, quod ſemel poſſet dici*, Pater noſter. *Poſtea ſurgit, & ſtat ſicut prius: ſimiliter & omnes alii faciunt.* Et mox ita etiam ſubjicit: *Sciendum, quod Papa met Paſſionem legit, dum cantatur per Diaconum Cardinalem.* Confer quæ in ſuo Cæremoniali ſcribit Patricius, ubi poſtquam mentionem fecit cantandæ Paſſionis per unum ſolum Diaconum Cardinalem, non obſcure innuit, ſuo ævo inſtitutum ritum, ut per tres diſtinctos Cantores Paſſio ipſa decantaretur.

II. De Paſſione hac die cantanda illud hic admonendum, quod licet communiter legatur ex Euangelio S. Joannis, in Miſſali tamen Ambroſiano, anno MDLX. edito notatur ex Euangelio ſecundum Matthæum, incipitque ab illis verbis: *Mane facto, concilium inierunt omnes Principes Sacerdotum &c.* uſque ad verba illa, *clamans voce magna expiravit.* Ex ipſo Miſſali Diaconus quidem cantat ipſam Paſſionem, præmiſſo, *Dominus vobiſcum*; ex Miſſali autem impreſſo anno MDCLXIX. *ultimus Diaconus*, & ex alio ejuſdem anni, *penultimus Diaconus*. Sed audiamus ritum, quo ex Ambroſiano Miſſali Paſſionem Diaconus cantare ſolet: *Interim Diaconus hebdomadarius ruheis paramentis indutus, collocato Libro in medio ſuper Altare, dicit genuflexus in gradu*, Munda cor meum &c. *Deinde ſumto Libro, præviis Subdiacono, & Acolythis cum incenſo, & luminaribus accenſis, aſcendit in Ambonem ad lectorile, ubi Paſſionem cantat in tono Dominicali.* Sed hi peculiares ſunt Ritus, ſicut & illi, ut nimirum ad ea Paſſionis verba, *clamans voce magna expiravit*, Subdiaconi duo Albis, & Amictibus induti Altare denudent, & abſtergant, Acolythi omnia luminaria extinguant, & ipſe demum Diaconus ſubmiſſa voce, ſive aliquantulum depreſſa, proſequatur ſine luminibus reliquum Paſſionis, *Et ecce velum &c.* uſque ad illa verba, *& Joſeph Mater, & Mater filiorum Zebedei.* Vide Miſſale ipſum Ambroſianum juxta editiones ſuperius jam a nobis notatas, anni ſcilicet MDLX. & anni MDCLXIX.

III. Teſte Durando Lib. VI. ſui Rationalis, Cap. LXXVII. legebatur hac die Paſſio non modo ſuper nudum pulpitum, ſed etiam *nudis pedibus*; & in quibuſdam Eccleſiis ſindon, ſeu terſoria, vel veſtes Altari nudato ſuperponebantur uſque dum Paſſio legeretur, cum vero Cantor ad eum locum pervenerat, *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea &c.* tunc Subdiaconi ſindonem illam, vel terſoria tollebant, repræſentantes hiſtoriam, quia quatuor milites Chriſtum crucifigentes, veſtem Chriſti ſuſtulerant. Addit, in aliis quoque locis, una veſte ab Altari ſublata, alteram ibi remanſiſſe, ad ſignificandum, quod veſtis Domini inconſutilis non fuit ſciſſa, vel partita, ſed ſorte ſuper eam miſſa, contigit integra uni militi; & ad notandum, quod Eccleſiæ unitas nunquam potuit a ſchiſmaticis, vel hæreticis ſcindi.

IV. Sed ut aliquid tandem de praxi eorum dicamus, quæ in duobus noſtris Paragraphis ſtatuta ſunt, *dum per Chorum cantatur Tractus*, ex præſcripto noſtri §. XVI. *tres Capellani, ſeu Cantores*, ſive Canonici, ut eſt uſus inſignium Baſilicarum, & Cathedralium Eccleſiarum, *qui Paſſionem ſunt cantaturi, parantur in Sacriſtia in habitu Diaconali præter Dalmaticam, prout in Dominica præterita dictum fuit, coloris tamen nigri; & circa finem Tractus*, ideſt, dum Chorus in Tractu cantat Verſiculum, *Domine, Domine virtus &c.* ut in Miſſali, Cantores *procedunt eodem ordine cum tribus Capellanis, ſive Acolythis ſine candelabris, & incenſo*, præcedente Cæremoniario, quem ſequitur, qui Euangeliſtæ perſonam gerit, tum qui Turbarum, & demum qui Chriſti, ſinguli cum Libro, & bireto, vel Mitra, ſi eo privilegio gaudeant, tribus Acolythis ſucceſſive ſequentibus uno poſt alium.

V. In ingreſſu Presbyterii Cantores deponent bireta, ſeu Mitras, factiſque reverentiis Altari, & Epiſcopo, accedunt ad locum, ubi cantanda eſt Paſſio, eamque cantant eodem modo, quo in Dominica ipſa præterita Palmarum dictum fuit, excepto, quod *non oſculantur manum Epiſcopi*, & Paſſio ſuper nudum pulpitum, vel legile

Digitized by Google

gile cantatur. Cum inchoatur Paſſio, Epiſcopus, amoto Faldiſtorio, ſurgit, & depoſita Mitra ſtat uſque ad finem, legitque apud Altare in cornu Epiſtolæ ſecrete ex Libro ſuper Altari poſito Paſſionem verſus aliquantulum ad ipſos Cantantes. Surgunt una cum Epiſcopo ejus Miniſtri, caputque detegunt, & ſtant juxta Epiſcopum ipſum, dum legit Paſſionem, pro ſitu loci in plano, ordine ſuo, ut ait noſter §. XVII. Sane ex Memoriali Rituum Majoris Hebdomadæ Tit. VII. Cap. II. §. III. ſtabit Presbyter aſſiſtens apud Librum cum Miniſtro de Bugia; Diaconus vero Euangelii, Subdiaconus Epiſtolæ, & duo Diaconi aſſiſtentes in plano Epiſtolæ recta linea verſus Cantores Paſſionis, & Miniſtri de Libro, & Mitra poſt terga illorum.

VI. Cum Cantor in Paſſione ad ea verba pervenerit, *Et inclinato capite &c.* ex noſtro §. XVIII. omnes genuflectunt in locis ſuis, verſa facie ad Altare, Cantores autem verſus Librum, *ſic parumper manentes, vel orantes; & ſurgente Diacono, ſeu Cantore, qui Euangeliſtæ perſonam gerit, omnes ſurgunt, ſtantes, & audientes reliquum Paſſionis, uſquequo legendum ſit in tono Euangelii.* Finita Paſſione, reponitur Faldiſtorium, prius, & Epiſcopus ſedet cum Mitra, & Gremiali, ut ait Memoriale Rituum, ſedentque etiam tunc omnes, exceptis Cantoribus Paſſionis, qui cum debitis reverentiis diſcedunt, & ad Sacriſtiam redeunt, reſumentes in egreſſu Presbyterii bireta ſua, ſeu Mitras. Ex Horatio Chriſtiani, Sectione IV. Cap. II. Num. XXV. *interim Pontifex ſic ſedens, præmiſſo de more,* Munda cor meum &c. *ſine,* Jube Domine, *legit reliquum Paſſionis,* Miniſtris ſcilicet de Libro, & de Bugia, & aliis Miniſtris Canonicis ſtantibus in ſecundo gradu, ut ſupra, ante Altare, præter Diaconum, de quo mox in §. ſequenti.

§. XIX.

Tunc Diaconus Euangelii, depoſita Planeta, & accepta altera complicata ſuper humerum ſiniſtrum, portat Librum ad Altare, dicit genuflexus, *Munda cor meum &c.* reaſſumit Librum, & vadit cum Subdiacono, & duobus Acolythis ſine luminibus, & ſine incenſo; & petita benedictione, cantat reliquum Paſſionis in tono Euangelii. Quo finito, Diaconus cum aliis, qui ſecum erunt, factis debitis reverentiis, revertuntur ad loca ſua.

COMMENTARIUS.

I. FInita a Cantoribus Paſſione, iiſque cum debitis reverentiis diſcedentibus, *tunc Diaconus Euangelii, depoſita Planeta, & accepta altera complicata,* ſive Stola latiori, uti eſt uſus, *ſuper humerum ſiniſtrum, portat Librum ad Altare,* ponens ſcilicet illum in medio Altaris, facta prius genuflexione Cruci, & reverentia Epiſcopo in plano; tum deſcendens ab Altari vertendo ſe per humerum dexterum in ſecundum gradum, genuflectit in ſuppedaneo, ubi *dicit genuflexus,* Munda cor meum &c. *reaſſumit Librum,* ideſt, ſurgit, & accipit Librum, *& vadit cum Subdiacono, & duobus Acolythis, ſine Luminibus, & ſine incenſo,* ſed manus junctas tenentibus; *& nulla petita benedictione,* facta tamen reverentia Cruci, & Epiſcopo, *cantat reliquum Paſſionis in tono Euangelii.*

II. Sed is ritus aliter olim ſervatus fuit, nam ut ajunt Romani Ordines XIV. & XV. de Officio Feriæ VI. agentes, *cum pervenitur ad locum illum, qui debet dici in tono Euangelii, videlicet,* Poſt hæc autem rogavit Pilatum, *Diaconus Cardinalis,* qui ſcilicet ſolus juxta antiquum morem cantavit Paſſionem, *inclinando ſe, ſubmiſſa voce petit benedictionem a Papa ibidem, & Acolythi repræſentant more ſolito thuribulum cum incenſo, & Papa ponit incenſum benedictum, quod Acolythus portabit ad Diaconum pro Euangelio incenſando, & alii duo Acolythi, vel Capellani portant cereos accenſos.* Hæc Amelius in ſuo Ordine Romano XV. ubi etiam mox ſubdit: *Finita vero Paſſione una cum Euangelio, reportatur ipſe Liber Papæ more ſolito oſculandus, videlicet, in loco prædicto,* Poſt hæc &c.

III. Idem prorſus quod hucuſque Amelius, præſcripſerat pridem Jacobus Gaetanus in laudato Romano Ordine XIV. ubi poſtquam dixit, Diaconum ipſum, qui Paſſionem cecinit, reliquum etiam Paſſionis canere, ac proſequi, *ut inchoaverat Paſſionem,* ita deinde ſubjicit: *Cum ventum fuerit ad eum locam, ubi dicitur,* Poſt hæc autem rogavit Pilatum, *Acolythi repræſentent ex more thuribulum, & Pontifex imponat incenſum, quod Acolythi portant ad Euangelium, & portant etiam faculas accenſas. Finito vero Euangelio, reportatur Liber cum incenſo deoſculandus Pontifici.* Sed hi ritus jam tribus circiter ab hinc ſeculis mutati ſunt. Nulla enim ad Euangelium hac die cantandum petitur benedictio, non deferuntur lumina, nec incenſum, nec finito Euangelio defertur ad Epiſcopum Liber deoſculandus. Id quod alias notavit Patricius in ſuo Cæremoniali.

IV. Cantaturo Euangelium Diacono, Epiſcopus per manus aſſiſtentium Diaconorum deponit Gremiale, & Mitram, & ſtat in eodem cornu Epiſtolæ verſus Diaconum, non amoto Faldiſtorio, Presbytero, & Diaconis aſſiſtentibus in plano Epiſtolæ ſtantibus, & ad ipſum Diaconum verſis. Finito inſuper Euangelio, ſive potius reliqua Paſſionis parte, Epiſcopus non oſculatur Librum, ſed ſedet, & accipit Mitram, & Gremiale per aſſiſtentes Diaconos, qui una cum Presbytero

Digitized by Google

sbytero vadunt ad loca ſua in ſecundo gradu. Diaconus autem, & Subdiaconus, relicto Libro in manu unius ex Acolythis, ad Altare pergunt cum debitis reverentiis in plano, & cum Presbytero, & Diaconis aſſiſtentibus, ſe diſponunt, ut ſupra, in ſecundo gradu ſtantes, ut ait Memoriale Rituum Tit. v. Cap. 1. §. Sed non omittendus & ille tandem eſt ritus in Eccleſia Sueſſionenſi olim ſervatus, in qua Subdiaconus, finita Paſſione, ſacrum Euangelii textum, quaſi in occulto ſub ſua infula acceptum velut in ſinu ſuo, ad ſepulcrum deferebat.

§. XX.

Tunc, ſi Sermo eſt habendus, ducitur Sermocinator in habitu convenienti ante Epiſcopum per Cæremoniarium, qui genuflexus petit Indulgentias abſque benedictione, & cum debitis reverentiis vadit ad pulpitum, & habet Sermonem. Epiſcopus tunc ſedet in eodem cornu Epiſtolæ, ſed verſus ad Sermocinantem; alii omnes, ſedente Epiſcopo, ſedent. Statim, finito Sermone, Sermocinator pronunciat Indulgentias ab Epiſcopo conceſſas.

COMMENTARIUS.

I. PRoxime poſt recitatam Chriſti Domini Paſſionem, Sermonem de eadem haberi, antiquiſſima eſt Eccleſiæ conſuetudo, quæ Patrum complurium auctoritate confirmari poſſet, præſertim vero S. Leonis Magni, a quo, ut in ejus Operibus videre eſt, decem & novem de Paſſione Domini Sermones concinnati ſunt, & ad populum habiti. In die Paraſceves priſci ævi morem fuiſſe, ut Fideles extra Civitatem convenirent ad audiendam Concionem, teſtis eſt S. Chryſoſtomus in prima ſua Oratione habita in Paraſceve, ubi etiam cauſam ejus ritus adjicit, dicens: *Ut Chriſtum extra Civitatem Crucifixum ceu Paſtorem ſequantur & oves; & ubi eſt corpus, illuc & aquilæ congregentur; & quoniam Apoſtolus hortatur, ut exeamus extra caſtra, improperium Chriſti portantes*. Addit præterea idem S. Pater, locum, quo convenienbant, fuiſſe cœmeterium, quoniam eo die Chriſtus ad mortuos deſcendit.

II. Teſte Jacobo Gaetano in Ordine Romano XIV. Cap. XCIII. in Pontificia Capella, cantata Paſſione, *ſecundum modernos conſuevit fieri Sermo per aliquem Magiſtrum in Theologia, vel Prælatum; & ille qui facit Sermonem, genibus flexis ante Papam petit benedictionem, ſed non deoſculatur pedem; ſed habita benedictione, & recepta Indulgentia pronuncianda per Sermonem, vadit ad locum ſolitum pro Sermone faciendo. Cum autem fit Sermo, Papa ſedet in Cathedra nuda ante Altare, tenens Mitram in Capite &c.* Idipſum totidem verbis tradit etiam in ſuo Romano Ordine XV. Amelius, Cap. LXXV. Sed audiendus eſt Patricius, qui in ſuo Cæremoniali ita ritum ipſum enarrat: *Qui autem eſt facturus Sermonem, ſi eſt Prælatus, cum Pluviali nigro, & alba Mitra; ſi eſt alius, cum habitu alias conſueto, accedit ad Pontificem, & genuflexus petit Indulgentias populo publicandas, & non benedictionem. Deinde aſcendit pulpitum, & facit Sermonem ſuum, & Pontifex ſedet in cornu Epiſtolæ, verſus ad Prædicantem &c.* His plene concinunt, quæ de Sermone habendo in Paraſceve noſtri hujus §. Rubrica præſcribit.

III. Solet hodie in multis Eccleſiis haberi concio de Paſſione Feria V. in Cœna Domini, ſero poſt Officium Tenebrarum; in aliis vero mane Feria VI. in Paraſceve, ſed ante Officium Miſſæ. Idem varius ritus legitur etiam in variis Ordinariis pro varietate Eccleſiarum.

§. XXI.

Non fit Confeſſio, nec Abſolutio, nec datur Benedictio, ſed ſtatim Epiſcopus ſurgit, depoſita Mitra, & remota Cathedra, & ſtans in eodem loco, cantat ex Libro Orationes, ut in Miſſali. Diaconus dicit, *Flectamus genua*; Subdiaconus vero, *Levate*, advertendo, ubi dicendum erit, prout in Miſſali.

COMMENTARIUS.

I. COnveniunt in hoc enarrando ritu memorati Romani Ordines XIV. & XV. cum Cæremoniali Patricii, cui noſter hic §. concinit; ſic enim ille inquit: *Finito Sermone, Prædicator ſtatim pronunciabit Indulgentias a Summo Pontifice conceſſas: non ſit confeſſio, neque datur benedictio, ſed mox ſurgit Pontifex, amovetur Cathedra, deponit Mitram, & ſtans in dicto cornu, ex Libro ſuper Altare ſtante cantat Orationes*, Oremus dilectiſſimi, *ut in Ordinario &c.* Circa Orationes ſolemnes, quæ Paſſionem ſequuntur, multa ſcitu digna obſervat Martenius in Libro, *De Antiqua Eccleſiæ Diſciplina &c.* Cap. XXIII. Num. XII. & occurrunt paſſim ipſæ Ora-

Digitized by Google

Orationes in Ordinariis, & in Miſſalibus antiquis, uti apud ipſum Martenium videre eſt loco citato. Ex præſcripto autem hujus noſtri §. pronunciatis a Sermocinatore Indulgentiis, *ſtatim Epiſcopus ſurgit, depoſita Mitra, & remota Cathedra, & ſtans in eodem loco*, ideſt in Cornu Epiſtolæ verſus Altare, *cantat ex Libro Orationes, ut in Miſſili*, ſtantibus ſcilicet Presbytero aſſiſtente ad Librum cum Miniſtro de Bugia, Diacono, & Subdiacono, uno poſt alium, & Diaconis aſſiſtentibus in medio ante Altare, ut in Miſſis Pontificalibus.

II. Ad Orationes Diaconus quidem dicit, *Flectamus genua*, genuflectens ſcilicet poſt Epiſcopum, Subdiaconus autem poſt Diaconum dicit, *Levate*, ut ſuperius in §. XIV. præſcriptum eſt. Advertere autem debet ipſe Diaconus, ubi dicendum ab ipſo erit, *Flectamus genua*; etenim ex antiquo ritu, cujus tum Ordines varii Romani, tum Libri Rituales diverſi, tum etiam Scriptores meminere, ad Orationem pro Judæis non dicitur, *Flectamus genua*; quia ſcilicet, ut inter alios inquit Romanus Ordo XII. Auctore Cencio Cap. XIII. *ipſi hac die Dominum irridendo genua flectebant. Eccleſia illorum horreſcens facinus, genua pro ipſis non flectit in Oratione*. Eandem rationem tradit Durandus Lib. VI. Cap. LXXVII. Num. XIII. ubi mox etiam ſubjicit, juxta aliquorum ritum in Orationibus pro Judæis, & Paganis, non reſponderi, *Amen*; & hoc ideo, quia cum illi ſint extra collegium, ſive corpus Eccleſiæ, Fidelium populus non oſtendit affectum ſuum ad eos, per *Amen* autem affectum exprimi ait. Subjungit & alia ad rem, quæ apud ipſum Auctorem videri poſſunt. Sane quod in quibuſdam vetuſtioribus Sacramentariis ad Orationem, quæ pro Judæorum ſit converſione, perinde atque ad alias præmittatur, *Flectamus genua*, docet loco laudato Martenius, & alii ante ipſum complures Auctores, qui etiam quædam alia pro ſuo ingenio tradunt ad explicandum Ritum in Miſſalibus Libris, atque in Ordinariis alias antiquis præſcriptum, in quibus ſcilicet vetatur, ne ad Orationem ipſam pro Judæis, Verſiculus illo *Flectamus genua* a Diacono præmittatur.

III. Sed conſtat, communem fuiſſe Eccleſiarum morem, ut ad Orationem pro Judæis, genua non flecterentur; lapſuſque eſt Joannes Meurſius, ubi in ſua Mantiſſa Cap. XXIV. conatur probare, veteris Eccleſiæ morem fuiſſe, ut in die Reſurrectionis, & Paraſceve, totoque tempore Pentecoſtes genua non flecterent. De primo, & extremo res veriſſima eſt, & ſatis nota, uti fuſe oſtendimus in Commentario ad Canonem XX. Concilii I. Nicæni noſtro I. Tomo Conciliorum; non ita vero quod aſſerit de die Paraſceves, uti ex ſuperius dictis liquet, quorum ignoratio ad errorem traxit Meurſium, cui quidem Bernonis verba non bene intellecta impoſuerunt. Sic enim Berno in ſuo Libro, *De rebus ad Miſſam ſpectantibus*, Cap. VII. quem ille producit, inquit: *Similem ob cauſam etiam in Paraſceve genua non flectimus pro perfidis Judæis, qui illudendo genua flectebant coram Deo; ne videamur illos imitari, qui opus bonum ſtudebant male operari; quemadmodum tunc ab oſculo abſtinemus propter Judæ traditoris exemplum, qui per ſimulatæ pacis oſculum, tradidit Dominum Jeſum Chriſtum*. Non dixit abſolute, a genuflexione eo die fideles abſtinuiſſe, ſed rem ad Orationem coercit, quæ tunc pro Judæis fit, nam pro aliis flectuntur genua, ut ſcite Meurſium refellit eruditiſſimus Novarinius Clericus Regularis Lib. XII. Schediaſmat. Sacro-prophan. Cap. XXX. Num. CXXXIII.

§. XXII.

Finitis Orationibus, Epiſcopus deponit Planetam apud Faldiſtorium, & interim, dum dicuntur ultimæ Orationes, Miniſtri extendunt tapete magnum, vel pannum violaceum ante gradus Altaris, vel Presbyterii, & ſuper primos ejus gradus ponunt pulvinar amplum, & ſuper eo velum, ſeu mappam ſericeam, ut ſupra, ubi ponenda erit Crux.

§. XXIII.

Epiſcopus depoſita Planeta, vadit ad angulum poſteriorem cornu Epiſtolæ, facie ad ad Populum verſa. Tunc Sacriſta capiens Crucem de medio Altaris, illam porrigit Diacono, qui eamdem dat Epiſcopo, qui eam devote accipiens, manu dextera detegit illius ſummitatem uſque ad tranſverſum Crucis, & ambabus manibus illam elevans, voce gravi cantat, *Ecce lignum Crucis*, ſecundum notas in Miſſali Romano appoſitas, Presbytero aſſiſtente Librum tenente; quod cum dicit, omnes, detecto capite, ſurgunt; Cæremoniarius, & alii Capellani, qui circa Altare manent, proſequuntur in cantu verba, *In quo ſalus Mundi pependit*, & Chorus reſpondet, *Venite adoremus*, quo caſu omnes genuflectunt, excepto Epiſcopo celebrante. Idem ſecundo facit, & cantat Epiſcopus diſcooperiendo brachium dexterum Crucis, & caput figuræ Crucifixi, procedens ad anteriorem partem anguli prædicti; & tertio diſcooperiendo totam Crucem ante medium Altaris, ſem-

Digitized by Google

ſemper altius vocem extollendo, & idem reſpondetur per Capellanos, & Chorum, ut prima vice; & pariter ad illa verba, *Venite adoremus*, ſemper omnes genuflectunt.

COMMENTARIUS.

I. EAdem fere, quæ in duobus hiſce Paragraphis noſtrum Cæremoniale præſcribit, tradidit jampridem ex antiquo ritu in ſuo Cæremoniali Patricius, Lib. II. Sectione I. Cap. LI. *Cum dicitur ultima Oratio*, inquit, *vel parum ante, Clerici Capellæ ponunt unum magnum tapete a ſuperiori gradu Altaris per longum Capellæ, & ſuper primos gradus ponunt pulvinum magnum violaceum, & deſuper mappulam unam ſericeam pulcram, ſuper qua poſtmodum Crux ponitur*. Ex Craſſi ſententia Lib. II. ſui Cæremonialis, Cap. XLVII. incepta Oratione pro Judæis, extendi debet per Capellanos magnum tapete, & pulvinar magnum auratum, ac velum pulcrum album loco ſindonis mundæ ſuper pulvinari pro Cruce deſuper ſternenda. Sed de his videnda ſunt, atque ſervanda, quæ ſupra noſtrum Cæremoniale preſcribit in Rubrica §. III. & quæ edidit Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ Tit. VII. Cap. II. §. IV.

II. Finitis autem Orationibus, ut idem Patricius tradit, Ritum enarrans Pontificiæ Capellæ, *Celebrans, accepta Mitra, vadit ad Faldiſtorium, ubi deponit Mitram, & Caſulam, & procedit ad poſterius cornu Epiſtolæ juxta parietem, & Diaconus accipit Crucem velatam ab Altari, & illam offert Celebranti*. Teſte Craſſo, *Diaconus ſolus accipit de Altari Crucem velatam, ſic cum velo diſſolutili compoſitam, ut Celebrans poſſit abſolute Crucem diſcorperire*. Sed tenenda eſt regula noſtri §. XXIII. ex cujus præſcripto, *Sacriſta capiens Crucem de medio Altaris, illam porrigit Diacono, qui eandem dat Epiſcopo*. In Pontificia Capella munus fuiſſe aliquando Sacriſtæ, Epiſcopi ſcilicet, atque ſervientis Papæ in Miſſa, ut paratus cum Pluviali nigro traderet Papæ Crucem, docet in ſuo Romano Ordine XV. Amelius, Cap. LXXV. Concinit tamen noſtro Cæremoniali Patricius, Lib. II. Sectione I. Cap. XIV. agens de ipſa VI. Feria, Papa celebrante: *Sacriſta capiens Crucem ex Altari, illam reverenter portat ad manus Diaconi, qui illam dat ad manus Pontificis*.

III. Pro majori noſtri §. XXIII. explicatione, ſciendum eſt, completis Orationibus, ac repoſito Faldiſtorio in Altari, debere Epiſcopum Planetam tantum apud illud deponere, remotoque iterum Faldiſtorio, deſcendere ad angulum poſteriorem Epiſtolæ, & ſe collocare in ſecundo gradu verſa facie ad Chorum, Crucemque expectare; Presbyterum vero aſſiſtentem, accepto Miſſali, debere tunc in infimum gradum deſcendere ejuſdem poſterioris cornu, renibus ad populum verſis; Subdiacono tunc apud Epiſcopum in plano, & Diaconis aſſiſtentibus ante Altare, ſtantibus. Quantum ad Diaconum, accedit primum ad medium Altaris, ibique facta prius genuflexione, accipit de manu Sacriſtæ Crucem ejuſdem Altaris jam coopertam velo nigro ſolutili, eamque dat Epiſcopo ſtanti, ut ſupra, qui eam devote accipit, & cum ea ſe vertit per humerum dexterum verſus populum, recipitque ſe tunc idem Diaconus in gradu inferiori Altaris ad dexteram Epiſcopi, Subdiacono tunc aſcendente ad ſecundum gradum quaſi ad Epiſcopi ſiniſtram.

IV. Rurſus ex præſcripto noſtri §. XXIII. ubi Epiſcopus devote a Diacono Crucem accepit, *manu dextera detegit illius ſummitatem uſque ad tranſverſum Crucis* excluſive, *& ambabus manibus illam elevans*, aliquantulum ſcilicet, uſque ad altitudinem oculorum, ut ait Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. LI. *voce gravi cantat*, Ecce Lignum Crucis, *ſecundum notas in Miſſali Romano appoſitas, Presbytero aſſiſtente Librum tenente*. Eodem pene modo, quo hodie, ſervatus olim fuit ubique Ritus denudandæ, ac adorandæ Crucis. Ordo Romanus XIV. Cap. XCIII. affirmat accipere Papam Crucem a Miniſtris ſibi præparatam ſindone munda coopertam, & tribus diverſis vicibus ſigillatim dicere, *Ecce lignum Crucis*. Non extat tamen in Sacramentario S. Gregorii, quod ad verba illa, *Ecce lignum Crucis*, elevanda ſit Crux, vel monſtranda ſolemniter populo, ſed adjectum eſt poſtea; extat autem & in aliis quoque priſcis Libris, quod præparatur Crux ante Altare, quæ a duobus defertur Acolythis.

V. Ubi Epiſcopus dicit, *Ecce lignum Crucis*, ex noſtro ipſo §. *omnes, detecto capite, ſurgunt*; *Cæremoniarius, & alii Capellani, qui circa Altare manent, proſequuntur in cantu verba*, In quo ſalus Mundi pependit; *& Chorus reſpondet*, Venite adoremus; *quo caſu omnes genuflectunt*, & caput inclinant, ut ait Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ, *excepto Epiſcopo Celebrante*; verbiſque illis dictis, *Venite adoremus*, ſtatim omnes ſurgunt. Addit tum noſter §.: *Idem ſecundo facit, & cantat Epiſcopus diſcooperiendo brachium dexterum Crucis, & caput figuræ Crucifixi, procedens ad anteriorem partem anguli prædicti*. Nempe accedit Epiſcopus ad anteriorem partem cornu Epiſtolæ, ibique medius inter Diaconum, & Subdiaconum, diſcooperit brachium dexterum Crucis, & caput Crucifixi, & magis elevans Crucem, & vocem, ut ait Gavantus in Rubricas Miſſalis, ſecundo cantat, *Ecce lignum Crucis*, Cæremoniario, Miniſtris, & Capellanis, ut ſupra, proſequentibus, *In quo ſalus Mundi pependit*; Choro autem iterum reſpondente, *Venite adoremus*; & omnibus genuflectentibus, ut prius, ac ſurgentibus, Epiſcopus tandem *tertio diſcooperiendo totam Crucem ante medium Altaris, ſemper altius vocem extollendo*, cantat, *Ecce lignum Crucis*, Miniſtris, & Choro reſpective tertio reſpondentibus, ac genuflectentibus,

Digitized by Google

tibus, ut ſupra. Quibus peractis, Cæremoniarius, ponit lancem a latere ſiniſtro pulvinaris, ubi collocanda eſt Crux, ideſt, ad dexteram adorantium; & tunc etiam diſcooperiuntur omnes per Eccleſiam Cruces, ut docet Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ.

§. XXIV.

Quibus peractis, ipſe Epiſcopus celebrans ſolus abſque Miniſtris procedit ad locum, ubi eſt poſitum pulvinum antedictum, portans Crucem, ambabus manibus, elevatam devote, nullam tunc Altari faciens reverentiam; & genuflexus ponit, & firmat cordulis, ſi opus eſt, ſupra dictum pulvinum, adjuvante Cæremoniario, qui paulo ante ponere debet prope ipſum pulvinum lancem ad dexteram adorantis ubi pecuniæ, quæ Cruci offeruntur, ponantur.

§. XXV.

Deinde Epiſcopus redit ad ſuum Faldiſtorium, ubi miniſtrantibus Scutiferis, deponit calceos; & ſic, detecto capite, deſcendit ad Crucem adorandam, medius inter duos Diaconos aſſiſtentes, & gradiens per dictum tapete, ſeu pannum, ter cum debita diſtantia genuflectit ante Crucem, aliquantulum pro unaquaque vice orando, & demum Crucem oſculatur; prius tamen offert, ſeu offerre facit in lancem ibi poſitam pecunias ad libitum.

COMMENTARIUS.

I. MOs antiquus adorandæ hac die Crucis jam ſuperius probatus fuit ex teſtimonio S. Paulini in Epiſtola XXXI. ad Severum, ubi ait, in Urbe Jeruſalem quotannis conſueviſſe adorari Crucem, *cum Paſcha Domini agitur*, nempe Feria Sexta Paraſceves, *qua Crucis Myſterium celebratur*. Adorandam Crucem veteri ex conſuetudine, Ruſticus Diaconus Juſtiniano imperante contra Acephalos ſcribens, teſtatur his verbis: *Et adoramus omnes Crucem, & per ipſam illum, cujus eſt Crux*. Patrum traditionem vocat quidem cultum Crucis Jonas Aurelianenſis Epiſcopus, & adverſus Claudium Taurinenſem ſtenue propugnat in Libro, *De cultu Imaginum*, licet ipſe non plane Catholice ſentiens. Cum enim Claudius *falſæ religionis, atque ſuperſtitionis cultores* appellaſſet *eos, qui ob recordationem Salvatoris noſtri Crucem pictam, atque in ejus honorem imaginatam colunt*, hunc acriter Jonas redarguit, adorari Crucem utramque, hoc eſt, tam ſimplicem, quam imaginatam a Chriſtianis, inquit, maxime *in ſanctiſſimo die Paraſceves, ſecundum traditionem Eccleſiaſticam*; idque auctoritate S. Gregorii Magni Romani Pontificis approbat, cujus & peculiarem illi diei, ac religioni e Libro Sacramentarii Orationem deſcribit.

II. Sed deſcribamus celebrem locum memorati Epiſcopi Aurelianenſis Jonæ, ſic inter alia adverſus Claudium loquentis: *Ob recordationem ſalutiferæ Paſſionis Dominicæ, annuatim in ſanctiſſimo die Paraſceves, ſecundum traditionem Eccleſiaſticam, Crucem Chriſti adorat, ideſt, ſupplicando ſalutat; quæ etiam tota, diffuſa per orbem in Chriſti laudem prorumpens gratulabunda canit*: Crucem tuam adoramus Domine, & ſanctam Reſurrectionem tuam laudamus. *Et iterum.* Ecce lignum Crucis, in quo ſalus Mundi pependit, venite adoremus. *Et Beatus Gregorius, de cujus dictis nemo, niſi immemor ſalutis ſuæ, ambigit, in Libro Sacramentorum ita meminit*, Deus, qui unigeniti tui Domini noſtri Jeſu Chriſti pretioſo ſanguine humanum genus redimere dignatus es, concede propitius, ut qui ad adorandam vivificam Crucem adveniunt, a peccatorum ſuorum nexibus liberentur.

III. Ritus adorandæ Crucis Feria Sexta in Paraſceve meminit inter alia Concilium Pariſienſe, in cauſa Imaginum habitum Seculo VIIII. aitque, inclinari ea die Fideles ante Crucem, illamque venerari: *Et ideo ſancta Mater Eccleſia toto orbe terrarum inter cetera innumera Crucis ſacramenta decrevit, licitum eſſe univerſis Catholicis ob amorem Paſſionis Chriſti, ubicumque eam viderint, inclinando, ſi voluerint, venerari, & inſuper die ſancto, quo Paſſio Domini in univerſo Mundo ſpecialiter celebratur, cum omni devotione univerſum ordinem Sacerdotalem, ſeu cunctum populum adorare*. Vide quam accurate de iſta adoratione Jonas Aurelianenſis Epiſcopus, & Patres Concilii Pariſienſis loquantur. Toto ad terram proſtrato corpore adorari vel olim conſueviſſe hac die Crucem, docent vulgatus Alcuinus, & Amalarius: *Quando hanc Crucem adoramus*, inquit ille, *omne corpus noſtrum hæreat terræ, & ipſum quem adoramus, quaſi pendentem in ea, mente cernamus, virtutemque, quam accepit ex Dei Filio, ipſam adoramus. Proſternimur corpore ante Crucem, mente ante Dominum; veneramur Crucem, per quam redemti ſumus, & illum deprecamur, qui redemit*. Amalarius vero Lib. I. De Eccleſiaſticis Officiis, Cap. XIV. ita ait: *Proſterni-*

Digitized by Google

ſternimur ante Crucem, ut fixa humilitas mentis per habitum corporis demonſtretur. Humilitatem mentis non poſſumus amplius monſtrare, quam ut totum corpus ad terram proſternatur. Similia docent alii Auctores de divinis Officiis agentes, ubi ritum adorandæ Crucis in Paraſceve enarrant.

IV. Adoratam hac die Crucem vel ab ipſo Romano Pontifice diſcalceato, & tertio proſtrato, tradunt Romani Ordines XIV. & XV. quorum alter cum ritum deſcribens ait, quod finita Antiphona, *Ecce lignum Crucis*, Papa, *Chirothecis non extractis, deſcendens gradus Altaris, & genibus flexis ponit Crucem ſuper prædictam mundiſſimam tobaleam, & ſuper illam ornatam de ſirico, quam ponit Sacriſta ante Altare in terra ſuper pulvinare extenſam cum illa etiam, cum qua cooperta fuerat Crux, & ipſa Cruce ſic poſita ibi per Papam, ſtatim Subdiaconus flexis genibus a parte dextera Crucis, cum manu una tenet pedem Crucis, & cum alia ejus ſummitatem cum illa tobalea de ſirico. Cruce vero poſita per Papam, Papa vadit ad Cathedram nudam, & baſſam ſine ſcabello paratam, & ibi ſedendo calceamenta deponit, quæ ſui cubicularii deponere conſueverunt, uno Epiſcoporum cum Pluviali ſuo cooperiente ea; & nudis pedibus, & Mitra ſibi depoſita, cum Chirothecis in manibus vadit quaſi ad portam regiarum Capellæ, comitantibus eum prædictis duobus antiquioribus Diaconibus Cardinalibus, uno a dexteris, & alio a ſiniſtris, & verſa facie ad Altare ibi genuflectit, inclinando caput ad terram junctis manibus; & hoc facit tribus vicibus, antequam perveniat ad Crucem, ſurgendo, & progrediendo pauliſper uſque ad locum, ubi Crucem poſuerat, & proſtratus ibi ad terram, ipſam Crucem adorat, eam deoſculando, & poſtea ſurgens revertitur ad Cathedram ſupradictam, & ibi ſedens calceatur a prædictis Cubiculariis, non tamen Sandalibus, ſed quotidianis calceamentis.* Ita plane in ipſo Romano Ordine XV. Petrus Amelius, Cap. LXXVI.

V. Subdit mox etiam is Auctor, Gregorium XI. necnon Urbanum VI. Romanos Pontifices, nunquam voluiſſe *ſe diſcalceare in Cathedra prædicta prope Altare, propter reverentiam Altaris, quia ambo devoti, ſed in illa magna Cathedra nuda longe ab Altari, ubi conſueverunt ſe induere in ſolemnitatibus.* Papam etiam non celebrantem, ſed Officio Feriæ Sextæ præſentem, debere diſcalceatum accedere ad adorandam Crucem, tradit in ſuo Cæremoniali Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. LI. ubi etiam notat, *quod ſi forte Pontifex propter ejus invaliditatem, aut alia ratione non velit ſibi calciamenta detrahi, debent nihilominus Acoluthi fimbriam tenere, & Cubicularius ſubtus genuflectere, ac ſi calciamenta deponeret, ad devotionem, & exemplum circumſtantium. Auditores fimbrias non elevant, ſed Papa dimiſſa Mitra vadit ad adorandam Crucem medius inter duos Diaconos Cardinales aſſiſtentes, quem aliqui ex ſuis Epiſcopis aſſiſtentibus ſequuntur, & ter cum diſtantia genuflectit, & orat antequam illam oſculetur.* Iiſdem cæremoniis debere Papam celebrantem ipſum Feriæ Sextæ Officium, adorare Crucem, docet idem Patricius Lib. citato, Cap. LIV.

VI. Varia de eodem Ritu pro varietate Eccleſiarum, ac temporum, legere eſt apud Durandum, & in antiquiis Miſſalibus, atque Ordinariis, in quorum etiam nonnullis adoratio Crucis fit poſt delatum Sanctiſſimum Sacramentum ad Altare, a loco ſcilicet, ubi præterita die fuerat reconditum. Ergo, ut alios omittam, ex Pontificali Codice inſignis Eccleſiæ Pictavienſis ante annos DCCC. exarato, interim Celebrans diceret Orationem Dominicam in Miſſa Præſanctificatorum, & mitteret in Calicem partem Hoſtiæ, ſternebantur ſtratoria a Cuſtodibus ſecundum morem; inde pergebant duo Cantores ad ſiniſtram partem Altaris, & cantabant hunc Verſum, *Populo meus*. Alii vero duo Cantores venientes retro Altare ante Crucem, quæ dudum illic linteo cooperta, & ſtatuta fuerat, *poplitibus, & manuum articulis innixi*, reverenter ipſam Crucem adorabant, ſuſtentantibus eam duobus Acolythis ex utraque parte, puero quoque ſubtus eam tenente cuſſinum ſericum. Cumque priores Cantores Verſum illum finierant, illico incipiebant illi hanc Antiphonam Græcam, *Agios, o Theos*, & Chorus eandem Antiphonam Latine repetebat, *Sanctus Deus*.

VII. Inde poſt alios recitatos Verſus, portabatur Crux uſque ad gradus, & repetebant priores tertium Verſum, *Populo meus, quid ultra debui facere tibi*, & ſecundi ante Crucem, *Agios*, Chorus quoque, *Sanctus Deus*, qua finita Antiphona, illi duo Cantores, qui Antiphonam Græcam decantaverant, diſcooperiebant Crucem, & elevantes eam in altum, incipiebant Antiphonam, *Ecce lignum Crucis*. Tunc ſe pariter proſternebant in terram tam Clerus, quam Populus, & continuo abſque mora ſurgebant, & ſtatuebatur Crux in loco, ubi erat adoranda, ſuſtentata ab Acolythis ex utraque parte, reclinata paulum, & annixa analogio, quod inſtar Altaris aptatum erat, ubi etiam eo die, & Lectiones legebantur, & quæ canenda erant, decantabantur. Tunc deſcendebat Sacerdos ab Altari cum duobus Presbyteris, qui Corpus Domini detulerant, & adorabat Crucem. Addit laudatum Pontificale; alias quoque ſtatuendas Cruces *in locis* conſuetudinariis, ut adorarentur a Populis, concinentibus Choris Antiphonam, *Crucem tuam adoramus Domine &c.*

VIII. Longum eſſet alios Codices deſcribere, qui plane omnes conveniunt in ritu denudandæ, ac adorandæ Crucis hac die, & in Orationibus, atque Antiphonis, quæ hodieque cani ſolent ex Rubricis Miſſalis Romani, tametſi non eodem Ritu functio ipſa in omnibus Eccleſiis perageretur. Improperia, *Populo meus &c.* quæ, ut notat in ſuo Cæremoniali Craſſus Lib. II. Cap. XLVII. non prius incipi a Choro debent, quam Celebrans Epiſcopus accedat ad adorandam Crucem, leguntur paſſim in antiquis Miſſalibus, atque Ordinariis. In Ordine Romano XIV. *Populo meus,*

Digitized by Google

meus, cantatur a duobus Presbyteris Alba indutis prope Crucem. Duo Diaconi Alba pariter induti, ante gradum Altaris dicunt Versum, *Agios &c.* & Chorus respondet, *Sanctus &c.* Presbyteri, *Quia eduxi &c.* Diaconi vero, *Agios &c.* Quod quidem Trisagion, *Agios*, ideſt, *Sanctus*, antiquiſſimum eſt in Eccleſia Greca, & repetitur in Acclamationibus Concili Calcedonenſis, in Actione I. & in omnibus Græcorum Liturgiis.

IX. Fuſe de hoc Triſagio egimus nos tum noſtro I. Tomo, tum etiam II. Conciliorum in Commentario ad Canonem LXXXI. Trullanum, ubi originem illius explicuimus. Cum vero Petrus Cnapheus Patriarcha Antiochenus pravo conſilio ad Triſagium ipſum adjunxiſſet, *Qui Crucifixus es pro nobis, miſerere nobis*, Canon Trullanus hanc precationem vetuit, cujus etiam additio jam longe ante improbata, multis diſputationibus anſam præbuit. Hymnus iſte, in quo ter *Sanctus* repetitur, precatio eſt, ſæpius in Officio Græcorum iterata, ejuſque Auctores affirmant, inſtitutam fuiſſe ſub Theodoſio juniore, & Proclo Patriarcha Conſtantinopolitano, occaſione terræmotus, qui Conſtantinopoli quatuor menſium ſpatio invaleſcens, hac precatione recitata, ceſſavit. Videtur iſte Hymnus, ut eruditi Scriptores notant, ab illo originem ducere, qui apud Iſaiam legitur Cap. VI. & in Apocalipſi, Cap. IV. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*. Sed vide, quæ de ipſo Hymnoſo laudatis locis diximus. Notat autem Grancolas in Breviarium Romanum Cap. LXIII. occaſione forte illius additamenti, *Qui crucifixus es pro nobis*, quod ad Triſagium fecit Cnapheus, factum eſſe, ut ipſe Hymnus in die Paraſceves legeretur. Cur Eccleſia hac die in ipſo dicendo Hymno Latina Lingua, & Græca utatur, variam rationem aſſignat in ſuo Rationali Durandus Lib. VI. Cap. LXXVII. Num. XIV. & XV.

X. Sed ut Paragraphos noſtros enucleemus, diſcooperta Cruce, *ipſe Epiſcopus Celebrans*, ex §. XXIV. *ſolus abſque Miniſtris*, deſcendens ſcilicet per latus Euangelii ſine genuflexione, uti ait Bauldryus in ſuo Manuali ſacrarum Cæremoniarum Parte IV. Cap. X. Articulo III. aliique Auctores complures, *procedit ad locum, ubi eſt poſitum pulvinum ante dictum, portans Crucem ambabus manibus elevatam, nullam tunc Altari faciens reverentiam, & genuflexus ponit &c.* Cruce poſita ſuper pulvino, ibique cordulis firmata, ſi opus eſt, adjuvante Cæremoniario, ut in noſtro §. XXIV. *deinde Epiſcopus* ſurgit, & facta iterum genuflexione, *redit ad ſuum Faldiſtorium*, ideſt, revertitur ad Altare, ubi facta reverentia ex eodem Bauldryo in recitato loco, ſedet in Faldiſtorio, remanente interim prope Crucem a latere aliquo Capellano genuflexo, & Cotta induto tanquam Cuſtode, qui etiam, cum res poſtulaverit, confuſionem omnem, ac perturbationem vitet, ſingulos modeſte monendo, qui tumultuantes ad Crucem adorandam accederent, uti inter alios notavit in ſua Praxi Pontificali Majoris Hebdomadæ Horatius Chriſtiani Sectione IV. Cap. III. aliique Scriptores, qui Cæremoniam ipſam adorandæ Crucis Feria Sexta in Paraſceve enarrant.

XI. Dum Epiſcopus Altare aſcendit, Diaconus, Subdiaconus, & Diaconi aſſiſtentes accedunt ante gradus anteriores Altaris in plano. Accipit Epiſcopus Mitram per Diaconum, & Subdiaconum, ſedenſque in Faldiſtorio, *miniſtrantibus ſcutiferis, deponit calceos, & ſic detecto capite, deſcendit ad Crucem adorandam, medius inter duos Diaconos aſſiſtentes*, devote ſcilicet, manibus junctis, atque oculis in terram demiſſis, omnino illud advertens, ne per Sacellum tranſeat, ubi eſt Capſula cum Sacramento, ibique oret, ut aliquando ab aliquibus fieri vidi in Urbe etiam, & Eccleſia inſigni. Ergo Epiſcopus, ut ait noſter §. medius inter duos Aſſiſtentes Diaconos, *gradiens per dictum tapete, ſeu pannum ter cum debita diſtantia genuflectit*, & quidem utroque genu, *ante Crucem, aliquantulum pro unaquaque vice orando*. Poſtquam enim primum genuflexit, oravitque aliquantulum, ſurgit, ac incedit uſque ad medietatem tapetis, ubi genuflectit, ac orat ſecundo; accedit tandem ad pedes Crucis, & ibi tertio genuflectit, orat, *& demum Crucem oſculatur*, vel potius pedem Crucifixi, ut notat inter alios Bauldryus loco citato; *prius tamen offert, ſeu offerre facit in lancem ibi poſitam pecunias ad libitum*.

XII. Reſtat nonnihil dicere de lance, quæ prope ipſum pulvinum, ubi Crux adoranda collocatur, ad dexteram adorantis, ex præſcripto noſtri §. XXIV. poni debet, ubi ſcilicet pecuniæ, quæ Cruci offeruntur, ponantur. Ritum plane hunc eſſe antiquum, docent nos antiqui Romani Ordines, inter quos Ordo XII. Auctore Cencio, Cap. XIII. ait, *quod ſecundum antiquam conſuetudinem, quidquid ſuper Crucem offertur, Scholæ Cracis debet eſſe*. Ex Ordine Romano XIV. Cap. XCIII. *pecuniam oblatam in Crucis adoratione Sacriſta recipit ſola hac die, quoniam ſua eſt, in aliis vero eſt Capellani*. Romanus Ordo XV. Cap. LXXVII. ait pecuniam ipſam hac ſola die recipi quidem a Clerico Capellæ, in aliis vero a Capellanis. Ex Cæremoniali Auguſtini Patricii, dum Papæ calceamenta extrahuntur, *per Cæremoniarium ponitur ad ſiniſtrum brachium Crucis pro offertorio vas unum aureum*, & poſtquam Papa nudis pedibus illam deoſculatus eſt, *projicit in appoſitum vas ibi paratum viginti quinque ducatos in auro, vel plures, ut ſibi placet*. Agit autem cauſam ſuam Patricius, quum infra inquit, quod ubi poſt adorationem Crux ad Altare defertur, *Cæremoniarius vas accipit, & pecunias ex lance in panniculo ligatas reponit ſuper Altare*. Quid de ea pecunia fiat, in fine Capitis ita exponit: *Cum Papa fuerit in Camera, conveniunt Sacriſta, Subdiaconi Apoſtolici, & Clerici Cæremoniarum, & dividunc pecunias in adoratione Crucis oblatas &c.*

XIII. Ejuſmodi oblationis mentio occurrit paſſim in variarum Eccleſiarum Cæremonialibus, atque Ordinariis. Craſſus in ſuo Cæremoniali ait, offe-

Digitized by Google

offerendum tunc, *quantum placet*, communiter tamen ſolere offerri numerum trigenarium nummorum argenteorum novorum, ſive etiam aureorum, aut mixtim, *juxta voluntatem, & facultatem, ac devotionem Cardinalis, vel cujuſvis offerentis*. Dici nequit, quot lites circa hujuſmodi oblationes excitari in Eccleſiis ſolent. Servanda plane eſt conſuetudo Eccleſiarum; etenim conſuetudinem illam, ut oblationes, quæ offeruntur Cruci Feria VI. in Paraſcève, dentur Magiſtris Cæremoniarum, ſervandum eſſe, declaravit Sacra Rituum Congregatio die XXIX. Novembris anni MDCIII. uti videre eſt apud Meratum in ſuis ad Gavantum Additionibus. Scio, multis in locis hujuſmodi pecuniæ oblationem dividi inter Sacriſtas, & Clericos Sacriſtiæ inſervientes; ſed omiſſa hac quæſtione, illud non omittendum ad calcem hujus Commentarii, quod docet Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ, Tit. VII. Cap. II. §. IV. nempe, dum Epiſcopus genuflexus collocat Crucem ſuper velum pulvino ſuppoſitum, & Cantores incipiunt improperia, debere interim Presbyterum aſſiſtentem, Diaconum, & Subdiaconum, duoſque aſſiſtentes Diaconos ſe recipere in plano Epiſtolæ rectam facientes lineam, ut inde ad adorandam Crucem procedant ſuo tempore, de quo in Commentario ſequenti quædam etiam notabimus, quæ ad praxim ſpectant.

§. XXVI.

Poſtquam Epiſcopus adoravit Crucem, revertitur ad ſuum Faldiſtorium in cornu Epiſtolæ, reaſſumiit calceamenta, & Planetam, & Mitram, & ſedens, legit improperia, miniſtrantibus ſolitis Capellanis.

§. XXVII.

Interim Canonici, & alii Beneficiati, & de Clero Eccleſiæ, ordine eorum, deinde Officiales, & Nobiles laici adorant ordine, prout in die Cinerum, pro capiendis Cineribus dictum fuit; quod ſi fortaſſe adeſſet Gubernator principalis, aut aliquis maximus vir, vel Princeps, qui alias ſoleat habere honorem ante Canonicos, in hoc actu ibit poſt Canonicos, ſed ante alios de Clero, quia eſt actus humilitatis, in quo Laici debent Clericis deferre.

COMMENTARIUS.

I. AUctore in ſuo Cæremoniali Patricio, Lib. II. Sectione I. Cap. LIV. *Papa facta Oratione revertitur ad Cathedram ſuam, quæ ponitur ei ad cornu Epiſtolæ, reaſſumit calciamenta ſua omnia, & ſedens legit improperia, quæ a Choro cantantur. Interim Cardinalis, & alii omnes ordine ſuperius dicto Crucem adorant*, ideſt, Cap. LI. Ante Patricium jam in ſuo Romano Ordine XV. tradit Amelius, quod *Papa etiam prædictas Antiphonas*, ideſt, preces, & improperia, *& omnia prædicta legit ſedendo in Cathedra, dum ipſa Crux adoratur per Cardinales, & alios*. De improperiis iſtis videſis, quæ ſupra diximus in Commentario præcedenti; notandum hic autem eſt, quod in additamento legitur Romani Ordinis XIV. Cap. XCIII. nempe, quod *temporibus Romanorum Pontificum Joannis XXII. Benedicti XII. Clementis VI. Innocentii VI. Urbani V. Gregorii XI. & Urbani VI. fuit obſervatum, quod Papa reverſus ad Cathedram*, poſt adoratam ſcilicet Crucem, *in ea ſtando reſumſit Planetam nigram &c.* Quod iccirco notandum cenſui, quia ſunt nonnulli, qui neſcio quo ſpiritu ducti, acriter contendunt, non debere Papam uti paramentis nigri coloris; cum alias multa afferri poſſent vetera monumenta, quibus docemur, uſos olim fuiſſe ipſos Romanos Pontifices in ſacris functionibus veſte coloris nigri. Sed de hac re celebris eſt Diſſertatio, quam concinnavit Vir Clariſſimus Dominicus Georgius.

II. Ad praxim quod attinet ejus, quod in noſtro §. XXVI. præſcriptum eſt, *poſtquam Epiſcopus adoravit Crucem*, ſurgit, & genuflectit unico genu, *& revertitur ad ſuum Faldiſtorium in cornu Epiſtolæ*, ubi ſedet; *reaſſumit calceamenta*, miniſtrantibus ſcilicet Scutiferis; *& Planetam, & Mitram*, a Diacono ſcilicet, & Subdiacono, antequam ad Crucis adorationem pergant, uti docet Horatius Chriſtiani in ſua Praxi Pontificali Majoris Hebdomadæ, Sectione IV. Cap. III. Poſita Epiſcopo Mitra, ac etiam Gremiali, per ipſos Diaconum, & Subdiaconum, ſtatim hi recedunt ad Abacum pro dimiſſione calceorum ſuorum, & ſequuntur alios ſuo quiſque loco pro adoratione. Interim autem, ne Epiſcopus ſolus remaneat ſedens in Altari, Capellani deſtinati, ſeu Acolythi, ſtabunt ante Altare in plano recta linea, donec omnes Miniſtri parati redeant ad Epiſcopum, qui tamen, ut ait idem noſter §. *ſedens legit improperia, miniſtrantibus ſolitis Capellanis*, ſine tamen Bugia cum candela accenſa. Ex citato Rituum Memoriali, reverſis Miniſtris omnibus paratis, & calceatis, & ſtantibus in ſecundo gradu more ſolito, Epiſcopus legit improperia alternatim cum Diacono, & Subdiacono, Capellano, ſeu Acolytho Librum tenente, & alio de

Digitized by Google

Bugia ſtante quidem apud Epiſcopum, ſed tamen ſine ipſa Bugia, non enim tunc illa uſui eſt.

III. Quantum ad Rubricam §. XXVII. perſpicua illa plane eſt, concinitque Cæromoniali Patricii Lib. citato, Cap. LI. ubi inquit, quod *ſi Imperator, aut Rex interſint*, ipſi ſcilicet adorationi Crucis, *adorant, & oſculantur in ordine, ſicut recipiunt Cineres, ideſt, poſt omnes Cardinales*. Sicut Papa, ita etiam Cardinales diſcalceatos in locis ſuis per eorum familiares nudis pedibus conſueviſſe binos ire ad adorandam Crucem, ſecundum ordinem ſuum, & ter genua flectere, ſimiliterque omnes alios ibidem præſentes, in Capella ſcilicet, eodem modo eandem Crucem ſolitos fuiſſe adorare, notat in laudato Romano Ordine XV. Amelius; qui illud prætęrea ſubjungit, ipſa Cruce ad Altare delata, & inter faculas, ſeu cereos collocata, Camerarium, vel Vices ejus gerentem portare conſueviſſe aliam Crucem *extra Regias, comitantibus eum Clericis Cameræ, & Capellæ ad adorandam aliis*, qui ſcilicet ſacræ aderant functioni, ſed extra Capellam. Ut alia tandem de adoratione Crucis omittam, notandum hic plane illud, quod tradit Synodus Nemauſenſis anno MCCLXXXIV. habita, nonniſi a peccato liberum debere Fidelem accedere ad adorationem Crucis in die Paraſceves: *Ad Crucis oſculum in die Paraſceves nemo accedere debet, niſi immunis a peccato*.

IV. Hiſce obiter ad excitandam pietatem, & ad antiquitatis notitiam dictis, ex Memoriali Rituum Majoris Hebdomadæ, & ex praxi inſignium Eccleſiarum, imo ex præſcripto noſtri Cæremonialis infra Cap. XXVI. non modo Epiſcopus, ſed & Canonici, ac alii de Clero acceſſuri ad adorandam Crucem, prius deponere calceos debent, tum vero bini procedent cum debita diſtantia, & trina genuflexione, uti de Epiſcopo dictum eſt. Quantum ad mulieres, decet, ut eodem modo, quo ſupra, in loco congruo per Acolythos ſternatur tapes, ſeu pannus cum ſuo pulvino, & velo, & illic, vel per Diaconum, vel per alium Sacerdotem, Stolam nigram ſuper Cottam habentem alia Crux cum imagine ſcilicet Crucifixi a mulieribus adoranda reverenter ponatur, uti inter alios Scriptores docet Horatius Chriſtiani in ſua Praxi Pontificali Majoris Hebdomadæ Sectione IV. Cap. III.

§. XXVIII.

Circa finem adorationis accenduntur cerei Altaris, Abaci, & Tribunæ. Diaconus cum Subdiacono explicat mappam lineam ſuper Altari; Diaconus portat ex Abaco Corporalia cum Purificatorio, quæ extendit ſuper Altari; tunc enim transfertur a Miniſtro, vel Cæremoniario, Miſſale ad cornu Euangelii cum cuſſino, vel legili. Finita adoratione, Diaconus reportat, nemini faciens reverentiam, Crucem ad Altare, omnibus genuflectentibus, ut ſupra.

§. XXIX.

Epiſcopus ſedens lavat manus, & imponit thus in thuribulum, more ſolito.

COMMENTARIUS.

I. FIne adorationis appropinquante, uti ait noſter §. XXVIII. *accenduntur cerei Altaris, Abaci, & Tribunæ*; ſurgunt deinde omnes Miniſtri, qui in gradibus Altaris ſedebant, & facta reverentia Altari, & Epiſcopo, *Diaconus cum Subdiacono*, accedentes ſcilicet per planum, alter ad cornu Euangelii, alter ad Epiſtolæ, explicant *mappam lineam ſuper Altari*. Tum abeunte Subdiacono ad locum ſuum, pergit Diaconus ad Abacum, *& portat ex Abaco Corporalia cum Purificatorio*, ideſt, portat de more elevatam burſam cum Corporali incluſo, & ſuper eam Purificatorium ad Altare, *quæ extendit ſuper Altari*, nempe extrahit, & explicat Corporale, & ponit prope illud a parte Epiſtolæ Purificatorium; quo facto, cum debitis reverentiis redit ad locum ſuum. Tunc quoque, ut ait is §. noſter, *transfertur a Miniſtro, vel Cæremoniario, Miſſale ad cornu Euangelii cum cuſſino, vel legili*. Quæ verba appoſita primum fuere huic §. in novo Cæremoniali, quod nos explicamus.

II. Adoratione finita, *Diaconus reportat, nemini faciens reverentiam, Crucem ad Altare &c.* ideſt, comitante Cæremoniario, pergit ad locum, ubi eſt Crux, & facta ante Crucem genuflexione, accipit illam, & ambabus manibus elevatam uſque ad oculos defert reverenter ad Altare, nulli faciens reverentiam. Adveniente autem Cruce, Epiſcopus depoſito Gremiali, & Mitra, ſurgit, & genuflectit, omnibus pariter genuflectentibus. Crux a Diacono delata ad Altare, uti docent Auctores, ſuper eo reponitur per Sacriſtam, vel per ipſum Diaconum adjuvante Sacriſta, & tunc Epiſcopus ſedet cum Mitra, ſedentibus omnibus; *lavat manus*, ex §. XXIX. *& imponit thus in thuribulum more ſolito*; ideſt miniſtrante naviculam Presbytero aſſiſtente, ſed ſine oſculis, thus in thuribulum ab Epiſcopo imponitur, ſed ſine benedictione, uti docent poſt Gavantum in Rubricas Miſſalis, Parte IV. Tit. IX. Num. XIII. Memoriale Rituum, Bauldryus, Horatius Chriſtianis, & alii paſſim Scriptores. Porro quod paulo

Digitized by Google

paulo ſuperius dictum eſt de reportanda per Diaconum Cruce ad Altare, & ab eodem ibidem collocanda, non ita ſemper, & in omnibus Eccleſiis uſitatum fuit; mandat namque Lugdunenſe Miſſale anno MDXXIV. typis commiſſum, ut, *finita Crucis adoratione, Sacerdos reponat Crucem ſuper Altare*. Ex Miſſali Ambroſiano anni MDCLXIX. *Subdiaconi reverenter Crucem accipiunt, & ſuper Altare majori collocant*. Ex Cæremoniali tandem Auguſtini Patricii, *Crux per Sacriſtam reponitur ſuper Altare, & accenduntur luminaria*. Diaconus itaque Crucem deferet ad Altare, quam ibidem Sacriſta accipiet, & collocabit ſuper ipſo Altari.

§. XXX.

Interim ordinatur Proceſſio ad accipiendum Sanctiſſimum Sacramentum de loco, ubi pridie repoſitum fuerat; eaque de cauſa jam præparata eſſe debent decem, ſeu ad minus octo funalia ceræ albæ; item Baldachinum, & duo thuribula cum incenſo, & igne. Præcedet Subdiaconus paratus cum Cruce denudata, inter duos Cerofe-rarios, cereos accenſos deferentes, & ſequuntur primo Clerici, & Beneficiati, ſeu Manſionarii, deinde Canonici bini, ſecundum eorum ordinem; videlicet, primo juniores, deinde digniores, tum Diaconus, & Subdiaconus cum Presbytero aſſiſtente, ultimo loco Epiſcopus cum Mitra, medius inter Diaconos aſſiſtentes; & ſi fuerit Archiepiſcopus, Crux portabitur ante Canonicos; & cum diſcedunt, Epiſcopus, depoſita Mitra, & omnes reverentiam faciunt Cruci cum genuflexione.

COMMENTARIUS.

I. RItus præſcripti in hoc, & ſuperioribus Paragraphis, jam ſinguli olim fere omnes notati fuere a Patricio in ſuo Capellæ Pontificiæ Cæremoniali; quos tamen breviter jam ante Patricium enarravit in ſuo Ordine XV. Romano Amelius, ita inquiens: *Facta ergo adoratione in Capella, dum illi de extra aliam Crucem adorant, Papa, lotis manibus*, & lectis ſcilicet prius improperiis, ut ſupra, *& depoſitis Chirothecis, quas amplius non reſumit, ſurgens de Cathedra, ibi ſtando reſumit prædictum Planetam nigram, & Pallium cum ſpinellis de manu Diaconi Cardinalis, qui dixit Paſſionem; & ſic progreditur ad Altare ſine Mitra, & ſine confeſſione conſueta, aſſiſtentibus ſibi dictis duobus Diaconis Cardinalibus; deinde vadit cum Cruce, luminaribus, & incenſo ad Armariolum, ſeu Cophinum, in quo, die externa fuit Calix cum Corpore Chriſti reſervatus*.

II. Licet autem is ritus fuerit ſervatus tempore ſummorum Pontificum Joannis XXII. Benedicti XII. aliorumque plurium, quos ſupra laudavimus in Commentario præcedenti, ut ipſe ſcilicet Papa ad locum illum procederet, ubi præterita die fuit reconditum Sanctiſſimum Sacramentum, ut illud ipſe deferret ad Altare, obſervat tamen idem Amelius ex Romano Ordine XIV. Jacobi Gaetani, & patet etiam ex aliis antiquioribus, juniorem Presbyterum Cardinalem Corpus Chriſti antiquitus ex eo loco accepiſſe, & detuliſſe ad Altare, ubi Papa aderat. In pleriſque etiam Eccleſiis mos ipſe aliquando viguit, ut Epiſcopo ſtante ad Altare, Presbyter, vel Diaconus iret ad locum, ubi Euchariſtia aſſervabatur, quam ad Altare afferebat. Certe Rituale Eccleſiæ Sveſſionenſis mandat, ut, *Epiſcopo ſtante ad Altare, ſicut prius, Archidiaconus eat ad Sacrarium, & Corpus Dominicum afferat in vaſculo, in quo repoſitum eſt, cum ſummo honore ad Altare, quod Epiſcopus accipiat*. Atque hæc ſatis ſint ad eruditionem, & notitiam aliquorum Rituum non ita notorum. Quantum ad ea, quæ in hoc §. continentur circa praxim, perſpicua ſunt, nec noſtra explicatione indigent.

§. XXXI.

Cum Epiſcopus pervenerit ante fores Sacelli, ubi eſt repoſitum Sanctiſſimum Sacramentum, deponit Mitram, & ſtatim, ingreſſus Sacellum, genuflectit, & ante Altare iterum genuflectit ſuper pulvino, & orat parumper; mox ſurgit, & ſtans imponit incenſum, miniſtrante Presbytero aſſiſtente, in duo thuribula, nihil dicens; & rurſus genuflexus ſuper pulvino, incenſat triplici ductu Sanctiſſimum Sacramentum, Sacriſta aperiente Capſulam, ubi includitur; & ſtatim apponitur velum perpulchrum circa humeros Epiſcopi, & acubus firmatur, ut æqualiter hinc inde pendeat; tunc primus Diaconus aſſiſtens, accipit Sanctiſſimum Sacramentum de dicta Capſula, illudque in manibus Epiſcopi, adhuc genuflexi, reverenter collocat, & ſtatim genuflectit. Epiſcopus capit Calicem, ubi eſt Sacramentum, velo,

Digitized by Google

lo, ut pridie, coopertum, ambabus manibus, velo, quod circum humeros habet, coopertis; & surgens, illud portat reverenter sub Baldachino, quod deferunt Beneficiati parati cum Pluvialibus, si haberi poterunt, & his deficientibus, cum Cottis, præeuntibus Capellanis cum funalibus accensis, & duobus Acolythis cum duobus thuribulis, continuo incensantibus Sacramentum; & revertitur ad Altare eodem ordine. Cantores cantant Hymnum, *Vexilla Regis prodeunt &c.*

COMMENTARIUS.

I. SI Romanum primum Ordinem consulamus, aliaque variarum Ecclesiarum Ordinaria, non Papa, vel Episcopus celebrans, sed Presbyteri, vel assistentes Diaconi, ad locum ibant, ubi præterita die Sanctissimum Sacramentum reconditum fuerat, ut inde illud ad Altare deferrent: *Presbyteri duo priores, mox ut salutaverint*, scilicet Crucem, *intrent Secretarium, vel, ubi positum fuerat Corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes eum in Patena &c.* Verba sunt prædicti Romani I. Ordinis, Cap. VI. Ex Ordine Romano XI. Num. XXXIX. *quidam Cardinalis honorifice portat Corpus Domini præteriti diei conservatum in Capsula Corporalium.* Ubi nota, asservari olim consuevisse Romæ Eucharistiam a Cœna Domini in sequentem Parasceven in Capsula Corporalium.

II. Quo obiter notato, sciendum hic illud est, quod in suo Romano Ordine XV. Cap. LXXVII. tradit Amelius, quodque alias superius notavimus, nempe, quod, licet secundum Jacobi Gaetani Ordinem, imo & alios illo antiquiores, junior Presbyter Cardinalis Corpus Christi ab eo loco, in quo conditum fuerat, antiquitus ad Altare portare consuevit, tamen a tempore Joannis XXII. & aliorum sequentium Romanorum Pontificum, ipsemet Papa, assistentibus sibi duobus Diaconis Cardinalibus, solitus fuit cum Cruce luminaribus, & incenso procedere *ad Armariolum, seu Cophinum, in quo, die hesterna fuit Calix cum Corpore Christi reservatus.* Et mox: *Papamet ad Armariolum, seu Cophinum vadit, & Corpus Christi portat ad Altare cum illa tobalea de sirico coopertum cum uno capite, & cum alio, qui sibi pendet super humerum sinistrum.* Sed non omittendum, quod paulo post subjicit: *Accipiens igitur Papa ipsum Calicem in manibus, prius flexis genibus incensatum, seu thurificatum, coopertum quodam panno nobili de sindone, seu de sirico, portat ad Altare.*

III. Est autem celebris ritus, quem in re, de qua agimus, præscribit Missale Mozarabum, quemque lubet hoc loco describere. Postquam enim edixit, ut adorata Cruce, & reverenter super Altari posita, Sacerdos, & Ministri, Clerus & populus in Processionem silentio facto, *præcedentibus scilicet alia Cruce nigra, & cereis, & thuribulo cum brasis*, ideſt, carbonibus accensis, *veniant usque ad monumentum*; ita ceremonias deinde enarrat ibidem peragendas: *Cum perventum fuerit*, nempe, ad monumentum, sive ad locum, ubi reposita fuit Eucharistia, *ascendat Presbyter cum duobus Dominis, qui habent claves monumenti, & sigilla. Et interim provideatur de brasis in thuribulo, & aperto Sepulcro, accipiat Presbyter de incenso, quod est intus, & ponat in thuribulo, & incenset statim Corpus Domini. Quo facto, excooperiat Calicem, & ostendat secrete, & humiliter dictis Dominis Hostiam consecratam, & cooperto Calice cum Corpore Domini, reverenter deferat cum sua impla, ut pridie portavit, Ministris, videlicet, Diacono, & Subdiacono juvantibus, alias sustentantibus eum, ut levius, & securius pergat cum Corpore Domini. Et velum sericum*, ideſt, Baldachinum, *ut supra dictum est, portetur a quatuor, vel sex nobilibus Dominis Civitatis super Corpus Christi; semper Cruce præcedente cum cereis, & incenso, & thuribulo, & projiciendo de annona viride, ut dictum est. Et quidam Portionarius de antiquioribus indutus Superpelliceo albo deferat vexillum nigrum in medio Processionis, scilicet inter Canonicos, & Portionarios, & sic ordine isto perveniant ad Altare majus.*

IV. Longum plane esset varios aliarum Ecclesiarum ritus describere; servandi sunt autem illi, quos præscribit hic noster §. qui quidem Cæremoniali Pontificiæ Capellæ concinit, uti apud Patricium videre est. Idem quod in hoc §. edicitur, in Rubricis etiam Missalis legitur, in quas multa ad praxim spectantia notarunt Gavantus, Quartus, Bauldryus, Meratus & alii. Ex Missali Tolosano, ubi solemni cum Processione Corpus Christi *sub papilione* a Sepulcro, in quo fuerat conditum, deferebatur ad Altare, Cantores hanc canebant Antiphonam, *Hoc Corpus Christi, quod pro vobis tradetur &c.* Ex præscripto nostri §. cantandus est a Cantoribus Hymnus, *Vexilla Regis prodeunt &c.* estque is Pontificiæ Capellæ ritus, cujus in Cæremoniali suo meminit Patricius Lib. II. Sectione I. Cap. LI. Sed scite notat Martenius in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXIII. Num XXII. hæc recentioris esse instituti, quod annos vix quadringentos superat; nam antiqui penitus nihil canebant, sed summo cum silentio hæc omnia peragebant. Auctorem ipsius Hymni, *Vexilla Regis prodeunt*, esse Venantium Fortunatum, post Baronium notat Gavantus in Rubricas Missalis Parte IV. Tit. IX. Num. XIII. ubi etiam quosdam fugillat, qui in ea Processione, in qua Corpus Domini a Sepulcro defertur ad Altare, Baldachinum nigri coloris adhibebant; debet enim esse coloris albi. Alia in §. nostrum notare, supervacaneum est, non enim explicatione indigent, uti ipsum §. legenti patet.

§. XXXII.

Digitized by Google

§. XXXII.

Cum autem pervenerit ad cancellos Altaris, vel, ubi non ſunt cancelli, ad gradus Presbyterii, removetur Baldachinum, & Diaconus Euangelii genuflexus ante gradus Altaris, accipit Sanctiſſimum Sacramentum de manu Epiſcopi ſtantis, illudque reverenter collocat ſuper Altare. Epiſcopus, depoſito velo, genuflectit ſuper pulvino in primo gradu Altaris, mox ſurgit, & miniſtrante Presbytero aſſiſtente, ponit incenſum in thuribulum, abſque benedictione, & iterum genuflexus, Sacramentum incenſat triplici ductu, & aſcendit ad Altare, & extrahit Sacramentum de Calice, & ponit ſupra Patenam, quam Diaconus tenet, & accipiens Patenam de manu Diaconi, ſacram Hoſtiam ponit ſuper Corporale, nihil dicens. Si tetigerit Sacramentum, digitos abluat in aliquo vaſe. Canonici, & alii de Choro, in duplici gyro, genuflectunt in plano ante Altare; & Capellani hinc inde tenent funalia accenſa uſque poſt Communionem. Diaconus autem, obſervata Cæremonia præguſtationis vini, & aquæ, ut habetur in Capite VIII. §. LXII. hujus Lib. II. de Miſſa ſolemni, Epiſcopo celebrante, ponit vinum in Calicem, & Subdiaconus aquam, quam Epiſcopus non benedicit, nec dicit ſuper eam Orationem conſuetam, ſed accipiens Calicem a Diacono, ponit ſuper Altare, nihil dicens, & Diaconus illum cooperit Palla.

COMMENTARIUS.

I. UBi Epiſcopus Sanctiſſimum Sacramentum geſtans pervenit ad cancellos Altaris, vel, ubi non ſunt cancelli, ad gradus Presbyterii, ex præſcripto hujus §. *removetur Baldachinum*, & ut quædam ad ipſum magis magiſque illuſtrandum notemus, Miniſter Cotta indutus Crucem Proceſſionalem deponit prope Altare in aliquo loco congruo, & Ceroferarii candelabra ſua ſuper credentiam collocant, & hinc inde manent genuflexi, ut ad Miſſam, moxque Miniſter ipſe, qui Crucem in Proceſſione geſtavit, illamque, ut ſupra, depoſuit, manet genuflexus in ordine ſuo cum aliis. Ut etiam hic idem noſter §. inquit, *Canonici, & alii de Choro, in duplici gyro genuflectunt in plano ante Altare*, ita ſcilicet, ut digniores ſint quidem ante illud directe, & eidem Altari omnino proximiores, *& Capellani hinc inde tenent funalia accenſa, uſque poſt Communionem*.

II. Celebrans ipſe autem ubi jam ad Altare pervenit, *Diaconus Euangelii genuflexus ante gradus Altaris*, non vero ſuper ſuppedaneum Altaris, ut aliqui putant, *accipit Sanctiſſimum Sacramentum de manu Epiſcopi ſtantis*, ſine oſculo ſcilicet ipſius manus, vel Sacramenti; tum ſurgens, *illud reverenter collocat ſuper Altare*, ideſt, in medio Corporalis ſuper Altari poſiti, & genuflectit, quaſi renes vertens ad cornu Epiſtolæ ob reverentiam Celebrantis Epiſcopi, & cum debitis roverentiis deſcendit ad locum ſuum: *Epiſcopus, depoſito velo ab humeris*, ſublato ſcilicet per Subdiaconum, & Cæremoniarium, *genuflectit ſuper pulvino in primo gradu Altaris, mox ſurgit, & miniſtrante Presbytero aſſiſtente, ponit incenſum in thuribulum, abſque benedictione, & iterum genuflexus Sacramentum incenſat triplici ductu*. Qui ritus incenſandi tunc ſcilicet Sacramentum, licet legatur in Cæremoniali Patricii, vix tamen in Ordinariis antiquioribus reperitur.

III. Incenſato Sacramento, & reddito thuribulo, aſcendit Epiſcopus ad Altare una cum Miniſtris, *& extrahit* (in antiquo Cæremoniali Epiſcoporum legitur, *& accipit*) *Sacramentum de Calice*, amoto ſcilicet tunc per Diaconum velo, quo erat tectus; *& ponit ſupra Patenam, quam Diaconus tenet*, elevatam ſcilicet ſuper Corporale; *& accipiens Patenam de manu Diaconi, ſacram Hoſtiam ponit ſuper Corporale, nihil dicens*; advertentque tam Epiſcopus celebrans, quam Diaconus, ut nullo modo Hoſtiam tangant; quod ſi Epiſcopus tetigerit Sacramentum, dum illud ſcilicet extrahit, cautum eſt ex noſtro §. ut *digitos abluat in aliquo vaſe*. Id quod etiam præſtandum eſt a Diacono, ſi Sacramentum ipſe tetigerit, qui advertere & illud debet, quod alias notavit Craſſus, ut cum Celebranti Patenam offert, ſuper qua ille Hoſtiam poſuit, manum minime deoſculetur, prohibentur enim ea die oſcula.

IV. Diaconus tandem ex ejuſdem §. noſtri præſcripto, *obſervata cæremonia prægustationis vini, & aquæ, ut habetur in Capite* VIII. §. LXXII. *hujus Libri II. ponit vinum in Calicem, & Subdiaconus aquam &c.* ex ampullis ſcilicet, quas ut in Miſſa ſolemni attulit unus ex Acolythis, comite Cæremoniario. Corrigenda autem eſt Craſſi ſententia, qui Lib. II. ſui Cæremonialis, Cap. XLVII. ait, quod *Diaconus ponit vinum, & aquam in eodem Calice ſine benedictione, nihil dicens &c.* Juxta Romanum Ordinem XV. Auctore Amelio, Cap. LXXVII. *Diaconus Cardinalis*, qui ſcilicet Papæ ſervit in Miſſa, *offert prædictum Calicem cum mero, & puro vino, & Subdiaconus offert ampullam cum aqua, quam Papa vino commiſceat, nihil dicendo, & reputet, quod iſta die emanaverunt*

Digitized by Google

verunt Sacramenta Ecclesiæ, videlicet Sanguis, & aqua de Corpore Christi. Addit mox, in quibusdam Ecclesiis, secundum Jacobum Gaetanum, in suo scilicet Romano Ordine XIV. Cap. XCIII. purum vinum sine aqua offerri, *ut in puro & forti crudelitas Judæorum repræsentetur, & asperitas Passionis Christi*. Quidquid sit de peculiari hoc ritu, communiter hodie abolito, postquam enim Diaconus immisit vinum in Calicem, Subdiaconus quidem ponit aquam, *quam Episcopus non benedicit, nec dicit super eam orationem consuetam, sed accipiens Calicem a Diacono*, sine osculis scilicet manus, vel Calicis, *ponit super Altare, nihil dicens*, nec super ipsum Calicem signans, *& Diaconus illum cooperit Palla*, ut in nostro §. cui concinunt Rubricæ Missalis.

§. XXXIII.

Deinde Episcopus, ministrante Præsbytero assistente, ponit incensum in thuribulo, absque benedictione, & incensat Oblata, & inde Crucem, & Altare, more solito, genuflectens, ante, & post, & quandocumque transit ante Sanctissimum Sacramentum; cum incensat Oblata, dicit, *Incensum istud &c.* cum incensat Crucem, & Altare, dicit, *Dirigatur Domine &c.* quando dat thuribulum Diacono, dicit, *Ascendat in nobis &c.* & ipse non incensatur.

COMMENTARIUS.

I. COoperto Calice, uti in fine præcedentis §. dictum est, Diaconus, & Subdiaconus simul genuflectunt; & retrahentibus se in secundo gradu, Diacono ad dexteram, & Subdiacono ad sinistram Episcopi, Presbyter assistens ad Episcopi dexteram transit. Accedit Thuriferarius, & *ministrante Presbytero assistente*, naviculam scilicet sine osculo ipsius, Episcopus *ponit incensum in thuribulo absque benedictione*. Tum Presbyter ipse assistens sine osculis dat thuribulum Episcopo, qui habens a dexteris Diaconum, & Presbyterum assistentem in suppedaneo, a sinistris vero Subdiaconum in secundo gradu, genuflectit cum illis, tum descendente assistente Presbytero in plano in cornu Epistolæ, Diacono tenente pedem Calicis, & una cum Subdiacono elevante Planetam, *incensat Oblata &c.* ut in nostro §.

II. Lapsus autem mihi videtur Gavantus, ubi in Rubricas Missalis, Parte IV. Tit. IX. §. XIII. adnotavit, quod *de hac incensatione nihil antiqui* habent; ejus enim ritus meminit non modo in suo Ordine Romano XV. Amelius, verum etiam jam longe ante ipsum Jacobus Gaetanus in Ordine XIV. Romano Cap. XCIII. sic inquiens: *Collocato autem Calice de consuetudine ad latus Dominici Corporis a Diacono, offerat ei incensum, & Pontifex, ut mos est, utrumque adoleat*. Amelius vero Cap. LXXVII. ita ritum ipsum enarrat: *Offerat ipse Diaconus Cardinalis Papæ thuribulum, manum Papæ osculando in dando, & recipiendo; & Papa, ut moris est, incensat tam Corpus Christi, quam Calicem*. Ubi nota, quod ipsi antiqui Auctores testantur, moris scilicet jam suo ævo fuisse, ut Oblata incensarentur, quamvis nihil de Crucis, & Altaris incensatione dicant, cujus tamen ritus testis est Patricius Lib. II. Cæremonialis Sectione I. Cap. LI. ubi inter alia ait, incensari *Sacramentum, & Altare more solito*; dicente scilicet tunc Celebrante, cum incensat Oblata, *Incensum istud &c.* cum Crucem, & Altare, *Dirigatur Domine &c.* quando vero dat thuribulum Diacono, *Accendat in nobis &c.*

III. In ea incensatione non esse thus benedicendum, mandat tum hic noster §. tum etiam Rubrica Missalis, nova scilicet in recognitione Missalis addita, uti notat Gavantus loco citato. Dubitatum enim aliquando fuisse ait, an benedici hoc loco deberet incensum, affirmantibus quibusdam, qui etiam inter alia urgebant, id quod dicitur in thurificatione Oblatorum, *Incensum istud a te benedictum &c.* quod tamen, ut idem observat Gavantus, tunc vim faceret, si diceretur, *Incensum istud a nobis benedictum*. Sed quidquid sit, utimur quidem hac die verbis minus propriis, ut inter alia verbo Sacrificii, cum constet die ipsa nullum celebrari Sacrificium. Porro cum in Missa hodierna expresse omnia describantur, quæ dicenda sunt, itaut quidquid de consueta Missa hoc loco omittitur, omittendum esse prorsus videatur, & cum omissa fuerint in textu omnium Missalium verba benedictionis incensi, & solita dici ante incensationem Oblatorum, *Per intercessionem &c.* & expresse posita sint reliqua verba totius incensationis, in eam partem ab iis, quorum intererat, Gavanto ipso præsente, ac teste, in recognitione Missalis, itum est, ut omittatur incensi benedictio, & hac die videtur congruum, nihil prorsus debere benedici. Quod autem tum in Rubrica Missalis, tum in hoc nostro §. ac tum etiam in Cæremoniali Patricii, seu Marcelli, dicatur, faciendam esse incensationem *more solito*, id intelligi jam dictum fuit ab iisdem, qui prædictum Dubium discusserunt, de incensatione Oblatorum, & Altaris tantum, non de benedictione incensi, quod hodie magis declaratum fuit, dum Rubrica Missalis recogniti, & hic idem noster §. expresse edicunt, Celebrantem ponere incensum in thuribulo, *absque benedictione*.

IV. Reliquum est, ut duo hic tandem describamus Decreta Sacræ Rituum Congregationis, a Merato allata in suis ad Gavantum Additioni-

Digitized by Google

tionibus, Decidit autem ipſa Congregatio die III. Auguſti MDCXCVII. non eſſe tolerandum uſum illum, qui in aliquibus Eccleſiis ſervatur Feria Sexta in Paraſceve, incenſandi iterum Sanctiſſimum Sacramentum poſt incenſationem Oblatorum, omittendo conſuetam Crucis incenſationem, cum ſit contra Rubricam illius diei. Rurſus ex altero ejuſdem Sacræ Congregationis Decreto die v. Julii, anni MDCXCVIII. edito, in ipſa Feria Sexta Paraſceves thurificanda ſunt Oblata, ſed poſt thurificationem Oblatorum non eſt iterum thurificandum Sacramentum, ob cujus tamen præſentiam non eſt omittenda thurificatio Crucis, ſed Crux, & Altare thurificanda ſunt eo prorſus modo, quo fit in aliis Miſſis, non omiſſis debitis genuflexionibus, tranſeundo ante Sanctiſſimum Sacramentum. Quæ quidem conſona omnino ſunt Rubricæ hujus noſtri §. in cujus fine illud quoque jubetur, ut Celebrans non incenſetur. Id quod etiam in ſuis Cæremonialibus jam ante notarunt Patricius, & Craſſus, Apoſtolicarum olim Cæremoniarum Magiſtri.

§. XXXIV.

Poſtea aliquantulum extra Altare in cornu Epiſtolæ lavat manus, nihil dicens; deinde in medio Altaris inclinatus, junctis manibus, dicit, *In ſpiritu humilitatis &c.* deinde verſus ad Populum in cornu Euangelii, dicet more ſolito, *Orate Fratres*, & per eamdem viam revertitur, non perficiens circulum; & ſtatim, omiſſis aliis, dicit in cantu Feriali, *Oremus*: *Præceptis ſalutaribus &c.* & dicto ſub ſilentio, *Amen*, eadem voce, qua dicit, *Pater noſter*, abſolute dicit, *Libera nos &c.* Mox genuflexus, ſupponit Patenam Sacramento, quod dextera accipiens, elevat, ut videri poſſit a populo, & ſtatim ſupra Calicem dividit in tres partes, quarum ultimam mittit in Calicem, more ſolito, ſed ſine ſigno Crucis, nihil dicens: *Pax Domini &c.* non dicitur, nec *Agnus Dei &c.* neque Pacis oſculum datur.

COMMENTARIUS.

I. SEquitur poſt incenſationem Oblatorum, Crucis, & Altaris, lotio manuum, cujus meminit in Ordine XV. Romano Amelius Cap. LXXVII. *Deinde Papa vadit ad cornu Altaris, & ibi lavat aliquantulum digitos cum aqua in duobus bacilibus, per unum de militibus, ſeu domicellis ſuis, vel per nobiliorem ibidem præſentem, ipſum juvante priore Epiſcoporum, qui ſervit in officio Capellani.* Tum vero addit, quod *ipſa ablutione facta, vadit Pontifex ante medium Altaris, abſque confeſſione, ut dictum eſt, inclinat ſe, orans, & dicens*, In ſpiritu humilitatis; *& erigens ſe, vertit ſe ad populum, dicens*, Orate pro me Fratres &c. *deinde dicit plana voce, ut moris eſt*, Per omnia ſæcula &c. *& ſine* Te igitur, *ſed abſolute incipit, cantando*, Oremus: Præceptis ſalutaribus moniti &c. Pater noſter &c.

II. Id ipſum jam ante tradidit in ordine Romano XIV. Jacobus Gaetanus, Cap. XCIII. licet de manuum ablutione nullam faciat mentionem, tametſi Oblatorum thurificationis meminerit. Ritus ſane ille antiquus fuit, ut depoſito ſuper Altari Sacramento, cum Calice vino aqua mixto, Pontifex, ſeu Sacerdos, celebrans Orationem ſolam Dominicam cum ſequenti, *Libera nos &c.* diceret, ac deinde, facta Hoſtiæ fractione, & in Calicem immiſſione, ſtatim communicaret ſub ſilentio, nihil amplius addens. Nam quod confeſſionem præſcribunt nonnulli Libri Miſſales, aut Rituales, ſive antequam adferretur ad Altare Corpus Chriſti, ſive ſtatim atque allatum eſſet, uti habent Miſſales Libri, Lugdunenſis, Arelatenſis, Tholonienſis, Toloſanus, Pictavienſis, Auguſtodunenſis, itemque Ordinaria Lingonienſe, Cenomanenſe, Lemovicenſe S. Martialis, & alia, quæ etiam Orationem, *In ſpiritu humilitatis &c.* Dominicæ Orationi præmittunt, vix trecentos, aut quadringentos ſuperat annos, ut notat Martenius in Libro *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXIII. Num. XXIII.

III. Pluribus omiſſis in confirmationem hujus ſententiæ veterum Codicum, atque Scriptorum teſtimoniis, unum proferimus Romanum Ordinem I. Cap. VI. ex cujus præſcripto, ſalutata, & repoſita in loco ſuo Cruce, *deſcendit Pontifex ante Altare, & dicit*: Oremus: Præceptis ſalutaribus moniti. Pater noſter. *Sequitur*, Libera nos, quæſumus Domine. *Cum dixerint*, Amen, *ſumit de Sancta, & ponit in Calicem, nihil dicens.* Uti dici debeat Dominica oratio, variant quidem Rituales Libri, atque Miſſales: *plana voce*, ait Ordo Romanus XIV. ſeu, *voce ſubmiſſa*, ut præſcribunt Miſſales libri, Lugdunenſis, Pariſienſis, Melodunenſis, & Ordinaria Turonenſe S. Gatiani, & Cenomanenſe, ſive ut habet Præmonſtratenſe Ordinarium, *mediocri voce*; aut *communi*, ut legitur in Uticenſi; verum ex Ordine Romano XV. dici debet *cantando*; ex Craſſo autem, in *cantu Feriali*. Reſponſo ad ipſam Orationem Dominicam per Chorum, *ſed libera nos a malo*, monent, tum Craſſus, tum laudatus Ordo XV. Romanus, & alii Miſſales Libri complures, *ſub ſilentio*, vel *ſecrete* dici ab Epiſcopo, ſive a Sacerdote celebrante, *Amen*.

IV. Ex Ordinario Laudunenſi Sacerdos incipiendo Dominum Orationem, Calicem manu geſtare

Digitized by Google

geſtare debet, additque etiam Miſſale Toloſanum, quod, *antequam dicat*, fiat voluntas tua, *debet levare Corpus Chriſti, ut videatur a populo; & quando dicitur*, & in terra, *debet deponere, & eodem tono debet perficere Orationem Dominicam.* Subjungit mox etiam prædictum Toloſanum Miſſale, quod *iſte modus oſtenſionis Hoſtiæ ſanctæ ſervatur iſta die ſingulariter in Eccleſia Toloſana; quod non ſervatur Romæ, nec in Romana Curia, nec alibi.* Verum quod hujus Miſſalis compactores exiſtimarunt Eccleſiæ Toloſanæ ſingulare, commune extitit Eccleſiis non paucis, nam idem ritus videri eſt in Miſſalibus, Lugdunenſi, Pictavienſi, Lingonienſi, Remenſi, Catalaunenſi, Morazabo, & aliis quibuſdam. Uſam eodem aliquando ritu fuiſſe Eccleſiam Romanam, docet nos Amelius in Ordine ſuo Romano XV. Cap. citato, ubi ita inquit: *Quando erit in illo loco, ubi dicitur*, ſicut in Cælo, & in terra, *Celebrans accipiens Corpus Chriſti elevat ipſum, ita ut poſſit videri a circumſtantibus, & in continenti reponit eum ubi prius.*

V. Sed hic tandem Ritus correctus eſt, nam ut ait §. noſter concinens Cæremonialibus, Patricii, & Craſſi, poſt dictam Orationem, *Libera nos quæſumus Domine &c.* Celebrans, *mox genuflexus ſupponit Patenam Sacramento, quod dextera accipiens elevat.* Idem legitur in Rubrica Miſſalis, Parte IV. Tit. IX. Num. XVIII. ubi Gavantus ad verba illa ipſius Rubricæ, *elevat, ut videri poſſit*, notat, a Pio V. hoc fuiſſe additum. Quo pacto elevanda ſit Hoſtia, docet in Cæremoniali ſuo memoratus Craſſus, *Celebrans*, inquit, *facta prius uſque ad terram reverentia, Sacramentum dextera accipit, quod elevat ſola dextera altius ſolito, ſiniſtra ſuper Altari retenta.* Elevatur autem altera tantum manu ad differentiam elevationis, quæ fit poſt conſecrationem, ne hac die videatur de novo conſecrata, ut inter alios tradit laudatus Gavantus. Ceterum neque in Ordine Romano XIV. neque apud vetuſtiores Scriptores elevatio ipſa occurrit; nam ut Romanus ipſe Ordo præſcribit, *Dominica oratione completa, dicit Celebrans hanc Orationem*, Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis &c. *Reſponſo autem*, Amen, *frangit Hoſtiam ſecundum conſuetudinem, ponens de ea in Calice, nihil dicens.*

VI. Conſuetudo, cujus Ordo laudatus meminit, illa profecto eſt, ut Hoſtiam in tres partes dividat Celebrans, *quarum ultimam*, ut ait noſter §. & Rubrica Miſſalis loco citato, *mittit in Calicem more ſolito, ſed ſine ſigno Crucis, nihil dicens.* Id quod, teſte Gavanto, firmavit etiam Sacra Rituum Congregatio die XXVIII. Auguſti MDCXXVII. & jam longe ante tradidit Durandus in ſuo Rationali Lib. VI. Cap. LXXVII. Num. XXVI. *Hac die, quando particula Hoſtiæ in Calicem mittitur, non dicuntur verba illa*, Fiat commixtio, *quia ibi de Sanguine mentio fit, ſed in Calice Sanguis non eſt, nec hodie conſecratur.* Sed hæc perſpicua omnibus; quod forte vix eruditi norunt, illud eſt, quod de diviſione Hoſtiæ tradit Miſſale Mozarabum; mandat enim, ut peracta Oratione Dominica, *Sacerdos accipiat Corpus Chriſti, & faciat novem particulas, & ponat eas per ordinem in Patena, ut fieri ſolet, & ponat unam ex illis, quæ dicitur* Regnum, *& mittat illam in Calice, & deinde accipit aliam particulam, quæ dicitur*, Gloria, *& ponat eam ſuper Calicem, & dicat illas Orationes, quæ aliis diebus dicebantur; & finitis, accipiant illam particulam, & cooperiat Calicem, & cooperto, accipiat alias particulas, quæ ſunt in Patena per ordinem; & deinde accipiat Patenam, & mundet eam ſuper Calicem cum pollice, & mundatam ponat eam ſub mento, & poſita, ſumat vinum de Calice cum ſua particula, quæ ſecundum quoſdam conſecrat vinum in Calice.*

VII. Hactenus Mozarabum Miſſale, in quo licet multa adnotari poſſent, unum eſt, quod nullatenus omitti debet, quod ſcilicet in fine ait, *ſecundum quoſdam conſecrari vinum in Calice*, per contactum particulæ Hoſtiæ conſecratæ. Varios hujus ſententiæ Auctores, & Codices antiquos Miſſales, atque Ordinaria longo agmine affert eruditiſſimus Mabillonius in ſuo prævio ad Ordinem Romanum Commentario, Cap. XIII. ubi etiam ſcite advertit, non ita concordem, & unanimem fuiſſe, aut ita conſtantem de ea re omnium ſententiam, atque approbationem, ut alii Auctores, multæque aliæ Eccleſiæ, non aliter ſentirent. Legendum plane quid de ipſa re eruditiſſimus Mabillonius notavit, multos Scriptores, ac Miſſales Libros, Eccleſiarumque Ordinaria recenſens pro ſententia negante, in quam etiam quædam ſcitu digna obſervat, quæ nobis non vacat hoc loco referre.

VIII. Sed ne videamur quæ ad praxim pertinent noſtri hujus §. omittere, incenſato Altari, deſcendit Epiſcopus e ſuppedaneo in ſecundum gradum, & *aliquantulum extra Altare in cornu Epiſtolæ*, verſa facie ad Chorum, ſi Altare eſt ſub Tribuna, nam alias facie ad populum verſa, *lavat manus*, ſine Mitra, prout erat, *nihil dicens*, Diacono, & Subdiacono in plano ſtantibus e regione Epiſcopi: *deinde in medio Altaris inclinatus &c.* ideſt, manibus lotis, atque abſterſis, redit Epiſcopus in medium Altaris, ubi genuflectit, ac ſurgit, ibidemque *inclinatus junctis manibus dicit*, ſubmiſſa, ſed intelligibili voce, *In ſpiritu humilitatis &c.* Tum aliis omiſſis, oſculatur Altare, ac genuflectit; *& deinde verſus ad populum in cornu Euangelii, dicet more ſolito*, mediocri voce, *Orate Fratres*, complens reliqua ſecrete, *& per eandem viam revertitur non perficiens circulum.* Quæ Rubrica intelligitur, ubi Altare non ſit ſub Tribuna, tunc enim oſculato Altari ſine ulla genuflexione, & converſione dicet, *Orate Fratres* ut ſupra, cui non reſpondetur, *Suſcipiat Dominus &c.* ut in aliis Miſſis fieri ſolet: *Omiſſis aliis dicit in cantu feriali*, manibus ante pectus junctis, *Oremus: Præceptis ſalutaribus &c.* & dum incipit, *Pater noſter*, extendit manus; & Diaconus, qui jam cum Preſbytero aſſiſtente ad Altare aſcenderat, a dexteris

Digitized by Google

ris Episcopi stans, & illo a siniſtris ad Librum assistente, facta genuflexione, se retrahit post Episcopum ante Subdiaconum in plano stantem, & ambo sic remanent usque ad elevationem.

IX. Responso a Choro, *Sed libera nos a malo*, dicit Episcopus *sub silentio*, & adhuc tenens manus extensas, *Amen*; & *eadem voce*, *qua dicit*, Pater noster, *absolute dicit*, non se signans cum Patena, *Libera nos &c.* Respondet Chorus, *Amen*; & tunc Diaconus, ac Subdiaconus hinc inde genuflectunt in suppedaneo pro elevatione, ad quam non elevatur Planeta, non incensatur Sacramentum, nec pulsandum est crotalum, seu tabula, ut post Gavantum docent Bauldryus in suo Manuali, Parte IV. Cap. X. Articulo IV. Numero XVIII. Memoriale Rituum, & Horatius Christiani in Ritibus hac die observandis. Omisso abusu aliquarum Ecclesiarum, in quibus pro arbitrio Præsidentium, Sacristarumve, vel Cæremoniariorum sacri Ritus aguntur, post responsum a Choro, *Amen*, Episcopus *mox genuflexus, supponit Patenam &c.* idest, genuflectit, surgit, *supponit Patenam Sacramento*, *quod dextera accipiens elevat*, *ut videri possit a populo*, siniſtram cum Patena super Altari retinens. Elevatur autem Sacramentum una tantum manu, ad differentiam elevationis, quæ alias fit, post consecrationem, ne hac die videatur de novo consecrare, ut ait Gavantus. Ut ut sit de hac explicatione, quando incipit Episcopus declinare elevatam Hostiam, surgunt, discooperitque Diaconus Calicem, Subdiaconus vero in planum recedit, & deinde cum aliis genuflectit. Discooperto Calice, statim Episcopus *Hostiam supra Calicem dividit in tres partes*, more scilicet solito, & nihil dicens; *quarum ultimam mittit in Calicem*, *more solito*, *sed sine signo Crucis*, *nihil dicens*. Diaconus cooperit Calicem, & cum Episcopo genuflectit, sicut & Subdiaconus; tandemque ex Rubricis tum nostri hujus §. tum Missalis Romani, in ipsa Feria VI. in Parasceve, *Pax Domini &c.* non dicitur; nec *Agnus Dei &c.* neque Pacis osculum datur. Eadem pene leguntur in Ordinibus Romanis XIV & XV. & in aliis passim Ritualibus, atque Missalibus antiquis Libris, quos supervacaneum est hic recensere.

§. XXXV.

Postea, prætermissis duabus primis Orationibus, dicit tantum, *Perceptio corporis tui &c.* tum genuflectit, & accipit Patenam cum Corpore Christi, & maxima humilitate, ac reverentia dicit, *Panem cæleſtem accipiam &c.* postea signat se Sacramento, dicens, *Corpus Domini nostri &c.* & sumit Corpus reverenter; deinde, omissis omnibus, quæ dici solent ante assumtionem Sanguinis, immediate particulam Hostiæ cum vino reverenter sumit de Calice, & more solito facta ablutione digitorum, infundente vinum Diacono, & sumta purificatione, in medio Altaris inclinatus, manibus junctis, dicit, *Quod ore sumsimus &c.* & non dicit, *Corpus tuum Domine &c.* nec Postcommunio, nec, *Placeat tibi &c.* nec datur benedictio; sed statim Episcopus vadit ad cornu Epistolæ, ibique cum Mitra lavat manus cum solitis Cæremoniis; deinde ascendit ad Sedem suam Episcopalem nudam, ubi deponit sacra paramenta, & assumit Cappam laneam violaceam: interim omnes alii deponunt paramenta, & postea statim dicuntur Vesperæ; & in fine Episcopus descendit, & genuflectit ante Altare super genuflexorio nudo, cum dicitur, *Christus factus est &c.* & finito Psalmo, *Miserere mei Deus &c.* dicit Orationem, *Respice*, *quæsumus Domine &c.* & revertitur ad Domum suam ordine quo venit.

COMMENTARIUS.

I. CUr duæ primæ Orationes, nempe, *Domine Jesu Christe*, *qui dixisti Apostolis tuis &c.* &, *Domine Jesu Christe, fili Dei vivi &c.* omittantur, ratio perspicua est, nam prima est de pace, quæ, uti dictum est, hac die non datur, altera vero mentionem Sanguinis facit, qui minime die ipsa consecratus est, non solum per verba Consecrationis, sed neque per contactum particulæ Hostiæ consecratæ, quamvis multi olim ejus essent opinionis. Eandem ob causam, quia scilicet in ea mentio fit Sanguinis, non dicitur post acceptam Sacram Hostiam a Celebrante Oratio illa Missalis, *Corpus tuum Domine*, *quod sumsi*, *& Sanguis*, *quem potavi &c.*

II. Ergo prætermissis duabus primis Orationibus, sumturus Celebrans Sacram Hostiam, manibus junctis super Altare, atque inclinatus, secrete dicit tantum, *Perceptio Corporis tui &c.* & servatis ritibus in hoc nostro §. & Rubrica Missalis præscriptis, *sumit Corpus reverenter*; *deinde omissis omnibus*, *quæ dici solent ante assumtionem Sanguinis*, *immediate particulam Hostiæ cum vino reverenter sumit de Calice &c.* Quod vinum, & aqua, licet per immissionem Corporis Domini sanctificata, non tamen consecrata sunt, uti scite advertit in suo Cæremoniali Crassus Lib. II. Cap. XLVII. Sed hoc jam nos superius tetigimus. Notandum hic illud, quod licet ex prisco ritu Sum-

Digitized by Google

mus Pontifex, cum Sacra celebrat, communicet ad Sedem ſuam, Feria tamen VI. in Paraſceve, *non ad Sedem ſolemniter, ſed ad Altare ob humilitatem reverentiæ, & Paſſionis Chriſti, & non cum calamo, ſed cum Calice ſumit Sanguinem, & vinum &c.* ut poſt Cencium in Ordine Romano XII. Cap. XIII. & Jacobum Gaetanum in Ordine XIV. notat in ſuo Ordine Romano XV. Amelius, Cap. LXXVII. & ex utroque Mabillonius in Commentario prævio ad Ordinem Romanum, Cap. VIII. Num. XII. ubi etiam ex eodem Amelio docet, in prima Miſſa Natalis Domini, & ex Patricio, Feria IV. Cinerum, ipſum ſummum Pontificem, non ex calamo, ſed ex Calice ſacroſanctum Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanguinem conſueviſſe haurire.

III. Quoniam vero noſtri eſt etiam inſtituti in explicando hoc Cæremoniali de antiquis Eccleſiæ ritibus diſſerere, ſciendum eſt, morem pervetuſtum fuiſſe, ut hac die non ſolum Epiſcopus, ſive Presbyter Celebrans, verum Clerus omnis, ac populus ſacram Euchariſtiam perciperent, quam abſolute quidem præſcribunt antiquiſſimi Sacramentorum Codices, Gellonenſis, Remenſis, Noviomenſis annorum circiter mille, Noviomenſis alter annorum circiter DCCC. Dionyſianus, Trecenſis S. Prudentii, Biſuntinus, itemque Ordinaria complurium Eccleſiarum, & inter Auctores non paucos vulgatus Alcuinus, Rabanus Maurus Lib. III. *De inſtitutione Clericorum*, Cap. XXXVII. Amalarius Lib. I. *De divinis Officiis*, Cap. XV. ſed præ omnibus Patres Toletani IV. anni DCXXXVI. Can. VI. ubi non obſcure mentionem faciunt percipiendæ ab omnibus hac die Euchariſtiæ. Nam ubi ſugillarunt abuſum nonnullarum Eccleſiarum Hiſpaniæ, in quibus hac die nullum celebrabatur Officium, foreſque iccirco Baſilicarum clauſæ erant, ita deinde inquiunt: *Oportet eodem die Myſterium Crucis, quod ipſe Dominus cunctis nuntiandum voluit, prædicari, atque Indulgentiam criminum clara voce omnem populum poſtulare, ut pœnitentiæ compunctione mundati venerabilem diem Dominicæ reſurrectionis, remiſſis iniquitatibus ſuſcipere mereamur, Corporiſque ejus, & Sanguinis Sacramentum mundi a peccatis ſumamus.*

IV. Romæ olim præter Pontificem celebrantem, conſueviſſe etiam alios communicare, addiſcimus ex Ordine I. Romano, Cap. VI. quod eſt de Feria Sexta, ubi poſtquam dixit, quod dicta Oratione Dominica, & illa, quæ incipit, *Libera nos quæſumus Domine &c.* Pontifex *ſumit de Sancta, & ponit in Calicem, nihil dicens*, ita ſtatim ſubjicit: *Et communicant omnes ſub ſilentio*. Non ſervatum autem ſemper fuiſſe Romæ hunc morem, docet nos Alcuinus, his verbis: *Sunt qui quotidie Euchariſtiam volunt ſumere; & quia in Paraſceve non conficitur Corpus Domini, neceſſe eſt, ut hi, quibus ineſt voluntas communicandi, habeant Sacrificium ex priori die: quod tamen Romani non faciunt*. Quidquid ſit, ex præſcripto Romanorum Ordinum XIV. & XV. *communicat ſolus Pontifex ſine Miniſtris*; & uti obſervat Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXIII. Num. XXV. *Hodie generalis hujus diei Communio tam in Monaſteriis, quam in Cathedralibus Eccleſiis paſſim obſolevit*; ſed addit mox, audiiſſe ſe, *hactenus perſeverare in Claramontana apud Arvernos*.

V. Accepta Euchariſtia, & particula Hoſtiæ cum vino de Calice, more ſolito facit Celebrans ablutionem digitorum, infundente vinum Diacono, & ſumta purificatione, in medio Altaris inclinatus, manibus junctis dicit, *Quod ore ſumſimus &c.* & non dicit, *Corpus tuum Domine &c.* quia in ea ſcilicet Oratione fit mentio Sanguinis, uti ſuperius notatum eſt, & docet etiam in ſuo Rationali Durandus, adjungens, ob eandem rationem omitti quoque illos Verſiculos, *Quid retribuam Domino &c.* ſicut & illum, *Placeat tibi &c.* quia in eo dicitur, *Præſta, ut hoc Sacrificium &c.* cum conſtet, hac die *Sacrificium non offerri Sacramentaliter, ſed ſumi altera die oblatum*, ut idem Durandus obſervat. Non datur tandem benedictio, ſed ſtatim Epiſcopus vadit ad cornu Epiſtolæ, ibique cum Mitra lavat manus cum ſolitis cæremoniis; deinde aſcendit ad Sedem ſuam Epiſcopalem nudam, ubi deponit ſacra paramenta, & aſſumit Cappam, & poſtea ſtatim dicuntur Veſperæ.

VI. Mandat hæc quidem noſter §. ex cujus etiam præſcripto in fine Veſperarum, *Epiſcopus deſcendit*, de ſua ſcilicet Sede, *& genuflectit ante Altare ſuper genuflexorio nudo, cum dicitur*, Chriſtus factus eſt &c. *& finito Pſalmo*, Miſerere mei Deus &c. *dicit Orationem*, Reſpice quæſumus Domine &c. *& revertitur ad Domum ſuam ordine quo venit*. Verum de Veſperis ipſis jam non idem fuit olim omnium Eccleſiarum ritus; nam in pleriſque Eccleſiis Veſperæ cum Miſſa ſimul recitabantur, uti conſtat ex Ordinariis, Turonenſi, Narbonenſi, Lingonenſi, Noviomenſi, Laudunenſi, Lemovicenſi, & ut alia omittam, ex Rotomagenſi Ordinario, in quo ita legimus: *Poſtea*, ideſt, peracta Communione, *Domnus Archiepiſcopus, vel Sacerdos, tenens Calicem in manibus, incipiat Veſperas mediocri voce, & cantet*, Calicem &c. *ſicut heri notatum eſt, & Chorus ſuaviter dicat Veſperas; & finitis quinque Pſalmis, & Antiphonis, Domnus Archiepiſcopus, aut Sacerdos, incipiat Antiphonam*, Cum accepiſſet acetum. *Pſal.* Magnificat. *Hoc facto, Domnus Archiepiſcopus, vel Sacerdos, abluat manus ſuas, & mediocri voce ſine*, Dominus vobiſcum, *cantet*: Oremus: *Refecti vitalibus, &* per omnia ſecula ſeculorum *dicto in fine*, Amen, *tantum reſpondeatur; & ſic ad refectionem panis & aquæ pergant.*

VII. Recitatus hactenus locus ex laudato Rotomagenſi Ordinario jam non ſolum nos docet, quod Veſperæ dicerentur in Miſſa, ſed etiam *ſuaviter*, ideſt, *voce ſubmiſſa*, ut alii Libri Rituales explicant. Unde & Rabanus Lib. III. *De inſtitutione Clericorum*, Cap. XXXVII. *In hac die*, inquit, *Veſpera cum ſilentio celebratur, ut quieti Dominicæ ſepultræ veneratio debeatur*. De Veſperis hac die *ſub ſilentio* recitandis, teſtes inter

Digitized by Google

ter alios habemus Dunſtanum in ſua Concordia, & Udalricum in Conſuetudinibus ſuis. Imo ex Ordinario Lingonenſi, *dicunt omnes Canonici Præbendarii, & Clerici ſub ſilentio bini Veſperas.* Nonnullos etiam extra Chorum Veſperas privatim recitaſſe, docent pervetuſtus Ordo I. Romanus Cap. VI. vetus Miſſale Eccleſiæ Noviomenſis ante annos DCCC. ſcriptum, Pontificale Apameenſis Eccleſiæ in Syria, & Ordinarium Silvanectenſe. Ex Ordinario Cabilonenſi poſt Orationem Diaconus remiſſa voce dicebat: *Ite requieſcite in pace.* Laudunenſe vero præſcribit, ut *Epiſcopus parvam Crucem tenens adſtantes benedicat, dicens,* ſcilicet, *In nomine Domini recedite in pace.* In pervetuſto Rituali ad uſum Diœceſis Remenſis edito inhibetur, ne ulla fiat ſuper populum benedictio, *ſed oſculato Altari, revertendo ad Sacrarium dicat Presbyter Euangelium ſancti Joannis, videlicet,* In principio erat Verbum &c. *cum Orationibus, & precibus, ut conſuetum &c.*

VIII. Quod tandem in ipſo Rotomagenſi Ordinario edicitur de jejunio in pane & aqua, hac die ſervando, multis probari poſſet veterum exemplis, ac teſtimoniis Scriptorum. Verum, ut omittam alias, Aquiſgranenſis Synodus Ludovico Pio Imperatore celebrata Can. VIII. mandat, ut *in Paraſceve nihil aliud, niſi panis, & aqua ſumatur.* Jejunari uſque ad Veſperas jubet Concilium Toletanum IV. anni DCXXXVI. Can. VII. indignumque declarat communione Paſchali, qui ad Horam nonam manducat: *Quia totum eundem diem univerſalis Eccleſia propter Paſſionem Domini in mœrore, & abſtinentia peragit, quicunque in eo jejunium, præter parvulos, ſenes, & languidos, ante peractas Indulgentiæ preces reſolverit, a Paſchali gaudio repellatur, nec in eo Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini percipiat, qui diem Paſſionis ipſius per abſtinentiam non honorat.* Græci tum Feriam VI. in Paraſceve, tum etiam ſequentem diem omnino jejuni tranſigebant, ex Canone LXXXIX. Concilii Trullani, qui ita inquit: *Dies ſalutiferæ Paſſionis, in jejunio, & oratione, & cordis compunctione peragentes Fideles uſque ad mediam magni Sabbati noctem jejunare oportet.* Vide quæ tuſe in hunc Canonem ſcripſimus nos noſtro II. Tomo Conciliorum.

IX. Juxta Romanum Ordinem XII. Cap. XIII. *Dominus Papa eadem die nulli de familia ſua vinum dat ad potandum, nec coctum ad comedendum; dat vero eis tantummodo panem, & aquam, & herbas de conſuetudine.* Meminere ejus ritus antiquæ Germaniæ Conſuetudines ſic ajentes: *Cum ſilentio cantatis Veſperis jam vicina nocte eant in refectorium refecturi tantummodo pane calido cum crudis herbis, & aqua.* Multa alia vetera monumenta affert eam in rem Martenius Lib. III. *De antiquis Monachorum ritibus,* Cap. XIV. Numero XLV. Viget is hodieque ritus in multis Religioſorum cœtibus, ut omnes, exceptis infirmis, Feria VI. in Paraſceve jejunent in pane ſolum, & aqua, licet nonnulli panem varie ad guſtum præparatum, & aquam cinnamomi adhibeant. At non modo rigidiora hac die jejunia apud Monachos, verum aſperiora quoque exercitia peragebantur; quare Godefridum Abbatem uſque ad ſanguinem coram Capitulo ſe verberantem affirmat Petrus Bleſenſis; & ex pluribus Monaſticis Conſtitutionibus Regulares a Superiore ipſo plectebantur.

X. Fuit etiam antiquus mos, ut, quemadmodum in pluribus Ordinariis, & apud Joannem Abrincenſem legitur, hodierna die poſt Veſperas lavaretur Crucifixus aqua & vino, de quo biberent quicumque communicaverant. Conſtat quoque & ille ex aliis Ordinariis ritus, ut Crux hac ipſa die, ſolemni cum cæremonia in Sepulcro reconderetur, quam ita deſcribit Bajocenſe Ordinarium: *Hodie paretur Sepulcrum verſus cornu Altaris ſiniſtrum, linteaminibus mundis, & pallis pretioſis, & aliis, ſicut pretioſius fieri conſuevit. Peracto Officio, & Veſperis dictis ſigillatim, ut dictum eſt de aliis horis, exuat Pontifex Caſulam, & accipiens Crucem ſuper Altare jacentem cum alio Sacerdote, incenſato prius Sepulcro, ponat eam cum magna reverentia in ipſo Sepulcro, ſuppoſitis pulvinari, & mundis, & albis linteaminibus, adſtantibus duobus Ceroferariis in Superpelliciis, & ponendo, incipiat Cantor* ℟. Æſtimatus ſum, *Choro excipiente illud idem cum ſuo Verſu eadem voce. Deinde accipiat Epiſcopus de manu Diaconi in pixide ſindone cooperta Corpus Dominicum a die præcedenti reſervatum, & ponat illud honorifice in ipſo Sepulcro juxta Crucem. Ponat & ibidem Epiſcopus ex alia parte. Crucis, Calicem vacuum, Patenam, Corporalia ſindone involuta. Deinde incenſet ipſum Sepulcrum iterum, & claudat illud, & incipiat Cantor* ℟. Sepulto Domino, *voce, qua primum, & ſimiliter excipiatur a Choro cum ſuo Verſu, & regreſſu. Quibus cantatis, incipiat ipſe Pontifex Antiphonam,* In pace, in idipſum *ex præcepto Cantoris. Iterum incipiat ſimiliter Antiphonam,* In pace factus eſt. *Ultimo incipiat ſimiliter Antiphonam,* Caro mea, *& ſic compleatur hujus diei Officium.*

XI. Simili fere modo Miſſale Sarisberienſe eundem ritum enarrat: *Finitis Veſperis, exuat Sacerdos Caſulam, & aſſumens ſecum unum de Prælatis in Superpelliceis, amborum pedibus nudatis, reponat Crucem in Sepulcrum pariter cum Corpore Dominico, ſcilicet in pixide, incipiens ipſe ſolus Reſponſorium,* Æſtimatus ſum, *genuflectendo cum ſuo ſocio; quo incepto, ſtatim ſurgant;* & cetera fere omnia, ut ſupra. Hujus ritus meminit S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani Vita, Cap. IV. Concordia S. Dunſtani, & Ordinarium Tullenſe, de quibus vide Martenium Lib. III. *De antiquis Monachorum ritibus,* Cap. XIV. Numero XLVIII. Ex Ordinario autem Cabilonenſi poſt Veſperas *denudandæ ſunt Cruces, & poſt Completorium abluuntur Altaria ab Epiſcopo, vel ab alio, ſi defuerit.* Frequens fuit hic idem apud Monachos ritus, uti conſtat ex Statutis Lanfranci, & ex ipſo Udalrico Lib. I. Cap. XIII. atque ex variorum Monachorum Conſuetudinibus, teſte memorato Martenio ibidem Num. XLV.

XII. Solet præterea hac die Romæ in Baſi-

Digitized by Google

lica Vaticana fieri oſtenſio Vultus Sancti, & ligni S. Crucis, & in nonnullis etiam locis Spinæ, quibus coronatus fuit Redemtor noſter, itemque ampullæ, in quibus exiſtere dicitur ejus Sanguis, atque alia demum, quæ ejuſdem Paſſionem ſpectant. Sed de eo ritu oſtenſionis ſacrarum Reliquiarum legi poteſt eruditiſſima illa Diſſertatio, quam de ipſo argumento concinnavit Clariſsimus Petrus Morettus inſignis Baſilicæ Sanctæ Mariæ Tranſtyberim Canonicus, aliis Operibus Literariæ Reipublicæ notus. Solent quoque in nocte fieri variæ Proceſſionis, in quibus tamen varios abuſus non ſemel in Synodis ſuis zeloſiores Epiſcopi damnarunt. Notat Bauldryus in ſuo Manuali, Parte IV. Cap. X. Articulo IV. Num. XXX. eas, qui hac nocte deferunt in Proceſſione Sanctiſſimum Sacramentum, agere contra Decreta Sacræ Congregationis ſuper negotiis Epiſcoporum, XXI. Martii MDXCVI. idque alienum eſſe prorſus a ritu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ his diebus abſcondit Sanctiſſimum Sacramentum, atque ideo tranſtulit Proceſſionem, & Feſtum Corporis Chriſti in aliud tempus, de quibus infra hoc eodem Libro dicemus Cap. XXXIII.

XIII. Ritus hucuſque de Feria VI. in Paraſceve explicati ſigna ſunt mœroris, & triſtitiæ, quibus Eccleſia ſategit ingentem dolorem oſtendere de Chriſti Domini paſſione, ac morte atrociſſima. Quod autem totum Dominicæ Paſſionis Officium lugubre ſit, perperam ab Eraſmo improbatum fuit, ajente noluiſſe Chriſtum mortem luam lugubrem eſſe, ſed glorioſam, neque eam lugeri, ſed adorari; quod ſi Propheta in Pſalmo LXVIII. Chriſtum inducit loquentem, *Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, conſolantem me quæſivi, & non inveni*; hoc ait, nihil aliud ſignificare, quam quod ad mortem Chriſti homines pii debebant flere, quia patiebatur, & in tormentis erat; nunc vero cum ſit in gloria, debere omnes gaudere cum ipſo, cum & ipſa Eccleſia tempore ipſo Paſſionis non poſſit continere lætitiam ſuam dicens: *Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis*; quod hoc tempore ſæpe canit Eccleſia: *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*; quod gaudium Reſurrectionis ejecit de corde Virginis, & Diſcipulorum ſenſus omnes triſtitiæ, quos habuerant in morte Chriſti; & quod Chriſtus mulieres Jeruſalem mortem ejus plorantes exprobravit, dicens: *Nolite flere ſuper me &c.* ut in Euangelio habetur.

XIV. Dici etiam poterat, quod cum Eccleſia cum ſolemnitate, & gaudio Feſta Martyrum celebret, quia ut ait Propheta in Pſalmo XV. *pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus*; multo magis deberet lætari, & cum gaudio celebrare commemorationem Dominicæ Paſſionis, & mortis, cum mors ipſius ſit pretioſiſſima, & mors mortis, & eſt Redemptio noſtra, & quia Apoſtolus in ſua Epiſtola ad Galatas Cap. VI. inquit: *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini Noſtri Jeſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſalvati, & liberati ſumus*; quem locum Apoſtoli, ut vel in priſcis Miſſalibus legitur, ex antiquo ritu uſurpat hodieque Eccleſia in Introitu Miſſæ Feriæ Quintæ in Cœna Domini.

XV. Sed hæc argumenta jam olim præoccupavit, ſolvitque in ſua divinorum Officiorum explicatione Joannes Belethus, qui floruit ſæculo Chriſti XII. Cap. XCVI. quod eſt, *De Sexta Feria privilegiata*; & poſt Belethum inter alios Gulielmus Durandus in Rationali ſuo Divinorum Officiorum Lib. VI. Cap. LXXVII. ubi ait, quod, *quia ipſe pro peccatis noſtris mortuus eſt, ſicut, dicit Dominus per Iſaiam, Cap.* LIII. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum; *ideo deberet homo erubeſcere gaudere, cum & ſol inſenſibilis erubeſcens radios ſuos retroverterit, quia obſcuratus eſt, & petræ ſciſſæ ſunt. Merito ergo omnis homo in hac die triſtitiam prætendit, ne eſſe durior lapidibus videatur*. Addit & alia, quibus egregie tuetur ritum Eccleſiæ, quæ *in hac die in arctiſſimo eſt jejunio, & ſilentio, & triſtitia compaſſionis &c.* Eadem plane ſunt, quæ ante memoratum Durandum in eam Quæſtionem longa oratione docuit Belethus, cujus locum, ſicut & cæteros alios pleroſque Ritus, ſuo Rationali Durandus ipſe inſeruit, ut cuique utrumque Auctorem legenti patet.

XVI. Quantum ad Eraſmum, teſte Grancolaſsio in Breviarium Romanum, Cap. LI. Pariſienſium Theologorum facultas articulum ejus jure ac merito condemnavit, diciturque in cenſura ipſius articuli, quod licet mors Chriſti glorioſa ſit, quia mortem deſtruxit, non tamen deſinit eſſe lugubris; neque ii, pro quibus mortuus eſt, omnes ſcilicet homines ceſſare debent a fletu; ad quod probandum citatur allegatus locus Pſalmi LXVIII. & alius Zachariæ Prophetæ, Cap. XII. *Et plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti*; dicitur quod juxta Simeonem Prophetam in morte Chriſti doloris gladius pertranſivit animam Matris; quod oportet etiam flere peccata hominum, quæ ſunt cauſa mortis Jeſu Chriſti. Declaratur Eraſmi propoſitio contraria Catholicorum Doctorum ſententiæ, & conſuetudini univerſalis Eccleſiæ, quæ abſtinentia utitur qualibet Feria Sexta in honorem mortis Jeſu Chriſti, itemque contraria recto ſenſui Scripturarum.

XVII. Præter abſtinentiam hujuſmodi, eandem ob cauſam, paſſionis ſcilicet, & mortis Domini, qualibet Feria Sexta, pluribus jam ab hinc ſæculis, frequentari ſolent in multis Religioſis domibus flagellationes, quas diſciplinas vocant; iſque eſt uſus, qui hodieque viget in Oratoriis Sancti Philippi Nerii, qui primum introductus ab eodem fuit cum ſumma Fidelium utilitate in Domo Oratorii Sancti Hieronymi Charitatis Urbis, ex quo Philippini ſuam denominationem accepere Congregationis Oratorii, teſte Baronio. Hic finem facio Commentariis in Rubricas Capitis XXV. quod eſt de Officio Feriæ VI. in Paraſceve, celebrante Epiſcopo, quædam alia notaturus in Commentariis ad Cap. ſequentis Rubricas, quod de eadem Feria VI. agit, Epiſcopo non Celebrante, ſed præſente, vel abſente, & in Collegiatis,

CAP. XXVI.

Digitized by Google

CAP. XXVI.

Quæ præparanda pro Officio Feriæ Sextæ in Paraſceve, Epiſcopo tantum præſente, ſeu abſente, & in Collegiatis. Acceſſus Epiſcopi ad Eccleſiam, & Celebrantis ad Altare. Epiſcopus nulli benedicit, nec oſculum manus recipit hac die. A quo, & ubi Epiſtola, & prima Prophetia cantentur. Secunda Prophetia cantanda a Subdiacono. Quomodo, & a quibus procedatur ad cantandam Paſſionem. Quo habitu Diaconus reliquam Paſſionem cantet. Sermocinator Indulgentiam tantum ab Epiſcopo petat. Ubi Celebrans dicat Orationem. Ordo denudandæ Crucis, & procedendi ad ejus adorationem. Proceſſio ad recipiendum Sanctiſſimum Sacramentum, quod geſtare debet Epiſcopus, & Celebrans ſuper Altari collocare. Cætera, quæ a Celebrante explenda ſunt. Veſperæ quomodo compleantur. Indulgentia, ſi non eſt habitus Sermo, quando publicanda.

§. I.

Præparentur, & ſerventur omnia in præcedenti Capite expreſſa, ſi Celebrans ſit Prælatus, habens inſignia Pontificalia, exceptis Diaconis aſſiſtentibus: ſi vero non ſit Prælatus, ſed aliquis Canonicus, omnia prædicta ſimiliter parentur, præter Faldiſtorium, & Abacum; & ipſe Celebrans cum ſuis Miniſtris paretur in Sacriſtia ante adventum Epiſcopi, qui hora congrua, indutus Cappa ex lana violacei coloris, aſſociatus a Canonicis more conſueto, venit ad Eccleſiam, orat prolixius ante Altare, ſuper genuflexorio nudo genuflexus, & ad ejus ſiniſtram aliquantulum poſt ipſum Celebrans ſuper ſcabello nudo cum Diacono, & Subdiacono in nudo ſolo genuflectentibus; cumque oraverint prolixius ſolito, Epiſcopus ſurget, aſcendet ad Sedem ſuam, comitantibus duobus ſuis Aſſiſtentibus, qui apud eum aſſiſtunt, more ſolito; & Celebrans vadit ad Altare, & illud oſculatur. Deinde ſi ſit Prælatus, ad ſuum Faldiſtorium; ſin minus, ad ſcamnum nudum pro ipſo, & ſuis Miniſtris paratum.

COMMENTARIUS.

I. QUemadmodum in Cæremoniali Pontificiæ Capellæ Auctore Patricio varii explicantur Ritus, ſervandi Feria Sexta in Paraſceve, tum quando ipſemet Papa celebrat, tum etiam quando, alio celebrante, ipſe eſt præſens; ita quoque & noſtrum Cæremoniale Epiſcoporum, poſtquam egit in præcedenti Capite de Cæremoniis ab Epiſcopo Officium ipſum Feriæ VI. celebrante, merito nunc Cæremonias ſubjicit, quas Epiſcopo præſente ſacræ functioni per alium celebratæ ſervari oportet. Ergo ex præſcripto noſtri §. præparabuntur, ac ſervabuntur omnia in ipſo Capite præcedenti expreſſa, *ſi Celebrans ſit Prælatus, habens Inſignia Pontificalia, exceptis Diaconis aſſiſtentibus &c.*

II. Antequam alia explicemus, ſciendum eſt 1. ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die XIX. Januari MDCCIV. primam Dignitatem præciſe teneri ſupplere partes Epiſcopi impediti in celebrandis Miſſis ſolemnibus, & peragendis aliis ſolemnibus functionibus ad ipſum Epiſcopum ſpectantibus. Id quod declaratum jam antea fuerat ab eadem Sacra Congregatione die XI. Februarii, anni MDCCII. ad excluſionem Vicarii Generalis; & Canonici Hebdomadarii; mandavit enim, functiones ipſas, prima Dignitate impedita ſpectare ad ſecundam &c. His adde aliud Decretum ejuſdem Congregationis XXIX. Novembris MDCLXX. quo cautum fuit, ut prima Dignitate impedita, vel abſente, ſuccedat ſecunda Dignitas in functionibus peragendis, & ſecunda impedita, ſuccedat tertia, & omnibus Dignitatibus impeditis, vel abſentibus, primus Canonicus eas obeat. Porro autem quod inter ipſas functiones Pontificales, quæ abſente, vel impedito Epiſcopo ad primam Dignitatem ſpectant, recenſeatur celebratio Officii Feriæ Quintæ in Cœna Domini, & Feriæ Sextæ in Paraſceve, conſtat ex alio prædictæ Congregationis Decreto die III. Decembris anni MDCLXXII.

III. Hiſce notatis, ut propius ad noſtrum §. deveniamus, ubi non Epiſcopus, vel alius Prælatus habens Inſignia Pontificalia, Officium ipſum Feriæ Sextæ celebret, *ſed aliquis Canonicus*, etiamſi Dignitas ſit, omnia prædicta in ſuperiori Capite parabuntur, præter Faldiſtorium, & Abacum, & ipſe Celebrans parabitur in Sacriſtia ante adventum Epiſcopi, qui hora congrua, aſſociatus a Canonicis more ſolito, indutus Cappa lanea violacea venit ad Eccleſiam, ubi prolixius ante Altare genuflexus in genuflexorio nudo, & ad ejus dexteram aliquantulum poſt ipſum Celebrans ſuper ſcabello nudo, cum Diacono, & Subdiacono in nudo ſolo genuflexis. Cumque oraverint pro-

Digitized by Google

prolixius ſolito, ideſt, quaſi ultra ſpatium unius *Miſerere*, ut ait poſt Patricium Craſſus, Epiſcopus ſurget, aſcendetque ad Sedem ſuam, comitantibus eum duobus Diaconis aſſiſtentibus, qui apud eundem & hac die aſſiſtent more ſolito; & Celebrans pergit ad Altare, & illud oſculatur; deinde ſi ſit Prælatus, ad ſuum Faldiſtorium, ſin minus, ad ſcamnum nudum pro ipſo, & ſuis Miniſtris paratum in cornu Epiſtolæ.

IV. Ritus ſane hujus veſtigium, quem hucuſque ex noſtro §. enarravimus, legere eſt apud Patricium in ſuo Cæremoniali Capellæ Pontificiæ Lib. II. Sectione 1. Cap. LI. quod eſt de Sexta Feria Majoris Hebdomadæ, ubi inter alia ſic inquit: *Cardinalis celebraturus, indutus, ut ſupra, ſine Mitra accedit prope Papam cum ſuis Diacono, & Subdiacono, & ſuper ſcabellum nudum a ſiniſtris Papæ ſibi præparatum ſimiliter oret. Interim Clerici Capelle unam mappam, ſive tobaliam tantum ſuper Altare extendunt. Orationibus finitis, Papa aſcendit ad Sedem ſuam nudum, aſſiſtentibus ſibi duobus Diaconis Cardinalibus more ſolito, & Celebrans ad ſuum Faldiſtorium etiam nudum.* Eadem pene jam ante Patricium Amelius docuit.

§. II.

Tunc vero per Clericos, & Miniſtros extenditur tobalea, ſeu mappa ſuper Altari, quæ parum hinc inde pendeat. Epiſcopus hac die nulli manu, nec verbo benedicit, neque recipit oſculum manus ab aliquo, ſed nec ipſe oſculatur textum Euangelii, nec incenſatur, ut alias. Cum omnes conſederint, aliquis ex Beneficiatis, vel Cantoribus Cotta indutus, ducente Cæremoniario, ſibi ipſe Librum deferens, cum debitis reverentiis Celebranti, Altari cum genuflexione, & Epiſcopo, accedit ad locum, ubi cantari ſolet Epiſtola, ubi alta voce cantat primam Prophetiam ſine titulo, Librum manibus tenens; qua finita, & factis iterum debitis reverentiis, redit ad locum ſuum, relinquendo Librum ſuper Abaco, vel menſa, & recitatur per Chorum Tractus, *Domine audivi &c.* poſt Prophetiam, quam ſimul cum Tractu legunt, tam ipſe Celebrans, quam Epiſcopus, ſedentes in ſuis Sedibus, ſervientibus Epiſcopo de Libro ſolitis Capellanis, Celebranti vero Subdiacono.

COMMENTARIUS.

I. UBi Celebrans poſt oſculatum Altare, ſi ſit Prælatus ad ſuum Faldiſtorium, vel, ſin minus, ad ſcamnum nudum pro ipſo, & ſuis Miniſtris paratum pergit, *tunc per Clericos, & Miniſtros extenditur tobalea, ſeu mappa ſuper Altari, quæ parum hinc inde pendeat*, ideſt, ut ait Craſſus, *quæ pendeat per palmum ab illo, & non uſque ad terram*. Mandat tum noſter §. Epiſcopum hac die nulli manu, nec verbo benedicere, neque recipere oſculum manus ab aliquo, ſed nec ipſum oſculari textum Evangelii, nec incenſari, ut alias. Id quod in Cæremonialibus ſuis notant Patricius, & Craſſus, quorum primus ita inquit: *Non fit reverentia per Cardinales; neque Miniſtri Prophetias, Paſſionem, & Evangelium dicturi, oſculantur pedem Papæ, ſed ſine oſculo omnia fiunt.* Alter vero loquens de ipſo Officio in Paraſceve agendo coram Cardinali Antiſtite Bononienſi ſic habet: *In quo Officio Cardinalis nulli det benedictionem, & nulli porrigat manum oſculandam, neque aliquis oſculatur id, quod ei daturus eſt hodie.* Non dari hac die oſculum in deteſtationem oſculi, quo Judas tradidit Chriſtum Dominum, jam alibi notatum eſt, docentque paſſim Scriptores, ac Libri Rituales antiqui.

II. Ergo conſedentibus omnibus juxta ritum ſupra explicatum in Commentario præcedenti, aliquis ex Beneficiatis, vel Cantoribus, Cotta indutus, comite Cæremoniario, ſibi ipſe Librum deferens, cum debitis reverentiis Celebranti, Altari, & Epiſcopo, accedit ad locum Epiſtolæ ubi cantat primam Prophetiam, ſine titulo, de qua, ſicut & de aliis ritibus, fuſe diximus ſupra Cap. XXV. Ipſam Prophetiam ſimul cum Tractu legunt ex præſcripto noſtri §. *tam ipſe Celebrans, quam Epiſcopus, ſedentes in ſuis Sedibus, ſervientibus Epiſcopo de Libro ſolitis Capellanis, Celebranti vero Subdiacono.* Porro ſedens quidem legit Celebrans Prophetiam ſimul cum Tractu, ſi eſt Prælatus habens Inſignia Pontificalia; nam alias ex Rubricis Miſſalis, atque uti paſſim docent varii Scriptores Sacrarum Cæremoniarum, Celebrans ubi oſculatus eſt Altare, accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi legit voce ſubmiſſa Prophetiam ſine titulo cum Tractu, ſtantibus Miniſtris, deinde vero pergit ad Sedem ſuam cum Miniſtris, & ibi ſedet, donec finiatur per Chorum Tractus.

§. III.

Finito Tractu per Chorum, Celebrans ſurgit; & ſi eſt Prælatus, ſtans ante Faldiſtorium verſus ad Altare, dicit, *Oremus*, & Diaconus retro ipſum, *Flectamus genua*, Subdiaconus vero, *Levate*. Tunc Epiſcopus, & omnes genuflectunt, excepto

Digitized by Google

cepto Celebrante, & ſtatim ſurgunt; ſi vero non eſt Prælatus, apud Altare; Celebrans autem cantat Orationem, *Deus, a quo & Judas &c.* in tono uniformi, & feriali. Qua finita, ſedet, ſedente Epiſcopo, & omnibus.

§. IV.

Tunc Subdiaconus, depoſita Planeta plicata, ſumtoque Libro, vadit cum Cæremoniario, factis debitis reverentiis, ad cantandum alteram Prophetiam in eodem loco; qua cantata, reaſſumit Planetam plicatam, & Celebrans, ac Epiſcopus legunt ipſam Prophetiam, & Tractum, ut prius; & dum per Chorum cantatur præfatus Tractus, tres Capellani, ſeu Cantores, qui Paſſionem ſunt cantaturi, parantur in Sacriſtia, & circa finem Tractus, ordine, prout in Capite præcedenti dictum eſt, cantat Paſſionem.

COMMENTARIUS.

I. MUlta ex his, quæ in hiſce Paragraphis, præſcripta ſunt totidem pene verbis in Cæremoniali Patricii loco ſuperius citato: *Poſt Prophetiam*, inquit, *dicitur Tractus*, Domine exaudi &c. *quo finito Celebrans ſtans ante Faldiſtorium verſus ad Altare ſine* Dominus vobiſcum, *abſolute dicat*, Oremus, *& Diaconus ante eum ſtans*, Flectamus genua, *& Subdiaconus*, Levate. *Celebrans dicit Orationem, deinde ſedet, & aliam Prophetiam cantat etiam ſine titulo Subdiaconus in dicto loco*, ubi ſcilicet Epiſtola dici ſolet, *& ea cantata legitur per Celebrantem cum Tractu &c.* Eſt is quidem Ritus Pontificiæ Capellæ, qui præſertim noſtro Ritui concinit, ubi Celebrans eſt Prælatus, qui quidem, ut ait noſter §. III. ſtans ante Faldiſtorium verſus ad Altare dicit, *Oremus &c.* Si vero non eſt Prælatus, apud Altare in cornu ſcilicet Epiſtolæ, dicet abſolute, *Oremus*. Porro dicente tunc Diacono, *Flectamus genua*, tum Epiſcopus, tum omnes alii genuflectunt, excepto Celebrante, ſtatimque ſurgent, cum Subdiaconus ſubjungit, *Levate*. Finita autem Oratione, quæ incipit, *Deus, a quo & Judas &c.* caniturque in tono uniformi, ac feriali a Celebrante, ſedet mox ipſe Celebrans, ſedente Epiſcopo, & aliis quoque omnibus ſedentibus in ſuis locis. Circa Rubricam noſtri §. IV. videri poſſunt, quæ jam diximus in Capite præcedenti, ubi inter alia notavimus Sacræ Rituum Congregationis Decretum die VII. Julii anni MDCXII. quo edicitur ſervandam eſſe conſuetudinem immemorabilem, ut Paſſio Domini in Dominica Palmarum, & in Feria VI. Paraſceves decantetur a Canonicis, non obſtante Cæremoniali in quo diſponitur eam ab aliis Cantoribus decantandam eſſe. Sane in Baſilica Vaticana tam in Dominica Palmarum, quam Feria VI. in Paraſceve Canonici cantare Paſſionem ſolent.

§. V.

Epiſcopus, Celebrans, & omnes, cum inchoatur Paſſio, ſurgunt, & ſtant, detecto capite, uſque ad ejus finem; ſed Celebrans ſtat apud Altare in cornu Epiſtolæ, & legit ſecrete ex Libro ſuper Altari poſito Paſſionem uſque ad finem, verſus aliquantulum ad ipſos Cantantes, qui Paſſionem proſequuntur; & ea finita, Diaconus cantat Euangelium, ſeu reliquum Paſſionis in tono Euangelii, ſervatis omnibus, quæ ſuperius expreſſa ſunt.

§. VI.

Finito Euangelio, Diaconus cum ſuis ſociis, factis debitis reverentiis, recedit, & manet in habitu, quo reperitur, uſque ad finem Officii; & interim, ſi Sermo eſt habendus, ducitur per Cæremoniarium Sermocinaturus ante Epiſcopum, a quo petit tantum Indulgentias abſque benedictione; & ſtatim, finito Sermone, illas pronunciat, cum non fiat Confeſſio, nec per Epiſcopum abſolutio, nec benedictio.

§. VII.

His expletis, vel, ſi non fiat Sermo, ſtatim finita Lectione in tono Euangelii, Celebrans accedit ad Altare in cornu Epiſtolæ cum ſuis Miniſtris, & cantat Orationes, prout in Miſſali; advertendo, quando dici, & quando omitti debeat, *Amen*, per

Digitized by Google

per Chorum, &, *Flectamus genua*, per Diaconum; quæ verba, *Flectamus genua*, cum dicuntur, Epiſcopus, & alii, ut ſupra, genuflectunt, & ſurgunt, cum per Subdiaconum dicitur, *Levate*.

§. VIII.

Antequam dicatur ultima Oratio, Miniſtri extendunt ad longum pannum, ſeu tapete ante gradus Altaris, vel Presbyterii cum pulvino, & mappa, ut in præcedenti Capite dictum eſt.

NOTA.

Quandoquidem quidquid in hiſce Paragraphis præſcribitur, non eſt niſi eorum repetitio, quæ in præcedenti Capite dicta ſunt, ſupervacaneum puto, quæ jam ibidem ſuſe notavi, hic iterum repetere.

§. IX.

Completis Orationibus, Celebrans, ſi eſt Prælatus, accepta Mitra, procedit ad Faldiſtorium, ubi deponit Mitram, & Caſulam, & vadit ad poſteriorem partem cornu Epiſtolæ Altaris; &, ſi non eſt Prælatus, deponit Caſulam in ſolito ſcamno, cui ſtanti poſt angulum dicti lateris Altaris, facie verſa ad populum, ſeu Chorum, Diaconus offert Crucem velatam, de Altari reverenter acceptam, qui eam devote accipiens, manu dextera detegit illius ſummitatem uſque ad tranſverſum Crucis, prout ſupra dictum eſt; & dum Celebrans cantat, *Ecce lignum Crucis*; tenet ei Librum, ſi eſt Prælatus, Aſſiſtens, ſi vero non eſt Prælatus, Capellanus; & Epiſcopus tunc, & omnes, detecto capite, ſurgunt; & ſemper dum Chorus reſpondet, *Venite adoremus*, Epiſcopus, & omnes alii, excepto ſolo Celebrante, genuflectunt.

§. X.

Dicto tertio, *Ecce lignum Crucis*, & ſervatis omnibus ſuperius expreſſis, Celebrans ipſe, ſolus abſque Miniſtris, procedit ad locum, ubi eſt poſitum pulvinar antedictum, portans Crucem ambabus manibus elevatam cum reverentia, & devotione, nullam tunc Epiſcopo, neque Altari reverentiam faciens, & eam genuflexus ponit, & firmat chordulis, ſi opus eſt, ſupra dictum pulvinum, adjuvante Cæremoniario, qui paulo ante ponere debet lancem prope ipſum pulvinum ad dexteram adorantis, ubi pecuniæ, quæ Cruci offeruntur, ponantur.

COMMENTARIUS.

I. EXplicati licet hi ritus ſuperius fuerint, lubet nihilominus eoſdem deſcribere ex Paride Craſſo, Lib. II. Cap. XLVII. ubi tractat de Officio Feriæ VI. in Paraſceve coram Cardinali Epiſcopo Bononienſi per aliquem Prælatum agendo. Finitis Orationibus, inquit, Celebrans vadit ad Faldiſtorium, ubi deponit Planetam ſolam, & revertitur ad cornu poſterius Epiſtolæ, itaut quaſi ſit collateralis candelabris ſuper Altari locatis. Interim Diaconus ſolus accipit de Altari Crucem velatam ſic cum velo diſſolutili compoſitam, ut Celebrans poſſit abſolute Crucem diſcooperire. Itaque Diaconus Crucem, nulli reverentiam faciens, portat ad Celebrantem ſine oſculo manus ejus, qui eam in ſiniſtra reverenter accipiens, primo detegit dexteram ejus ſummitatem, uſque ad tranſverſum Crucis. Tum ambabus manibus ſuis elevat eam uſque ad ſuos oculos, cantans ex Libro, quem Capellanus aſſiſtens tenet ad ſiniſtram ejus, videlicet, *Ecce lignum Crucis*, & non ultra, cui Capellani quatuor, quos prædixi, reſpondent ex Libro alio ſuper Faldiſtorio Celebrantis poſito, cantantes, videlicet, *In quo ſalus mundi pependit*, & non ultra. Chorus autem proſequitur, videlicet, *Venite, adoremus*, ad quæ duo verba, videlicet, *Venite, adoremus*, dum cantantur, Cardinalis, & omnes genuflectunt, excepto Celebrante, & Aſſiſtente ſuo, ſive Capellano, qui Librum tenet, & mox omnes ſurgunt.


II. Auctore eodem Craſſo docente, Celebrans deinde venit ad angulum Altaris ante cornu Epiſtolæ, verſa facie, ut ſupra, ubi detegit caput, & brachium Crucifixi dexterum, & mox elevata Cruce ambabus manibus, ut ſupra, cantat, ſed altius, cui Capellani reſpondent, ut prius,

Digitized by Google

prius, & ſimiliter Chorus, ut ſupra, & Cardinalis, & omnes, ut ante, genuflectunt. Tertio Celebrans in medio Altaris, renibus illi verſis, diſcooperta tota Cruce, & elevata, idem faciens, ut ſupra, cantat, ſed altius, & idem omnes alii faciunt. Poſtea Celebrans, abſque Cardinalis reverentia, ſolus portat, & locat Crucem ſuper pulno, adjuvante ſolo Cæremoniario. Hæc ſane ad literam Craſſus, qui etiam initio Capitis monuit, quod in noſtro §. x. cautum eſt, ut nimirum paulo ante hanc functionem præparetur a Cæremoniario aliqua lanx, quæ ponatur prope pulvinum, ad dexteram adorantis, ubi pecuniæ, quæ Cruci offeruntur, ponantur. Sed de his videri etiam poteſt laudatus Patricius, cujus eadem pene verba in noſtris Paragraphis præſcripta leguntur.

§. XI.

Deinde Celebrans, facta reverentia Epiſcopo, redit ad Faldiſtorium, ſeu Sedile, ubi deponit calceos, ſeu crepidas; eodemque tempore Epiſcopus a ſuis Scutiferis, oras Cappæ a Capellanis elevatas ſubeuntibus excalceatur; qui fimbrias poſteriores Cappæ per terram trahens, anteriores vero ſibi ipſe elevans, detecto capite, deſcendit ad adorationem Crucis, medius inter duos Diaconos aſſiſtentes, & gradiens per dictum tapete, ter cum debita diſtantia genuflectit ante Crucem, aliquantulum pro unaquaque vice orando, & demum Crucem oſculatur, offerens tamen prius Cruci pecunias, quas volet offerre: tum redit ad ſuam Sedem, & accipit calceos, quos depoſuerat, dictis Scutiferis eodem ordine ſubeuntibus, ut prius; & ſedens coopertus legit improperia, quæ etiam interim per Chorum cantantur in totum, vel in partem, prout numerus adorantium ſuadebit.



COMMENTARIUS.

I. LOcata reverenter per Celebrantem Cruce ſuper pulvino, & facta Epiſcopo reverentia, *redit ad Faldiſtorium*, ſi ſcilicet Celebrans ſit Prælatus, *ſeu Sedile*, ſi eſt Canonicus, vel alius non Prælatus, *ubi deponit calceos, ſeu crepidas; eodemque tempore Epiſcopus a ſuis Scutiferis oras Cappæ a Capellanis elevatas ſubeuntibus excalceatur*. Cardinalem Epiſcopum Officio Feriæ VI. in Paraſceve præſentem, accedentibus quatuor Capellanis, qui ſuſtinent oras veſtis, excalceari per Camerarios duos ſubeuntes Cappam, tradit in ſuo Cæremoniali Craſſus, & addit, quod, *ſi forte Cardinalis ſit aegrotus, aut pedibus patiens ſit, ita ut commode calceos deponere non poſſit, tunc omnino ipſi Capellani oras ſuſtineant, & Camerarii excalciare pro exem-*

exemplo aliorum ſimulent. Sequutus eſt plane ſententiam Patricii, qui poſtquam in ſuo Cæremoniali dixit, Papam Officio ipſi præſentem, elevantibus ejus fimbrias Acolythis, excalceari per Cubicularios ſecretos, ſubtus fimbrias genuflexos, ita ſtatim ſubjicit: *Quod, ſi forte Pontifex propter ejus invaliditatem, aut alia ratione, non velit ſibi calciamenta detrahi, debent nihilominus Acoluthi fimbrias tenere, & Cubicularius ſubtus genuflectere, ac ſi calciamenta deponeret, ad devotionem, & exemplum circumſtantium*. Sed hæc ſimulatio non videtur a noſtro Cæremoniali probari, quippe quod deſcribens fere ſemper ad literam verba ipſa Patricii, & Craſſi, penitus illa de memorata ſimulatione omiſit.

II. Quidquid ſit, ſive calceatus, ſive diſcalceatus Epiſcopus, *fimbrias poſteriores Cappæ per terram trahens, anteriores vero ſibi ipſe elevans, detecto capite*, ideſt, nudo, ut ait Craſſus, *deſcendit ad adorationem Crucis medius inter duos Diaconos aſſiſtentes, & gradiens per dictum tapete &c.* Idem tradit in ſuo Cæremoniali Patricius, tametſi præter duos Diaconos aſſiſtentes, inter quos medius incedit Pontifex cum a ſua Sede deſcendit ad adorandam Crucem, ait aliquos ex Epiſcopis aſſiſtentibus ſequi tunc Papam, qui ter cum diſtantia genuflectit, & orat, antequam illam oſculetur. At vero Craſſus in ſuo Cæremoniali ſcribit, Cardinalem Epiſcopum, ubi capite nudo, & cauda Cappæ per terram demiſſa, deſcendit ad ipſam adorationem Crucis, *ſolis duobus aſſiſtentibus ſequentibus*, procedere ad Crucem adorandam. Quod tamen ex noſtro §. correctum eſt, dum mandat, ut Epiſcopus, ſicuti ſit in Capella Pontificia, medius inter duos aſſiſtentes Diaconos ad Crucis adorationem pergat. De oblatione pecuniæ, & de aliis ritibus, quorum hic §. meminit, videri poſſunt quæ ſupra diximus. Corrigenda autem Figura, in qua lanx deeſt, ubi ponendi ſunt nummi, offerendi Cruci.

§. XII.

Poſt Epiſcopum immediate adorat Celebrans, depoſita Planeta, & retentis Dalmatica, & Tunicella, ſi ſit Prælatus, & procedit medius inter duos digniores Canonicos; & ſi non ſit Prælatus, ibit ad dexteram dignioris Canonici, Caſula exutus: ſequuntur poſtea Canonici, bini, qui omnes deponere debent calceos, & alii, prout ſupra expreſſum eſt in Capite præcedenti, & circa finem adorationis accenduntur cerei, ut ibi, & Diaconus portat burſam, explicat Corporale ſuper Altari; & peracta adoratione, accipit Crucem de pulvino, eamque reverenter portat ad Altare, nulli reverentiam faciens: ſed Epiſcopus, Celebrans, & omnes tunc Cruci genuflectunt, & ſtatim ſurgunt, & removetur pulvinus, pelvis cum pecuniis, & tapete.

COMMENTARIUS.

I. EX Cæremoniali Pontificiæ Capellæ, *Cum primum Papa ad Sedem ſuam reverſus eſt, Cardinales vadunt bini, & bini ad Crucem ad adorandum: primus erit Celebrans, qui ſolus de Faldiſtorio ſine Miniſtris vadit, & revertitur, & in adoratione ad ſiniſtram ſuam habebit priorem Epiſcoporum Cardinalium, quos ſequantur alii Cardinales bini, & bini*. Ita ſane Patricius in laudato Cæremoniali, ubi ritum ipſum referre pergit, ſic dicens: *Quod ſi numerus Epiſcoporum Cardinalium impar ſit, ultimus Epiſcopus adorabit cum primo Presbytero*. Et mox: *Idem fiat de Presbyteris, & Diaconibus Cardinalibus in ultimo tantum loco; ſi Cardinalium impar ſit numerus, poterunt tres ultimi ſimul adorare &c.* Ex quibus plura plane addiſcere poteſt Lector ad magis magiſque intelligendum ritum in §. noſtri Rubrica præſcriptum, quem ita enarrat in ſuo Libro Cæremoniali Craſſus: *Poſt Cardinalem*, Epiſcopum ſcilicet Bononienſem, *adorat immediate Celebrans, etiamſi ſit Prælatus, & tunc, depoſita Planeta, medius inter duos primos Canonicos de Choro, exceptis tamen illis duobus Canonicis aſſiſtentibus, qui adorant in ordine eis congruo, & deinde alii Canonici ſuo ordine bini &c.*

II. Quantum ad Rubricam noſtri hujus §. non modo Celebrans, & Epiſcopus, diſcalceati procedere debent ad adorandam Crucem, ſed & Canonici etiam *omnes deponere debent calceos*, binique procedere capite detecto, & fimbrias poſteriores Cappæ, ut de Epiſcopo dictum eſt, per terram trahentes. Romæ in multis Baſilicis, & quidem inſignioribus, non vidi Canonicos diſcalceatos ad Crucem adorandam incedere, &, ſi excipias Capitula Baſilicarum S. Mariæ Majoris, & S. Mariæ Tranſtyberim, in aliis nec poſteriores ipſas fimbrias Cappæ tunc trahunt per terram. Sed miror, cur introductis variis pro libito Canonicorum in multis Eccleſiis Cæremoniis, a noſtro Cæremoniali minime præſcriptis, imo aliquando etiam ab ejus mente alienis, plurimi paſſim priſci, ac probati Ritus, quos ejuſdem Cæremonialis Rubricæ præſcribunt, non ſine Eccleſiaſticæ diſciplinæ abuſu, atque diſpendio negligantur; præſertim, ubi Benedictus XIII. Pontifex Maximus Cæremoniale ipſum adamuſſim ſervandum conſtituit. Quocirca arguendi ſunt quidam Epiſcopi, qui ſeduli cum ſint, ut Cathedratica, ut ajunt, alique id genus onera a ſuo Clero exigantur, ob idque lites quotidie excitent, ſegnes deinde ſunt, ſi ſuſque deque Cæremoniæ, Rituſque probati, ac præcepti in peſſum eant.

III. Sed

Digitized by Google

III. Sed iis omiſſis, quæ non ſemel in hoc, & in aliis Operibus noſtris deploravimus; laudandi plane inter alios ſunt Canonici Regulares Lateranenſes antiquorum Rituum ſervatores, qui diſcalceati quidem Crucem hac die adorant. Quidquid autem ſit de aliis, ut ad præſentem redeamus §. docent præterea ſuperius memorati Auctores, Patricius, & Craſſus, circa finem adorationis accendi candelas ſuper Altare, & credentiam, ac intorticia ſuper cancellum, ſeu Tribunam, & Diaconum accepta de credentia burſa Corporalium, explicare Corporale ſuper Altari more ſolito; peracta vero adoratione eundem Diaconum Crucem de pulvino accipere, eamque reverenter portare ad Altare, nulli inter eundum facientem reverentiam. Locata, & compoſita Cruce ſuper Altari, debere quidem Diaconum facere ſolitam reverentiam Epiſcopo, tradit Craſſus; ſed potiſſimum illud eſt obſervandum, quod §. noſter admonet, nempe, cum Crux ad Altare defertur, debere Epiſcopum, Celebrantem, & alios omnes tunc genuflectere, & ſtatim ſurgere. Sed & de his vide Rubricas Miſſalis Romani, & qui eas explicant.

§. XIII.

Mox ordinatur Proceſſio, prout ibi dicitur, & proceditur ad locum, ubi eſt repoſitum Sanctiſſimum Sacramentum. Celebrans autem ſolus paratus procedit immediate ante Epiſcopum, qui, dum ordinatur Proceſſio, deponat Cappam, & accipiat Amictum, & Stolam ſupra Rocchettum, ac Pluviale nigrum, & Mitram ſimplicem.

§. XIV.

Cum pervenerit ante fores Sacelli, ubi eſt Sacramentum, deponit Mitram, & ſtatim ingreſſus Sacellum, genuflectit, mox ſurgit, & in primo gradu Altaris iterum genuflectit ſuper pulvino, & iterum ſurgit, & ſtans, imponit incenſum in duo thuribula, nihil dicens, miniſtrante Presbytero aſſiſtente; & rurſus genuflexus ſuper pulvino, incenſat triplici ductu Sanctiſſimum Sacramentum, Sacriſta aperiente Capſulam, ut ſupra; & ſtatim apponitur velum circa humeros Epiſcopi, itaut æqualiter hinc inde pendeat, ut ſupra.

§. XV.

Tunc Celebrans accipit Sanctiſſimum Sacramentum de dicta Capſula, illudque in manibus Epiſcopi collocat, & ſtatim genuflectit. Epiſcopus capit ambabus manibus, velo, quod circa humeros habet, coopertis, Calicem, ubi eſt Sanctiſſimum Sacramentum, velo coopertum, & illud portat reverenter ſub baldachino, quod deferunt Beneficiati cum Cottis, præeuntibus Capellanis cum funalibus accenſis, & duobus Acolythis cum duobus thuribulis, continuo incenſantibus Sacramentum, & revertitur ad Altare ordine, quo venerat, Cantoribus Hymnum, *Vexilla Regis prodeunt &c.* cantantibus.

COMMENTARIUS.

I. LOcata, & compoſita Cruce ſuper Altari, *& non prius*, ait Craſſus, *pro Sacramento reportando proceſſionaliter itur, & Canonici omnes ſunt ſine paramentis; & illi Manſionarii, qui portant umbraculum, exceptis duobus Miniſtris Celebrantis*. Sed nota quod mox ſubjicit: *Cardinalis etiam*, Epiſcopus ſcilicet Ordinarius loci, *non capit aliqua paramenta ſacra, ſed cum ſua Cappa procedit habens cucullum in capite in eundo; ejus vero caudam eundo, & redeundo portat Capellanus Caudatarius ejus ſolitus Cotta indutus; & in hoc actu, & caſu Canonici non ſequuntur, ſed antecedunt Cardinalem non habentem Mitram, quia proceſſionaliter itur*. Curioſum plane, quod ſtatim ſubdit de Celebrante Prælato, vel non Prælato his verbis: *Suffraganeus Celebrans remanet apud Altare cum duobus Capellanis, non autem cum Miniſtris paratis; quia ipſi debent ex Sacello, capere offerre, & miniſtrare Sacramentum Cardinali reportaturo illud ad Altare. Sed ſi ipſe Celebrans non eſt Prælatus, tunc ipſe Celebrans non Prælatus ire debet ante Cardinalem cum aliis medius inter ſuos Miniſtros*.

II. Verum correcta hæc plane ſunt ex Rubrica noſtri §. XIII. ubi edicitur. I. nulla habita ratione Prælati, vel non Prælati, debere Celebrantem in ea Proceſſione ſolum paratum procedere *immediate ante Epiſcopum*. II. dum ordinatur Proceſſio, debere Epiſcopum Cappam deponere, & accipere *Amictum, & Stolam ſupra* Roc-

Digitized by Google

Rocchettum, ac Pluviale nigrum, & Mitram ſimplicem. Neque enim decet, ut Cardinalis cum Cappa, ut lubet Craſſo, Sanctiſſimum Sacramentum a Sacello deferat ad Altare, ſed Stola, & Pluviali nigro indutus, ac Mitra ſimplici, uti §. noſter præſcribit; atque ita paratus permanebit etiam uſque ad finem Miſſæ; finita enim Miſſa depoſito Pluviali, ac Stola, & Amictu, aſſumet Cappam pro Veſperis; uti docet noſtrum Cæremoniale infra in Rubrica §. XXI.

III. Itaque Pluviali indutus Epiſcopus, ac Mitra ſimplici, *cum pervenerit ante fores Sacelli, deponit Mitram, & ſtatim ingreſſus Sacellum, genuflectit &c.* Servabuntur in ſumma Ritus omnes, quos jam ſupra in Commentariis ad Paragraphos Capitis præcedentis fuſe explicuimus. Unum hic illud minime omittimus, ubi in noſtro §. XV. in fine dicitur, Epiſcopum deferentem Sacramentum reverti *ad Altare*, in Cæremonialibus antiquis legi, *ad Capellam*. Quod tamen recte correctum eſt, nam a Sacello, ſeu Capella, ubi præterita die Sacramentum poſitum fuit, hac die ad Altare, & quidem majus, ubi Officium Miſſæ peragi debet, cum Proceſſione reportandum eſt.

§. XVI.

Cum autem pervenerint ad Cancellos Altaris, vel ad gradus Presbyterii, ut ſupra, removetur baldachinum; & Celebrans genuflexus ante gradus Altaris, accipit Sacramentum de manu Epiſcopi ſtantis, illudque reverenter collocat ſuper eodem Altari.

§. XVII.

Deinde, depoſito velo, Epiſcopus genuflectit ſuper pulvino in primo gradu Altaris: mox ſurgit, & miniſtrante Presbytero aſſiſtente, ponit incenſum in thuribulum abſque benedictione, atque iterum genuflexus, incenſat Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu; poſtea revertitur ad Sedem ſuam, & ſtans, ponit denuo incenſum in thuribulum, per Cæremoniarium allatum, miniſtrante Presbytero aſſiſtente; & demum genuflexus, permanet ita, donec perficiatur Communio. Capellani autem cum funalibus hinc inde, verſis ad invicem faciebus, ſimiliter genuflexi, tenent funalia accenſa uſque poſt Communionem.

COMMENTARIUS.

I. COnveniunt in Rubricam noſtri §. XVI. tum Patricius, tum Craſſus, quorum alter ritum in §. ipſo præſcriptum ita enarrat: *Cum perventum eſt ad aditum, ſive antemurale Altaris, ubi fit Officium, removetur inde umbraculum, & Celebrans, quiſquis eſt, genuflexus ſuper ſecundo gradu recipit Sacramentum de manu Cardinalis, & illud reverenter ponit ſuper Altari*. Quod vero attinet ritus in Rubrica §. XVII. contentos, ita illos idem Craſſus exponit: *Cardinalis, dato Sacramento, paulum retrocedit ſaltem facie, & non prius genuflectit, quam poſuerit incenſum in thuribulo uno ad partem, & non in conſpectu Sacramenti. Poſt hæc depoſitum Sacramentum non tamen velo coopertum Cardinalis in primo gradu genuflexus incenſat*. Sed hoc in noſtro hoc §. correctum eſt, ex cujus præſcripto Epiſcopus, ubi collocatum fuit per Celebrantem ſuper Altari Sacramentum velo tectum, depoſito velo ſuo humerali, *genuflectit ſuper pulvino in primo gradu Altaris, mox ſurgit, & miniſtrante Presbytero aſſiſtente, ponit incenſum in thuribulum abſque benedictione, atque iterum genuflexus incenſat Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu*, tectum ſcilicet adhuc velo, genuflexo Celebrante a ſiniſtris ejus.

II. Sacramento incenſato, revertitur Epiſcopus ad Sedem ſuam, *& ſtans ponit denuo thus in thuribulum per Cæremoniarium allatum, miniſtrante*, naviculam ſcilicet, *Presbytero aſſiſtente, & demum genuflexus permanet ita, donec perficiatur Communio*. Idem docet Patricius in ſuo Cæremoniali, ubi etiam notat, quod interim intorticia manent accenſa uſque poſt Communionem, & ea tenent dicti Capellani genuflexi per ordinem, videlicet, una pars eorum a cornu dextero, & alia a cornu ſiniſtro Altaris. Id quod & alii Scriptores docent; ſed vide Rubricas Miſſalis.

§. XVIII.

Celebrans vero, poſtquam Epiſcopus ad Sedem ſuam pervenerit, extrahit Sanctiſſimum Sacramentum de Calice, & ponit ſuper Patenam, quam Diaconus, nihil dicens, & ſine oſculo, offert Celebranti, qui illud ſuper Corporale ponit, ſimiliter nihil dicens: Diaconus autem ponit vinum, & Subdiaconus aquam in Calice, quæ non bene-

Digitized by Google

benedicitur, nihil dicens; deinde offert Calicem Celebranti, qui illum ponit super Altari, ut alias, nihil dicens, & Palla tegitur per Diaconum.

§. XIX.

Tunc, accepto thuribulo de manu Diaconi, quod Cæremoniarius ad Altare detulit, facta prius genuflexione Sanctiſſimo Sacramento, illud thurificat, inde Crucem, & Altare, dicens omnes Verſiculos ſolitos, non tamen incenſatur ipſe Celebrans, neque Epiſcopus; ſed incenſato Altari, Celebrans extra cornu Epiſtolæ, ſtans verſus populum ſine Mitra, ſi ea utatur, lavat manus, deinde ad medium Altaris cum genuflexione reverſus, dicit inclinatus, ſummiſſa, ſed intelligibili voce, *In ſpiritu humilitatis &c.* dicit, *Orate fratres &c.* non peragens gyrum, ut alias, non in medio, ſed a latere, ut non vertat tergum Sanctiſſimo Sacramento: deinde, omiſſis omnibus aliis, abſolute dicit in cantu Feriali, *Oremus: Præceptis &c.* & Chorus reſpondet, *Sed libera nos &c.* & poſtquam Celebrans ſecrete reſpondit, *Amen*, proſequitur in tono Feriali, abſolute dicens, *Libera nos, quæſumus Domine &c.* uſque ad *Amen*, excluſive, quod Chorus alte reſpondet.

§. XX.

Quo dicto, Celebrans, facta ad terram reverentia, Sacrametum dextera accipit, quod elevat ſola dextera altius ſolito, ita ut ab omnibus videri poſſit, ſiniſtra ſuper Altari retenta; & ſtatim deponit Hoſtiam, illamque dividit in tres partes, quarum unam mittit in Calicem, more conſueto, ſed ſine ſigno Crucis, nihil dicens: tunc ſecrete, ut alias, dicit, *Perceptio Corporis &c. Panem cæleſtem &c.* &, *Domine non ſum dignus &c.* & continuat, *Corpus Domini &c.* quo dicto, ſignat ſe cum Sacramento, & illud ſumit, & demum nihil dicens, ſumit vinum, & aquam cum particula in Calice exiſtente: quo facto, exportantur funalia extinguenda, & omnes ſurgunt, & ſedent.

§. XXI.

Tunc Celebrans, ſi eſt Prælatus, accepta Mitra, in cornu Epiſtolæ, ut alias, lavat manus; depoſita Mitra, verſus ad medium Altaris dicit, inclinatus, manibus junctis, *Quod ore ſumſimus &c.* ſi vero non eſt Prælatus, non lavat manus, ſed ſumto Calice, dicit, ut ſupra, *Quod ore ſumſimus &c.* quo dicto, revertitur, ſi ſit Prælatus, cum Mitra ad Faldiſtorium; ſi non ſit Prælatus, ad Sacriſtiam, & exuit ſe; & interim Epiſcopus deponit Pluviale, & accipit Cappam, & inchoantur Veſperæ, ut in Cap. præcedenti dictum eſt; & in fine Epiſcopus deſcendit ad Faldiſtorium, & dicit Orationem, *Reſpice quæſumus Domine &c.* ut ibi: qua dicta, ſi Sermo non fuerit habitus, tunc publicantur per Presbyterum aſſiſtentem Indulgentiæ.

§. XXII.

Abſente Epiſcopo, & in Eccleſiis Collegiatis ſervantur omnia ſupradicta, exceptis his, quæ ad Epiſcopum pertinent, & ad Celebrantem Prælatum, & prout adnotatum legitur in Rubricis Miſſalis.

N O T A.

Quum ea, quæ in hiſce Pharagraphis ordinata ſunt, ſuperius in præcedenti jam etiam Capite ſint præſcripta, eadem plane, quæ in illius Commentariis latiori calamo ſcripſimus, ad explicationum quoque Paragraphorum præſentium ſufficiunt. Sed notandum tamen, quod in poſtremo §. Capitis hujus edicitur, nempe, abſente Epiſcopo, atque in Eccleſiis Collegiatis, ſervari quidem omnia prædicta debere, exceptis iis, quæ ad ipſum Epiſcopum pertinent, & ad Celebrantem Prælatum, & prout habetur in Rubricis Miſſalis, quas inter alios fuſe explicat in ſuo Manuali ſacrarum Cæremoniarum Bauldryus Parte IV. variis in locis. Verum videndus præſertim Meratus in Additionibus ad Gavantum.

CAP. XXVII.

Digitized by Google

CAP. XXVII.

Sabbato Sancto Altaria, & Sedes Episcopalis duplici ornatu, coloris albi intus, & violacei foris aptentur. Cereus Paschalis, quinque grana incensi, arundo cum tribus candelis, præparanda. Ubi, & quo ritu novi ignis, & incensi benedictio fiat. Ubi item candelæ, & quomodo accendantur. Ordo cantandi Præconium per Diaconum, standi ad illud, & infigendi grana incensi in Cereo. Quando Episcopus accipiat Sandalia alba, faciat præparationem, & induatur una cum Ministris paramentis Pontificalibus violaceis. Ordo accedendi ad Altare pro cantandis Prophetiis, standi, ac genuflectendi ad Orationes. Ordo procedendi ad benedictionem Fontis, Episcopo baptizante, vel non baptizante. Catechumeni baptizandi sunt, aut ab Episcopo, aut a digniore Capituli. Ordo redeundi ad Altare, cantandi Litanias, sumendi paramenta alba per Episcopum, & Ministros, removendi ornamenta violacea ab Altari, & a Sede Episcopali. Qui ritus servandus in principio Missæ. Campanæ quando pulsandæ. Subdiaconi verba post recitatam Epistolam. Alleluja, *quando, & qua modulatione intonetur. Ordo dicendi Euangelium, & prosequendi Missam, celebrandi Vesperas, incensum ministrandi, & perficiendi ipsam Missam.*

§. I.

Sabbato sancto summo mane vestiuntur Altaria, & Sedes Episcopalis ornatur cortinis duplicibus, videlicet intus alba, exterius violacea: sic etiam duo pallia ante Altare majus applicantur, & aptantur, ut cum opus fuerit, faciliter removeri cito possit violaceum, & remaneat album, ut infra dicetur. Præparetur etiam Cereus Paschalis prægrandis cum quinque granis incensi, in eo infigendis, qui ponitur in aliquo magno candelabro condecenti, regulariter in latere Euangelii, vel alibi pro situ loci; & apud illum locatur pulpitum, sive legile coopertum panno albo serico, vel auriphrygiato. Item præparetur arundo cum tribus candelis albis in summitate positis.

§. II.

In reliquis ornatur Ecclesia, Altare, Abacus, & Chorus, prout in Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, sed cerei relinquuntur extincti, donec erit tempus accendendi, ut infra.

COMMENTARIUS.

I. SCitissime adnotat Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. LXIV. mysticam Jesu Christi requiem in sepulcro, descensumque ad inferos, tempus videlicet, quo ejus Anima a Corpore separata fuit, seu Mysterium sepulturæ, hodierna die celebrari ab Ecclesia, die scilicet Sabbati Sancti, cujus solemnitatem sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione XLIII. *confinium sepulturæ, & resurrectionis Christi*, jure ac merito appellat; quia, uti observat eruditus Jacobus Eveillon, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. XIII. cum media sit inter diem mortis, & resurrectionis, repræsentationem utriusque Mysterii participat; unde hac die Ecclesia celebrat solemnitatem Baptismi, qui figuram gerens sepulturæ Christi, a morte vim abluendi a peccatis, a resurrectione vitæ innovandæ gratiam accipit, ut juxta mysticam analogiam, ex Apostolo in sua Epistola ad Romanos, Cap. VI. observat S. Leo Magnus in Epistola IV. ad universos Episcopos per Siciliam constitutos, Cap. III. sed de hac re inferius opportuniori loco.

II. Ut autem de ritu antiquo nonnihil dicamus circa Officium hujus diei, juxta Romanum vetus I. Ordinem, Cap. VII. Nocturnum Officium a media nocte incipiebat: *Media nocte surgendum est*. Ad Matutinum, sicut & hodie novem Psalmi dicebantur cum Responsoriis, erantque tres primæ Lectiones, *De lamentatione Hieremiæ ab eo loco, ubi dicit*: Misericordiæ Domini multæ, *usque ad finem &c.* Psalmi sunt proprii; ad Laudes autem Psalmi, & Canticum sunt Feriæ tertiæ, propterea quod ad exprimendam Dominicam sepulturam aptiores visi sunt. Solus hic dies Sabbati Sancti Missam non habet, nec Præsanctificatorum quidem, servatusque est usus, de quo loquitur in Epistola sua Innocentius I. cujus locum superius jam attulimus; ex quo enim Officium no-

Digitized by Google

nocturnum Paſchatis in diem præcedentem anticipatum eſt, tunc ſolummodo dici Miſſa cœpta fuit, quæ tota eſt de Vigilia, ſeu nocte Paſchatis, eſtque inter Vigilias Eccleſiæ maxime ſolemnis; incipiebat autem poſt Nonam circa occaſum ſolis, & durabat uſque ad Auroram Paſchatis, nec unquam egredi ab Eccleſia licebat; quilibet enim jejunus erat a die præcedenti, totumque illud ſpatium dabatur Lectionibus, precibus, inſtructionibus, Baptiſmo Catechumenorum, & Sacrificio Miſſæ, quod per Communionem Paſchalem adſtantium terminabatur.

III. Noctem ipſam precibus traduci, & poſt mediam tantum noctem comedi præcipiunt quidem pervetuſtæ Apoſtolicæ Conſtitutiones vulgo S. Clementi Papæ adſcriptæ, Lib. v. Cap. XVIII. *Sabbato uſque ad galli cantum, jejunium producite pervigilantes*. Veteres Chriſtiani tantam idcirco eo die adhibuerunt abſtinentiam, ut hoc prolixiori jejunio, & aliquid ſpecialius agerent, & dolorem, qui in cordibus Diſcipulorum Chriſti die illo fuerat, plenius indicarent, ut inter alios docet S. Auguſtinus in Epiſtola LXXXVI. ad Caſulanum. Hinc licet Græci, & omnes Orientales Sabbatis nunquam jejunarent, unum tamen Sabbatum magnum Paſchatis ſemper exceperunt. Ita ſane ſancitum eſt Canone LXVI. vulgo Apoſtolorum, & Canone XC. Concilii Trullani, in quem vide Commentarium noſtrum Tomo II. Conciliorum. Sed non omittendum, quod in ipſum Canonem ſcribit Balſamon: *Magni Sabbati jejunium aliis Chriſti Paſſionis, ſeu Hebdomadæ ſanctæ diebus longe præſtantius eſt, propter Chriſti ſepulturam, & propterea religioſiores toto Sabbato uſque ad horam ſextam noctis*, ut Græci enumerant ab occaſu Solis, ſeu, uti Latini ad mediam Noctem, *in Eccleſiis adſident, & illa hora ſexta, divinis Sacramentis communicantes, panem, & aquam guſtant, fortaſſe autem & modicum vini*. Actenus ille.

IV. Quantum ad noſtri §. Rubricam, concinit plane in aliquibus Cæremoniali Pontificiæ Capellæ, Auctore Patricio, Lib. II. Sectione I. Cap. LVII. *Sabbato Sancto*, inquit, *paretur Capella more conſueto, & Altare, ac Sedes Papæ ornetur palliis duplicibus, intus albo, & violaceo exterius; paretur etiam Cereus Paſchalis, qui ponatur in loco convenienti ante faciem Pontificis, & juxta Cereum ponatur unum pulpitum albo panno aureo coopertum*. Longe luculentius exponit quidem Rubricam ipſam Craſſus, Lib. II. Cap. XLVIII. ubi inter alia ait, paramenta eſſe duplicanda, videlicet coloris violacei, & albi pro hoc Officio, Miſſaque, tam pro Celebraturo, quam Miniſtris ejus. Convenire quoque addit, *ut frons Altaris ſimiliter haberet duo pallia, videlicet ſuperius violaceum, & interius album*. Id & alii Auctores docent, & eſt communis Eccleſiæ uſus.

V. Ex Rubrica noſtri §. I. diſerte cautum eſt, ut ſummo mane veſtiantur Altaria, ideſt apparatu ſolemni, & Sedes Epiſcopalis ornetur cortinis duplicibus, nempe interius albis, exterius vero violaceis cum ſuis pulvinaribus, ita tamen aptatis, ut in Litaniis facile violaceum tegumentum removeri poſſit, & album apparere. Ornandum præcipue eſt Majus Altare cum Cruce, ac ſeptem candelabris argenteis, ac lampadibus apptatis ad lumen facile recipiendum. Ante ipſum Altare jam duo quoque pallia applicabuntur, album ſcilicet ſubtus, & deſuper violaceum, *ut cum opus fuerit, removeri cito poſſit violaceum, & remanere album, ut infra dicetur*, poſt finem ſcilicet Litaniarum, quo tempore gradus Altaris, qui erant nudi, tegi debent feſtivis tapetibus, ſi fieri poteſt, antequam inchoetur Miſſa, ut ait Bauldryus in ſuo Manuali, Parte IV. Cap. XI. Articulo I. & alii Scriptores.

VI. Cereum Paſchalem conſueviſſe olim columnæ marmoreæ affigi prope ambonem conſtitutæ, in quo etiam ſolebat Paſchale Præconium Diaconus canere, notant eruditiſſimus Ciampinus Tomo I. veterum monumentorum, Pag. XXII. & ſeqq. Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina*, Cap. XXIV. Num. VIII. & inter alios Jacobus Eveillon, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, Cap. XIII. *Columnam*, inquit, *repræſentat Cereus benedictus lumine ſuo ignem populo in nocte prælucentem exhibens, craſſitudine vero, ſeu more ſolito grandiore, nubem per æſtum diei obumbrantem. Atque hæc eſt cauſa, cur idem Cereus apud nos columnæ imponi ſoleat*. Eum columnæ forma olim fieri ſolitum conjici poſſe inquit ex Euſebio Lib. IV. *De Vita Conſtantini*, Cap. XXII. ubi Conſtantinus ſublimes e cera columnas paſſim tota Urbe accendi mandavit ipſa nocte Paſchalis ſolemnitatis in ſignum reſurgentis Chriſti, & ex illis benedictionis ipſius Cerei verbis: *Sed jam columnæ hujus præconia novimus*.

VII. Sed audiamus quæſo, uti ipſa verba exponat Libro VI. *De divinis Officiis*, Rupertus Abbas Tuitienſis, Cap. XXIX. *Quod enim ait*, columnæ hujus præconia novimus, *aperte nobis innuit, quod illud idem per hanc pretioſam lampadem intelligere debeamus, quod per illam præfigurabatur columnam, quæ caſtra filiorum Iſrael de Ægypto exeuntium per mare rubrum præcedebat. Significabat autem illa columna nubis bene notam nobis humanitatem Chriſti, in qua proprie Thronum ſuum poſuit Sapientia Dei, ſicut ipſa dicit*: Thronus meus in columna nubis. *Siquidem nunc illa columna nubis populum ſuum a diaboli ſervitute liberatum, & rubrum mare Baptiſmi tranſeuntem præcedit dux itineris, ut inducat in terram veram promiſſionis, terram viventium, quam, ſicut Moſes ait*, Dominus Deus noſter die ac nocte intuetur; *nunc cæleſtibus doctrinis compluens, ut vere columna nubis; nunc igne ſui Spiritus ascendens, ut vere columna ignis.*

VIII. Hactenus Ruperti locus, in quo obſter notandum eſt, quod in eum obſervat eruditiſſimus Eveillon, nempe, quod ait Rupertus, Sapientiam Dei poſuiſſe Thronum ſuum in humanitate, non ita accipi, quaſi ſentiat cum Neſtorio, qui aſſerebat, B. Virginem non eſſe Dei Genitricem, ſed Genitricem templi, in quo Deus inhabitat, ut refert S. Cyrillus Alexandrinus in defenſio-

Digitized by Google

ſenſione primi Anathemathiſmi, Parte III. Concilii Epheſini. Ex quo ſequebatur, Verbo Divino non eſſe unitam humanitatem in perſona, ſed illud in ea verſatum per modum externæ cujuſdam habitationis; loquitur plane ibi Rupertus, per quandam ſimilitudinem, quod ſicut dicebatur Deus habitare in nube illa columnæ, & ex ea quid fieri vellet, denuntiare, & iter populo ad terram promiſſionis oſtendere, ita Sapientia Divina humanam naturam aſſumens, in ea quaſi in throno quodam videtur Sedem ſibi collocaſſe, unde doctrinam vitæ hominibus daret, & iis viam ad vitam æternam præmonſtraret.

IX. Similia hiſce quæ de Cereo Paſchali tradit Rupertus, complures alii Scriptores docent, Durandus, Belethus, & creditus Alcuinus, qui ita ad rem inquit: *Concordat Cereus hic in ſignificatione cum columna ignis, qui illuminabit populum Iſrael in nocte, ut illud in ipſa benedictione*: Sed jam columnæ hujus præconia novimus. *Columna illa Chriſtum ſignificabat. Illa columna præcedebat Filios Iſrael. Noſtra columna, ideſt, Cereus præcedit Catechumenos noſtros. Lumen ipſius Chriſtum ſignificat, quo & præſens nox illuſtratur, gratia ſcilicet reſurrectionis, & Catechumeni ad Baptiſmum venturi.* Sane conſtat non modo ex laudatis Scriptoribus, ſed ex ipſa Cerei benedictione, fuiſſe Cereum Paſchalem ab origine ſua ceream columnam, collocari ſolitum ſuper columnam, prope Ambonem conſtitutam, in quo benedictio Cerei decantabatur, ut alias dictum fuit. In quibuſdam Eccleſiis ſolebat adhiberi Cereus triginta trium librarum, in honorem ſcilicet, uti ajunt, triginta trium annorum Domini noſtri Jeſu Chriſti.

X. Mos ille quoque alicubi invaluit, ut Diaconus priuſquam benedictionem Cerei cantare inciperet, in ipſius Cerei ſtipite annos Dominicæ Incarnationis, atque præſentis anni indictionem ſtylo imprimeret, ut fidem faciunt veteres Libri Miſſales, & inter alios antiquos Auctores Venerabilis Beda, qui in Libro, *De temporum ratione*, Cap. XLV. refert, Monachos Romam a ſe miſſos cognoviſſe Natalis diem in novo Cereo Sanctæ Mariæ Majoris anno DCCI. Vide Papebrochium in menſe Majo, ubi ait, rationem Feſtorum pro anno ſequente inſcribi Cereo conſueviſſe. Præter annum Incarnationis, & indictionis nonnulli plura addebant, quæ in tabella Cereo benedicendo appendenda inſcribebantur, cujuſmodi ſunt ea, quæ ex Rituali Provinciæ Remenſis edito anno MDLXXXV. refert Martenius in ſuo Libro, *De Antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXXIV. Num. VII. Ejus ritus affigendi Cereo tabulam, ſeu chartam ſcriptam, in qua plura notabantur, & inter alia annus ab origine mundi currens, meminit in ſuo Rationali Durandus, Lib. VI. Cap. LXXX. Num. X. & ante ipſum Belethus in Explicatione divinorum Officiorum, Cap. CVIII. Notat autem & illud laudatus Martenius, in quibuſdam locis conſueviſſe inſcriptioni illi, quæ Cereo affigebatur, duas haſce literas Græcas præmitti A, & Ω. Id plane docet Pontificale Eccleſiæ Apameenſis in Syria, ex cujus præſcripto, *Diacanus, qui benedicere debet Cereum, cum ſtylo facit Crucem in ipſo Cereo, & A, & Ω, & annum ab Incarnatione Domini deſcribit.*

XI. Teſte item Beletho, Paſchalis Cereus benedici, atque incendi ſolebat cum duobus parvis aliis Cereis, qui ab illo accendebantur, ad denotandos Sanctos veteris, ac novi Teſtamenti, quia tam videlicet hi, quam illi, omnes per Chriſtum ſunt illuminati, vel ad ſignificandam doctrinam Apoſtolorum, & Prophetarum, qui cum Chriſto in doctrina concordant. Eadem hæc, atque alia plura notat in eum Ritum Durandus, qui etiam ait, in quibuſdam Eccleſiis præter primum majorem Cereum, qui conſecrabatur in perſonam Chriſti dicentis, *Ego ſum lux Mundi*, adhiberi conſueviſſe alterum Cereum minorem in perſonam Apoſtolorum conſecrandum, quibus Dominus inquit, *Vos eſtis lux Mundi*. Porro de ritu affigendi Cereo quinque grana thuris videſis, quæ infra dicemus in Commentario ad §. x. Quod autem ſpectat Rubricam 1. §. locandum eſt *in latere Euangelii, vel alibi pro ſitu loci.... pulpitum, ſive legile coopertum panno albo ſerico, vel auriphrygiato*, ut in eo ſcilicet Paſchale Præconium decantetur, niſi adſit alicubi conſuetudo decantandi illud in Ambone, quo caſu, ut ait Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ, Tit. VIII. Cap. I. *tegumentum cum pulvinari albi coloris in Ambone pro Præconio parandum eſt*. Cautum eſt denique ex noſtro ipſo §. ut *præparetur arundo cum tribus candelis in ſummitate poſitis*, ideſt, arundo circum ornata, non autem nuda, uti alicubi vidi. Paranda autem eſt ipſa in Sacriſtia, pede ligneo, ſeu marmoreo in cornu Euangelii prope Altare majus parato pro ipſa ſcilicet arundine ſuſtentanda.

XII. In reliquis ait Rubrica noſtri II. §. ornari Eccleſiam, Altare, Abacum, & Chorum, *prout in Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ*, cereoſque relinqui extinctos, *donec erit tempus accendendi*. Sed de his, quæ præparari debent in Secretario, in Altari, in Abaco, in Choro, atque aliis in locis, fuſe differunt laudatum Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ loco citato, & Bauldryus in ſuo Manuali, Parte IV. Cap. XI. Articulo I. & alii præſertim, qui Ritus Pontificales enarrant ſervandos mane Sabbati Sancti.

§. III.

Dicta Hora Sexta, excutitur e ſilice ignis extra Eccleſiam, & accenditur, & per aliquem Sacerdotem, vel Canonicum, paratum Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violaceo, vel, ſi magis placet, quod melius erit, per ipſummet Epiſcopum

Digitized by Google

pum paratum, ut ſupra, cum Mitra, aſtantibus Miniſtris cum Cruce, vaſe aquæ benedictæ, & aſperſorio, thuribulo, & navicula, & granis incenſi ſupradictis in aliquo bacili argenteo, ubi haberi poteſt, benedicuntur novus ignis, & grana prædicta, prout habetur in Miſſali; deinde, ſi Epiſcopus benedixit, depoſito Pluviali, & accepta Cappa, ſedet in ſua Sede, benedicit, & imponit incenſum in turibulum, miniſtrante Presbytero aſſiſtente, more ſolito.

COMMENTARIUS.

I. SUmmo mane, ut ſcite notat Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ Tit. VIII. Cap. II. §. I. dato ſigno cum Crotalo, recitantur Horæ minores in Choro uſque ad Sextam incluſive, non accenſis in Altari candelis: *Dicta Hora Sexta*, ex Rubrica noſtri §. *excutitur e ſilice ignis extra Eccleſiam, & accenditur, & per aliquem Sacerdotem, vel Canonicum paratum Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violaceo, vel, ſi magis placet, quod melius erit, per ipſummet Epiſcopum paratum, ut ſupra, cum Mitra, aſtantibus Miniſtris cum Cruce &c. benedicuntur novus ignis, & grana prædicta*, ſcilicet incenſi, *prout habetur in Miſſali*. Ubi per Epiſcopum benedicendus eſt ignis, *quod melius erit*, ut ait noſter §. dicta Sexta, incenſo extra Eccleſiam igne, Canonici, & Clerus pergunt ad Cubiculum Epiſcopi, ut eum uſque ad Eccleſiam comitentur; & ſi erit Archiepiſcopus, defertur quoque Crux ante ipſum.

II. Eccleſiam ingreſſus Epiſcopus cum ſolito comitatu, poſt Orationem ante Altare majus, ubi aderunt Diaconus, & Subdiaconus parati in albis, facta Cruci genuflexione, vadit ad Sedem ſuam cum Diaconis aſſiſtentibus in habitu Chorali, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis XIX. Aprilis MDCLXXXI. inſtante S. R. E. Cardinali Urſino Archiepiſcopo Beneventano, qui fuit poſtea Benedictus XIII. licet noſtrum Cæremoniale enunciet tantum Diaconum, & Subdiaconum, uti notat citatum Memoriale Rituum, & innuit Horatius Chriſtiani in ſua Praxi Pontificali Majoris Hebdomadæ Sectione V. Cap. II. Sedet autem in ſua Sede parumper Epiſcopus, ſedentibus omnibus; moxque Diacono, & Subdiacono, facta genuflexione Cruci, accedentibus ad Epiſcopum, una cum Acolythis Paramenta deferentibus, Epiſcopus, aſſiſtentibus Diaconis non recedentibus, per Diaconum, & Subdiaconum, depoſita Cappa, cum qua ad Eccleſiam acceſſit, accipit ſupra Rocchettum, vel Cottam, ſi ſit Regularis, Amictum, Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, Stolam, & Pluviale violacei coloris cum pectorali, & Mitram ſimplicem. Tum accedente Miniſtro cum Baculo paſtorali, Diaconus, & Subdiaconus, ad ſua loca recedunt.

III. Parato Epiſcopo, ac ſedente, ſedent omnes, duoque Acolythi deferentes foculum novi ignis, & retro poſt eos alter cum tripode, facta genuflexione Altari, accedunt ante Sedem Epiſcopi, una cum Miniſtris de Libro, & Candela, præcedente illo de tripode, & foculo ſuper tripodem collocato, hinc inde ſe retrahunt. Accedit tunc Cruciger cum Cotta, ſi Celebrans eſt Archiepiſcopus, alias Subdiaconus cum Cruce, paratus Planeta violacea ante pectus plicata, præcedentibus tribus Acolythis Crucem, uno in medio cum vaſe aquæ benedictæ, & aſperſorio, alio a dexteris pelvim ferente cum granis quinque incenſi Cereo infigendis, & tertio a ſiniſtris thuribulum ſine igne, & naviculam cum incenſo geſtante. Hi plane omnes cum debitis reverentiis ante Epiſcopi Sedem prope foculum ita ſe collocant, ut Crucem deferens ſit tunc ad ſiniſtram Acolythi incenſi grana ferentis, & uterque verſus dexteram Epiſcopi partem reſpiciant, tertio Acolytho de aqua, & aſperſorio ad dexteram Thuriferarii, ſtante, atque verſus ſiniſtram reſpiciente.

IV. Omnibus hunc in modum diſpoſitis, deponit Epiſcopus Mitram, ſurgitque, ſurgentibus omnibus, & manibus junctis, accedentibus Miniſtris de Libro, & Bugia, dicit ſummiſſa voce, *Dominus vobiſcum*, Miniſtris eadem voce reſpondentibus, *Et cum ſpiritu tuo*, & tribus Orationibus, quæ in Miſſali habentur, benedicit novum ignem, advertente Diacono, qui a dexteris aſſiſtit, ut, quando Epiſcopus facit ſigna Crucis adverſus ignem, elevet anteriorem partem fimbriæ Pluvialis. Tum adhuc Epiſcopus ſtans unica Oratione benedicit grana incenſi, Acolytho genuflexo, ac pelvim elevante. Dum autem benedicitur incenſum, Thuriferarius imponit in thuribulo novum ignem cum forcipe, acceditque Presbyter aſſiſtens ad Epiſcopum, qui finita benedictione, miniſtrante naviculam ipſo aſſiſtente Presbytero, imponit incenſum more ſolito, cum oſculis ſcilicet, & benedictione; mox miniſtrante eodem Presbytero aſperſorium, prædicta quinque grana incenſi ter aqua benedicta aſpergit, & ignem, dicens ſcilicet, *Aſperges me &c.* ſine cantu, eodemque modo, Presbytero aſſiſtente miniſtrante thuribulum, ter etiam ignem, ac ipſa grana incenſi thurificat.

V. Interim Diaconus, & Subdiaconus accedunt ad Epiſcopum, & ſe ſiſtunt in plano a dexteris Solii; completa autem benedictione, recedit ſtatim Subdiaconus de Cruce in Secretarium, itemque Acolythi de granis incenſi, de aqua benedicta, & de thuribulo cum debitis reverentiis, ad Secretarium pergunt, ubi illa deponunt, eoſque ſequuntur deferentes ignem cum tripode, ibidem in medio collocandum, & ad Abacum redeunt. Presbyter aſſiſtens deſcendit in planum, factaque Epiſcopo reverentia profunda, cum Diacono, & Subdiacono, redit ad locum

Digitized by Google

cum ſuum inter Canonicos, iſti vero ad Epiſcopum aſcendunt, qui per eoſdem accipit Cappam, & ſedet cum ſuis Diaconibus aſſiſtentibus. Diaconus tandem, & Subdiaconus, recedentes ad ſua ſcabella, accipiunt ſibi convenientia paramenta, Diaconus ſcilicet Manipulum, Stolam, & Dalmaticam albi coloris, Subdiaconus vero Manipulum, & Planetam ante pectus plicatam coloris violacei.

VI. Hæc plane ſunt, quæ tum Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ, tum Horatius Chriſtiani in ſua Praxi Pontificali docent circa praxim ſervandam in benedictione novi ignis, quæ fit per Epiſcopum. Sed ut ritum ipſum nos altius repetamus, per benedictionem quidem novi ignis ex antiquo inſtituto incipitur hodiernum Officium licet non in omnibus Eccleſiis olim in uſu eſſet, teſte S. Zacharia Papa in Epiſtola XII. ad Bonifacium, his verbis: *De igne autem Paſchali quod inquiſiſti a ſanctis priſcis Patribus ex quo per Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti gratiam, & pretioſo ſanguine ejus Eccleſia dedicata eſt, quinta Feria Paſchæ, dum ſacrum Chriſma conſecratur, tres lampades magnæ capacitatis, ex diverſis candelis Eccleſiæ oleo collecto, in ſecretiori Eccleſiæ loco ad figuram interioris tabernaculi inſiſtente, indeſinenter cum multa diligentia ardebant; itaut oleum ſufficere poſſit uſque ad tertium diem, de quibus candelis Sabbato ſancto pro ſacri fontis baptiſmate ſumtus ignis per Sacerdotem renovabitur; de cryſtallis autem, ut aſſeruiſtis, nullam habemus traditionem.* Teſte itaque Zacharia Papa, benedictio novi ignis a ſilice, ſeu cryſtallis extracti ignota fuit Romanæ Eccleſiæ, Seculo VIII. quo ipſe floruit; viguiſſe autem eum ritum in aliquibus locis, & maxime in Galliis, probat Bonifacii ad ipſum Zachariam interrogatio.

VII. Illud plane conſtat, pervetuſtum fuiſſe ritum, accendendi ſero novum ignem pro lampadibus, & cereis, qui ardere debebant ad Officium Veſperarum; quod cum ſingulis diebus fieret, propterea Officium Veſpertinum appellatum eſt *Lucernarium*, atque ita etiam a S. Hieronymo in Epiſtola ad Lætam appellatur, quod circa Veſperam lampades accenderentur: *Aſſueſcat, lucerna accenſa, Sacrificium Veſpertinum &c.* Agit de Officio Veſpertino, & de Oratione dicenda in accendendis pro Officio ipſo lucernis S. Baſilius in celebri Opuſculo, *De Spiritu Sancto*, Cap. XIX. ſic inquiens: *Viſum eſt Patribus noſtris Veſpertini luminis gratiam haudquaquam ſilentio accipere.* Refert tum etiam laudem, quæ tunc Sanctiſſimæ Trinitati reddebatur: *Laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Dei.* Ad hujus conſuetudinis imitationem notat Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. LXV. invectum eſſe in Latinam Eccleſiam morem dicendi ad ignem novum, *Lumen Chriſti*, & *Deo gratias*; atque in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis accendi Cereum, qui in tres dividitur ramos. Sed de his infra.

VIII. Ut ergo antiquum ritum accendendi ignem ad Veſperas proſequamur, in Breviario Mozarabico quotidie ante Veſperas benedicitur lumen, quod pro Veſperis ſcilicet dicendis accenditur. Meminit antiquiſſimi ejus Ritus Prudentius in Hymno, qui precationis inſtar dicitur in accendendis cereis, cujus Titulus eſt, *Ad incenſum Cerei Paſchalis*; ſed reſtitutus eſt verus Titulus, *Ad incenſum lucernæ*, uti memoratus Grancolas notat, recte ſubjungens, hoc Prudentii conſilio ſatis congruere, qui ſingulis diurnis horis proprium Hymnum voluit aſſignare in ſuo Poemate *Cathamerinon*, in quo primus Hymnus eſt, *Ad galli cantum*; ſecundus, *Ad Matutinas*; tertius, *Ante cibum*; quartus, *Poſt cibum*; quintus, *Ad incenſum Cerei Paſchalis*, ſive potius, uti notatum eſt, *Ad incenſum lucernæ*, ideſt, *Ad Veſperas*, ſeu, *Ad occaſum Solis*; ſextus, *Ante ſomnum*. Revera in Hymno Veſpertino deſcribit Prudentius ignem, qui eliciebatur e ſilice ad accendendas lampades; nondum enim in uſu erat, ut lampades perpetuo in Eccleſia arderent; quare ne profanus afferretur ignis, e ſilice excutiebatur, & myſticæ quædam rationes adducebantur, ab eo deſumtæ, qui in Scripturis appellatur, *Lux*, & *Lapis angularis*, & *Petra ſolida*.

IX. Non ſolum olim pro Sabbato Sancto fiebat hæc cæremonia, ſed aliis quoque diebus, præſertim vero Romæ, triduo ante Paſcha, uti conſtat ex Ordine I. Romano, Cap. V. ex cujus præſcripto, vel in ipſa Feria V. in Cœna Domini, *Hora Nona* excutiebatur ignis *de lapide in loco foris Baſilicam*. Ordo Romanus X. Num. XVI. agens de ritibus Sabbato Sancto ſervandis, mandat quidem, ut Hora Sexta conveniant omnes ad Eccleſiam *excuſſo novo igne de cryſtallo, ſive de lapide, unde Cereus debet a Diacono accendi*. Ex Ordine XII. Romano Cap. XIV. *In Sabbato ſancto Hora Sexta efficitur novus ignis in atrio ante portas Lateranenſis Eccleſiæ, & benedicitur a juniori Presbyterorum Cardinalium, cum incenſo, & aqua benedicta*. Habetur etiam in Ordine Romano XIV. Auctore Gaetano, Cap. XCIV. quod *Sabbato Sancto Hora Sexta a Miniſtris Eccleſiæ ignis excutitur de cryſtallo, ſive lapide, & accenditur*. Idem legitur & apud Amelium in Ordine Romano XV. Cap. LXXVIII.

X. Conſtat autem ex dictis, quod, licet ex Zacharia Papa ignota fuerit Seculo VIII. quo ipſe floruit, novi ignis a ſilice, ſeu cryſtallo extracti benedictio, ab eoque minime probata, ſervari deinde Romæ conſueviſſe eum ritum, ac probari a repetitis Ordinibus Romanis, quibus inhærens noſtrum Cæremoniale in præſenti §. mandat, dicta Hora Sexta, excuti e ſilice ignem extra Eccleſiam, & accendi, & per aliquem Sacerdotem, vel Canonicum paratum Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violaceo, vel ſi magis placet, quod melius erit, per ipſummet Epiſcopum paratum, ut ſupra, cum Mitra, adſtantibus Miniſtris cum Cruce, vaſe aquæ benedictæ, atque aſperſorio, thuribulo, & navicula, & granis incenſi ſupradictis in aliquo bacili argenteo, ubi haberi poteſt, benedici novum ignem, & grana prædicta, prout habetur in Miſſali.

XI. Hæc pene ad literam §. noſter de benedictione

Digitized by Google

ctione novi ignis, in quam nonnulla obſervare lubet cum erudito Martenio in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXIV. Num. III. Obſervandum ergo I. eſt, ex Pontificali Eccleſiæ Apameenſis in Syria, circa horam diei quintam, aut ſextam excuti debuiſſe ignem e ſilice, tametſi illius benedictio nona dumtaxat hora elapſa perageretur, ante quam olim Officium incipere illicitum erat, ut teſtantur Libri Rituales pene omnes; unde & Concilium Rotomagenſe anno Chriſti MLXXII. Can. XXII. decernit, *ut in Sabbato Paſchæ Officium ante Nonam non incipiatur*. II. morem Eccleſiæ Florentinæ fuiſſe, ignem ipſum excutere ex ſilice Jeroſolymis allato. III. locum faciendi novi ignis benedictioni deſtinatum ex Ordinario Narbonenſi notari *ad cornu Altaris*; ex Ordinario Præmonſtratenſium, & veteri Miſſali Fratrum Ordinis Prædicatorum, *ad gradum Presbyterii*; ex Sarisberienſi, *prope Fontem*; ex Miſſali vero Antiſſiodorenſi, ad aliam Eccleſiam benedictionis ipſius complendæ gratia procedere debuiſſe: *Sabbato in vigilia Paſchæ Sacerdos indutus Sacerdotalibus indumentis, & infula, cum Diacono, & Subdiacono, proceſſionaliter vadit ad Sanctum Joannem Rotundum ad benedicendum novum ignem*; ex Ordine tandem Romano XII. Cap. XIV. & ex aliis Ordinariis pluribus, *in atrio ante portas Eccleſiæ*. IV. ad hanc benedictionem omnes *in albis intereſſe*, ut docet vetuſtus Sacramentorum Liber Carnotenſis Monaſterii S. Petri annorum DCCC. circiter. V. in quibuſdam locis non Epiſcopum, imo nec Presbyterum, ſed Diaconum benedixiſſe novum ignem *in Altari*, uti nos docet vetus Miſſale Arelatenſe.

XII. Juxta Romanos Ordines complures, ac præſertim XIV. Auctore Gaetano, & XV. Auctore Amelio, benedicebatur Romæ novus ignis per juniorem Presbyterum Cardinalem, *ſacris indutum veſtibus cum Cruce, & aqua benedicta, & incenſo, legendo Orationes ſine nota*. Eſt hic ſane antiquus Ritus Pontificiæ Capellæ, de quo præſtat audire, quod ſcribit Craſſus in ſuo Cæremoniali Libro II. Cap. XLVIII. *Sed in hoc adverte, quoniam, ut Innocentio Tertio placuit, benedictio novi ignis, ac incenſi, quæ fit in principio Officii hujus diei, nullatenus cantari, ſed omnino voce tantum intelligibili proferri debet: quod Capella Palatii Apoſtolici illibate ſervat*. Addit, nec ante Orationes debere præmitti aliquam ad populum ſalutationem, videlicet, *Dominus vobiſcum*, ſed aut, *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, aut nihil, ita quod abſolute dicantur, non obſtante Rubrica ante ipſas Orationes pro benedictione novi ignis dicendas in aliquibus Miſſalibus poſita, *quæ male indicat, præmittendum eſſe* Dominus vobiſcum, *ſicut etiam fit pro incenſo novo benedicendo*. Hæc Craſſus, illud demum admonens, omnia hæc bene notanda, *quæ licet parva videantur, tamen ſuum habent myſterium*. Verum quidquid ſentiat Craſſus, præmittitur ex Rubricis Miſſalis, *Dominus vobiſcum*, Orationibus ad benedicendum hac die novum ignem, quæ antiquiſſimæ plane ſunt, occurruntque in pervetuſtis Miſſalibus, atque Ordinariis.

XIII. Multis in locis ex novo igne benedicto non Templi lampades ſolum, & cerei, ſed & ipſi tunc etiam incolarum foci accendebantur. Quonam autem modo in noſtra Conſentina Archidiœceſi id fieret, explicat in ſuo Ordinario Lucas Archiepiſcopus Conſentinus his plane verbis: *Poſt*, Ite Miſſa eſt, *Epiſcopus dat benedictionem ſuper populum, & ſtatim Diaconus præcipit populo dicens*: Accipite ignem novum de Cereo ſancto, & extincto veteri, ipſum per domos veſtras in nomine Chriſti accendite; *deinde cum lumine lætabundi diſcedunt*. Plura de benedictione novi ignis notat in ſuo Rationali Durandus Lib. VI. Cap. LXXX. ubi etiam rationem affert, cur aqua benedicta aſpergatur; eſt enim antiquus ritus, cujus meminit Ordo XIV. Romanus, Cap. XCIV. ut ignis ipſe benedictus *aſpergatur aqua benedicta, & adoleatur incenſo de ipſo igne in thuribulo poſito*.

XIV. Præter ignis novi benedictionem ex antiquo ritu incenſum etiam benedicitur, de eaque benedictione variæ extant in diverſis Ritualibus benedictiones, quas inter alios recenſet Martenius. Sane ex noſtro §. ſi Epiſcopus benedixit ignem, & grana incenſi affigenda Cereo, *depoſito Pluviali*, uti ſuperius notatum fuit, *& accepta Cappa, ſedet in Sede ſua, benedicit, & imponit incenſum in thuribulum, miniſtrante Presbytero aſſiſtente, more ſolito*, naviculam ſcilicet cum oſculis, & Thuriferario thuribulum, quod, ut ſuo loco dicemus, feret in Proceſſione, quæ ad benedicendum Paſchalem Cereum fit.

§. IV.

Si vero Epiſcopus ex aliqua cauſa urgenti non benedixit ignem, hora competenti, aſſociatus more ſolito, venit ad Eccleſiam cum Cappa; orat, aſcendit Sedem, imponit, & benedicit incenſum, ut ſupra. Subdiaconus Epiſtolam cantaturus, paratus Amictu, Alba, Cingulo, & Planeta violacea ante pectus plicata, capit Crucem, & factis debitis reverentiis, vadit cum Diacono, & aliis Miniſtris extra Capellam ad capiendum grana incenſi, & arundinem prædictam in Sacriſtiam, vel alio, hoc ordine.

§. V.

Præcedit aliquis Mazzerius, ſeu Miniſter cum baculo, tum Cæremoniarius; ſequun-

Digitized by Google

tur duo Acolythi cum Cottis, quorum, qui eſt a dexteris, portat thuribulum cum navicula, alter a ſiniſtris nihil fert; poſt eos incedit Subdiaconus cum Cruce, & poſt eum Diaconus paratus Dalmatica albi coloris, manibus junctis; poſt Diaconum ſequuntur duo, aut quatuor Acolithi, ſeu Capellani cum Cottis. Interim Epiſcopus, Canonici, & alii de Choro ſedent, expectantes.

COMMENTARIUS.

I. FAciendam novi ignis benedictionem potius per Epiſcopum, quam per alium aliquem Sacerdotem, vel Canonicum, diſerte edixit Rubrica §. III. ſi vero Epiſcopus ex aliqua cauſa urgenti non benedixit ignem, tunc ut ait Rubrica noſtri §. IV. *Hora competenti aſſociatus more ſolito venit ad Eccleſiam cum Cappa, orat, aſcendit Sedem, imponit, & benedicit incenſum, ut ſupra*, miniſtrante ſcilicet navicularn Presbytero aſſiſtente, more ſolito, ideſt, cum oſculo cochlearis, & manus Epiſcopi. Impoſito, ac benedicto incenſo, *Subdiaconus Epiſtolam cantaturus paratus Amictu, Alba, Cingulo, & Planeta violacea ante pectus plicata capit Crucem, & factis debitis reverentiis, vadit cum Diacono, & aliis Miniſtris extra Capellam ad capiendum grana incenſi, & arundinem prædictam in Sacriſtiam, vel alio*; ſed convenientius ad portam Eccleſiæ, vel ante ejus fores, ut notat Horatius Chriſtiani in ſua Praxi Pontificali Sectione V. Cap. III. eſtque is Eccleſiarum plurium uſus.

II. Quo tunc ordine incedendum, perſpicue exprimitur in noſtro §. V. cujus Rubrica, ſicut & illa §. IV. ita enarrantur in Cæremoniali Patricii Lib. II. Sectione I. Cap. LVII. quod eſt de Sabbato Sancto, Papa præſente ſolemni ejus functioni: *Facta Oratione in Faldiſtorio ante Altare, aſcendit ad Sedem, ubi fit ei reverentia a Cardinalibus; & cum accedit primus Presbyter Cardinalis, accedit etiam Cæremoniarius cum thuribulo, & Papa imponit incenſum, more ſolito; cum quo incenſo itur ad parvam Capellam, vel extra locum, ubi fit Capella, hoc modo. Primo procedit Cæremoniarius, quem ſequuntur Capellani duo Celebrantis, quorum alter a ſiniſtris nihil tunc defert, alter vero a dexteris, in dextera thuribulum, & in ſiniſtra naviculam portat cum incenſo, & inter illos Subdiaconus Capellæ omnibus paramentis indutus, in quibus debet in Altari miniſtrare portans Crucem, cujus Imaginem ante ſe vertit: ſequuntur ipſum Diaconus Dalmatica alba indutus, & quatuor Capellani Celebrantis, ſic vadunt ad Capellam parvam, vel ad locum deputatum &c.* Atque hæc eſt praxis, quæ etiam legitur in multis mſs. Diariis Cæremoniarium Pontificiæ Capellæ.

III. At vero ut paulo luculentius, uberiuſque explicemus Rubricam noſtri §. V. in ea quidem Proceſſione *præcedit aliquis Mazzerius, ſeu Miniſter, cum baculo*; ſive, ut ait Craſſus in Cæremoniali ſuo, Libro II. Cap. XLVIII. quod eſt, de Officio, & Miſſa in Sabbato Sancto, præſente Cardinali, *primo vadit Claviger ſolus cum clava elevata*; vel, uti docet Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ ad uſum Beneventanæ Eccleſiæ, Tit. VIII. Cap. II. §. II. *Claviger inter duos Scutiferos Archiepiſcopi cum virgis*. Sed hi peculiares ſunt ritus, & reſpiciunt Epiſcopum Cardinalem, nam alias ex noſtro §. præcedere debet *aliquis Mazzerius, ſeu Miniſter, cum baculo*, non vero Paſtorali, ſed communi, uti mos etiam eſt in aliis quibuſdam Eccleſiis inferioribus, in quibus tum ad Miſſam, ac Veſperas ſolemnes præcedit ſemper Mazzerius aliquis cum baculo, talari veſte indutus coloris paramentorum ſolemnitati Officii, quod agitur, convenientium.

IV. Sequitur Mazzerium *Cæremoniarius*, ipſumque mox *ſequuntur duo Acolythi cum Cottis, quorum qui eſt a dexteris portat thuribulum cum navicula, alter a ſiniſtris nihil fert*, portare enim poſtea debebit pelvim cum quinque granis incenſi; licet ex Memoriali Rituum in hac Proceſſione poſt Clavigerum recenſeatur *Acolythus cum granis incenſi in pelvi*. Accedit ex præſcripto noſtri §. poſt duos Acolythos memoratos *Subdiaconus cum Cruce, & poſt eum Diaconus paratus Dalmatica albi coloris manibus junctis*, nempe ante pectus, poſtea enim arundinem deferet, & cantabit Præconium ſuo loco. Poſt Diaconum ſequuntur duo, aut quatuor Acolythi, ſeu Capellani cum Cottis, & interim Epiſcopus, Canonici, & alii de Choro ſedent tecto capite, expectantes. Cetera vide in Rubricis, & Commentariis Paragraphorum ſequentium.

§. VI.


Cum pervenerint ad Sacriſtiam, ſeu locum deputatum, ubi jam erunt præparata grana prædicta, & arundo cum tribus candelis, ac ignis novus, accenditur una parva candela ex dicto igne, quam portat Cæremoniarius. Diaconus capit arundinem, unus Acolythus bacile cum quinque granis incenſi, & revertuntur hoc ordine. Primo dictus Mazzerius, ſeu Miniſter cum virga, deinde duo Acolythi; videlicet, unus cum bacili, & granis incenſi, quod portat ambabus manibus elevatum a dexteris, & alter cum thuribulo, & navicula a ſiniſtris, tum Subdiaconus

Digitized by Google

nus portans Crucem, poſt eum Diaconus cum arundine prædicta, ad ejus ſiniſtram. Cæremoniarius cum candela una parva, vel duabus accenſis; & ultimo duo, vel quatuor Acolythi prædicti cum Cottis.

§. VII.

Cum Diaconus ingreſſus fuerit Eccleſiam, inclinat caute arundinem, & Cæremoniarius, deferens candelam accenſam de novo igne, accendit unam ex tribus candelis, in ſummitate arundinis poſitis, & ſtatim Diaconus arundinem elevat, & tam ipſe, quam alii omnes, & Epiſcopus genuflectunt, præter Subdiaconum ferentem Crucem, & Diaconus alta voce cantat, *Lumen Chriſti*. Quo audito, Epiſcopus, & omnes ſurgunt, & Chorus reſpondet in eodem tono, *Deo gratias*. Deinde, Diacono procedente ad medium Eccleſiæ, iterum inclinat arundinem, & accenditur altera candela, ut prius, & eodem modo cum omnibus genuflexus, altiori voce cantat, *Lumen Chriſti*; & ſimiliter reſpondetur per Chorum, *Deo gratias*. Idem tertio fit, & dicitur ante Altare, & accenditur tertia candela, & Diaconus adhuc altiori voce cantat, & reſpondetur ei per Chorum, ut ſupra.



§. VIII.

Tunc Epiſcopus, & omnes ſedent, ipſi vero Miniſtri ſurgunt, & factis reverentiis Altari, & Epiſcopo, ſecedunt ad locum, ubi cantandum eſt, *Exultet jam &c.*

COMMENTARIUS.

I. SUnt plane antiqui ritus, qui in hiſce Paragraphis referuntur, quoſque egregie enarrat in ſuo Romano Ordine XIV. Jacobus Gaetanus, Cap. XCIV. ubi poſtquam edixit, benedictum ignem aſpergi aqua benedicta, & adoleri incenſo de ipſo igne in thuribulo poſito, ita mox ſubjicit: *Deinde Diaconus junior Diaconorum Cardinalium, Dalmatica indutus venit, & de manu Miniſtrorum accipit arundinem trium cubitorum, & dimidii cubiti, triplicem candelam, quam de novo igne illuminatam imponit arundini, comitantibus eum Subdiaconibus, Cantoribus, & reliquis de Clero cum populo, præcedentibus Miniſtris cum Cruce, & incenſo, ſtans in porta Eccleſiæ, elevatis paululum manibus dicit magna voce*, Lumen Chriſti; *reſpondent alii*, Deo gra-

Digitized by Google

gratias. *Procedit usque ad ostium Chori, & elevatis manibus amplius excelsius dicit*, Lumen Christi, *respondentibus iterum*, Deo gratias. *Procedit usque ad medium Chori, & plus elevatis manibus, tertio altius dicit*, Lumen Christi, *respondentibus omnibus*, Deo gratias.

II. Esse consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, ut junior Diaconus Diaconorum Cardinalium, *de ipso novo igne triplicem candelam conjunctam accendat, & eam in capite arundinis ponat, ipsam arundinem in manu tenens, & processionaliter procedens cum Schola Cantorum, & aliquibus Subdiaconis, primum in porta, secundo juxta quintanas, tertio juxta Ambonem*, Lumen Christi, *vocem singulis vicibus exaltando decantet, Schola Cantorum cum Subdiaconibus, qui cum ipso procedunt, per omnem vicem*, Deo gratia, *respondente*, testatur ms. Pontificale Ecclesiæ Apamiensis in Syria. Idem docet in suo Cæremoniali Patricius, apud quem etiam cæremonia ipsa eodem fere modo narratur, quo in nostro Episcoporum Cæremoniali, & in illo, quod concinnavit Crassus. Sane solet hodie arundo ipsa ornari floribus, vel etiam chartis depictis; sed recte admonet in Rubricas Missalis Gavantus Parte IV. Tit. X. Num. V. ita ornandam esse, *ut appareat ex parte arundo, non baculus, seu quid aliud*. Ait præterea idem Gavantus candelas in calce unum quid esse debere, & deinde distingui in tres, *ad designandum mysterium Unitatis, & Trinitatis Dei*. Quod autem adhibeatur arundo, autumat ipse, significari arundine humilitatem Passionis Christi, ex qua in fine patuit major gloria Unitatis, & Trinitatis Dei. Patuit autem veluti lumen Christi, qui in Trinitate est Deus, vel quia ex Athanasio, sicut arundo serpentes necat, ita Passio Christi diabolum vicit.

III. Circa eorum praxim, quæ in nostris Paragraphis statuuntur, supervacaneum mihi videtur differere, sunt enim adeo clara, ut nulla interpretatione indigeant. Corrigendi plane ii sunt Ecclesiarum complurium Præsides, qui sinunt, peragi in suis Ecclesiis functiones Ecclesiasticas sine ullo Ministrorum delectu, & absque minima lectione Rubricarum; unde dici nequit, quot errores notentur in sacros ritus a Cæremoniali, & Missali præscriptos, ac præsertim adversus illos, qui in Hebdomada sancta occurrunt.

§. IX.

Diaconus vero deposita arundine in manibus unius ex dictis Acolythis, capit de manu Cæremoniarii Librum, & accedens cum debitis reverentiis ante Episcopum, comitante eodem Cæremoniario, petit ab eo benedictionem absque osculo manus, dicens, *Jube Domne &c.* cui Episcopus respondet, *Dominus sit in corde tuo &c.* prout in benedictione pro Euangelio recitando; sed loco Euangelii dicit, *Paschale præconium &c.* & manu benedicit.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam ex Romanis Ordinibus XIV. & XV. exaratis labentibus seculis XIII. & XIV. ubi Diaconus tertio dixit, *Lumen Christi*, responsumque a Choro, seu Cantoribus, *Deo gratias*, fuit: *ascendit ad ornatum pulpitum, & illuminato magno Cereo, & incensato Libro, incipit absolute benedictionem Cerei*, Exultet jam Angelica tuba Cælorum &c. *sicut in libris*; docet nihilominus in suo Cæremoniali Patricius, quod alias noster hic §. mandat, debere scilicet Diaconum tradere arundinem uni ex illis quatuor Capellanis eum sequentibus, qui ibidem cum Subdiacono Crucem tenente, ac Thuriferario, & aliis Capellanis expectant; tunc accipere Librum Euangeliorum, & ante infimum gradum Sedis Papæ genuflexum petere benedictionem a Papa, Cæremoniario tantum ipsum comitante, acceptaque benedictione accedere ad pulpitum, ponere super illud librum, quem deinde incensat, &c. ut in nostro §. X. quem infra suo loco enarrabimus. Ex præsenti §. petit Diaconus ab Episcopo benedictionem absque osculo manus, & non genuflexus, sed inclinatus profunde, quia est Canonicus, dicens, *Jube Domne benedicere &c.* ut in Missali.

II. Cerei Paschalis benedictionem instituisse Zosimum Papam, docent Amalarius Lib. I. *De divinis Officiis*, Cap. XVIII. vulgatas Alcuinus Rabanus Maurus, Valafridus Strabo, Micrologus, Honorius Augustodunensis, Durandus, Rupertus Abbas Tuitiensis, itemque mss. Pontificale Apameense, Ordinarium Rotomagense, aliique Auctores, atque varii Libri Missales. Sed antiquiorem Zosimo fuisse ejus institutionem putant nonnulli, inter quos Jacobus Eveillon in suo Libro, *De processionibus Ecclesiasticis*, Cap. XIII. ex Hymno Prudentii, qui inscribitur, *Ad incensum Cerei Paschalis*; verum cùm Hymnus ille, uti superius innui, in mss. Codicibus inscribatur, *Ad incensum lucernæ*, non Cerei Pasahalis, hinc Viri eruditi Sirmondus in Notis ad Ennodium, Menardus in observationibus ad Concordiæ Regularum Caput XXIV. §. II. Nicolaus Heinsius in nova Prudentii editione, Mabillonius Lib. II. *De Liturgia Gallicana*, Martenius, Grancolas, & alii docti Auctores inferunt quidem, eundem Hymnum ad accendendas in Lucernario, seu Vesperis quotidianis lucernas fuisse compositum.

III. Teste laudato Martenio, in veteri Codice Ecclesiæ Noviomensis, annorum circiter mille,

Digitized by Google

le, in Missali Gallicano ejusdem ætatis, quod ex Codice Bobiensi edidit Mabillonius Tomo I. Musei Italici, & in Gothico Gallicano Missali, quod ante annos mille exaratum publici juris fecit religiosissimus S. R. E. Cardinalis Thomasius, legitur, *Benedictio cereæ beati Augustini Episcopi, quam, adhuc Diaconus cum esset, edidit, & cecinit feliciter*, ideſt, *Exultet jam Angelica turba Cælorum &c.* Huic opinioni favet id, quod idem Augustinus Lib. XV. *De Civitate Dei*, Cap. XXII. ait: *In laude quadam Cerei breviter versibus dixi.*

Hæc tua sunt, bona sunt, quia tu bonus ista creasti.
Nil nostrum est in eis, nisi quod peccamus amantes.

Sane, licet hæc verba desiderentur in benedictione Cerei Paschalis, quæ nomen Augustini præfert, emendatam tamen fuisse docet vetus Pontificale insignis Ecclesiæ Pictaviensis, cujus verba hæc leguntur apud citatum Martenium: *Usum benedicendi Cereum a beato Augustino repertum tradit Ecclesia, qui benedictionem illius perficiens a S. Hieronymo reprehensus est, cur Virgiliana verba inseruerit; sed sicut a beato Hieronymo emendata tunc fuit, ita nunc per Ecclesias canitur.*

IV. Duplex benedictio Cerei Paschalis, nec inelegans, habetur quidem apud Ennodium Diaconum Ticinensem, verum utraque ab ea, quam adhibere solet Ecclesia, omnino diversa. Sunt qui ejus benedictionis formam, qua hodieque Ecclesia Romana utitur, S. Ambrosio adscribunt, ut inter alios Honorius Augustodunensis in Gemma animæ Lib. III. Cap. CII. & Durandus Libro VI. Rationalis, Cap. LXXX. verum in Ordine Missæ Ambrosianæ principium quidem ejus iisdem prorsus verbis perscriptum est, sed reliquus textus longe a Romano dissidet. Quidquid sit, addubitari nequit, quin benedicendi Paschalem Cereum ritus sit antiquissimus, tametsi non ubique receptus, aut retentus, uti addiscimus ex Concilio Toletano IV. anni DCXXXVI. Can. IX. qui ita inquit: *Lucerna, & Cereus in prævigiliis Paschæ apud quasdam Ecclesias non benedicuntur, & cur a nobis benedicantur, inquirunt. Propter glorioſum enim noctis ipsius Sacramentum solemniter hæc benedicimus, ut sacræ Resurrectionis Christi mysterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in benedictione sanctificati luminis accipiamus. Et quia hæc observatio per multarum loca terrarum, regionesque Hispaniæ in Ecclesiis commendatur, dignum est, ut propter unitatem pacis in Gallicanis Ecclesiis conservetur.* Hactenus in recitato Canone Toletani IV. Concilii Patres.

V. Singulare autem in hac benedictione illud est, quod ex antiquo ritu fieri debeat per Diaconum; qui est minoris ordinis, etiam præsente Episcopo, vel Sacerdote, imo, & ipso Romano Pontifice Maximo, uti docent passim antiqui Auctores, & habetur in Ordine Missæ Ambrosianæ, & Romanis Ordinibus, in quorum primo, Cap. VII. *unus Diaconus rogat unum de Sacerdotibus, vel Levitis, qui ibidem revestiti adstant, pro se orare, & ut resurrexerit, dicit ipse Diaconus*, Dominus vobiscum, *Resp.* Et cum spiritu tuo; *& dicit Orationem, sicut in Sacramentorum*, scilicet Libro, *continetur*. Sane licet ex antiqua Romanæ Ecclesiæ traditione Cereus Paschalis benedicatur a Diacono, in Ecclesia tamen Ravennatensi benedictio ista ab Episcopo solebat peragi. Hinc enim S. Gregorius Lib. IX. Epistola XXVIII. Mariniano Episcopo scribens, jubet, ut propter graves, quibus ille laborabat, infirmitates, *preces, quæ super Cereum in Ravennati Civitate dici solent, vel expositiones Euangelii, quæ circa Paschalem solemnitatem a Sacerdotibus fiunt, per alium dicantur*; quas proinde, uti recte subdit Martenius, si convaluisset ipse Marinianus, sine dubio dixisset.

VI. Cur Cereus vero a Diacono benedici ex antiquo ritu soleat in omnibus pene Ecclesiis, non autem a Sacerdote, vel Episcopo etiamsi sint præsentes, quantumvis majoris sint ordinis, & dignitatis, rationem docent Belethus in Explicatione divinorum Officiorum, Cap. CIX. Durandus Lib. VI. Rationalis, Cap. LXXX. Rupertus Libro VI. *De Divinis Officiis*, Cap. XXX. & post eos Sacerdotale Romanum, Parte III. quia scilicet Christus resurgens ex mortuis primo se se obtulit, & ostendit mulieribus, per quas utpote quæ erant sexus debilioris, gloriam suæ resurrectionis Discipulis suis nunciavit: *Benedicitur quidem etiam præsente Episcopo, vel Sacerdote, a Diacono, qui est minoris ordinis, quia Christus resurgens a mortuis, primum Mariæ Magdalenæ se manifestans, voluit per debiliorem sexum gloriam suæ resurrectionis Apostolis nuntiari; ut sicut nostræ mortis initium per mulierem in mundum intraverat, ita & reparationis initium per mulierem in mundo nuntiaretur.* Verba sunt Durandi loco citato, eaque ex Beletho descripsit.

§. X.

Diaconus, habita benedictione, accedit, factis debitis reverentiis, ad legile; ponit super eo Librum apertum, quem adolet incenso triplici ductu, sed non signat Librum, nec se, prout in Euangelio. Ministri circa legile locantur hoc pacto. Subdiaconus cum Cruce versa ad Episcopum, & Acolythus thuriferarius stant a dexteris ipsius Diaconi; Acolythus cum arundine, & alter cum granis incensi a sinistris, vertentes facies, prout ipse Diaconus; & cum Diaconus incipit cantare, *Exultet jam &c.* Episcopus, & omnes surgunt, detectis capitibus, Diaconus prosequitur cantum suum, & suo tempore infigit quinque grana incensi in Cereo in modum Crucis, quæ respiciat faciem Episcopi, & pariter suo tempore illuminat Ce-

Digitized by Google

Cereum cum una ex tribus candelis in arundine positis, prout in Missali; & advertat Diaconus, quod, si Imperator non est coronatus, debet dicere, *Electum Imperatorem nostrum N.*

COMMENTARIUS.

I. HAbita benedictione, Diaconus accedit, factis debitis reverentiis, ad legile, ad canendum scilicet Paschale Præconium, quod quidem olim in Ambone, ubi astabat columna marmorea Paschalis Cerei fulcimentum, decantabatur, uti videre est in antiquis quibusdam Basilicis Urbis, & apud eruditissimum Joannem Ciampinum Tomo 1. veterum Monumentorum, Pag. 23. & 24. ubi affert antiquorum Ambonum figuras, in quibus cani Præconium Paschale solebat, & columnarum, quibus Paschalis Cereus affigebatur. Sed de his vide quæ jam supra diximus.

II. Ubi itaque Diaconus ad legile pervenit, *ponit super eo Librum apertum, quem adolet incenso, triplici ductu, sed non signat Librum, nec se, prout in Euangelio.* Librum thurificandi Ritus meminit quoque in suo Cæremoniali Patricius, sed tamen plane concinit nostro §. Crassus, qui postquam dixit, quod *Diaconus primo cum triplici ductu incensat Librum*, ita paulo post subjungit: *sed non signat Librum, nec se in fronte, sicut pro Euangeliis.* Uti locare se debent Ministri circa legile, lubet etiam ex laudato Crasso exponere: *Prædicti autem Ministri interim apud legile hoc ordine se disponunt, & firmant, videlicet, Subdiaconus cum Cruce, & Capellanus cum thuribulo ad dexteram legilis, ideſt, conversis ad Altare renibus; & Capellanus cum arundine, & alius cum bacili ad sinistram legilis, ideſt, versis ad Altare vultibus. Alius Capellanus, & Cæremoniarius, stant retro Diaconum, versi sicut Diaconus, qui cantans vertit faciem ad cornu Euangelii &c.*

III. Quum incipit Diaconus cantare, *Exultet jam &c.* ex antiquo ritu, qui etiam in Papali Capella servatur, *Episcopus, & omnes surgunt detectis capitibus.* Mitram tunc Papæ deponi, omnesque surgere, *ut ad Euangelium stantes*, notat in suo Cæremoniali Patricius. Porro quando infigere debeat Diaconus quinque grana incensi Cereo, in modum scilicet Crucis, quæ respiciat faciem Episcopi, ut ait hic §. noster; ac item quando accendere Cereum debeat cum una ex tribus candelis in arundine positis, docet Rubrica Missalis, tametsi paulo aliter olim servarentur hi ritus, uti videre est apud memoratum Patricium. Alicubi, teste Martenio, antequam Paschalis Cerei benedictionem Diaconus inciperet, solebat ille profecto accendi; id quod ex Missali Albiensi Subdiaconus præstare debet. Notat autem inter alia Crassus, quod Diaconus, *dum interim memorat Imperatorem*, advertere debet, *quia si non est coronatus, debet dicere.* Respice etiam ad dilectissimum Regem nostrum Imperatorem electum N. &c. *& non aliter.* Idem admonet Rubrica Missalis, isque ritus servatur Romæ, verum in Regnis aliis Regibus, quam Imperatori subjectis, non quidem Imperatoris nomen, sed Regum ipsorum Regnorum memoratur nomen.

IV. Ritus antiqui infigendi Cereo *quinque grana thuris in modum Crucis*, cum scilicet, dicit Diaconus, *Suscipe sancte Pater hujus incensi Sacrificium Vespertinum*, testis est in suo Rationali Durandus, Lib. VI. Cap. LXXX. ubi etiam ait, quinque illa grana thuris designare aromata, quæ mulieres emerunt, ut ungerent Crucifixum, vel significare quinque Redemtoris nostri plagas in Cruce receptas. Meminit & ejus ritus Joannes Belethus; verum licet ex antiquo ritu thuris grana affigantur Cereo, ad ea verba, *incensi hujus Sacrificium &c.* notat nihilominus Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. LXVI. vocem *incensi* significare quidem accensum Cereum, non vero thus. Id quod & Auctores alii notarunt.

V. Porro de ipso Paschali Præconio minime illud est omittendum, nempe, teste Udalrico in antiquis Consuetudinibus sui Monasterii Lib. I. Cap. XIV. S. Hugonem Abbatem Cluniacensem jussisse expungi locum illum, ubi peccatum Adæ dicitur necessarium, & felix culpa, quod tantum meruerit habere Redemtorem. Verum, ut scite notat Martenius, non primus S. Hugo ea verba ex benedictione Cerei Paschalis, nempe, *O felix culpa*, &, *O necessarium Adæ peccatum*, abrasit, & ne legerentur amplius, interdixit, nam desiderantur ea quidem verba in vulgato Romano Ordine apud Hitorpium, in Gallicana Liturgia Codicis Bobiensis, in veteri Sacramentorum Libro Carnotensis S. Petri Monasterii annorum circiter DCC. & in duobus Codicibus Ecclesiæ Turonensis annorum minimum DC. desiderari etiam ea verba inquit in duobus mss. Missalibus Bibliothecæ Colbertinæ annorum circiter CD. in Rituali Diœcesis Senonensis jussu Cardinalis Borbonii edito, in Remensi pervetusto, in Missali Tholonensi, in Melodunensi, & in Lingonensi, sed in hoc ultimo etsi desiderentur hæc verba, *O certe necessarium Adæ peccatum*; ea quæ præcedere solent, *O felix culpa*, reperiuntur.

§. XI.

Finito cantu per Diaconum, omnes inde recedunt cum debitis reverentiis; Diaconus vero, celebraturo Episcopo, deponit Dalmaticam, sumta Stola violacea, & Subdiaco-

Digitized by Google

diaconus Planetam, & ſic in albis accedunt ad Epiſcopum; qui ſtans, capite detecto, dicit ſecrete, *Pater noſter*, & mox ſedet; & Chorus recitat Nonam.

COMMENTARIUS.

I. FInito Præconii per Diaconum cantu, Epiſcopus, & Chorus ſedent; Miniſtri vero *omnes inde recedunt cum debitis reverentiis*, qui ſcilicet miniſtrarunt Diacono apud legile in benedictione Cerei, finita benedictione, recedunt in Sacriſtiam, factis debitis reverentiis, ideſt, cum genuflexione Epiſcopo, atque Altari, & poſtquam Miniſter, qui arundinem cum tribus candelis apud Diaconum tenebat, dum decantabat Præconium, eo finito, illam fixit in pede ligneo, ſeu lapideo, a latere Euangelii Altaris, ut ſuperius dictum eſt, præparato, aptatuſque eſt Cereus in candelabro proprio, ſeu columna ab eodem pariter latere. Quantum vero ad Diaconum, & Subdiaconum, ex Rubrica noſtri §. *Diaconus, celebraturo Epiſcopo, deponit Dalmaticam*, cum Stola ſcilicet, & Manipulo albis, *ſumta Stola violacea*; *& Subdiaconus deponit Planetam, & ſic in albis accedunt ad Epiſcopum*, cum debitis reverentiis, & ſedent in ſuis ſcabellis. Tum ſurgit Epiſcopus, ſurgentibus omnibus, & *ſtans capite detecto dicit ſecrete*, Pater noſter, *& mox ſedet, & Chorus recitat Nonam*; nempe, ut notat Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ, citato ſuperius Tit. VIII. Chorus incipit abſolute, *Mirabilia teſtimonia tua &c.* ſine cantu, & omnes ſedent.

II. Sed ut aliqua dicamus de ritu Pontificiæ Capellæ, Cerei benedictione peracta, ex Cæremoniali Patricii, *revertitur quilibet ad locum ſuum, ubi Diaconus exuitur Dalmatica, & capit Planetam violaceam ante pectus*. Eundem hunc ritum paulo fuſius luculentiuſque enarrat in ſuo Cæremoniali Craſſus, ubi ita inquit: *Finita benedictione, Diaconus non oſculatur manum, neque Cardinalis incenſatur, ſed ipſis recedentibus, omnes ſedent, & Diaconus poſt Altare deponit Dalmaticam albam, & induit Planetam violaceam, ſicut Subdiaconus, & mox Sacriſta in medio Chori de directo, ante medium Altaris, & non ante cornu Epiſtolæ, ponit idem legile, ſed diſcoopertum, & nudum cum Libro Prophetiarum deſuper &c.* Ergo ex ipſis Auctoribus, & ex aliis, qui afferri hic poſſent, præſertim antiquioribus, poſt benedictionem Cerei non ſequebatur recitatio Horæ Nonæ, quam præſcribit §. noſter, ſed Lectio Prophetiarum, de quibus infra in Commentario ad §. XIII. dicemus.

§. XII.

In fine Nonæ Epiſcopus deſcendit de Sede, & cum dicitur, *Chriſtus factus eſt &c.* procumbit ſuper Faldiſtorio, & genuflexus dicit Orationem, *Reſpice, quæſumus Domine &c.* Qua finita, ſurgit, & revertitur ad Sedem ſuam, ubi ſedens accipit Sandalia alba, quia illa non mutat, legit Pſalmum, *Quam dilecta &c.* cum *Gloria Patri &c.* & alias Orationes, & Verſiculos conſuetos; lavat manus, & paratur omnibus indumentis Pontificalibus, & Manipulo coloris violacei, non tamen Pallio, ſi ſit Archiepiſcopus, ac Mitra ſimplici a dictis Diacono, & Subdiacono in albis aſſiſtentibus: & cum Epiſcopus accipit Planetam, pariter Canonici capiunt paramenta ipſis congruentia, coloris violacei, & ipſi Diaconus, & Subdiaconus Planetas ante plicatas, ejuſdem coloris, ac Manipulos; & Canonicus Presbyter aſſiſtit cum Pluviali ejuſdem coloris, & alii duo Diaconi, ubi eſt conſuetum, aſſiſtunt ut alias.

COMMENTARIUS.

I. REcitandam eſſe Horam Nonam a Choro poſt ſolemnem Cerei benedictionem, in præcedenti Commentario notatum eſt. Ex præſcripto noſtri hujus §. *in fine Nonæ Epiſcopus deſcendit de Sede*, ad Faldiſtorium ſcilicet cum Diaconis aſſiſtentibus, extenſa Cappa, & ſibi caudam ejus trahens, uti docet Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ, Tit. VIII. Cap. II. §. IV. & eſt uſus complurium Eccleſiarum: *Cum dicitur*, Chriſtus factus eſt &c. *procumbit ſuper Faldiſtorio, & genuflexus dicit Orationem &c.* poſt recitatum ſcilicet Pſalmum, *Miſerere*, ut alias. Juxta ritum Eccleſiæ Beneventanæ, poſt Orationem, *Reſpice quæſumus Domine &c.* cantatur Planctus, *Stabat Mater dolorosa &c.* loco Officii Mariani, & terminatur triduum Paſſionis pro genuflexionibus, uti ex eodem Memoriali Rituum addiſcimus, quod, ut alias notavimus, ad uſum ipſius Beneventanæ Eccleſiæ concinnatum fuit, Archiepiſcopo Vincentio-Maria S. R. E. Cardinali Urſino, qui poſtea fuit Benedictus XIII. Pontifex Maximus.

II. Juxta §. noſtri præſcriptum, finita Oratione, *Reſpice &c.* Epiſcopus *ſurgit, & revertitur*

Digitized by Google

titur ad Sedem ſuam, Cappa ſcilicet ſuper humeros involuta, & facta Altari reverentia, redit ad Sedem ſuam cum Diaconis aſſiſtentibus; *ubi ſedens accipit Sandalia alba, quia illa non mutat*, allata ſcilicet a Subdiacono ſub velo humerali violaceo, cum Miniſtris de more; & accedente Presbytero aſſiſtente cum Miniſtris de Libro, & de Bugia, *legit Pſalmum*, Quam dilecta &c. *cum* Gloria Patri &c. *& alias Orationes, & Verſiculos conſuetos*, pro præparatione ſcilicet ad Miſſam. Interim Subdiaconus depoſito velo apud Credentiam, redit ad ſcabellum ſuum, Epiſcopus autem completis Orationibus præparationis, *lavat manus*, more ſcilicet ſolito alias explicato; *& paratur omnibus indumentis Pontificalibus, & Manipulo coloris violacei, non tamen Pallio, ſi ſit Archiepiſcopus, ac Mitra ſimplici, a dictis Diacono, & Subdiacono in albis aſſiſtentibus*; recedentibus ſcilicet primum Presbytero, atque Diaconis aſſiſtentibus ad loca ſua inter Canonicos, Epiſcopus per manus Diaconi, & Subdiaconi paratur Rocchetto, vel, ſi ſit Regularis, Superpelliceo, Amictu, Alba, Cingulo albi coloris, tum Manipulo, Cruce pectorali, Stola, Tunicella, Dalmatica, Chirothecis, & Planeta violacei coloris, & Mitra ſimplici, allatis per Capellanos, ſeu Acolythos, ut alias.

III. Parantur denique & alii Canonici, ſed advertendum, quod docet noſter §. inquiens, quod *cum Epiſcopus accipit Planetam, pariter Canonici capiunt paramenta ipſis congruentia coloris violacei*, in ſuis ſcilicet locis; *& ipſi Diaconus, & Subdiaconus*, accedentibus ſcilicet Presbytero, & duobus Diaconis aſſiſtentibus paratis, recedunt ad ſua ſcabella, & ibi capiunt *Planetas ante plicatas, & Manipulos*, ſed primum ſcilicet Manipulos, tum Planetas plicatas ante pectus. Porro *Canonicus Presbyter aſſiſtit cum Pluviali, & alii duo Diaconi, ubi eſt conſuetum, ut alias*, induti ſcilicet Dalmaticis coloris violacei, Epiſcopus autem accipit Annulum, ex Memoriali Rituum Majoris Hebdomadæ, & aliis Auctoribus.

§. XIII.

Cum Epiſcopus fuerit paratus, deſcendit cum Mitra, & Baculo de ſua Sede, & comitantibus prædictis Aſſiſtentibus, & Miniſtris, accedit ad Altare, quod ſine Mitra in medio oſculatur, depoſito interim Baculo, & facta Cruci reverentia: mox recepta Mitra, & Baculo, revertitur ad eandem ſuam Sedem. Diaconus vero Euangelii, & Subdiaconus de Epiſtola, ſi aſſiſtant alii duo digniores Diaconi, ſedent in ſcamno, aut ſcabellis apud cornu Epiſtolæ, ut dictum eſt in Capite VIII. §. XXXVI. hujus Libri II. de Miſſa ſolemni, Epiſcopo celebrante. Locatur in medio Chori, vel Presbyterii, pulpitum, ſeu legile nudum, & omnibus conſidentibus, ducitur a Cæremoniario aliquis Acolythus, ſive Cantor, indutus Cotta, qui, factis debitis reverentiis Altari, & Epiſcopo, cantat ſine titulo primam Prophetiam, qua finita, accedit cum debitis reverentiis ad oſculandam manum Epiſcopi, antequam ſurgat pro Oratione cantanda.

§. XIV.

Tum Epiſcopus ſurgit, depoſita Mitra, dicens, *Oremus*, & Diaconus aſſiſtens ad ejus dexteram dicit, *Flectamus genua*, & omnes genuflectunt, excepto Epiſcopo; alter vero ad ſiniſtram, *Levate*, & omnes ſurgunt; ipſe vero Epiſcopus proſequitur Orationem, ſtans manibus extenſis, ſuſtinente Librum Presbytero aſſiſtente, more ſolito; ſed ubi non aſſiſtunt prædicti duo antiquiores Diaconi, ſervient in hujuſmodi miniſterio, & aliis, prædicti Diaconus, & Subdiaconus, Euangelii, & Epiſtolæ.

§. XV.

Cantantur deinde aliæ Prophetiæ ab Acolythis, vel Cantoribus eodem ordine, & poſt quartam, octavam, & undecimam Lectionem, ſeu Prophetiam Epiſcopus legit ex Libro Tractum, dum cantatur a Choro, & pariter per eoſdem Diaconos aſſiſtentes ſuo tempore dicitur, *Flectamus genua*, & *Levate*, ut in Miſſali.

COMMENTARIUS.

I. OMnibus jam, ut ſupra, paratis, Epiſcopus *deſcendit cum Mitra, & Baculo de ſua Sede, & comitantibus prædictis Aſſiſtentibus, & Miniſtris, accedit ad Altare, quod ſine Mitra in medio oſculatur, depoſito interim Baculo*, nempe depoſito Baculo in plano,

Digitized by Google

plano, ac ibidem etiam Mitra per Diaconum Euangelii, & Subdiaconum, aſcendit medius inter ipſos ad Altare, & oſculatur illud in medio, remanentibus in plano Presbytero, & duobus Diaconis aſſiſtentibus. Oſculato Altari, *mox recepta Mitra, & Baculo*, & quidem in medio Altari, & per manus eorundem Diaconi, & Subdiaconi, ut docent Memoriale Rituum, Horatius Chriſtiani in ſua Praxi Pontificali Majoris Hebdomadæ Sectione v. Cap. IV. & alii, *revertitur ad eandem ſuam Sedem*, cum Presbytero ſcilicet, & Diaconis aſſiſtentibus, remanentibus in ſuis ſcabellis prope Altare Diacono, & Subdiacono in cornu Epiſtolæ, ſi ſcilicet, ut ait noſter §. Epiſcopo aſſiſtant duo ipſi digniores Diaconi, de quibus jam plura notavimus nos ſupra Libro I. Cap. VIII.

II. Ubi ad Sedem ſuam pervenit Epiſcopus, ſedet ibi, & accipit Gremiale; &, uti ait noſter §. XIII. *locatur in medio Chori, vel Presbyterii pulpitum, ſeu legile nudum*, niſi ſcilicet fuerit prius collocatum, & niſi pro Eccleſiarum veteri more non legantur Lectiones in Ambone: *Et omnibus conſidentibus, ducitur a Cæremoniario aliquis Acolythus, ſive Cantor, indutus Cotta, qui, factis debitis reverentiis Altari, & Epiſcopo, cantat ſine titulo primam Lectionem &c.* Ubi nota, poſt ipſam Cerei quidem benedictionem ſequi Lectiones ad Catechumenorum inſtructionem olim recitatas, quæ tamen antiquitus præceſſiſſe videntur, uti obſervat eruditiſſimus Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina*, Cap. XXIV. Num. XIII. ex Romano antiquo Ordine ad uſum Corbejenſis Monaſterii ante annos DCCC. accommodato, in quo inter alia hæc habentur: *Et interrogavimus nihilominus Domnum Apoſtolicum Adrianum, ſecundum veſtra mandata, ſi in Paſchali Sabbato debent flecti genua, dum Lectiones recitantur. Et ipſe reſpondit, hoc debere omnimodis fieri. Cui cum diceremus, & quomodo Sacerdotes, & Miniſtri, ſeu Clerus cum Stolis, & Planetis poſſunt in terram proſterni? Ille adjecit, non debere Sacerdotes, vel Miniſtros, ſeu Clerum Stolis prius, Planetiſque veſtiri, niſi tunc demum eum lumen novum introducitur, ut Cereus benedicatur.*

III. Ex his plane patet, Lectiones olim pronunciatas fuiſſe ante Cerei benedictionem, pro qua Sacerdotes, & Miniſtri, ſeu Clerus Stolis, & Planetis veſtiebantur. Eundem fuiſſe & uſum Eccleſiarum Lugdunenſis, ac Biſuntinæ, ex ipſarum Ordinariis conſtat. Quod autem reſpondit Adrianus Pontifex in recitato ſuperius loco, ad Lectiones, ſive ad Orationes, quæ Lectionibus ſubjiciuntur, flectenda eſſe genua, ait Martene, in Galliis haudquaquam receptum fuiſſe, aut ſaltem diu non fuiſſe obſervatum. Nam omnes ad unum antiqui Libri Rituales, atque Miſſales Galliæ, hujuſmodi genuflexionem fieri vetant; quam etiam ad Lectionem, quæ agit de Nabucodonoſor, qui impie ad Statuam auream genuflecti præcepit, prohibet Pontificale Eccleſiæ Apamienſis in Syria dicens: *Tunc autem non debent flecti genua, quia in præcedenti Lectione lectum eſt, quod Nabucodonoſor Rex ſubditos ſibi coegerit flectere genua ante Statuam auream, quod utique erat in contemtu Creatoris.*

IV. Sed antequam antiquos ritus explicemus legendarum Lectionum die Sabbati Sancti, notandum hic nobis eſt, Rubricas noſtrorum Paragraphorum juxta ſolitum in multis concinere Cæremoniali Auguſtini Patricii, quod pro Pontificia Capella concinnavit. Sane, quod in §. XIII inter alia edicitur, ut Diaconus Euangelii, & Subdiaconus de Epiſtola, ſi aſſiſtant alii duo digniores Diaconi, ſedeant in ſcamno, aut in ſcabellis apud cornu Epiſtolæ, ſciendum eſt, aliter olim fuiſſe præſcriptum in Cæremonialibus ante hoc noſtrum a Benedicto XIII. probatum editis, in quibus legitur, quod ubi Epiſcopo aſſiſtant duo illi digniores Diaconi, Diaconus Euangelii, & Subdiaconus de Epiſtola *ſedent in gradibus Altaris*. Rurſus ubi in noſtro §. XIV. dicitur, quod cum Epiſcopus poſt recitatam primam Lectionem depoſita Mitra dicens, *Oremus*, Diaconus aſſiſtens ad ejus dexteram dicit, *Flectamus genua*, in antiquis Cæremonialibus legitur: *Et Archidiaconus, ſive Diaconus aſſiſtens ad ejus dexteram dicit &c.* Ceterum cum dicit tunc Orationes Epiſcopus, aſſiſtit quidem Diaconus ad ejus dexteram, non debet tamen retro poſt ipſum Epiſcopum verba illa pronunciare, *Flectamus genua*, ſicut nec Subdiaconus retro poſt Diaconum, *Levate*, quia ſcilicet non ſunt in Altari.

V. Hiſce notatis, ut ad ritum dicendarum Lectionum deveniamus, ex noſtro §. XIII. pro Lectionibus recitandis *locatur in medio Chori, vel Presbyterii, pulpitum, ſeu legile nudum &c.* Idem docent in ſuo Cæremoniali Patricius, & in Romano Ordine XV. Petrus Amelius, verum juxta antiquum ritum, uti ex Ordine I. Romano conſtat, imo etiam ex XIV. Auctore Gaetano in Ambone Lectiones ipſæ recitabantur, & quidem a Subdiaconis, ut Gaetanus ipſe teſtatur: *Finita benedictione Cerei, Subdiaconus aſcendens Ambonem incipit legere Lectionem ſine titulo &c.* Juxta Romanum Ordinem I. antequam Lectiones inciperentur, duo Notarii duos Cereos accenſos tenebant, unus in dextero, alter in ſiniſtro cornu Altaris: *Illuminentur duo Cerei, tenentibus duobus Notariis, unus in dextero cornu Altaris, & alter in ſiniſtro.* Idem docent vulgatus Alcuinus, & Amalarius, Libro I. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Cap. XX. Quod in ipſis dextero, ac ſiniſtro cornibus Altaris pronunciarentur Lectiones, non ſatis eſſe incompertum, ait Martene; ſed plane compertum ſatis eſt, non quidem ibi, ſed in Ambone pronunciatas fuiſſe; etenim poſt recitatum locum, ita ſtatim ſubjicit laudatus ipſe I. Ordo Romanus: *Et aſcendit Lector in Ambone. Non pronunciat*, Lectio Libri Geneſis, *ſed inchoat*, In principio, *plane. Similiter & alias Lectiones.*

VI. Teſte Patricio in ſuo Cæremoniali Lib. II. Sectione I. Cap. LVII. in fine: *Sixtus Papa Quartus ordinavit, quod Cardinales dicerent Prophetias ſupradictas: primam junior Cardinalis, ſive*

Digitized by Google

Diaconus esset, sive Presbyter: aliam sequens, & sic de aliis continue gradatim ascendendo usque ad nonam inclusive, decimam Cardinalis assistens a sinistris, undecimam a dexteris assistens, duodecimam dixit Sanctitas sua. Ita Patricius, sed addit mox, quod *hæc ordinatio fuit tempore suo observata*, nempe in Pontificatu prædicti Papæ; *postea dimissa, quia non videbatur dignitati Apostolicæ convenire, ac quadrare Cæremoniis Papalibus, & debitis.* Sabbato Sancto anni MCDLXXXI. cantatas fuisse Prophetias a Cardinalibus, earum vero ultimam ab ipso Xisto IV. Papa, refert ad dictum annum in suo Diario Volaterranus: *Duodecim Prophetiæ a Cardinalibus non tam cantatæ, quam lectæ ad pulpitum sine velo aliquo. A postremis inceptum est, & ordine ventum ad Diaconos duos assistentes Pontifici. Ultimam e throno suo recitavit Pontifex sedens propter debiles podagra pedes.* Idem legitur apud alios Scriptores.

VII. Cur in Lectionibus hisce tituli ex antiquo ritu omitterentur, duas affert causas Belethus in sua divinorum Officiorum explicatione, Cap. CX. *Prima est*, inquit, *quoniam Christus caput nostrum necdum nobis sit restitutum. Secunda vero, quia qui sunt baptizandi, ad quos totum illius diei Officium pertinet, adhuc in ima ignorantiæ Scripturarum profunditate immersi detinentur &c.* Idem docet in Rationali Durandus Lib. VI. Cap. LXXXI. Num. I. ubi etiam, cur sine tono, idest, sine cantu pronuncientur, hanc affert rationem, quia nempe, *in eis insipientes, & Catechumeni simplices instruuntur.* Sane quod antiquus sit ritus, ut sine titulo, & sine tono, seu cantu Lectiones ipsæ recitentur, veteres Libri Rituales, atque Ordinaria antiqua variarum Ecclesiarum passim nos docent.

VIII. Quod Lectionum numerum attinet, tradit memoratus Durandus, suo ævo in quibusdam Ecclesiis, quatuor, in quibusdam sex, in aliis duodecim, & in nonnullis quatuordecim consuevisse legi. Sed audiamus Belethum sic de eo numero ajentem Libro citato, Cap. CVI. *Tandem vero vigintiquatuor in nonnullis Ecclesiis leguntur Lectiones. Ac Romæ quidem hoc pacto fieri solet, ut duodecim recitentur Græce, & totidem Latine. In nonnullis autem Ecclesiis legunt tantum duodecim, & in nonnullis dumtaxat septem. At qui viginti quataor legunt, duodecim ob id Græce recitant propter auctoritutem septuaginta Interpretum, quorum auctoritas quondam in Græcia maxime floruit, atque etiam in illa parte Italiæ, quæ magna olim dicebatur Græcia. Verum duodecim ideo dicuntur Latine propter auctoritatem translationis Hieronymi. In minimis tamen Ecclesiis non habent, nisi sex ob senarium numerum, qui quodammodo perfectus est.*

IX. Mysticis significationibus hisce omissis, nonnulla nobis notanda sunt quidem in recitato loco Belethi. I. quod ait de Lectionibus Romæ, Græce, Latineque recitatis, confirmari præclarissimo Anastasii Bibliothecarii testimonio, qui de Benedicto Papa III. scribit, quod Lectionum, quæ per cunctas Ecclesiarum Stationes leguntur, *volumen præparare studuit, in quo Græcas, & Latinas Lectiones, quas die Sabbato Sancto Paschæ, simulque & sancto Pentecostes, Subdiaconi legere soliti sunt, Scripturas adjungi præcepit, miræque operationis tabulis argenteis decenter adornans, sanctæ Ecclesiæ Romanæ libenter obtulit.* II. quod ait, duodecim Lectiones Græce, & totidem Latine fuisse recitatas, hoc est, viginti quatuor, confirmatur non modo ex Pontificali mss. Ecclesiæ Apamiensis in Syria, in quo idem recensetur numerus, verum ex Ordine Romano XI. Auctore Benedicto, Num. XLIII. *Leguntur*, inquit, *duodecim Lectiones Latine, & duodecim Græce, & cantantur tria Cantica &c.* Idem totidem verbis legitur in XII. Romano Ordine Auctore Cencio, Cap. XIV. verum ex Ordine XIV. Cap. XCIV. *Suadiaconus ascendens Ambonem incipit legere Lectionem sine titulo*, In principio creavit Deus Cælum, & terram; *eo vero complente, si Dominus Papa velit, Græcus Subdiaconus eandem Græce relegit.* Ordo quoque Romanus XV. relinquit arbitrio Papæ, si velit, ut finita Latina Lectione, eadem Græce pronuncietur. Patricius nihil de dicenda Græce Lectione inquit.

X. Illud autem minime a nobis sub silentio mittendum est, quod ait Belethus, nempe auctoritatem septuaginta Interpretum quondam in Græcia maxime floruisse, *atque etiam in illa parte Italiæ, quæ magna olim dicebatur Græcia.* Hæc plane est nostra Calabria, de qua præclarissimum est S. Hieronymi elogium in Epistola ad Paulinum, ubi ait, Platonem ipsum eam regionem laboriosissime peragrasse, *ut qui Athenis Magister erat, & potens, cujusque doctrinæ Academiæ Gymnasia personabant, fieret peregrinus, atque discipulus, malens aliena verecunde discere, quam sua impudenter ingerere.* Quædam in hunc locum jam notavimus nos, ubi selectas ipsius sancti Doctoris Epistolas edidimus. Sed licet e nostris non desint, qui in commendationem Calabriæ Viris semper doctrina, sanctitate, ac dignitate tum Civili, tum Ecclesiastica conspicuis abundantis, varios Libros ediderint, sparamus nos nihilominus, si Deus vitam dederit, ad majorem obtrectatorum Nationis nostræ confusionem, aliud Opus, publici juris facere in tres Tomos divisum, quorum primus Calabriam Sanctam, alter Sacram, tertius Literariam comprehendat. Sane referri & ad ejusdem Nationis gloriam possunt tot Episcopi e Calabria electi a Regnante Pontifice Maximo BENEDICTO XIV. meritorum optimo æstimatore, ad regendas varias Neapolitani Regni Ecclesias. Atque, ut alias omittam, vacantibus nuper duabus Ecclesiis, Laquedonensi, & Marsicana, duos quidem Calabros optimis moribus, ac doctrina præditos, & reluctantes, ut jam fuit vetustissima Ecclesiæ disciplina, præfecit, Thomam Aceti a Filleno, & Didacum Thomacelli a Scylla.

XI. Obiter hisce notatis, finita Lectione, seu Prophetia, is qui eam cantavit ex §. nostro XIII. *accedit cum debitis reverentiis ad osculandam manum Episcopi, antequam surgat pro Oratione*

Digitized by Google

tione cantanda, & repetitis reverentiis recedit ad locum ſuum, ut inter alios ſcite notat Horatius Chriſtiani. *Tum*, ut ait §. XIV. *Epiſcopus ſurgit, depoſita Mitra*, prius tamen depoſito Gremiali, *dicens*, Oremus, *& Diaconus aſſiſtens ad ejus dexteram dicit*, Flectamus genua, *& omnes genuflectunt, excepto Epiſcopo; alter vero ad ſiniſtram*, Levate, *& omnes ſurgunt. Ipſe vero Epiſcopus proſequitur Orationem ſtans manibus extenſis, ſuſtinente Librum Presbytero aſſiſtente more ſolito*. Ubi juxta conſuetudinem Eccleſiarum, non aſſiſtunt prædicti duo antiquiores Diaconi, tunc quidem ex præſcripto noſtri ejuſdem §. XIV. *ſervient in hujuſmodi miniſterio*, dicendi ſcilicet, Flectamus genua, & Levate, *& aliis prædicti Diaconus, & Subdiaconus, Euangelii, & Epiſtolæ*. Cantantur deinde aliæ Prophetiæ ab Acolythis, vel Cantoribus, eodem ordine, ut inquit §. noſter XV. *& poſt quartam, octavam, & undecimam Lectionem, ſeu Prophetiam, Epiſcopus legit private ex Libro Tractum, dum cantatur a Choro*, miniſtrantibus Librum, & Bugiam ſolitis Miniſtris; *& pariter per eoſdem Diaconos aſſiſtentes*, vel, iis deficientibus, per Diaconum Euangelii, & Subdiaconum Epiſtolæ, uti notatum fuit, *ſuo tempore dicitur*, Flectamus genua, & Levate. Porro ex Memoriali Rituum, & aliis Auctoribus, qui Hebdomadæ Sanctæ Ritus exponunt, Prophetias, quæ cantantur in legili, Epiſcopus private legit apud Sedem ſuam.

§. XVI.

Finitis Lectionibus, ſi Epiſcopus voluerit ipſemet benedicere Fontem, quod valde convenit, depoſita Planeta, & ſumto Pluviali violaceo, ac Baculo, ibit, præcedente Cruce, cum Cereo benedicto accenſo, qui portabitur immediate ante Crucem, & Canonicis paratis, ac aliis de Clero, ad illum benedicendum, & alia fiunt, & cantantur, etiam circa Baptiſmum, prout in Miſſali.

§. XVII.

Si vero non potuerit Epiſcopus id præſtare, deſtinabit aliquem ex dignioribus Capituli, qui Pluviali paratus, comitantibus aliquot Acolythis, & Miniſtris cum Cereo accenſo, & Cruce, ea omnia faciet.

§. XVIII.

Quibus peractis, ſi aderunt Catechumeni, baptizentur more ſolito ab Epiſcopo, aut a digniori ex Capitulo, ut in Numero præcedenti, & per octo dies ante in ipſa Eccleſia, niſi periculum immineat, nullus infans baptizetur.

COMMENTARIUS.

I. PRiuſquam de Fontis Baptiſmalis benedictione dicamus, de cujus ritu in hiſce Paragraphis agitur, variationes, atque additiones quædam notandæ ſunt factæ in hoc Cæremoniali probato a Benedicto XIII. Primo itaque, ubi in noſtro §. XVI. dicitur, *Si Epiſcopus voluerit ipſemet benedicere Fontem*, in antiquis legitur, *Fontes*. II. verba illa, *quod valde convenit*, in novo quidem Cæremoniali §. ipſi XVI. adjuncta ſunt. III. ſublatum fuit in §. XVII. verbum *noluerit*, quod legebatur in antiquis ipſis Cæremonialibus, nempe, *Si vero noluerit, aut non potuerit &c.* Non enim decet, ut Epiſcopus pro ſuæ voluntatis libito celebrationem illius Sacramenti omittat, cujus præcipuus eſt ipſe Miniſter.

II. Et quidem quod ſolis primum Epiſcopis jus baptizandi reſederit, conſtans, & indubitata ſententia eſt, quam viri paſſim eruditi non modo Tertulliani ſuffragio probant, ſed Tertulliano longe antiquioris Ignatii Martyris tertii poſt ſanctum Petrum Antiochenæ Sedis Epiſcopi in Epiſtola ad Smyrnenſes ſcribentis, *non eſſe licitum ſine Epiſcopo neque baptizare, neque Agapes facere*. Cui concinit S. Hieronymus, qui in Dialogo adverſus Luciferianos inter alia inquit: *Unde venit, ut ſine Epiſcopi juſſione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant Baptiſmi*. Idem etiam innuit S. Auguſtinus, Lib. XXII. *De Civitate Dei*, Cap. VIII. ubi agens de quodam meritis S. Stephani divinitus ad Chriſtum converſo, & baptizari deſiderante, *Et ecce*, inquit, *diluculum clamat, ut ad Epiſcopum curreretur &c.* Quam ſedulus in eo adminiſtrando Sacramento fuerit S. Ambroſius, teſtatur in ejus Vita Paulinus, ubi ita ait: *In rebus etiam divinis implendis fortiſſimus labor, in tantum, ut quod implere ſolitus erat circa baptizandos, quinque poſtea Epiſcopi a tempore, quo deceſſit, vix implerent*.

III. Apud Græcos eadem plane viguit diſciplina, uti non obſcure innuit Theodoretus, qui Lib. I. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Cap. XXVII. mentionem facit cujuſdam Stolæ ex aureis filis contextæ,

Digitized by Google

xtæ, quam Conſtantinus Imperator ad Eccleſiam Hieroſolymitanam cohoneſtandam Macario illius Urbis Epiſcopo donaverat, ut ea amictus ſacrum baptiſmatis miniſterium obiret. Eam diſciplinam clare evincit Inſtructio Cleri Edeſſeni ad Photium, & Euſtachium Epiſcopos, qua, uti legitur in Actione x. Concilii Chalcedonenſis, rogant Ibam Epiſcopum ad Sedem ſuam propter imminentem Paſchalem Feſtivitatem quantocius remitti, *in qua*, inquiunt, *& propter Catechiſmos, & propter eos, qui digni ſunt ſancto Baptiſmate, opus eſt ejus præſentia*. Plura eandem in rem teſtimonia veterum Patrum affert Martene, Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. I. Articulo III. Num. II.

IV. Quamquam vero peculiare olim eſſet Epiſcopi munus Baptiſmum conferre, ita ut Concilium Hiſpalenſe II. anni DCXIX. Can. VII. juſſerit, *neque coram Epiſcopo, licere Presbyteris in Baptiſterium introire, nec præſente Antiſtite infantem tingere, aut ſignare*; poſtmodum tamen ſive ob multitudinem baptizandorum, ſive ob nimium laborem, eam curam rejecere Epiſcopi in Presbyteros, vel Diaconos, duos, treſve baptizare ipſi contenti, uti videre eſt in VII. X. & XII. Ordinibus Romanis, & in quibuſdam aliarum Eccleſiarum Ritualibus, atque Ordinariis, licet in Rituali Eccleſiæ Sveſſionenſis tempore Nivelonis Epiſcopi ſcripto ſolus Epiſcopus in Vigilia Paſchæ baptizare memoretur, nulla Presbyterorum, aut Diaconorum mentione habita. Hanc fuiſſe S. Romanæ Eccleſiæ, atque aliarum complurium diſciplinam Seculo XIII. ut Papa Romæ, & Epiſcopi in Eccleſiis ſuis Sabbato ante Reſurrectionem Domini, & Sabbato ante Pentecoſten ſolemni ritu baptiſmum miniſtrarent, expreſſe edicit Londinenſis Synodus anni MCCXXXVII. Can. III. *Cum Summus Pontifex perſonaliter illud Myſterium ſolemnizet, & diebus baptizet ſolemniter memoratis, & in aliis mundi partibus ſervet Eccleſia illud idem*.

V. Senſim plane factum eſt, ut Epiſcopi, qui ſoli olim baptizabant, nunc fere ſoli non baptizent, unde æqua eſt Martenii expoſtulatio, quod *plures mulierculæ, & obſtetrices privatis in domibus tingant, quam Epiſcopi in Templis*. At vero quidquid ſit de aliis diebus conſentanee ad Rubricas noſtrorum Paragraphorum, imo priſcis Canonibus inhærens Romana Synodus anno Chriſti MDCCXXV. a Benedicto XIII. celebrata, Tit. XXVI. Cap. I. poſtquam edixit, non eſſe Parochorum tantum, quod juxta ſacra Canonum ſtatuta, Rituali Romano præſcribitur, ut ſolemnis ſcilicet per eos bis in anno, utroque Sabbato ante ſacratiſſimam Paſcha, & Pentecoſten Baptiſmalis Fontis benedictio perſolvatur, ſacrumque Baptiſma tunc ſolemnius miniſtretur, ita deinde ſubjungit: *Speciali id etiam ratione ab Epiſcopis exigit Cæremoniale Epiſcoporum; & nos ipſis præcipuas velut inter Pontificalis ordinis actiones, non minori ſolicitudine commendamus*.

VI. Omiſſis aliis Synodis, mandat S. Carolus in IV. Synodo Provinciali Mediolanenſi, ut infantes hebdomada Paſchæ, & Pentecoſtes accedente in lucem editi, ad præcipuam Urbis Eccleſiam deferantur, ut ab Epiſcopo ſalutari lavacro regenerentur, a qua etiam ſolemnitate quemcumque Presbyterum tam Urbis, quam Diœceſis abſtinere cautum eſt. In pluribus Eccleſiarum Ordinariis id quidem commendatur, ut ſerventur infantes aliqui baptizandi in ipſis Sabbatis Paſchæ & Pentecoſtes, dum Baptiſmalis Fontis benedictio peragitur, ut ſcilicet ſanctæ Eccleſiæ exprimatur finis, & iſtius Cæremoniæ deſignetur antiquitas. Id Romæ accuratiſſime fieri vidimus, ejuſque ritus tenaciſſimus fuit ſanctæ memoriæ Benedictus XIII. quippe qui in ipſorum Feſtorum Vigiliis multa hominum millia baptizavit.

VII. Quantum ad ritum benedicendi Fontis Baptiſmalis, eſſe illum plane antiquum, colligitur ex S. Cypriano in Epiſtola LXX. ad Januarium his verbis: *Oportet ergo mundari, & ſanctificari aquam prius a Sacerdote, ut poſſit Baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere*. Ejuſdem ritus paſſim alii Patres mentionem faciunt, S. Dionyſius, vel alius ejus nomine vetuſtus Auctor, in Libro, *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, Cap. II. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi III. S. Gregorius Nyſſenus Oratione in Chriſti Baptiſmum, Victor Vitenſis, Lib. II. *De perſecutione Vandalica*, & inter alios S. Ambroſius in Libro, *De his qui initiantur*, Cap. V. ubi hæc habet: *Quare prior Chriſtus deſcendit, poſtea Spiritus Sanctus? cum forma baptiſmatis, & uſus hoc habeat, ut ante Fons conſecretur, & tunc deſcendat, qui baptizandus eſt. Nam ubi primum ingreditur Sacerdos, exorciſmum facit, ſecundo ſuper creationem aquæ invocationem, poſt ea & precem defert, ut ſanctificetur Fons, & adſit præſentia Trinitatis æternæ*. Sane ritus eſt adeo antiquus, ut S. Baſilius in Libro, *De Spiritu Sancto*, Cap. XXVII. inter traditiones Apoſtolicas quidem recenſeat, quod *benedicimus aquam baptiſmatis*.

VIII. Benedictionis formulam non eandem fuiſſe ubique, ſed plane diverſam, ſcite notat, probatque eruditus Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXIV. Num. XXIII. *Alia enim*, inquit, *quæ in Gelaſiano, ac Gregoriano Sacramentario reperitur; alia, quæ in Liturgiis Gallicanis; alia, quæ in Miſſali Mozarabum; alia, quæ in Ambroſiano; imo nec in variis ejuſdem nationis Liturgicis Libris una eademque reperitur; nam in tribus Gallicanis vetuſtiſſimis Miſſalibus a Viris Clariſſimis, atque Religioſiſſimis Joſepho Cardinali Thomaſio, & Joanne Mabillonio editis, benedictionis formulæ omnino ſunt inter ſe diſſimiles*. Ceterum quod ritus ſpectat in ipſa benedictione obſervari ſolitos, hi præſertim recenſeri poſſunt, Crucis in aquam impreſſio, inſufflatio triplex, Cerei in aquam immerſio, Chriſmatis infuſio, aquæ benedictæ diſtributio, de quibus ſingulis legi poſſunt Joſephus Vicecomes, & alii docti Auctores, qui Baptiſmi ritus vel peculiaribus Libris enarrant, vel de ipſis agunt in Tractatu, *De Sacramentis*.

IX. Quo-

Digitized by Google

IX. Quoniam vero in noſtris Paragraphis XVI. & XVII. expreſſa fit mentio deferendi accenſum Cereum ad benedicendum Fontem Baptiſmalem, ſciendum hic illud eſt, Cerei quidem immerſionem in aquam præſcribi a S. Gregorio, & ab aliis quoque Ritualibus Libris, atque Ordinariis, licet non adeo antiquis. Plura de eo ritu immergendi Cereum in aquam myſtice docet in ſuo Rationali Durandus Lib. VI. Cap. LXXXI. Numero X. Dum vero de aqua extrahitur, mandat Miſſale vetus Pariſienſe annorum circiter D. ut *de Cerei cera parumper in aquam deguttetur in modum Crucis*, dicente ſcilicet Sacerdote, *ſanctificetur, & fecundetur Fons iſte in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Notat Jacobus Eveillon in Libro, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, Cap. XIII. ſtillationem Cerei in aquam ſignificare Sanguinem e capite, & vulneribus Chriſti rorantem in aquam Baptiſmalem, ut eam virtute Paſſionis ſuæ ſanctificet, juxta illud S. Auguſtini Tractatu II. in Joannem: *Unde rubet baptiſmus, niſi ex Sanguine Chriſti?*

X. Ad praxim eorum quod attinet, quæ in Paragraphis noſtris ſtatuta ſunt, *finitis Lectionibus*, inquit §. XVI. *ſi Epiſcopus voluerit ipſemet benedicere Fontem, quod valde convenit, depoſita Planeta, & ſumto Pluviali violaceo, ac Baculo, ibit &c.* Nempe, Lectionibus finitis, Diaconus, & Subdiaconus, depoſitis Manipulis, & Planetis, ut Memoriale Rituum docet, ad Epiſcopum accedunt, qui recedente Presbytero aſſiſtente tantum Planetam deponit, & accipit Pluviale violaceum, & pectorale. Interim Acolythus de Cereo amovet eum de ſuo Candelabro magno. Diaconus, & Subdiaconus ſumunt Planetas plicatas tantum, accenſiſque cereis in candelabris ad abacum, Clerici ſe diſponunt hinc inde in Presbyterio pro Proceſſione ad benedicendum Fontem.

XI. Ordinem ejus Proceſſionis enarrat inter alios Horatius Chriſtiani in ſua Praxi Pontificali Majoris Hebdomadæ, Sectione V. Cap. V. Præcedet, inquit, Acolythus Cereum benedictum accenſum deferens. Inde Subdiaconus paratus portans Crucem inter duos Ceroferarios candelabra cum candelis accenſis habentes. Mox Cantores canentes Tractum, *Sicut Cervus &c.* Tum Clerus per ordinem, & Canonici parati bini, inter quos eorum loco, Presbyter aſſiſtens, & Diaconus, ac Subdiaconus Miſſæ. Ultimo Pontifex inter duos Diaconos aſſiſtentes, quem ſequentur Miniſtri inſervientes, de Libro, Candela, Mitra &c. Notandum tamen, quod ſi Celebrans fuerit Archiepiſcopus, Crux ipſius portabitur ante Canonicos paratos tantum, & ante illam portabitur Cereus.

XII. Cum ſic pervenerint ad Fontem, omnes circa eum ſituantur per gyrum, & Canonici in ſcamnis ibidem præparatis, in quibus ſedebunt, & aſſurgent cum Epiſcopo durante benedictione. Subdiaconus cum Cruce, & reliqui Miniſtri prope Fontem, ita tamen, ut faciem Epiſcopi reſpiciant, ſe collocabunt, ibique ſtabunt cum Cereo, Cruce, & Ceroferariis tanquam immobiles. Epiſcopus vero antequam ad benedictionem Fontis procedat, depoſitis, Baculo, & Mitra, ac miniſtrante Librum Presbytero aſſiſtente, cantabit in tono feriali, *Dominus vobiſcum*, & deinde Orationem, *Omnipotens ſempiterne Deus, reſpice &c.* tenens ſemper manus junctas. Hæc autem prima Oratio, ſi Fons Baptiſmalis ſit in Eccleſia, ſeu Capella ſeparata, dicetur in ipſo ingreſſu Eccleſiæ, ſeu Capellæ; ſi autem fuerit in Eccleſia, ubi celebratur, ante cancellos Baptiſterii dicetur.

XIII. Procedens deinde ad benedictionem Epiſcopus, rurſus dicit ſtans ante Fontem, *Dominus vobiſcum*, & ſecundam Orationem, ut in Miſſali; qua dicta elevans vocem in modum Præfationis, proſequitur cantando in tono, ut in Miſſali, *Per omnia ſecula ſeculorum &c.* & cum cantaverit illa verba, *ſumat Unigeniti tui gratiam de Spiritu Sancto*, extendens manum in Fontem, dividit aquam in modum Crucis, dicens, *Qui hanc aquam &c.* manu ſtatim linteo abſterſa; & proſequens cantum ad verba illa, *Non inficiando corrumpat*, aquam manu tangit. Proſequitur inde, & poſt verba, *Indulgentiam conſequatur*, extendens manum facit tres Cruces ſuper Fontem; tum poſt illa verba, *cujus Spiritus ſuper te ferebatur*, manu aquam dividit, & effundit eam verſus quatuor mundi partes in ipſomet Fontem, I. verſus Orientem. II. verſus Occidentem. III. verſus Aquilonem. IV. verſus Auſtrum.

XIV. Inde, abſterſis manibus, & reaſſumto cantu, proſequitur uſque ad verba illa, *baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; tum vero mutat vocem, & proſequitur in tono Lectionis, *Hæc nobis præcepta &c.* & dicto, *Tu benignus aſpira*, halat ter in aquam in modum Crucis, dicens, *Tu has ſimplices &c.* Poſt illa verba, *purificandis mentibus efficaces*, miniſtrante, & adjuvante Diacono aſſiſtente, accipit Cereum, & dimittit paulum in aquam, & reſumens tonum Præfationis dicit, *Deſcendat in hanc plenitudinem Fontis virtus Spiritus Sancti*; Deinde extractum Cereum de aqua, iterum profundius mergit, aliquanto altius repetens, *Deſcendat &c.* Extractum poſtea rurſus Cereum de aqua, tertio immergens uſque ad fundum, altiori adhuc voce repetit, *Deſcendat &c.* ut ſupra; & deinde ſufflans ter in aquam, proſequitur, *totamque hujus aquæ ſubſtantiam regenerandi fecundet effectu*; quo cantato, tollit Cereum de aqua, & proſequitur, *Hic omnium peccatorum maculæ &c.* cujus concluſionem, nempe, *Per Dominum noſtrum &c.* dicit legendo, ut in Miſſali.

XV. Tunc, uti notat laudatus Horatius Chriſtiani, accipitur per Acolythum de ipſa aqua benedicta ex Fonte in vaſe conſueto, & miniſtrante Presbytero aſſiſtente aſperſorium, Epiſcopus ſe aſpergit, & circumſtantes cum dicta aqua benedicta. Mox accepta Mitra Epiſcopus ſedet in Faldiſtorio ibi præparato; Presbyter autem aſſiſtens aſſociatus ab Acolytho vas ferente, aſpergit de ipſa aqua benedicta Canonicos, ac reliquum Clerum, & populum per Eccleſiam. Qui autem aſperguntur ſtabunt capite inclinato, & detecto, atque cum reverenti devotione. Interim unus ex Mini-

Digitized by Google

Miniſtris Eccleſiæ accipit in vaſis ſuis de eadem aqua ex Fonte, aſpergenda in domibus, & aliis locis ſecundum conſuetudinem locorum.

XVI. His peractis, Epiſcopus retinens Mitram accedit iterum ad Fontem, & effundit de Oleo Catechumenorum in aquam in modum Crucis, intelligibili voce dicens, *Sanctificetur &c.* Deinde infundit de Chriſmate, modo quo ſupra dicens, *Infuſio Chriſmatis &c.* Tum accipit ambas ampullas dicti Olei ſancti, & Chriſmatis, & de utroque ſimul in modum Crucis infundendo, dicit, *Commixtio Chriſmatis &c.* Quo dicto, miſcet ipſa Olea cum aqua, & ſpargit manu ſua per omnem Fontem; & inde rediens ad Faldiſtorium ibi ſedet, & lavat manus more ſolito; atque hæc ſunt quæ hoc loco ex Miſſali Romano, & Horatio Chriſtiani, ac aliis etiam deſcribere libuit ad noſtrum Cæremoniale magis, magiſque illuſtrandum. Ceterum ſi Epiſcopus voluerit ipſe baptizare hac die, quod quidem eſſet conveniens, legere ipſum Chriſtiani poterit, & Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ.

§. XIX.

Si Epiſcopus id præſtiterit, eodem ordine redibit ad Altare majus, ubi depoſito Pluviali cum Mitra, procumbit ante illud ſuper Faldiſtorio, & pariter omnes in ſuis locis genuflectunt; & duo Capellani, ſive Cantores genuflexi ante ſcabellum verſus cornu Epiſtolæ retro Epiſcopum, habentes ante ſe Librum inchoabunt Litanias; & ſi aderunt Ordinandi, proſternent ſe per gyrum, dum dicuntur Litaniæ, & alia fient, prout in Pontificali Romano, de Ordinibus dandis, reſpondente Choro, & repetente omnia, quæ ipſi Capellani, ſive Cantores dicunt; & cum perventum fuerit ad Verſiculum, *Peccatores*, Epiſcopus ſurgit, & ibidem ſtans deponit paramenta violacea, & accipit alba, ac Pallium, ſi eſt Archiepiſcopus.

§. XX.

Diaconus autem, & Subdiaconus paulo ante depoſitis Planetis violaceis ante plicatis, aſſumunt Dalmaticam, & Tunicellam albas, ut præſto ſint ad induendum Epiſcopum.

§. XXI.

Interim removentur etiam ab Altari, & Sede Epiſcopi pallia violacea, & accenduntur luminaria. Capellani vero, ſive Cantores jam dicti proſequuntur Litanias uſque in finem, reſpondente Choro, ut ſupra; & in fine cantatur, *Kyrie eleiſon*, cum pauſa convenienti, donec Epiſcopus fuerit in ſua Sede ad cantandum, *Gloria in excelſis Deo &c.*

COMMENTARIUS.

I. PEracta benedictione Fontis, & baptizatis more ſolito ab Epiſcopo, aut a digniore ex Capitulo ſiqui aderunt baptizandi, *eodem ordine* Epiſcopus *redibit ad Altare majus*, in antiquis Cæremonialibus ante hoc noſtrum editis legitur, *ad Capellam*. Tum omnes de Clero, & Canonici parati, exceptis aſſiſtentibus Epiſcopo, pergunt ad Chorum, ubi unuſquiſque ſe in ſuo loco componet: Ceroferarii vero ad credentiam, ubi cereos extingunt; & Diaconus, ac Subdiaconus ad ſua ſcabella, ubi Planetas plicatas deponent. Interim, antequam Epiſcopus redeat ad Altare, junior Cæremoniarum Magiſter educet de Sacriſtia omnes Ordinandos ſingulos ferentes Inſignia ſui Ordinis reſpective, eoſque ordinatim ante Altare collocabit, ut mox infra. Cum igitur Epiſcopus ad Altare pervenerit, ibi *depoſito Pluviali*, per manus ſcilicet Diaconi, & Subdiaconi, qui ſtatim ad ſua ſcabella recedent, *cum Mitra procumbit ante illud ſuper Faldiſtorio*, cum Diaconibus ſcilicet aſſiſtentibus hinc inde; *& pariter omnes in ſuis locis genuflectunt, & duo Capellani &c.*

II. Antequam de hoc Litaniarum ritu dicamus, notandum eſt plane illud, quod de ſitu Ordinandorum in ipſis Litaniis docent Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ Tit. VIII. Cap. I. §. VIII. & Horatius Chriſtiani in ſua Praxi Pontificali ejuſdem Hebdomadæ Majoris, Sectione V. Cap. VII. Ajunt autem, debere tunc Presbyteratu initiandos procumbere contra medium Altaris poſt terga Epiſcopi, Diaconatu ad Epiſcopi dexteram contra cornu Epiſtolæ, & Subdiaconatu ad ejus ſiniſtram contra cornu Euangelii; initiandos vero minoribus Ordinibus, ac prima Tonſura, non quidem procumbere, ſed genuflectere, alium circulum poſt Ordinandos in Presbyteros facientes, ſi locus ſcilicet erit capax, alias pro opportunitate loci, & Cæremoniarii arbitrio. Omnibus ita diſpoſitis, ex noſtro §. XIX. *duo Capellani*,

Digitized by Google

iani, sive Cantores genuflexi ante scabellum versus cornu Epistolæ, retro Episcopum, habentes ante se Librum, inchoabunt Litanias; respondente Choro, *& repetente omnia, quæ ipsi Capellani, sive Cantores dicunt*, Episcopo autem eadem legente, accedentibus ante se Ministris de Libro, & Bugia, ut citatum Memoriale Rituum notat.

III. Esse hunc antiquum ritum, ut post peractam benedictionem Fontis, & collatum Baptismum, atque Confirmationem Litaniæ mane Sabbati Sancti decantarentur, docet nos pervetustus Ordo I. Romanus, Cap. III. in Appendice, sic inquiens: *Deinde Schola jussa facit Letaniam ante Altare, primam septenam; spatio facto, faciunt alteram quinam; intervallo facto, faciunt tertiam ternam*. Triplex itaque hac die cantabatur Litania, septena, quina, & terna, sic dictæ quod primæ invocationes singulæ septies repeterentur; secundæ quinquies; ter tertiæ. Quonam ritu id fieret, ita explicat Ordinarium inclitæ Ecclesiæ Laudunensis: *Dum autem Processio pervenerit in Chorum, cantatur Litania, quæ vocatur septena, & hanc cantant duo Sacerdotes, duo Diaconi, & duo Subdiaconi, unus post alium: post ultimum respondet Chorus. Finita Letania, it Canonicorum Processio ad Fontes, & ibi cantatur Litania, & hæc secunda, & quina. Hanc cantant quatuor de prædictis, similiter unus post alium, & Chorus ultimo. Tunc Episcopus Fontes benedicit. Post benedictionem redit Processio, Cantore, & Succentore iterum Litaniam cantantibus, & hæc trina, & tertia*. Notat ex eo loco Martenius in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXIV. Num. XX. duas in Ecclesia Laudunensi olim ante benedictionem Fontis decantatas fuisse Litanias, tertiam vero ea completa.

IV. Eodem Auctore teste, idem viguit usus in Ecclesiis, Turonensi, Silvanectensi, Catalaunensi, Lemovicensi, Gastinensi. In Lingonensi alius erat Litaniarum Ordo; nam septena primum cantabatur, dum in Sacrario novus ignis benediceretur, quina post pronunciatas Lectiones, terna post benedictos Fontes. In Lugdunensi recitatis ante omnia Lectionibus septena dicebatur Litania, inde sequebatur Cerei Paschalis benedictio, hanc Litania quina, & tandem benedictis Fontibus tertia. In Parisiensi Officium incipiebat a septena Litania, quam tres Diaconi, tresque Subdiaconi Canonici decantabant. Deinde pronunciabat Diaconus Cerei Paschalis benedictionem, postea recitatis in Choro Lectionibus, duo Diaconi cum duobus Subdiaconis quinam Litaniam persolvebant; tertia post Fontis benedictionem cantabatur. Eundem Officiorum ordinem legere est in Bisuntino Pontificali.

V. Hisce similis fere fuit ritus Ecclesiæ Augustunensis, quem ita describit Auctor Vitæ sancti Udalrici Episcopi, Cap. IV. *Ad sacrum Officium solemniter se præparavit, & totum Clerum hora diei Nona cum eo paratum esse destinavit, statimque perlecta trina Letania, Cereoque sanctificato, Lectionibusque, & Tractis consummatis, cum quina Letania, & cum omni honore ad Baptisinum consecrandum ad Ecclesiam S. Joannis Baptistæ perrexit; baptizatisque ab eo tribus pueris, cum septena Litania, regressus est in Sacrarium, ad Missam se præparandum, Clero interim psallente in Choro*. Atque hic nota, quod laudatus Martenius observat, inversum scilicet Litaniarum ordinem; nam septena, quæ primum obtinet aliis in Ecclesiis locum, hic ultimo collocatur, & trina, quæ omnium ultima esse debuerat, initium facit Officii.

VI. Sub finem tertiæ Litaniæ, quæ dicebatur post collatum Baptisma, juxta Ordinem I. Romanum in Appendice Cap. III. *Dum dicitur*, Agnus Dei, *Magister Scholæ dicit excelsa voce*, Accendite, *& tunc inluminatur Ecclesia*. Vetus Ecclesiæ Narbonensis Missale ita ritum ipsum præscribit: *Diaconus stans ante Altare versa facie ad populum cantet ter quod sequitur*, Accendite; *& Chorus respondeat*, Lumen Christi. Accendite. ℟. Lumen Christi. Accendite. ℟. Deo gratias. Ex Missali Antissiodorensi, *finita ultima Litania, incipit Cantor, vel Sacerdos alta voce*, Agnus Dei; *mox puer in albis incipit alta voce*, Accendite; *Rursum Cantor altissima voce*, Agnus Dei &c. *Item puer altissima voce*, Accendite; *& finita Litania, omnes Cerei accenduntur, & statim Cantor, vel Succentor, incipit pro Officio Missæ alta voce*, Kyrie eleison. *Tunc primum*, ut vulgatus Alcuinus ait, *illuminantur omnes Cerei Neophytorum, quos manibus tenent, demonstrantes hoc, quod per illum Agnum, qui tollit peccata mundi, unusquisque lumen accipere debeat*.

VII. Placuit hæc describere, ne antiqui Ritus ignorarentur; nam alias quantum ad nostrorum Paragraphorum Rubricas, præsertim quod Litanias spectat, hæc habet in suo Romano Ordine Amelius, Cap. XXX. *Completis Orationibus, Lectionibus, & Tractis, Subdiaconus Tunicella alba, ut prædicitur, indutus vadit ad pulpitum, ubi Lectiones lectæ fuerunt, & ibi cantando dicit Letaniam, & respondetur sibi per omnes qualibet vice, verba ipsius Subdiaconi, & in eadem nota repetendo. In principio Letaniæ, Papa deposito Pallio, spinellis, & Planeta, descendit de Sede prædicta, & vadit ad Cathedram coram Altari paratam cum scabello, & pulvinari, Mitram prædictam tenens in capite, & ibi stat genibus flexis, quousque perveniatur ad locum, ubi dicitur*, Peccatores te rogamus audi nos. *Tunc vero Papa surgens vadit ad aliam Cathedram longe ab Altari paratam, vel ad Revestiarium, si sit, & depositis paramentis violaceis prædictis, induitur ipse Papa paramentis albis, & solemnibus per Diaconum Cardinalem, qui Euangelium est dicturus*. Additque mox, debere quidem ipsum Diaconum paramentis albis esse indutum, quando induit Papam, prout erat in Cerei benedictione. His adde quæ scribit Patricius in suo Cæremoniali Capellæ Pontificiæ, Lib. II. Sectione I. Cap. LX.

VIII. Ergo consentanee ad ritum Pontificiæ Capellæ, in §. nostro XIX. edicitur, quod *cum perventum fuerit ad Versiculum*, Peccatores, *Episcopus surgit, & ibidem stans deponit paramenta viola-*

Digitized by Google

violacea, *& accipit alba*, *ac Pallium*, *ſi eſt Archiepiſcopus*. Nempe, ſurgit Epiſcopus, recedentibus Diaconis aſſiſtentibus inter Canonicos in Choro, & accedens ante Altare, ut notant Memoriale Rituum, & Horatius Chriſtiani, deponit Mitram, & Stolam violaceam, & accipit paramenta Miſſalia alba, miniſtrantibus Diacono, & Subdiacono paratis; qui tunc, & non prius ad Epiſcopum accedunt cum aliis Miniſtris paratis. Hinc ipſi Diaconus, & Subdiaconus, *ut præſto ſint ad induendum Epiſcopum*, ex præſcripto noſtri §. XX. *paulo ante depoſitis Planetis violaceis ante plicatis*, ideſt, cum dictum fuerit in Litaniis, *Sancta Maria ora pro nobis*, ſurgentes recedunt ad Sacriſtiam, ubi depoſitis violaceis Planetis, *aſſumunt Dalmaticam*, *& Tunicellam albas*, imo Diaconus & Stolam, ſine Manipulis. Porro non omittendum, quod dicitur in §. XIX. de Pallio accipiendo, *ſi eſt Archiepiſcopus*, fuiſſe adjunctum ipſi §. noſtro, in novo Cæremoniali a Benedicto XIII. edito, ubi etiam correctum eſt illud, quod in §. XX. habetur, *ad induendum Epiſcopum*; legebatur enim in Cæremonialibus antiquis, *ad adjuvandum Epiſcopum*.

IX. Quamquam in his Paragraphis nihil de Canonicis dicatur, ipſi pariter, dum paratur Epiſcopus, in ſuis locis, violaceis paramentis depoſitis, accipiunt alia albi coloris; cumque fuerint omnes parati, iterum genuflectunt, ut prius; Diaconus vero hinc inde cum Epiſcopo poſt acceptos ibidem Manipulos. Rurſus ex §. XXI. præſcripto *interim* (cum ſcilicet in Litaniis, *Peccatores*, cantatur, ut Memoriale Rituum notat) *recedunt ab Altari*, *& Sede Epiſcopali pallia violacea*, interioribus albis detectis; *& accenduntur luminaria*, in Altari ſcilicet, in Abaco, & in Tribuna: *Capellani vero*, *ſive Cantores jam dicti proſequuntur Litanias uſque in finem*, *reſpondente Choro*, *ut ſupra*; ſed ſciendum hic tamen, quod ſi adſint Ordinandi, tunc repetito per Chorum eo Litaniarum Verſiculo, *Ut omnibus Fidelibus defunctis &c.* Epiſcopus ſurgit cum Mitra, & vertit ſe ad Ordinandos procumbentes, & tenens manu ſiniſtra Baculum Paſtoralem, eoſdem ter benedicit dicens, *Ut hos Electos &c.* ut in Pontificali Romano, aſtantibus Miniſtris de Libro, & Bugia. Hoc facto, Epiſcopus iterum procumbit, Cantoreſque Litanias proſequuntur; *& in fine*, ut ait idem noſter §. *cantatur*, Kyrie eleiſon, *cum pauſa convenienti*, *donec Epiſcopus fuerit in ſua Sede ad cantandum*, Gloria in excelſis Deo &c.

X. Terminantur itaque Litaniæ ad illum Verſiculum, *Chriſte exaudi nos*, incluſive; quo dicto, & repetito, omnes ſurgunt, & Ordinandi ad modum coronæ diſponuntur in gyrum in locis ſuis, ubi ſtabunt, & genuflectent, quando opus fuerit, uti Horatius Chriſtiani tradit. Scite autem notat Mabillonius in Commentario ad Ordinem Romanum, Pag. XLI. probatque ex ipſis Ordinibus Romanis, morem olim fuiſſe, ut in iis Miſſis, quæ Litanias ſubſequebantur, *Kyrie eleiſon* omitteretur; *ob eam videlicet cauſam*, *quod in Litaniis jam cantatum fuiſſet*. Ex Cæremoniali Patricii loco citato, finita Litania, *Cantores cantant*, Kyrie eleiſon, *quouſque Papa fuerit in Sede eminenti ad cantandum* Gloria &c.

§. XXII.

Epiſcopus poſtquam eſt albis paramentis paratus, facit Confeſſionem cum Miniſtris more ſolito, aſcendit ad Altare, illudque, ac Librum Euangeliorum oſculatur, imponit incenſum in thuribulum, & benedicit, incenſat Altare, & incenſatur ipſe a Diacono, & revertitur ad ſuam Sedem, ubi dicto *Kyrie eleiſon*, cantat *Gloria in excelſis Deo &c.*

§. XXIII.

Tunc pulſantur Campanæ, & Organum, & prius debent moneri aliæ Eccleſiæ Civitatis, ne pulſent Campanas, niſi prius audito ſigno Campanarum Eccleſiæ Cathedralis.

COMMENTARIUS.

I. NOtum plane omnibus eſt, conſtatque ex Miſſæ ipſius Officio, Miſſam, quæ a Seculo circiter XII. mane Sabbati Sancti celebratur, ad noctem Dominicæ Reſurrectionis reſpicere; teſte etenim S. Innocentio I. Pontifice Maximo in Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, Feria Sexta in Paraſceve, & Sabbato Sancto, traditio Eccleſiæ eſt, Sacramenta penitus non celebrari. Hinc antiqui Sacramentorum Codices, Gellonenſis, Remenſis, Noviomenſis annorum circiter mille, itemque Turonenſis, Dionyſianus ante annos DCCC. ſcripti cum aliis pluribus ſequioris ævi, non ante volunt Miſſam inchoari, quam *appareat una ex ſtellis in Cælo*. Forte quod Seculo XI. relaxari inciperet mos antiquus, Concilium Rotomagenſe anno Chriſti MLXXII. ſtatuit, *ut in Sabbato Paſchæ Officium ante Nonam non incipiatur*; ob eam ſcilicet rationem, quam mox ſubdit, & quam nos non uno in loco explicuimus: *Ad noctem enim Dominicæ Reſurrectionis reſpicit*, *ob cujus reverentiam*, Gloria in excelſis Deo, *&* Alleluja *cantatur*.

II. Porro tanta Rituum diverſitas, atque prolixitas, qui tunc peragendi erant, Officium ad

Digitized by Google

ad multam noctem protrahere ſolebat, adeo ut non ante populus dimitteretur, quam media ſua parte tranſacta foret, uti obſervat Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina*, Cap. XXIV. Num. XXXIV. ubi affert celebrem locum S. Hieronymi, qui in Commentario ſuper Euangelium S. Matthæi, eum ritum ex Apoſtolica traditione proveniſſe affirmat, ubi ita inquit: *Traditio Apoſtolorum, & Judæorum eſt, Chriſtum media nocte venturum in ſimilitudinem Ægypti temporis: unde & reor traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, ut die Vigiliarum Paſchæ, ante noctis medium populos dimittere non liceat, expectantes adventum Chriſti*. Idem docent Amalarius Lib. I. Cap. XVI. & vulgatus Alcuinus, ac alii Scriptores, qui hunc S. Hieronymi locum citant, Sed non omittendus locus ex Sermone CCXIX. quem in hujus noctis Vigiliis habuit S. Auguſtinus: *Quanto ergo alacrius in hac Vigilia velut matre omnium ſanctarum Vigiliarum vigilare debemus, in qua totus vigilat mundus*. Cui adde locum alius Sermonis CCXXVIII. quem idem ſanctiſſimus Præſul ipſo Paſchatis die ad populum, & ad infantes habuit, ſic inquiens: *Poſt laborem noctis præteritæ, quoniam etſi ſpiritus promtus eſt, caro tamen infirma, diu vos tenere ſermone non debeo*.

III. Inter alios præclariſſimos Ritus, qui in nocte ipſa peragebantur, perquam ſolemnis fuit Ritus Miſſæ præ ornamentis, præ cantu lætitiæ, decorationibus, illuminationibus, thurificationibus, Campanarum ſonitu, Organorum concentu, aliiſque Feſtivitatis, & exultationis publicæ ſignis. In Miſſa iſta omittitur Introitus, quippe qui ſemper omittebatur, quando Miſſa immediate ſubſequebatur Officium, quoniam Cœtus omnis in reditu a Fontibus jam congregatus erat. Introitus autem, uti obſervat Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. LXXI. in id ſolum inſtitutus erat, ut populos occuparet, dum Celebrans veniebat ad Altare, & quia de Fontibus ad Altare tranſibat, dum canerentur Litaniæ, vel *Kyrie*, ideo intonatur ſtatim *Gloria in excelſis &c.* eſtque hic antiquus Ritus, cujus meminit Ordo I. Romanus, Cap. VII. *Litania expleta, dicit Pontifex*, Gloria in excelſis Deo; *deinde legitur Epiſtola &c.* Ex Ordine XV. Romano, Cap. LXXX. *Finito novies per Cantores*, Kyrie eleiſon, *Papa ſurgit*, de Sede ſcilicet ſua, *& depoſita ſibi Mitra per Diaconum Cardinalem, qui ſtat a dexteris, incipit ſolemniter*, Gloria in excelſis Deo.

IV. Quædam ſunt, quæ & de hoc Hymno decantando hac die nos adnotemus, ſed ut cum methodo procedamus, explicandum illud eſt primo, quod ait Rubrica noſtri §. XXII. *Epiſcopus*, inquit, *poſtquam eſt albis paramentis paratus, facit Confeſſionem cum Miniſtris more ſolito*; ideſt, accedentibus Presbytero, & Diaconis aſſiſtentibus, ſurgit Epiſcopus, acceditque ad Altare una cum aliis Miniſtris, & ibi depoſita Mitra per Diaconum Euangelii, dicit Pſalmum, *Judica me Deus &c.* cum *Gloria Patri &c.* & facit cum ipſis Confeſſionem, quam pariter Canonici in Choro, & Ordinandi ſtantes, ubi in Litaniis procumbebant, ad invicem bini facient, ut notat Memoriale Rituum Majoris Hebdomadæ, Tit. VIII. Cap. II. §. IX. Horatius Chriſtiani in ſua Praxi Pontificali ejuſdem argumenti, Sectione V. Cap. VII. & alii. Facta Confeſſione, accipit Epiſcopus Manipulum de more, & ut ait idem noſter §. *aſcendit ad Altare, illudque, ac Librum Euangeliorum oſculatur, imponit incenſum in thuribulum, & benedicit, incenſat Altare*, more ſcilicet ſolito; Altarique thurificato, accipit Mitram pretioſam, *& incenſatur ipſe a Diacono, & revertitur ad Sedem ſuam*; cum Presbytero ſcilicet, & Diaconis aſſiſtentibus, facta reverentia Altari, vadit ad Sedem Pontificalem, ibique depoſita Mitra, ſtans dicit cum Miniſtris ipſis ſibi aſſiſtentibus, *Kyrie eleiſon*; quod etiam dicunt in ſuis locis Diaconus, & Subdiaconus, & ſimiliter Canonici, & Ordinandi parati in ſuis ſcilicet locis bini.

V. Si in Choro terminatus non fuerit cantus, *Kyrie eleiſon*, ſedebit Epiſcopus in Pontificali Sede, & Gremiale accipit; terminato autem ultimo *Kyrie*, depoſito Gremiali, ſed retenta Mitra, ac Baculo Paſtorali accepto deſcendit ad Altare, ibique in Faldiſtorio veſtibus albis cooperto, & in Altaris medio præparato, ſedet cum Mitra, & Gremiali renibus Altari verſis inter Diaconum a dexteris, & Subdiaconum a ſiniſtris, Archidiacono, ſeu aſſiſtente Presbytero in ſuo ſcabello in plano ad cornu Euangelii, aſſiſtentibus Diaconis in Choro ſedentibus. Tum proceditur ad Ordinationem Clericorum, de qua fuſe diſſeruimus Tomo I. Commentariorum in I. Partem Romani Pontificalis, initiatiſque Clericis prima Tonſura, ſurgit Epiſcopus cum Mitra, acceptoque Baculo paſtorali, revertitur ad ſuam Sedem Pontificalem cum Presbytero, & Diaconis aſſiſtentibus, ibique ſtans ſine Mitra, & miniſtrante aſſiſtente Presbytero Librum, & Bugiam cum candela Miniſtro de illa, *cantat*, ideſt, intonat, *Gloria in excelſis Deo*, quem proſequitur private cum Aſſiſtentibus, prout etiam faciunt Diaconus, & Subdiaconus, & Canonici parati, atque Ordinandi in Sacris, omnes bini.

VI. Hymnum ipſum ab Epiſcopo celebrante intonatum proſequitur Chorus, vel Muſici cum Organo, & tunc etiam pulſantur Campanæ juxta antiquum ritum Pontificiæ Capellæ, cujus meminit in ſuo Ordine XV. Romano Amelius Cap. LXXX. ubi de ipſo Hymno loquens intonato per Papam in ſolemni Miſſa hujus diei, ita inquit. *Tunc pulſatur magna Campana*; ſive, ut ait in ſuo Cæremoniali Patricius, *ſtatim pulſantur Campanæ Palatii, & aliæ omnes per Urbem*. Hinc antiquus eſt ritus, & ab ipſa Pontificia Capella acceptus, quem præſcribit §. noſter XXIII. ne ſcilicet aliæ Eccleſiæ Civitatis pulſent Campanas, niſi prius audito ſigno Campanarum Eccleſiæ Cathedralis; monendas eſſe prius de eo ait ipſas Eccleſias, idque confirmari etiam poteſt ex Craſſo, qui in ſuo Cæremoniali Lib. II. Cap. XLVIII. ubi enarrat ritus Officii, & Miſſæ Sabbati Sancti, ita ad rem ait: *Indicto prius omnibus Eccleſiis Civitatis man-*

Digitized by Google

dato pœnali, ut nulla incipiat pulſare Campanas, priuſquam audiverit Eccleſiam Cathedralem ſonaſſe; nam ipſa tanquam mater debet primo gaudere, & deinde aliæ tanquam filiæ, & miniſtræ minores ſecum congaudere. Sane extat de ea re conſtitutio Leonis Papæ X. qua prohibentur ceteræ Eccleſiæ pulſare Campanas mane Sabbati Sancti, ante ſonitum Campanarum Eccleſiæ Cathedralis, vel Matricis.

VII. Idipſum jam non ſemel, ſed iterum atque iterum declaravit Sacra Rituum Congregatio, præſertim vero in Oriolen. XI. Aprilis anni MDCI. in Marſicen. XXI. Martii anni MDCIX. in Venuſina XXX. Decembris MDCXIV. & XIV. Novembris MDCXV. in Syracuſana III. Junii MDCXVII. & alia Syracuſana Modicæ XXIII. Februarii MDCXIX. uti videre eſt apud Novarium in Lucerna Regularium verbo *Campana*, & apud Barboſam Lib. III. *De jure Eccleſiaſtico univerſo*, Cap. III. Num. LXIX. Idque tam in Eccleſiis ſecularibus, quam Regularibus etiam S. Joannis Hieroſolymitani, etiam prope, & extra muros exiſtentibus, & etiam in Eccleſiis Confratrum, ex Decreto ejuſdem Sacræ Congregationis in Placentina XXI. Auguſti MDCIV. & in Meliten. VI. Decembris MDCXXI. imo etiamſi adſit Eccleſia Collegiata, quæ habeat omnimodam præcedentiam ſupra Matricem Eccleſiam, ut ipſa Sacra Rituum Congregatio decidit in dicta Syracuſana Modicæ XXIII. Februarii MDCXIX. Ceterum in aliis diebus præter Sabbatum Sanctum pulſari poſſe indifferenter Campanas ante vel poſt pulſationem in Eccleſia Cathedrali, vel Matrice, niſi forte adeſſet conſuetudo in contrarium, ex variis ejuſdem Sacræ Rituum Cougregationis Decretis deciſum habemus a nobis jam alias allatis, & videri poſſunt apud laudatum Barboſam in Summa Apoſtolicarum Deciſionum Collectan. LXXXII.

VIII. Sed ut alia quædam de Miſſa hujus noctis hic adnotemus ex vario Eccleſiarum more, ſciendum eſt, quod licet ex præſcripto veterum Ordinariorum, & Librorum Miſſalium dicendus ſit in hac Miſſa Hymnus Angelicus, nempe, *Gloria in excelſis Deo &c.* ad quem etiam ex Miſſalis Sarisberienſis genuflectebant omnes *exuentes Cappas nigras*, ex Miſſali tamen Ambroſiano minime ipſe Hymnus dicitur; eſt autem curioſus ritus, quem idem Miſſale circa Miſſam præſcribit: *Sacerdos*, inquit, *facta ſolito more Confeſſione, antequam Miſſam incipiat, debet accipere Calicem cum Patena, & dicere ter alta voce*, Chriſtus Dominus reſurrexit, *in tono*, *Choro reſpondente per ſingulas vices*, Deo gratias; *videlicet*, *primo ad cornu Altaris ſiniſtrum*. Quidquid ſit de hoc ritu, commendandus plane eſt uſus complurium inſignium Eccleſiarum, in quibus Altare, præſertim majus magnificentiſſime paratum, in quo ſolemniter hac die celebratur, non prius detegitur, quam intonato per Epiſcopum, *Gloria in excelſis Deo*, & tunc etiam diſcooperiuntur Sacræ Imagines aliorum Altarium, & accenduntur in Altaribus ipſis candelæ; licet in aliis Eccleſiis contrarium ſervetur, in quibus, ubi in Litaniis Cantores dicunt Verſiculum, *Peccatores*, ea Imaginum detectio fiat, ut alias omittam in quibus vel initio functionum hujus diei ſacræ ipſæ Altarium Imagines diſcoopertæ conſpiciuntur; quod tamen non laudo.

§. XXIV.

Finito Hymno, *Gloria in excelſis Deo &c.* per Cantores, Epiſcopus ſurgens ſine Mitra, dicit verſus populum, *Pax vobis*; deinde Orationem, *Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem &c.*

COMMENTARIUS.

I. ANgelico Hymno cantato, *Epiſcopus ſurgens ſine Mitra dicit verſus populum*, Pax vobis, *deinde Orationem &c.* Eſtque is antiquus Capellæ Pontificiæ ritus, quem ita enarrat Romanus Ordo XV. Petri Amelii, Cap. LXXX. *Quo cantato, ſurgit, & Mitra depoſita, ut ſupra, dicit*, Pax vobis, *& reſpondentibus omnibus*, Et cum ſpirtu tuo, *dicit*, Oremus &c. Tradit autem Durandus Lib. VI. ſui Rationalis, Cap. LXXXV. Num. III. præmitti conſueviſſe in aliquibus Eccleſiis ipſi Orationi, *Dominus vobiſcum*, non vero, *Pax vobis*, ob eam ſcilicet rationem, quam mox inferius ſubjicit, Num. VI. *Non datur etiam Pax in deteſtationem oſculi proditoris, & quia Chriſtus, qui eſt vera pax noſtra, nondum pacem nuntiavit, quia nondum ſurrexit, qui in die Reſurrectionis Apoſtolis ait*: Pax vobis. *Unde forte hic modus ſalutationis ſcilicet*, Pax vobis, *ab Epiſcopo in principio hujus Miſſæ non dicitur, licet differtur, ut novam ſalutationem in die Reſurrectionis ſuæ, populus affectuoſius amplectatur*. Similia & alii Scriptores obſervant.

II. Quamquam vero is fuerit ritus quarundam Eccleſiarum, teſtatur autem idem Durandus, quod *in aliquibus tamen Eccleſiis Pax datur, eo quod*, Gloria in excelſis *cantatur*. Eſt quoque Craſſus tenax ejus opinionis, ut in hac Miſſa omnino ante Orationem dicatur, *Dominus vobiſcum*, non vero, *Pax vobis*, ita inquiens Lib. II. ſui Cæremonialis, Cap. XLVIII. *Ante Orationem non* Pax vobis, *ſed* Dominus vobiſcum *dicetur, etiamſi Prælatus celebret. Nam in hac die Sabbati Sancti, qua Chriſtus nondum figuratur Apoſtolis nuntiaſſe*, Pax vobis, *ſingulare eſt*. Conatur mox ſuam ipſius ſententiam auctoritate S. Gregorii Papæ conſtabilire, allato etiam teſtimonio Innocentii III. *Inſuper refert Innocentius Papa Tertius, ante beatum Gregorium nunquam conſueviſſe prius dici*, Pax vobis, *in Feſtis Paſchalibus, quam Feria ſecunda, quia tunc Chriſtus eo verſu ſalutavit*

Digitized by Google

tavit Apoſtolos: *beatus autem Gregorius inſtituit, ut die Paſchæ, non Sabbato diceretur*, Pax vobis.

III. Hiſce autem minime obſtantibus, tenenda eſt Regula in noſtro §. præſcripta, quæ etiam jam pluribus ab hinc ſeculis in Pontificia Capella ſervatur, uti præter laudatum ſuperius locum Romani Ordinis XV. teſtatur quoque in ſuo Cæremoniali Patricius, qui etiam monet, unam tantum dicendam eſſe Orationem, nempe, *Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem &c.* cujus inter alios meminit Durandus, diciturque in hac Miſſa ex antiquo ritu, uti ex priſcis Miſſalibus, & Ordinariis conſtat. Non dicitur ad Orationem, *Flectamus genua*, quemadmodum dicitur in Orationibus, quæ Prophetias ſubſequuntur, quia Lectiones illæ ad Quadrageſimam ſpectare cenſebantur, & Miſſa ad Feſtum Paſchatis pertinebat; ac propterea, uti ſuperius notatum fuit, omiſſis violaceis paramentis, alba ſumuntur. Porro, ut aliquid de Ordinatione dicamus, cantato Hymno, Epiſcopus, depoſito Gremiali, ſurgit, & accepto Baculo redit ad Faldiſtorium, in eoque ſedet, & ordinat Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, atque Acolythos. Tum ſurgens cum Mitra, acceptoque iterum Baculo, revertitur ad Sedem Pontificalem cum ſolitis ſuis Aſſiſtentibus, & Miniſtris; relictoque Baculo in manu Miniſtri, ac depoſita Mitra, ſtans verſus populum cantat, *Pax vobis*. Inde, miniſtrante Librum Presbytero aſſiſtente, & Miniſtro de Bugia candelam, cantat Orationem, *Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem &c.* & aliam pro Ordinandis, *Exaudi quæſumus Domine &c.* ſub una tantum concluſione. Dicta autem Oratione, revertitur eodem modo ad ſuum Faldiſtorium, & facit Ordinationem Subdiaconorum; tum ſurgens, ut alias, ad Sedem Pontificalem pergit, ubi miniſtrantibus Librum, & Candelam ſolitis Miniſtris, legit private Epiſtolam ſedens cum Mitra, Subdiacono ex noviter Ordinatis, factis prius debitis reverentiis Epiſcopo, & Altari, aſſociato ab uno ex Acolythis, eandem Epiſtolam in ſolito loco cantante.

§. XXV.

Finita Epiſtola, Subdiaconus, dimiſſo Libro in manu Cæremoniarii, immediate accedens ante Sedem Epiſcopi, clara voce dicit, *Reverendiſſime Pater, annuncio vobis gaudium magnum, quod eſt Alleluja*, & ſtatim accedens, oſculatur ejus manum. Tunc is, cui ex officio id incumbit, vel aliquis Canonicus, præintonat Epiſcopo *Alleluja*; qui ſurgens ſine Mitra, ter cantat, *Alleluja*, ſemper elevando vocem gradatim; & Chorus poſt quamlibet vicem repetit illud idem; & poſtea Chorus proſequitur Verſiculum, *Confitemini Domino &c.* Tunc Epiſcopus ſedet, & proſequitur Miſſa, prout in Miſſali, ſervatis omnibus Cæremoniis, quæ late explicatæ ſunt in prædicto Capite VIII. Lib. II. Ad Euangelium non portantur luminaria, ſed incenſum tantum, & petitur benedictio. Dicitur *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, ſed non datur pacis oſculum, nec dicitur, *Agnus Dei &c.* nec Poſtcommunio, ſed tres Orationes ante Communionem dicuntur.

COMMENTARIUS.

I. EPiſtola finita, ex præſcripto Romani Ordinis XV. *immediate idem Subdiaconus inclinando ſe aliquantulum ante Papam dicit cantando plana voce*, Annuncio vobis gaudium magnum, videlicet, Alleluja, *& nihil ei reſpondetur; & vadit ad oſculandum pedes Papæ; quo facto, ſtatim Papa ſurgit, & ille Subdiaconus, vel Capellanus Papæ alta voce incipit ſemel tantum coram Papa cantando*, Alleluja; *& Papa ſtando, & Mitra depoſita, ipſum* Alleluja *cantando, ter incipit, ſecunda vice altius, & in tertia altius vocem elevando, & qualibet vice immediate poſt Papam Chorus repetit cantando*, Alleluja; *quo* Alleluja *cantato, ut præmittitur, duo Cantores ſolemniter cantant Verſum*, Confitemini Domino. *Deinde cantatur Tractus*, Laudate Dominum omnes Gentes.

II. Hæc in laudato Romano Ordine Amelius, eademque apud alios Auctores leguntur, ac præſertim in pervetuſto Romano I. Ordine, ubi expreſſa ejus Ritus mentio fit dicendi poſt Epiſtolam, *Alleluja*, Verſiculum Pſalmi CVI. *Confitemini Domino &c.* & pro Tractu Pſalmum CXVI. *Laudate Dominum omnes Gentes &c.* Cur in hac Miſſa non dicatur Graduale, ſed *Alleluja*, & Tractus, myſtice exponit poſt alios in ſuo Rationali Durandus. Ex eo autem, quod dicitur *Alleluja*, & illico Tractus, Sanctus Petrus Damiani eorum opinionem refutat, qui ſolvere ſe poſſe jejunium credebant, poſtquam dictum eſſet *Alleluja*, affirmans Lib. VI. Epiſtola XXXV. per ſubſequentem Tractum Miſſam pœnitentiæ denotari: *Miſſa ſimul Quadrageſimalis eſſe videtur, atque Paſchalis, dum, poſtquam* Alleluja *canitur, mox Tractus, qui Quadrageſimæ proprius eſt, adhibetur*. Verum, uti notat Grancolas, obſervatio iſta non habet locum, niſi poſtquam hora, & ordo hujus Miſſæ inverſus eſt.

III. Quantum ad Diaconorum Ordinationem, ubi Subdiaconus, cantata Epiſtola, & annunciato *Alleluia* Epiſcopo, ut in noſtro §. accedens ad eum, oſculatus eſt manum illius cum debitis

Digitized by Google

bitis reverentiis, & ad locum ſuum receſſit, Epiſcopus mox e ſua Pontificali Sede revertitur ad Faldiſtorium, & Diaconorum ordinationem peragit; qua finita, redit ad Sedem Pontificalem; & *tunc is, cui ex officio incumbit*, ut ait §. noſter, *vel aliquis Canonicus, præintonat Epiſcopo* Alleluja; *qui ſurgens ſine Mitra*, miniſtrantibus ſcilicet ſolitis Miniſtris Librum, & Bugiam cum candela, *ter cantat* Alleluja, *ſemper elevando vocem gradatim, & Chorus poſt quamlibet vicem repetit illud idem*. Sedet deinde Epiſcopus cum Mitra, & Gremiali, ut notat Horatius Chriſtiani in ſua Praxi Sectione v. Cap. xv. & repetito jam tertio *Alleluja*, proſequitur, cantando Verſiculum, *Confitemini Domino &c.* & poſt Verſiculum, quia hodie Graduale non dicitur, cantat primam partem Tractus uſque ad Verſiculum, *Quoniam &c.* excluſive. Interim accedunt Miniſtri de Libro, & Bugia cum candela, & Epiſcopus ſedens legit private dictum Verſiculum, & Tractum.

IV. Cantato per Chorum Tractu uſque ad Verſiculum, uti jam dictum eſt, Epiſcopus iterum pergit ad Faldiſtorium, & ordinat Presbyteros, revertenſque ad Sedem Pontificalem, ibidem ſedet cum Mitra, & tunc Chorus cantat Verſiculum Tractus, *Quoniam confirmata eſt &c.* Accedentibus autem ad Epiſcopum Miniſtris de Libro, & Candela, ipſe private legit dictum Verſum Tractus, & Euangelium more ſolito. Interim Diaconus ex noviter ordinatis portat Librum ad Altare, & inde pergit ad oſculum manus Epiſcopi; redit mox iterum ad Altare, & dicit, *Munda cor meum &c.* Epiſcopus vero, miniſtrante Presbytero aſſiſtente naviculam, imponit, & benedicit incenſum in thuribulo. Mox Diaconus petit benedictionem, & in loco ſolito Euangelium decantat. Ex præſcripto noſtri §. *ad Euangelium non portantur luminaria*; eſtque & hic pervetuſtus Ritus, ut ad Evangelium hujus Miſſæ non portentur luminaria, ſed incenſum tantum: *Ante Euangelium non portant lumen in ipſa nocte, ſed incenſum*. Verba ſunt Romani I. Ordinis, ejuſque ritus mentionem paſſim faciunt Codices antiqui Miſſarum, ac varia Eccleſiarum Ordinaria, & priſci Auctores, inter quos hæc habet Amalarius: *Ut opinor, propter mulierum imitationem, dicit Romanus Libellus, non portari hac nocte ante Euangelium aliud, niſi thymiama &c.*

V. Ait Grancolas, ideo non deferri luminaria ad Euangelium, *quia Eccleſia toto noctis officio illuſtrata erat*; ſed hæc opinio facile refellitur ex celebri S. Hieronymi teſtimonio adverſus Vigilantium ad lumina hæc cæcutientem ita ſcribentis: *Per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Euangelium, accenduntur luminaria jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum &c.* Si itaque ex antiquo ritu, *ſole rutilante*, accendebantur lumina ad Evangelium, ad varia ſcilicet ſignificanda myſteria, quæ ibidem S. Doctor laudatus innuit, dici etiam poteſt, non quia hac nocte illuminata erat Eccleſia, non fuiſſe delata ad Euangelium lumina, ſed ob myſticas ſignificationes, quas varii Auctores enarrant, inter quos Craſſus hanc affert rationem: *quia adhuc non figuratur Chriſtus in lucem apparuiſſe*.

VI. Sed hiſce omiſſis, cantato Euangelio, Subdiaconus portat Librum deoſculandum Epiſcopo, qui poſtea incenſatur a Presbytero aſſiſtente. Tum Epiſcopus, quod *Credo*, in hac Miſſa non dicitur, poſtquam fuit thurificatus, cantat, *Dominus vobiſcum*, ſed non dicitur Offertorium, & quidem ex antiquo ritu, cujus inter alios meminit in ſuo Ordine xv. Romano Petrus Amelius. Ergo, dicto *Dominus vobiſcum*, Epiſcopus cum Mitra, & Baculo procedit ad Faldiſtorium ante Altare in medio poſitum, & aſſiſtentibus Diaconis recedentibus inter Canonicos, in Faldiſtorio ſedens, cum Presbytero, & Diacono, ac Subdiacono, & accipit oblationem ab ordinatis, qui accedunt bini ante Epiſcopum; coram quo genuflexi, offerunt illi ſuum quiſque Cereum cum oſculo Cerei prius, ac deinde manus Epiſcopi, de quo ritu nos fuſe alias.

VII. Accepta oblatione Epiſcopus depoſitis Annulo, & Chirothechis, lavat manus de more, & reaſſumto anulo Mitram deponit, ac ſurgit, amotoque Faldiſtorio, proſequitur Miſſam, Diaconis Aſſiſtentibus ante Altare ſtantibus, ut in aliis Miſſis; Presbyteri vero noviter ordinati, in plano poſt Epiſcopum, vel hinc inde, ubi magis commodum fuerit, genuflectunt, ſcamna oblonga pannis cooperta ante ſe habentes cum Miſſalibus, ut dicere poſſint omnia cum Epiſcopo, juxta ritum jam a nobis fuſe explicatum Tomo I. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XII. *De Ordinatione Presbyteri*. Proſequitur ergo ſimul cum ordinatis Presbyteris Epiſcopus Miſſam, in qua pro ordinatis omnibus communicandis conſecrabuntur Particulæ in Pyxide. Porro Secretæ moroſe, & aliquantulum alte ab Epiſcopo dicendæ ſunt, ut ordinati ſcilicet Presbyteri poſſint omnia diſtincte dicere, præſertim verba conſecrationis, quæ dici in eodem momento debent, quo per Epiſcopum proferuntur. Servatis tandem Cæremoniis, ut in aliis Miſſis, quæ late explicantur ſupra in Cap. VIII. ex præſenti noſtro §. *dicitur* Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, *ſed non datur Paçis oſculum, nec dicitur* Agnus Dei &c. *nec Poſtcommunio ſed tres Orationes ante Communionem dicuntur*. Idem plane docet in ſuo Cæremoniali Patricius.

§. XXVI.

Poſt Communionem Epiſcopus, facta purificatione, lavat manus, redit ad Sedem, & Chorus incipit *Alleluja* pro Veſperis, Epiſcopo ſedente.

§. XXVII.

Digitized by Google

§. XXVII.

Ad *Magnificat*, Subdiaconus præintonat ei Antiphonam, quam ſurgens repetit; deinde ſedet cum Mitra, & imponit incenſum more ſolito. Cum inchoatur *Magnificat*, Epiſcopus deſcendit ad Altare, & depoſita Mitra, facit Cruci reverentiam, oſculatur Altare, & illud incenſat: mox revertitur ad Sedem, & incenſatur ipſe, & alii, more conſueto; & ipſe ſtans ſine Mitra, expectat finem Cantici *Magnificat*.

§. XXVIII.

Cum repetitur Antiphona, ſedet, accepta Mitra; & ea finita, deſcendit ad Altare, dicit, *Dominus vobiſcum*, & Orationem; & Diaconus, *Ite Miſſa eſt*, cum duplici *Alleluja*: datur benedictio, publicantur Indulgentiæ, ut alias.

COMMENTARIUS.

I. Licet hodie ſolus Celebrans in hac Miſſa communicet, niſi ſcilicet adſint noviter Ordinati, qui & ipſi etiam hodieque communicant, ut infra dicemus, olim tamen vel parvuli baptizati in Miſſa ipſa communicabant: *Illud autem de parvulis providendum eſt*, ait Ordo I. Romanus Cap. VII. *ut poſtquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, antequam communicent Sacramento Corporis Chriſti*. Juxta antiquum morem ſolebat in hac Miſſa infundi in Calicem Sanguinis Jeſu Chriſti, quem bibituri erant, lac, & mel, quod ſimul cum vino in Sacrificium offerebatur, dabaturque Neophytis, ut eos tanquam infantes deſignarent lacte, & melle nutriendos, juxta illud S. Petri dictum in Epiſtola I. Cap. II. *Quaſi modo geniti infantes ... lac concupiſcite*.

II. Cur in ſacratiſſimum Caliçem lac mitteretur, & mel, & Paſchæ Sabato cum Sacrificio offerretur, quæſivit jam olim a Joanne Diacono Senarius, cui ita ille reſpondit in Epiſtola ad ipſum Senarium data: *Illud in cauſa eſt, quia ſcriptum eſt in veteri Teſtamento, & novo Populo figuraliter repromiſſum*: Introducam vos in Terram repromiſſionis, terram fluentem lac, & mel. *Baptizatis ergo hoc Sacramenti genus offertur, ut intelligant, quia non alii, ſed illi, qui participes fiunt Corporis, & Sanguinis Domini, Terram repromiſſionis accipient, cujus iter inchoantes, tanquam parvuli lacte nutriuntur, & melle*. Vide quæ de eo Ritu fuſe diximus Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem LVII. Concilii Trullani. Cæterum non modo Neophytos, ſed & Presbyteros, alioſque, conſueviſſe ſaltem alicubi in hac Miſſa communicare Sæculo Chriſti XIV. docent nos Ordinarium, & Miſſale inſignis Eccleſiæ Rotomagenſis eo ævo exarata, in quibus cautum eſt, ut *communicatis Presbyteris, & aliis, quibus placuerit, Veſperæ incipiantur*. Idem & alia Ordinaria tradunt.

III. Quantum ad Communionem noviter Ordinatorum, ubi Epiſcopus ſe communicavit, & totum Chriſti Sanguinem ſumſit, priuſquam digitos abluat, accedentes ante Altare Presbyteri, genuflexi communicantur ab ipſo Epiſcopo dicente tantum, *Corpus Domini noſtri &c.* non præmiſſis Confeſſione, & Abſolutione, quia ſcilicet & ipſi concelebrant. Communicati Presbyteri, accepta purificatione in cornu Epiſtolæ, retrocedunt aliquantulum in eorum ſcamno, & Diaconi, Subdiaconi, ac reliqui Ordinati accedunt ad Altare, in eoque ſe diſponunt. Epiſcopo ſtante in cornu Euangelii, verſa facie ad cornu Epiſtolæ, unus ex Diaconis noviter ordinatis, ſtans in ipſo cornu Epiſtolæ verſus Epiſcopum, inclinatus cantat Confeſſionem, & Epiſcopus ex Libro, vel memoriter dicet, *Miſereatur veſtri &c.* &, *Indulgentiam &c.* faciens ſuper omnes ſignum Crucis. Tum miniſtrantibus Diacono Pyxidem, & Subdiacono Patenam, & duobus Acoluythis tobaleam tenentibus, ut alias dictum eſt, accedentibus per ordinem omnibus Ordinatis binis ad ſupremum gradum Altaris, vel per gyrum diſpoſitis in plano, Epiſcopus ſingulos communicat, cuilibet dicens, *Corpus Domini noſtri &c.* Unuſquiſque vero, priuſquam communionem ſumat, manum Epiſcopi Hoſtiam tenentis oſculatur. Ex Miniſtris autem Pontificis unus ſtat juxta cornu Epiſtolæ, Calicem habens cum vino, non tamen illum, cum quo Epiſcopus celebravit, & mappulam mundam in manibus, ad quem ſinguli communicati accedunt, & ſe purificant, os abſtergunt, & ut prius ſe locant.

IV. Peracta Communione, *Epiſcopus*, ex noſtro §. XXVI. *facta purificatione*, & accepta Mitra, *lavat manus, redit ad Sedem*, cum Baculo ſcilicet; & comitantibus ipſum Presbytero, ac duobus Diaconis aſſiſtentibus, remanent apud Altare in ſuis nempe ſcabellis Diaconus, & Subdiaconus; & *Chorus incipit* Alleluja *pro Veſperis, Epiſcopo ſedente*, & apud eum ſedentibus Preſbytero, & Diaconis aſſiſtentibus. Veſperæ, quæ hac die dicuntur, improprie eo nomine appellantur. Quomodo enim recte appellari potuiſſent Veſperæ poſt mediam noctem, & quando nimis etiam tarda erat hora pro recitando Matutino? Prætermiſſas jam olim fuiſſe Veſperas die ipſa Sabbati Sancti in Eccleſia Romana, teſtis eſt vulgatus

Digitized by Google

gatus Alcuinus sic inquiens: *In hac nocte de Vespertiali apud Romanos nil agitur neque ante Missam, neque post Missam, quia secundum Augustinum, & alios Doctores istud Sabbatum non habet Vesperam*. Sane id, quod appellantur Vesperæ, non est nisi gratiarum actio pro novis Baptizatis, ut colligitur & ex Psalmo, *Laudate Dominum omnes gentes &c.* & ex Cantico, *Magnificat anima mea Dominum &c.* Concilium II. Aquisgranense anni DCCCXXXVIII. Canone VII. de his Vesperis loquitur, tanquam de gratiarum actione, quas Ecclesia Deo referebat pro filiis suis ad Paschatis Festum perductis, atque etiam pro Neophytis, Vesperarumque loco preces ipsas habendas docet, & eas solemniter celebrari jubet, sic inter alias inquiens: *Vespertinales quoque in Vigilia Paschæ celebrandæ sunt propter lætitiam Resurrectionis Domini, quam dimittendæ*.

VIII. His concinit inter alios Scriptores Durandus, qui in suo Rationali, Libro VI. Cap. LXXXV. Num. VIII. de ipsis Vesperis hæc habet: *Adjiciuntur brevissimæ Vesperæ scilicet*, Laudate Dominum omnes Gentes, *quæ quasi non sunt Vesperæ, quia Sabbatum æternæ quietis quod per hoc Sabbatum figuratur, nullam habet Vesperam*. Cur breves hac die recitentur Vesperæ, ac etiam cum Missa terminentur, eam mox subjicit rationem, quam alias jam ante ipsum docuerat in sua divinorum Officiorum explicatione Joannes Belethus, Cap. CXI. *Fit etiam Officium breve propter ipsos Neophytos, quibus omnia debent breviter cantari, maxime primo die, ne eis generetur fastidium ex prolixitate, unde sub una Collecta Missa, & Vesperæ clauduntur, ne forte, si finita Missa, dicerentur Vesperæ, Neophyti, non auditis Vesperis, recederent, credentes habere licentiam abeundi*. Ita Durandus, qui etiam alias mysticas significationes adjicit.

IX. Teste Beletho, tum Psalmus, *Laudate Dominum*, cum Canticum, *Magnificat*, dicebantur olim sine *Gloria Patri*, ob eam nempe causam, *quod Filius, qui tertia in Trinitate persona est, nondum nobis sit redditus*. Sed hic ritus omittendi *Gloria Patri*, non erat plane generalis, ut videtur Belethus supponere, sed servatus solum fuit *in quibusdam Ecclesiis*, ut tradit Durandus loco citato. Plura de Vesperis ipsis observat Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, Cap. XXIV. Num. XXXV. Nam. I. ex Missalibus, Bituricensi, Ebrodunensi, Glandatensi, Tholonensi, & Tolosano, atque etiam ex Ordinariis, Narbonensi, & Uticensi, Psalmus *Laudate Dominum omnes Gentes*, ter decantari debebat. II. Ex Ordinario Lingonensi post Psalmum ipsum septies *Alleluja* repetebatur. III. ex eodem Lingonensi Ordinario post Vesperas fiebat Processio ad Crucifixum. IV. juxta morem Arelatensis Ecclesiæ Antiphona *ad Magnificat*, ut ex ejusdem Ordinario liquet, *triumphabatur*, idest, ter dicebatur.

X. Addi & his Ritus potest, quo in Ecclesia Lemovicensi Vesperæ ipsæ persolverentur; ita enim ipsæ in Lemovicensi Missali describuntur: *Facta Communione, & manuum ablutione, statim Succentor in albis existens ante Altare pueris, & aliis Ministris adstantibus, versa facie versus Chorum incipit alta voce sequentem Antiphonam*, Jesum, quem quæritis, non est hic, sed resurrexit. *Quam pueri, & alii sibi adstantes prosequuntur. Qua finita sine neuma, illi qui sunt in Choro, omnes simul cantant eadem voce Antiphonam*, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja; *& ita ter eadem voce repetitur. Deinde Succentor incipit*: Recordare, qualiter locutus sit nobis. *Chorus respondet*, Dum adhuc in Galilæa esset, Alleluja. *Item Succentor*, Laudate Dominum omnes Gentes &c. *Chorus respondet*, Quoniam confirmata est &c. Gloria Patri &c. *Chorus*, Sicut erat &c. *Item Succentor*, Recordare. *Illis, qui sunt ad Altare, & illis de Choro prosequentibus simul totum residuum, ut prius. Deinde Episcopus, vel Sacerdos incipit Antiphonam*, Vespere autem &c. *Psal.* Magnificat; *quem versum Psalmi incipit Succentor, & finit cum pueris, & aliis sibi astantibus. Deinde illi de Choro finiunt secundum versum, & sic vicissim finiunt totum Psalmum. Deinde Saccentor reincipit dictam Antiphonam*, Vespere, *quam omnes finiunt sine neuma. Deinde Episcopus, vel Sacerdos versus ad populum dicit*, Dominus vobiscum, Oremus, Spiritum nobis Domine &c.

XI. Quamquam vero ex hactenus dictis Vesperæ hac die cantari solitæ sint cum solo Psalmo *Laudate Dominum omnes Gentes &c.* & Cantico *Magnificat*, in Lugdunensi tamen Ecclesia concinebantur Vesperæ ipsæ cum tribus Psalmis, totidemque Antiphonis, cum Capitulo, Versu, Antiphona ad *Magnificat*, & Oratione. In Statutis Lanfranci fit etiam mentio Hymni, qui ad ipsas Vesperas dici solitus erat, nempe, *Ad Cœnam Agni providi*. Sed longum esset ritus omnes describere. Servandus est plane hodie ritus, quem nostrum Cæremoniale Pontificiæ Capellæ Cæremoniali concinens servandum præscribit, quemque inter alios explicat in sua Praxi Pontificali Majoris Hebdomadæ, Sectione V. Cap. XVIII. Horatius Christiani, & Memoriale Rituum idem argumentum tractans Tit. VIII. Cap. II. §. XVII.

XII. Ergo Episcopo ad Sedem suam reverso, & ibi sedente, Chorus pro Vesperis incipit *Alleluja*, & deinde cantat Psalmum *Laudate Dominum omnes Gentes &c.* quem Episcopus interim legit, Acolythis cum Libro, & Bugia ei inservientibus. Dicto Psalmo, & repetito *Alleluja*, Canonicus ultimus Subdiaconus it ad sedentem Episcopum, & præintonat illi Antiphonam *Vespere autem &c.* Tum Episcopus, deposita Mitra, surgit, & præintonationem Antiphonæ repetit, quam prosequente Choro, ipse sedet cum Mitra, & imponit incensum cum benedictione, more solito, retenta Planeta, quam non dimittit, quia nondum finita est Missa.

XIII. Ad Canticum *Magnificat*, ut ait noster §. XXVII. *Subdiaconus præintonat ei Antiphonam*, idest, Canonicus ultimus Subdiaconus cum debitis reverentiis it ad Episcopum sedentem,

Digitized by Google

tem, eique Antiphonam *Vespere autem &c.* præmonat, *quam surgens repetit*, deposita scilicet Mitra, eamque Choro prosequente, *sedet cum Mitra, & imponit incensum more solito*, retenta scilicet Planeta, quam non dimittit, quia nondum finita est Missa: *Cum inchoatur*, Magnificat, *Episcopus*, surgens cum Mitra, & accepto Baculo, comitantibus eum Presbytero, & Diaconis assistentibus, *descendet ad Altare*; *& deposita Mitra*, per manus scilicet Diaconi, & Subdiaconi, *facit Cruci reverentiam, osculatur Altare, & illud incensat*; *mox revertitur ad Sedem*, cum solitis Assistentibus; *& incensatur ipse*, nempe a Presbytero assistente; *& alii more consueto*; *& ipse stans sine Mitra expectat finem Cantici*, Magnificat.

XIV. Insuper, ut ait noster §. XXVIII. *cum repetitur Antiphona*, Episcopus, *sedet accepta Mitra*, sedentibus omnibus; *& ea finita*, accepto Baculo, *descendit ad Altare*, ubi scilicet ministrantibus Diacono, & Subdiacono, depositis Baculo, & Mitra, atque in medio osculato Altari, *dicit*, Dominus vobiscum, *& Orationem*, in cornu scilicet Epistolæ. Tum iterum in medio Altaris dicit, *Dominus vobiscum*, osculato scilicet prius Altari; *& Diaconus*, versus scilicet ad populum, cantat, *Ite Missa est*, cum duplici *Alleluja*. Dicto deinde, *Placeat tibi sancta Trinitas &c.* accepta Mitra, vel, si sit Archiepiscopus, sine Mitra, cum Ministro de Cruce genuflexo Archiepiscopalem Crucem tenente, dat solitam benedictionem dicens, *Sit Nomen Domini &c.* & publicantur Indulgentiæ ut alias, per Presbyterum scilicet assistentem, & Diaconi assistentes recedunt ad loca sua in Choro.

XV. Interim sedet Episcopus cum Mitra in Faldistorio, & alloquitur Ordinatos ante se genuflexos dicens, *Filii dilectissimi, diligenter &c.* ut in Pontificali; tum accedentibus Diaconis assistentibus, deposita Mitra, surgit, & si est Archiepiscopus, convertens se ad Altare deponit Pallium super illud; incipit ultimum Euangelium, signans Altare, & se ipsum, ut alias, & revertitur ad Sedem suam cum ipsis assistentibus Diaconis, ubi, mox eisdem recedentibus, per manus Diaconi, & Subdiaconi, post dimissos apud sua scabella Manipulos, deponit sacras vestes, & accipit Cappam. Presbyteri vero noviter Ordinati, postquam & ipsi ultimum Euangelium dixerunt, cum aliis Ordinatis ordine suo revertuntur ad Sacristiam, ibique paramenta deponunt. Canonici pariter eodem tempore, quo Episcopus in sua Sede, deponunt paramenta in suis stallis, sicut & alii Ministri in Sacristia, & accipiunt vestes Chorales.

XVI. Accepta per Episcopum Cappa, iterum accedunt duo assistentes Diaconi in habitu Canonicali, & Diacono Euangelii ad suum scabellum manente, Subdiaconus it ad credentiam, ubi accipit velum humerale album, & cum Acolythis, & Scutifero, accedit ad Episcopum pro detrahendis Sandaliis; & tunc Episcopus legit Antiphonam, *Trium puerorum*, in cujus fine addet, *Alleluja*, pro gratiarum actione post Missam. Subdiaconus, detractis Sandaliis, ipsisque repositis apud credentiam, una cum Diacono facta Altari, & Episcopo profunda inclinatione, quia sunt Canonici, ad Sacristiam pergunt, & ibi sacra paramenta deponentes, Canonicalem habitum induent, ut Episcopum Domum suam redeuntem, cum aliis comitentur. His peractis, Episcopus tandem, facta prius ante Altare in Faldistorio oratione, discedit cum solito comitatu. Interim vero aliquis Capellanus Cotta, & Stola indutus, e loco ubi Feria v. fuit reposita Pyxis cum particulis consecratis pro infirmis, reportat ipsam Pyxidem private cum duobus saltem cereis accensis ad suum Tabernaculum in propria Capella, ubi asservari solita est.

XVII. Post discessum extinguuntur cerei Altaris, & tres candelæ in cuspide arundinis, quæ amplius non accenduntur, & arundo ipsa amovenda est omnino, ut expresse monet citatum a nobis toties Memoriale Rituum, ut alios Auctores omittam, quamvis in multis Ecclesiis tres ipsæ candelæ accendi soleant in solemnibus trium festorum dierum Paschalium Missis. Extinguitur tunc quoque Cereus Paschalis, qui tamen remanet in suo candelabro, de quo ita scribit in suo Cæremoniali Crassus Lib. II. Cap. XLVIII. *Ultimo sciatur, quod Cereus hodie benedictus solum ardet usque ad Ascensionem inclusive, videlicet in tribus diebus Paschæ, & Sabbato in Albis, & aliis diebus solum Dominicis, & non aliis quantuncunque solemnibus, & festivis aliquorum Sanctorum, etiamsi in Ecclesia ipsorum fiat Officium.* Parisiis, ut testatur Grancolas in Breviarium Romanum, Cap. LXVI. extinguitur Cereus post Officium diei Pentecostes, qui temporis Paschalis terminus est, & quinquagesimus dies post Pascha. Extat Decretum Sacræ Rituum Congregationis in Placentina X. Maji MDCVII. in Responsione ad Dubium XIII. cujus meminit Gavantus in Rubricas Missalis, Parte IV. Tit. X. Num. XLVII. Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. CXLIII. & novissime in Additionibus ad Gavantum, & in suo Indice Decretorum Cajetanus Meratus, in quo edicitur: *Cereus Paschalis regulariter accenditur ad Missam, & ad Vesperas solemnes in tribus diebus Paschæ, Sabbati in albis, & in Dominicis diebus usque ad Festum Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, quo die, cantato Euangelio, extinguitur. Ad Matutinum, & in aliis diebus, & Festivitatibus etiam solemniter celebratis non accenditur, nisi adsit consuetudo, quod durante tempore Paschali accendatur.*

XVIII. Opportune hic ea discutienda quæstio est. An Cereus semel benedictus in Sabbato Sancto hujus anni possit licite iterum benedici anno sequenti? Ratio dubitandi est, quia Cereus semel benedictus non amittit benedictionem ex eo, quod vigore luminis paulatim absumatur, neque etiam ex eo, quod postea reficitur, addita solum minori parte, quia potius major pars, quæ remanet benedicta, trahit ad se minorem, & sic

Digitized by Google

totus Cereus, quamvis refectus, remanet benedictus, ideoque non potest iterum benedici, quia cum jam sacer sit factus ex prima benedictione, frustra secunda benedictio adhibetur. Verum in oppositum urget praxis multarum insignium Ecclesiarum, in quibus passim benedicitur Cereus anni præteriti modo explicato. Ceterum docet Quartus in Tractatu, *De benedictionibus*, Tit. II. Sectione VI. Præludio III. Dubitatione II. si Cereus anni præteriti solum reficiatur quoad minorem partem, non posse licite iterum benedici anno sequenti, & absque peccato veniali, quia scilicet frustraretur suo effectu secunda benedictio contra reverentiam ei debitam. Quare non est admittenda praxis adducta in hoc casu, sed potius corrigenda, ut scite idem Quartus concludit.

XIX. Reliquum est, ut præter Ritus, quos de Paschali Cereo supra notavimus in Commentariis ad §. II. & X. ad calcem Capitis hujus alia duo adnotemus. I. magnam fuisse olim in ipsum Cereum benedictum, Majorum nostrorum pietatem, quod ejus ope a fulgure, & tempestate, multisque vitæ periculis erui se posse arbitrarentur, uti legimus apud Ennodium in prima Cerei Paschalis benedictione: *Et siquis hinc sumserit adversus flatus ventorum, spiritus procellarum, sit illi singulare profugium.* II. mos olim fuit, ut e reliquo Cereo cereæ quædam figuræ effingerentur, in quibus imprimebatur Agni forma, quæ vulgo, *Agnus Dei* appellatur. Hæc sane docent antiqui Romani Ordines, ac prisci Auctores, quibus concinit in suo Rationali Durandus, Lib. VI. Cap. LXXIX. ubi ita inquit: *Hac die Acolythi Romanæ Ecclesiæ faciunt Agnos de cera nova benedicta, vel de cera Cerei Paschalis anni præcedentis, admixto Chrismate, qui in Sabbato in Albis in Ecclesiis per Dominum Papam populis distribuuntur.* Et mox: *Hi Agni a fulgere & tempestate, Fideles, & credentes defendunt propter virtutem consecrationis, & benedictionis.* Tum vero subjicit: *Sane secundum consuetudinem Cereus distribuitur in Octava Paschæ populo ad suffumigandas domos, ad significandum, quod in ultima resurrectione Christus Fidelibus in præmio tribuatur ad quod expressius significandum Romana Ecclesia Agnos fecit supradictos.* Longe plura scitu digna, quæ hic de Cereis istis Agnis dici possent, jam fuse explicuimus nostro II. Tomo Conciliorum in Commentario ad Canonem LXXXII. Trullanum.

CAP. XXVIII.

Sabbato Sancto, si Episcopus assistat, vel absit, omnia fient a Celebrante, prout in Missali. Ordo procedendi ad Ecclesiam, & benedicendi ignem, atque grana incensi. Celebrans ubi stare debeat, dum Diaconus canit Præconium. Quibus paramentis Celebrans, Diaconus, & Subdiaconus induantur, finito Præconio. Propbetiæ ubi, & a quibus cantandæ sint, & quando genuflectendum ad Orationes. Ordo procedendi ad benedictionem Fontis, conficiendi Baptismatis, & redeundi ad Altare. Ubi cantari debeant Litaniæ. Ubi, & quando Celebrans capiat paramenta alba cum Ministris pro Missa. Quo ritu Missa celebretur, ac cetera perficiantur.

§. I.

Si Episcopus nequiverit celebrare, sed Officio, & Missæ per alium celebratæ interesse, præparantur omnia, quæ in superiori Capite expressa sunt, & dicta Nona, Canonicus, vel alius Officium facturus, paratus Amictu, Alba, Cingulo, & Stola, & Pluviali violaceo, in Sacristia, vel in alio loco decenti, & consueto, benedicit novum ignem, & quinque grana incensi, legendo absque cantu Orationes benedictionis, prout in Missali; quo facto, capiet Diaconus Stolam, Manipulum, & Dalmaticam albam; Subdiaconus vero Manipulum, & Planetam ante pectus plicatam coloris violacei, & sic parati sedebunt in aliquo scamno a sinistris Altaris, expectantes adventum Episcopi, qui statim, finita prædicta benedictione novi ignis, veniet more solito cum Cappa ad Ecclesiam; orabit ante Altare majus, & ascendet ad Sedem suam cum suis Capellanis; & orante Episcopo, surget Celebrans cum Ministris, qui, donec Episcopus orabit, stabunt; & Episcopo sedente sedebunt.

§. II.

Cum Episcopus aliquantulum in Sede sua quieverit, accedet ad eum Acolythus, vel Cæremoniarius cum incenso, & ministrante solito Canonico Presbytero assistente naviculam, imponet, & benedicet incensum more solito.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Subdiaconus capiet Crucem, & cum Diacono, & aliis Miniſtris diſcedent verſus Sacriſtiam ad accipiendam arundinem cum tribus candelis, & quinque grana incenſi, & alia omnia fient, quæ ſuperius declarata ſunt, Celebrante interim ſedente in ſuo ſcamno, & ſurgente apud illud, cum opus fuerit, donec inchoetur Præconium, *Exultet jam &c.* quo incœpto, accedet ad Altare, & ibi ſtabit manibus junctis in cornu Epiſtolæ reſpiciens Diaconum cantantem.

COMMENTARIUS.

I. SI pauca excipias, jam fere omnia, quæ in hoc Capite exprimuntur, quod eſt de Sabbato Sancto, Epiſcopo non celebrante, ſed præſente, vel abſente, & in Collegiatis, declarata in Capite præcedenti fuere, ubi de Sabbato Sancto actum fuit, Epiſcopo celebrante. Eadem hæc diſtinctio jam facta olim fuit in Cæremoniali Patricii, Lib. II. Sectione I. Cap. LVII. & ſeqq. & ante Patricium in Ordine XV. Romano, Auctore Amelio, ubi poſtquam Cap. LXXVIII, & aliis ſequentibus de Sabbato Sancto egit, functiones ſacras Papa peragente, Capite deinde LXXXIII. ejuſdem diei Ritus enarrat, Papa ipſa die minime celebrante. Sane quæ in hoc noſtro præſcripta ſunt Capite, eadem etiam fere ſunt, quæ in Rubricis Romani Miſſalis ſunt conſtituta, quas egregie explicuere Gavantus, & inter alios noviſſime eruditus Meratus.

II. Unum illud eſt, quod difficultatem, & quidem graviſſimam ingerit, quod ſcilicet in §. I. de Subdiacono edicitur, ut ſcilicet delaturus Crucem, & proceſſurus cum Diacono Paſchale Præconium cantaturo, inter alia paramenta Manipulum etiam geſtet: *Capiet Diaconus Stolam, Manipulum, & Dalmaticam albam, Subdiaconus vero Manipulum, & Planetam ante pectus plicatam coloris violacei.* Præterquam in Miſſa, non debere Subdiaconum uti Manipulo in aliis functionibus Eccleſiaſticis, docent paſſim Ritualium rerum Scriptores, conſtatque ex variis noſtri Cæremonialis locis, & præſertim ex præcedenti Capite XXVII. quod eſt de Sabbato Sancto, Epiſcopo celebrante, nulla enim ibi mentio Manipuli capiendi per Subdiaconum geſtaturum Crucem, tametſi omnes aliæ ejus veſtes recenſeantur: *Subdiaconus*, ait §. IV. *Epiſtolam cantaturus, paratus Amictu, Alba, Cingulo, & Planeta violacea ante pectus plicata capit Crucem.*

III. Quamquam autem ex recitato mox loco Manipulus per Subdiaconum capiendus non ſit, cum tamen Rubrica præſentis §. ſumendum ipſum expreſſe edicat, complures docti Scriptores ſunt ejus ſententiæ, ut Subdiaconus in dicta functione Sabbati Sancti delaturus Crucem Manipulum ſumat, iſque eſt uſus inſignium Eccleſiarum, ac præſertim Baſilicæ Vaticanæ, imo & mos jam olim in ipſa Pontificia Capella ſervatus, teſte Patricio in ſuo Cæremoniali, Lib. II, Sectione I. Cap. LVII. *De Sabbato Sancto, præſente Papa*, ubi inter alios Miniſtros proceſſuros cum Diacono Præconium decantaturo recenſetur *Subdiaconus Capellæ omnibus paramentis indutus, in quibus debet in Altari miniſtrare, portans Crucem.*

IV. Nihil plane clarius pro Manipulo geſtando a Subdiacono in ea functione; lapſuſque iccirco eſt Scriptor alioqui eruditus Cajetanus Meratus in ſuis Additionibus ad Gavantum, cum agens de Sabbato Sancto reflectens ad utrumque locum noſtri Cæremonialis, Cap. XXVII. & XXVIII. ſcripſit, quod *aut error irrepſit, aut utrumque fieri poteſt*; præſertim cum non in una, vel altera Cæremonialis editione, ſeu recognitione per varios Summos Pontifices facta eodem modo verba ſuperius ex utroque Capite allata referantur, ſed plane in omnibus, quas ego vidi, potiſſimum vero primam Romæ factam ſub Clemente VIII. Auctore Cæremonialis anno MDC. & poſtremam etiam Romæ MDCCXXIX. a Benedicto XIII. qui Cæremoniale ipſum denuo recognovit, & in multis quoque emendavit, prout in hoc §. I. ubi loco verbi *noluerit*, poſuit *nequiverit*.

V. Siquis autem roget, cur in ea functione Subdiaconus Manipulum geſtet, difficile eſt rationem invenire. Ait ſane Bauldryus in ſuo Manuali ſacrarum Cæremoniarum, Parte IV. Cap. XI. Articulo II. Num. IX. debere tunc Subdiaconum *accipere Manipulum, cum non ſit commodior hora illum accipiendi*, ubi ſcilicet inſerviturus eſt Miſſæ ſolemni. Sed quis non videt levitatem hujus reſponſionis; non enim acceptio Manipuli tantum requirit temporis ſpatium, ut non poſſit tunc per Subdiaconum capi, quum, uti habetur infra in §. IV. *Finito Præconio Diaconus revertitur ad Altare, & depoſita Dalmatica, & Stola alba, capiet violaceam, & Planetam ante pectus plicatam &c.* Putarem ergo equidem, ideo Subdiaconum deferentem Crucem geſtare Manipulum, ut Diacono ſe conformaret, qui Paſchale Præconium cantaturus, una cum aliis Diaconalibus paramentis Manipulum etiam defert.

§. IV.

Finito Præconio, Diaconus revertitur ad Altare, & depoſita Dalmatica, & Stola alba, capiet violaceam, & Planetam ante pectus plicatam, & cum Subdiacono

accedet ad Celebrantem, qui etiam in ſuo ſcamno induet Planetam cum Manipulo; Miniſtri quoque Manipulos habebunt.

COMMENTARIUS.

I. PRæconio cantato, *Diaconus revertitur ad Altare*, relicto ſcilicet Libro in loco, ubi Præconium cantavit, vel eo alicui Miniſtro tradito, ut ipſum deferat ad credentiam; non enim deferendus eſt Liber oſculandus ad Celebrantem, neque is incenſandus. Revertitur itaque finito Præconio Diaconus ad Altare, & facta debita reverentia ipſi Altari, & Epiſcopo, ſi adſit, *depoſita Dalmatica, & Stola alba, capiet violaceam, & Planetam ante pectus plicatam*, & Manipulum, ut in fine noſtri §. habetur, & quidem coloris violacei: *& cum Subdiacono accedet ad Celebrantem, qui etiam in ſuo ſcamno induet Planetam cum Manipulo*; depoſito ſcilicet ibidem Pluviali violaceo, quo erat indutus, Planetam, & Manipulum violaceum ſumet *in ſuo ſcamno* juxta Rubricam novi Cæremonialis §. huic adjectam, in aliis enim antiquioribus, ea verba *in ſuo ſcamno* deſiderantur. Quidquid ſit de hoc additamento, ex Craſſo quidem Lib. II. ſui Cæremonialis, Cap. XLVIII. finita benedictione Cerei Diaconus non oſculatur manum Epiſcopi, nec Epiſcopus ipſe incenſatur, ſed ſedentibus omnibus, *Diaconus poſt Altare deponit Dalmaticam albam, & induit Planetam violaceam, ſicut Subdiaconus*. Atque hic nota, nullam fieri a Craſſo mentionem Manipulorum, qui tamen ab ipſis Diacono, & Subdiacono haberi debent, uti in noſtro §. edicitur: *Miniſtri quoque Manipulos habebunt*. Quibus ſumtis, procedit Celebrans cum Miniſtris ad Altare, ad peragendas ſcilicet ſacras functiones, de quibus infra.

§. V.

Item locabitur in medio Chori, ſeu Presbyterii pulpitum nudum, & deducetur a Cæremoniario aliquis Acolythus, vel Clericus, ſive Cantor, Cotta indutus ad cantandam primam Prophetiam ſine titulo, quam leget etiam Celebrans ſubmiſſa voce, apud Altare, aſtantibus Miniſtris, ut ſit ad Introitum Miſſæ, & ea finita, accedet qui eam cantavit cum debitis reverentiis ad oſculandam manum Epiſcopi; quo facto, Celebrans dicet, *Oremus*, Diaconus, *Flectamus genua*, & Epiſcopus, ac omnes genuflectunt, excepto Celebrante, & Subdiaconus, *Levate*, & omnes ſurgunt; tunc Celebrans proſequitur Orationem ſtans manibus extenſis. Cantantur deinde eodem modo aliæ Prophetiæ, quarum primas quatuor cantabunt Cantores, vel Acolythi, ſeu Clerici; alias quatuor Beneficiati, ſeu Manſionarii; ultimas quatuor Canonici, vel alias, prout commoditas, & numerus Clericorum, vel conſuetudo Eccleſiæ ſuadebit.

§. VI.

Poſt quartam, octavam, & undecimam Prophetiam, Epiſcopus leget ex Libro Tractum, dum idem cantatur a Choro, miniſtrantibus de Libro, & Candela ſolitis Miniſtris, Celebrans vero apud Altare illum leget; Diaconus, & Subdiaconus ſuo tempore ad alias Orationes dicent, *Flectamus genua*, & *Levate*, prout in Miſſali.

COMMENTARIUS.

I. INterim ac Celebrans ſuis paramentis induitur, ut ſupra, *locabitur in medio Chori, ſeu Presbyterii pulpitum nudum*; ideſt ante Altare, non in cornu Epiſtolæ, ſed in medio Chori, ſi ſit juxta Altare; ſi vero Chorus multum diſtat, inter Altare, & Chorum; & ſuper ipſum pulpitum, ſeu legile Miſſali poſito tecto colore violaceo aperto ad legendas Prophetias, ut notat inter alios Bauldryus in ſuo Manuali, Parte IV. Cap. XI. Articulo III. Num. XIII. *& deducetur a Cæremoniario aliquis Acolythus, vel Clericus, ſive Cantor Cotta indutus ad cantandam primam Prophetiam ſine titulo*. Accedit nempe Cæremoniarius ad eum, qui cantaturus eſt primam Prophetiam, eumque habentem manus junctas ante pectus ad Altare comitatur, eique ambo, ſicut & Epiſcopo, ſi adſit, genuflectunt de more, indeque Lector manibus junctis, ut prius, it cum eodem Cæremoniario ad legile, ibique abſolute ſine titulo incipit Prophetiam manibus extenſis hinc inde, & ſemper ad Librum, vel pulpitum, appoſitis, eamque legit expedite, ex Caſtaldo, & aliis, ac ſi cantaret Lectiones feriales, & in fine parum vocem inflectit.

II. Eandem Prophetiam, quam legit ad pulpitum Cantor in tono, ut dictum eſt, feriali; *leget*

Digitized by Google

leget etiam Celebrans ſubmiſſa voce apud Altare, aſtantibus Miniſtris, ut ſit ad Introitum Miſſæ; & ea ſinita, accedet qui eam cantavit cum debitis reverentiis, Altari ſcilicet, & Epiſcopo, *ad oſculandum manum Epiſcopi*; licet hujuſmodi oſculum non admittat in ſuo Cæremoniali Craſſus; ſed tamen male, nam alias ex Patricio, Lib. II. ſui Cæremonialis, Sectione I. Cap. LVII. finita Prophetia Cantor, *factis reverentiis, oſculatur pedem Pontificis, & redit ad locum ſuum*. Porro, Prophetia terminata, ex noſtro §. v. *Celebrans dicet*, Oremus; *Diaconus*, Flectamus genua; *& Epiſcopus, ac omnes genuflectunt, excepto Celebrante*; *& Subdiaconus*, Levate; *& omnes ſurgunt*; & tunc Celebrans proſequitur Orationem, *ſtans manibus extenſis*, in cantu ſemper æquali, ac feriali tono, ut ait Craſſus. Cætera, quæ tam in ipſo §. v. quam in ſequenti præſcripta ſunt, omitto, quod nulla noſtra explicatione indigeant & videri in Miſſali poſſunt.

§. VII.

Finitis Lectionibus, Celebrans, depoſita Planeta, & accepto Pluviali violaceo, præcedente Cruce, Clero, & Canonicis, & ante Crucem aliquo Acolitho portante Cereum benedictum accenſum, medius inter Diaconum, & Subdiaconum, & poſt ipſum ſequente Epiſcopo, ibit ad benedicendum Fontem Baptiſmalem, Choro interim cantante Tractum, *Sicut Cervus &c.* & omnia fient, & cantabuntur circa Fontis benedictionem, quæ habentur in Rubricis Miſſalis.

§. VIII.

Quibus peractis, ſi aderunt Catechumeni, baptizentur more ſolito. Interim locatur ante medium Altaris Faldiſtorium pro Epiſcopo, & ſcabellum pro Celebrante ad ſiniſtram partem.

COMMENTARIUS.

I. LEctionibus jam finitis, & remoto per Acolythum legili cum Libro, *Celebrans depoſita Planeta*, in cornu ſcilicet Epiſtolæ, adjuvantibus Miniſtris, & ibidem *accepto Pluviali*, *præcedente Cruce*, cum candelabris ſcilicet, ut in Rubrica Miſſalis, *Clero, & Canonicis*, qui ſcilicet bini procedent, *& ante Crucem aliquo Acolytho portante Cereum benedictum accenſum, medius inter Diaconum, & Subdiaconum*, elevantes aliquantulum hinc inde fimbrias Pluvialis, *& poſt ipſum ſubſequente Epiſcopo*, Cappa induto, *ibit ad benedicendum Fontem Baptiſmalem &c.* Perſpicua plane ſunt, quæ & ſequuntur, ſed tamen mirum videri poſſit, cur, poſtquam noſtrum Cæremoniale edixit, Celebrantem procedere medium inter Diaconum, & Subdiaconum, Caſtaldus, Bauldryus, aliique Auctores ſcripſerint, Crucem a Subdiacono in ea functione deferri, Celebrantem vero ire cum ſolo Diacono? Errant itaque ipſi Auctores, geſtabitque tunc Crucem aliquis Miniſter Cotta indutus. Uti peragendæ ſint Cæremoniæ in benedictione Fontis Baptiſmalis, Rubricæ Miſſalis docent, in quas videri etiam poſſunt Gavantus, & noviſſime in Additionibus ad Gavantum ipſum Cajetanus Meratus Clericus Regularis.

II. Peracta Fontis prædicti benedictione, monet §. noſter VIII. ut, *ſi aderunt Catechumeni, baptizentur more ſolito*, juxta Rubricas ſcilicet Ritualis; interim vero ex Rubrica ejuſdem §. *locatur ante medium Altaris Faldiſtorium pro Epiſcopo, & ſcabellum pro Celebrante ad ſiniſtram partem*, ut in eis ſcilicet genuflectant ad Litanias, ideſt, procumbant, ut notat Caſtaldus in Praxi Cæremoniarum, Lib. III. Sectione VIII. Cap. VI. Num. XIV. Juxta Craſſum Lib. II. ſui Cæremonialis, Cap. XLVIII. ponendum eſt Faldiſtorium *ante gradus infimos in medio Altaris in plano Presbyterii pro Cardinali genuflexuro*, Epiſcopo ſcilicet Bononienſi; *& ſcabellum pro Celebrante Prælato ad ſiniſtram modicum retro Faldiſtorium*. Addit mox etiam, *quod ſi non Prælatus, ſed alius Sacerdos ſimplex celebret, tunc ipſe erit genuflexus in terra magis retro Cardinalem*. Sed obſervanda eſt ſemper Regula, quam noſtrum Cæremoniale præſcribit.

§. IX.

Completa benedictione Fontis, & baptizatis Catechumenis, ſi aderunt, ut in præcedenti Capite dictum eſt, redeunt omnes eodem ordine ad Altare, & Epiſcopus genuflectit ſuper dicto Faldiſtorio, capite detecto; Celebrans vero, depoſito Pluviali ante dictum ſcabellum a ſiniſtris Epiſcopi; Diaconus, & Subdiaconus in albis poſt Celebrantem, & pariter omnes in ſuis locis genuflectunt.

§. X.

Digitized by Google

§. X.

Duo Capellani, ſive Cantores, genuflexi ante ſcabellum poſt Epiſcopum, & Celebrantem, habentes ante ſe Librum, inchohabunt Litanias, Choro idem ſimul reſpondente, prout in Miſſali. Cum perventum fuerit ad Verſiculum, *Peccatores*, ſurget Celebrans, & ibit ad Sacriſtiam cum ſuis Miniſtris ad accipiendum paramenta alba pro Miſſa, niſi Sacriſtia multum diſtet; quo caſu parentur in ſolito ſcamno prope Altare in cornu Epiſtolæ, & eodem tempore per alios Miniſtros removeatur ab Altari pallium violaceum, & remaneat album, & accendantur candelæ Altaris, itaut hæc omnia fiant antequam compleantur Litaniæ; quibus finitis, ſurgit Epiſcopus, & remove tur Faldiſtorium.

COMMENTARIUS.

I. FOntis benedictione completa, & baptizatis, ſi qui erant baptizandi, *redeunt omnes eodem ordine ad Altare* (in antiquis Cæremonialibus ante hoc novum editis, legitur *ad Capellam*) *& Epiſcopus genuflectit ſuper dicto Faldiſtorio, capite detecto*; non vero *cooperto capite*, ut ait Craſſus: *Celebrans vero, depoſito Pluviali ante dictum ſcabellum a ſiniſtris Epiſcopi*, paulo tamen poſt eum, ut notat ad hunc locum Bauldryus; & nudo quidem capite non ſeminudo, ut ajebat etiam Craſſus: *Diaconus, & Subdiaconus*, depoſitis Planetis ante pectus plicatis, *in Albis poſt Celebrantem, & pariter omnes in ſuis locis genuflectunt*. Eſt plane etiam Romæ inſignium Eccleſiarum mos, ut tribus poſitis ſuper ſecundum Altaris gradum cuſſinis, Celebrans, ejuſque Miniſtri, Diaconus, & Subdiaconus genuflexi in plano ad Litanias procumbant, & cuſſinis ipſis capita ſua ſuperponant.

II. Genuflexis, ſeu pene proſtratis Epiſcopo, Celebrante, & Miniſtris, *duo Capellani, ſive Cantores, genuflexi ante ſcabellum poſt Epiſcopum, & Celebrantem, habentes ante ſe Librum, inchoabunt Litanias, Choro idem ſimul reſpondente, prout in Miſſali*; ubi ſcite notat ex hoc noſtro §. Gavantus, Litanias non eſſe inchoandas apud Fontem Baptiſmalem, ut quidam ajunt, ſed apud Altare; tum vero merito alios ſugillat ſcribentes, geminandum illud, *Per ſanctam Reſurrectionem tuam*. Quod quidem eſt contra Conſtitutionem S. Pii V. hujuſmodi additiones in Rubricis Miſſalis vetantem. In Litaniis, *cum perventum fuerit ad Verſiculum*, Peccatores, *ſurget Celebrans*, ait noſter §. x. *& ibit ad Sacriſtiam cum ſuis Miniſtris ad accipienda paramenta alba pro Miſſa*, ſolemniter ſcilicet celebranda, ut inquit Rubriça Miſſalis; *niſi Sacriſtia multum diſtet, quo caſu*, mandat idem §. noſter, ut *parentur in ſolito ſcamno prope Altare in cornu Epiſtolæ*, nempe nullo modo ante Altare, nemo enim Epiſcopo inferior, ibi eſt veſtiendus, licet ſit loci Superior, ut notat Gavantus, quia ſcilicet non eſt illi communicanda Epiſcopalis prærogativa, niſi Mitra utatur. Ad ipſum quoque Verſiculum *Peccatores*, removendum eſt ab Altari pallium violaceum, & remaneat album, quod ſubtus latebat, itemque accendendæ candelæ Altaris, itaut hæc omnia fiant antequam compleantur Litaniæ; quibus finitis, ſurgit Epiſcopus, & removetur Faldiſtorium, ſuper quo procumbebat,

§. XI.

Celebrans vero accedit ad ejus ſiniſtram, facit cum Epiſcopo Confeſſionem, cantatur *Kyrie eleiſon*, & *Gloria in excelſis Deo*, pulſantur Campanæ, & perficitur Miſſa ſecundum Rubricas Miſſalis, prout etiam in præcedenti Capite legitur, & cum Cæremoniis deſcriptis in Capite IX. hujus Libri II. de Miſſa ſolemni, quæ coram Epiſcopo celebratur.

§. XII.

In Eccleſiis Collegiatis eadem omnia ſervari debent, quæ in hoc Capite expreſſa ſunt, exceptis his, quæ ad Epiſcopum pertinent, ſervatis in omnibus Rubricis Miſſalis, & eadem fere omnia ſervantur in Sabbato Pentecoſtes.

COMMENTARIUS.

I. LItaniis finitis, & ideo, ut in fine præcedentis Commentarii notatum eſt, ſurgente Epiſcopo, & remoto Faldiſtorio, quod ante ipſum poſitum fuerat, omnibuſque præparatis pro celebranda ſolemni Miſſa, ſtante Epiſcopo ante Altare, *Celebrans* ex noſtro §. XI.

Digitized by Google

§. XI. *accedit ad ejus ſiniſtram*, cum debitis ſcilicet reverentiis Altari, & Epiſcopo; *facit cum Epiſcopo Confeſſionem*; *cantatur*, Kyrie eleiſon, & Gloria in excelſis: *pulſantur Campanæ, & perficitur Miſſa ſecundum Rubricas Miſſalis*, quas inter alios fuſe, ac ſcite explicant Gavantus, & Meratus in ſuis ad ipſum Gavantum Additionibus. Sed & videri ea loca poſſunt, quorum meminit noſter idem §. XI. quæ nos abunde enarravimus. Quantum ad Campanarum ſonum ad intonationem, Hymni *Gloria in excelſis Deo &c.* præter ſuperius a nobis ſuo loco adducta, illud hic notandum eſt, quod ait Craſſus in ſuo Cæremoniali, Lib. II. Cap. XLVIII. indicendum ſcilicet *prius omnibus Eccleſiis Civitatis mandatum pœnale, ut nulla incipiat pulſare Campanas, priuſquam audiverit Eccleſiam Cathedralem ſonaſſe; nam ipſa tanquam mater debet primo gaudere, & deinde aliæ tanquam filiæ, & miniſtræ minores ſecum congaudere.* Extant in hac re non modo Epiſcopalium Synodorum, ſed & Sacræ Rituum Congregationis Decreta.

CAP. XXIX.

Epiſcopus in die Paſchæ Reſurrectionis ſolemniter Miſſam celebrare debet, & ſacram Euchariſtiam adminiſtrare. Ordo dandæ Communionis in hac Miſſa. Diaconus poſt ſumtionem Sanguinis cantet Confeſſionem in cornu Epiſtolæ. Quo ritu Epiſcopus Chriſti corpus tradat, qui binc inde aſſiſtere debeant. Manus Epiſcopi ante ſumtionem Particulæ oſculanda. Ordo accedendi ad Communionem. Quid obſervandum, ſi aliquæ Hoſtiæ conſecratæ ſuperfuerunt.

§. I.

In die Paſchæ Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti Epiſcopus, niſi aliquo legitimo impedimento fuerit præpeditus Miſſam ſolemnem omnino celebrare debet, & in ea Communio generalis per ipſum Epiſcopum erit facienda, ordine infraſcripto.

COMMENTARIUS.

I. PErſpicuum plane omnibus eſt, Paſchæ verbum repetendum eſſe ab Hebraico *peſach.*, ſive *phaſe*, ideſt *tranſitu*, uti habetur in Capite XII. Exodi, Verſu XI. in memoriam enim revocat tranſitum Hebræorum ab Ægypto in Palæſtinam, uti Sancti Patres adnotant, vel tranſitum Angeli vaſtatoris, qui Hebræis parcens, Ægyptiorum liberos natu maximos necavit, ſive noſtrum in Cælum reditum. At quum prope abeſſet illud verbum a Græco vocabulo πάσχω, quod idem eſt, ac *patior*, crediderunt quoque nonnulli a Græco ſermone depromtum eſſe, & ad Paſſionem Chriſti, quam tunc recolit Eccleſia, traxerunt. Id quidem uti obſervat eruditus Thomaſſinus Lib. II. *De dierum feſtorum celebratione*, Cap. XV. num. XIV. Hieronymus, & Auguſtinus minus probant; verum Gregorius Nazianzenus, etſi Hebraica revera ſit origo hujus verbi, cenſuit Græcam, ut ut veritati minime conſonam, ferri tamen poſſe. Sic enim ait in celebri ſua *De Paſcha* Oratione: *Nam hoc nomine putarunt quidam vocari ipſam Servatoris Paſſionem; ad Græcamque linguam vocem accommodantes, diem hunc nominarunt Paſcha. Quod quum uſus recipiſſet, jam vehementer inolevit, aſſentientibus ipſis auribus, utpote ſanctiori nomini.* Sane probat eam interpretationem Paſchaſius in Epiſtola ad S. Leonem Magnum, quæ inter hujus Pontificis Epiſtolas eſt LXIII. ubi ita ait: *Neque nobis, aut novum, aut erraticum, videatur, cum dies Paſſionis undecimo Calendas Maji occurrat, a qua, ſicut videtur, Paſcha nomen accepit, licet Hebreæ linguæ Interpretes tradant Paſcha tranſitum dici &c.*

II. Ea autem eſt Feſti hujus prærogativa, ut teſte S. Auguſtino in Epiſtola LIV. primam ſui originem ab ipſis Apoſtolis ducat, unde & feſtivitas feſtivitatum, & ſolemnitas ſolemnitatum a S. Gregorio Nazianzeno appellatur. S. Leo Sermone X. *De Quadrageſima*, & alibi, diſerte ait, inter omnes dies, quos multis modis honorabiles habet Chriſtiana devotio, nullum eſſe excellentiorem Feſtivitate Paſchali. S. Baſilius, & idem S. Leo œconomiam divini cultus, & Sacramentorum Eccleſiæ diſpoſitionem ab hoc Feſto pendere inquiunt, quia Jeſu Chriſti Reſurrectio noſtræ Religionis eſt fundamentum. Denique S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus Homilia XXII. in Euangelia, Paſchalem ipſam Celebritatem vocat ceterarum principem, & præſtantiſſimam, quod animum, & cogitationes a terrenis rebus abducat, ut gaudiis, & ſolemniis tandem ſempiternis frui poſſit, quorum primordia ſunt fides, ſpes, & amor Dei: *Hanc enim recte nobilitatem ſolemnitatis dicam, quia ſolemnitates cæteras antecedit. Sicut enim in ſacro Eloquio Sancta Sanctorum, vel Cantica Canticorum pro ſui magnitudine dicuntur, ita hæc Feſtivitas recte dici poteſt Solemnitas Solemnitatum. Ex hac quippe Solemnitate exemplum nobis Reſurrectionis datum eſt, ſpes Cæleſtis Patriæ aperta, & facta ſuperni regni jam præſumtibilis gloria.*

III. Hanc Feſtivitatem ut majori cum veneratione celebraret Eccleſia, totos ſeptem & integros

Digitized by Google

gros dies ſolemnitati illius antiquitus conſecravit, uti conſtat ex pluribus Synodis, allatis a nobis Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem LXVI. Trullanum. Ad ampliorem quoque in hoc Feſto demonſtrandam Religionem, & inter populos caritatem, omnes olim, quicumque dignitate etiam augerentur, ad majorem Eccleſiam convenire debebant, ut cum Epiſcopo eorum paſtore celebritatem peragerent. Id quod nos ſupra oſtendimus plurium Sacrorum Canonum auctoritate. Diſcipulos S. Pacomii ex variis Monaſteriis ad præcipuum Cœnobium hac die confluxiſſe, & quidem ad quinquaginta circiter Monachorum millia, ut cum ſuo Abbate ſimul omnes Dominicæ Reſurrectionis gloriam recolerent, notat Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ Diſciplina &c.* Cap. XXV. Num. IV. ubi etiam ait, antiquæ conſuetudinis veſtigium hodieque reperiri in Eccleſia Lugdunenſi, in qua præcipuis feſtis diebus ad principalem Sancti Joannis Baſilicam conveniunt aliæ Urbis Eccleſiæ ad Miſſam ſolemnem.

IV. Ergo ſi Clerus æque ac populus convenire ad maximam ædem ſacram debebat, multo magis debebat Epiſcopus eidem adeſſe, ſacras functiones peracturus. Hinc quamquam ſtuderent præſtantiſſimi quique Epiſcopi Eccleſiis ſuis abeſſe nunquam, niſi ubi vel ſuæ, vel univerſæ Eccleſiæ utilitas, & charitas alio avocaret, erat tamen id potiſſimum curæ, ut celebriores feſtos dies ſuis in Eccleſiis agerent, maxime autem ſolemnitatem Paſchalem. Id docet nos S. Chryſoſtomus Homilia XX. ad populum Antiochenum, ubi inde arripuit anſam commendandæ populo ipſi Antiocheno vigilantiæ Archiepiſcopi Flaviani, qui, ut ab Eccleſia, & a Civitate ſua impendens exitium propulſaret, non dubitaſſet Paſchatis diem peregre agere; quamquam veneranda canitie, & precibus Faviani delinitus Imperator illum remiſerit quampropere, Paſchæ diem cum ovibus ſuis ut rite perageret: *Elegit ſolemnitatem in aliena terra, & procul a ſuis propter Civitatis ſalutem celebrare. Dies autem ante Paſcha ipſum nobis reddidit, ut communem nobiſcum ſolemnitatem ageret.*

V. Huc facit inſtructio Cleri Edeſſeni ad Photium, & Euſtachium Epiſcopos, inſerta Actioni X. Concilii Chalcedonenſis, quam alias ſuperius memoravimus; in ea quippe rogant illi Ibam Epiſcopum ad Sedem ſuam propter imminentem Paſchalem Feſtivitatem quantocius remitti, *in qua*, inquiunt, *& propter Catechiſmos, & propter eos, qui digni ſunt ſancto baptiſmate, opus eſt ejus præſentia.* Innumera pene hac in re poſſent, & Patrum, & Canonum monumenta afferri; quibus, maxime diebus ſolemnioribus, ac præſertim Paſchatis, reſidentia in Cathedrali Eccleſia ab Epiſcopo exigitur, de qua fuſe agit Thomaſſinus Parte II. Diſciplinæ Lib. III. Cap. XXX. & ſeqq. ſed ſatis eſt recenſere Concilii Tridentini Decretum Seſsione XXIII. Cap. I. ubi inter alia monentur Epiſcopi, ut in Paſchate, aliiſque primariis diebus feſtis ſua in Eccleſia Cathedrali degant, niſi vehementiſsima quapiam neceſsitate alia inde abſtrahantur ad alias Dioeceſeos ſuæ Eccleſias: *Eoſdem interim admonet, & hortatur in Domino, ne per illius temporis ſpatium, Dominici Adventus, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, item & Corporis Chriſti diebus, quibus reficî maxime, & in Domino gaudere Paſtoris præſentia oves debeant, ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali nullo pacto abſint, niſi Epiſcapalia munia in ſua Diœceſi alio eos vocent.*

VI. Jam non deſunt qui ſua quærentes, non quæ Jeſu Chriſti, Epiſcopatu fruuntur, nec erubeſcunt etiam in ſolemnioribus celebritatibus a ſacris functionibus abſtinere, tametſi in Civitate degant ſua, ſatis muneri ſuo feciſſe arbitrantes ſi curam ſpiritualium in alios rejiciant. At vero ex præſcripto noſtri §. *in die Paſchæ Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Epiſcopus, niſi aliquo legitimo impedimento fuerit præpeditus, Miſſam ſolemnem omnino celebrare debet, & in ea Communio generalis per ipſum Epiſcopum erit facienda.* Notanda verba illa; *omnino*, & *debet*, ac ea, quæ mox ſequuntur, *& in ea Communio generalis per ipſum Epiſcopum erit facienda.* Licet autem generalis iſta communio Cleri ſcilicet, ac populi jam in deſuetudinem abierit, celebrant enim hac die Presbyteri, olim tamen, ut ex variarum Eccleſiarum Ritualibus, atque Romanis antiquis Ordinibus liquet, in uſu fuit ubique locorum.

§. II.

Nam ſervatis omnibus, quæ ſuperius in Capite, *De Miſſa ſolemni, Epiſcopo Celebrante*, explicata ſunt uſque ad Offertorium, eo dicto, portatur ad Altare per Subdiaconum vas argenteum, vel aureum cum multis particulis, prout populi frequentia requiret, coopertum, quod Diaconus collocat ante Crucem, ita ut non impediat thurificationem Altaris, & cum Celebrans dicit, *Suſcipe Sancte Pater &c.* diſcooperit illud, & aliquantulum elevat, ac ſtatim reponit ſuper Altare, & cooperit; & iterum, cum Celebrans profert verba conſecrationis, Diaconus illud detegit, & poſt conſecrationem cooperit.

COMMENTARIUS.

I. ANtequam de Miſſa Celebritatis Paſchalis dicamus, abs re non erit priſcos, ac varios quoſdam ritus notare, qui in uſu erant in variis Eccleſiis. Et primo quidem quoad diem ſtatutam Feſti Paſchalis ex diſputationibus habitis tempore Aniceti, & Victoris

Digitized by Google

ctoris Pontificum Romæ fuisse traditionem a sanctis Apostolis Petro, & Paulo profectam, quod ibi semper in Dominica Paschа celebratum fuerit. Ex adverso a quibusdam creditum fuit Asianis, traditionem suam manasse a S. Joanne Euangelista, ut scilicet Pascha celebraretur, quartadecima Lunæ primi mensis, quacumque occurreret die. Verum post diuturnas disputationes primis seculis habitas de die, qua Pascha celebrandum foret, communi tandem consensu statutum est, ut Romanus usus ubique servaretur. Concilium Arelatense anni CCCXIV. Can. I. universis Christifidelibus præscripsit, ut Festum Paschatis eadem die ubique terrarum celebrarent; jussitque itidem, ut Romanus Episcopus cunctis Ecclesiis quotannis scribens, diem ipsam designaret. Actum est de hac re in Concilio I. Oecumenico, Nicæno I. ubi damnatis Quartodecimanis, Paschatis dies addicta est Dominicæ post quartam decimam Lunæ primi mensis, quæ vernum æquinoctium sequitur, propterea quod Jesus Christus resurrexerit ea Dominica, quæ magis Judæorum Paschati proxima est. Alexandrinis Episcopis a Concilio quoque præceptum fuit, ut quotannis Literas huc illuc mitterent, quibus dies Paschatis designaretur. Quod quidem Festum ex pervetusto ritu die Epiphaniæ annunciari solet, uti jam superius diximus, & Tomo III. nostri Romani Pontificalis.

II. Hisce notatis, ut Ritus Paschatis enarremus, juxta vulgatum Romanum Ordinem, in ipsa nocte Sabbati Sancti, *matutina luce rumpente tenebras*, surgentes ad Ecclesiam ibant Majores nostri, & mutua caritate se invicem osculantes, dicebant, *Surrexit Dominus de sepulcro*, deinde vero inchoabant Officium Matutinum per ea verba, *Domine labia mea aperies*. Verum in Gallicanis Ecclesiis non ante Nocturnum, sed eo omnino finito, prædictum caritatis osculum præbebatur, uti constat ex Ordinariis Turonensi, Bajocensi, Silvanectensi, in quorum ultimo ita legitur: *Post*, Benedicamus Domino, *unus Custodum Chori accedit ad Episcopum, vel Decanum, qui osculatur eum dicens*, Resurrexit Dominus. *Dictus autem Custos Chori osculatur alium, qui eum eo Chorum custodit; & tunc ambo deferunt aliis pacem in Chorum, & osculantur se invicem, dicendo*, scilicet, *Resurrexit Dominus*. Ex Ordinario Bajocensi osculum porrigenti respondetur, *Deo gratias*; ex Turonensi vero Ordinario, ut aliam omittam, *Gavisi sunt discipuli*.

III. Meminit ejus ritus in suo Rationali Durandus, Lib. VI. Cap. LXXXVI. Num. XVIII. *In Paschali septimana*, inquit, *salutare nos ad invicem hoc modo debemus, scilicet*, Resurrexit Dominus, *& salutatus debet respondere*, Deo gratias; *vel*, Et apparuit Simoni; *& postea debemus dare osculum adinvicem in signum pacis, & caritatis*. Tum vero addit, ritum hunc minime servatum suo ævo fuisse, Romanum tamen Pontificem hac die Missam Celebraturum Cardinales, Prælatos, Notarios, & Familiares suos consuevisse ea verborum formula salutare, & osculari. Similem ritum vigere hodieque apud Græcos, testatur Allatius Lib. III. *De consensu Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis*, Cap. XVIII. *Omnes die Resurrectionis Domini sacro post Matutinum, & alias Horas mutuis amplexibus, cum omnibus, depositis odiis, reconciliati in gratiam redeunt, & cum non omnes in eadem Ecclesia conveniant, ne tanto bono aliquid desit, per totum Paschatis, & septem subsequentes dies in plateis quoscunque obvios sibi factos iisdem amplexibus demerentur*. Fuse eundem hunc ritum enarrat Jacobus Eveillon in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. XIV.

IV. Dato osculo, eadem nocte sancta *post gallorum cantum, matutina irrumpente luce tenebras*, ut ait Ordo I. Romanus, cantabatur Officium Matutinum, sub lucis scilicet ortum; & quia nimis tarda erat hora pro longo Officio, Nocturnis amplius non erat locus, ideoque unus tantum recitabatur Nocturnus, sicut hodie dicitur per totam Hedomadam ex antiquo ritu, cujus meminit S. Gregorius VII. apud Gratianum Can. XV. *De consecratione*, Distinctione V. *In die Resurrectionis usque in Sabbatum in Albis, & in die Pentecostes usque in Sabbatum ejusdem, tres Psalmos tantum ad Nocturnos, tresque Lectiones antiquo more canimus, & legimus*. Unus tantum Nocturnus dicitur, quia ferme dies erat, quando incipiebatur hoc Officium, eratque hora Laudum; nam referente Amalario, moris erat tunc quidem Romæ, quando aderat aurora, Lectiones, seu Officium abbreviare, vel omittere, & Laudes sub lucis ortum inchoare.

V. Præmisso ad ipsum Nocturnum Versu, *Domine labia mea aperies*, &, *Deus in adjutorium meum intende*, cum Invitatorio, tres etiam alicubi decantari olim solebant Antiphonæ cum tribus Psalmis, omisso tam ad Nocturnum, quam ad Diurnum hujus diei Officium Hymno, qui tamen etiam in quibusdam Ecclesiis canebatur, ut notat Durandus. In Ordine Romano I. ac in aliis Invitatorium est, *Alleluja*; verum, ut docet in Ordine Romano XI. Benedictus Canonicus S. Petri, quidam dicebant, *Surrexit Dominus &c.* Additque, loco trium Antiphonarum ad Psalmos cantari, *Alleluja*. Notat Grancolas, in alio Ordine reperiri Antiphonas, quas etiam hodieque dicimus, & quidem a Psalmis desumtas juxta veterem morem. Teste S. Augustino in Sermone II. de S. Stephano, dicebantur hac die Lectiones ex Libro Actuum Apostolorum. Sic enim inquit: *Actus Apostolorum Liber est de Canone Scripturarum. Ipse Liber incipit legi a Dominico Paschæ, sicut se consuetudo habet Ecclesiæ*. Et in Sermone IV. ad Infantes die Paschatis habito: *Hodie*, ait, *cœpit Liber, qui vocatur Actuum Apostolorum*. Juxta Romanum Ordinem I. Cap. VII. prima quidem Lectio erat de Actibus Apostolorum, *secunda, & tertia de homeliis sancti Augustini*.

VI. Lectionum, & Responsoriorum numerus is erat, qui & Psalmorum; sed Lectiones recitabant tres ex insignioribus Chori, nempe Archidiaconus, Decanus, & Episcopus, ut antiqua Ordinaria docent. In Bambergensi Ecclesia cum circa annum MXX. Benedictus Papa VIII. Domi-

Digitized by Google

nica Reſurrectionis Matutinali intereſſet Officio, Aquileenſis Patriarcha Lectionem primam, ſecundam Archiepiſcopus Ravennas, tertiam Papa ipſe recitavit, uti legimus in Vita S. Henrici, Cap. XXIII. apud Surium ad diem XIV. Julii. Conſtat ex antiquis Ordinariis & illud, Lectiones ipſas a Cappa indutis dici conſueviſſe. Ex Rituali Sveſſionenſis Eccleſiæ tertiam Lectionem *legebat Epiſcopus Mitratus, & cum Cappa de pallio, ac duobus cereis præferentibus.*

VII. Ad Monachos quod attinet, legitur in Vita S. Roberti Caſæ Dei Abbatis, quod ipſe inſtituerit uſum dicendi in Paſchate, & Pentecoſte idem Officium, quod dicebat, dum eſſet Canonicus, & quod antea dicerentur noctu duodecim Lectiones. Apud Lanfrancum, Udalricum, & alios, ut notat Martenius, *De antiquis Monachorum ritibus*, dicuntur Pſalmi de Dominica conſueti. Scripſit Rupertus Abbas Tuitienſis, Libro IV. *De Officiis*, adverſus Monachos, quod Proceſſiones in ſuis Eccleſiis facerent, ut fiunt in Parochiis, ad Fontes Baptiſmales, quodque Officii ordinem inverterent; novem, ſeu duodecim Lectiones, de more recitandas illis eſſe demonſtrans, & eſſe contra ordinem Eccleſiarum, velle in locis, ubi Fontes non exiſtunt, id peragere, quod ad Baptiſmum tantum eorum, qui ad Fontes baptizabantur, inſtitutum eſſet.

VIII. Juxta antiquum ritum in multis Eccleſiis mos fuit, ut ante Nocturnum Officium ſolemnis ageretur Sanctiſſimi Sacramenti adoratio, quam ita deſcribit Bajocenſe Ordinarium apud Martene in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXV. Num. VII. Ante Matutinas facta pulſatione, & conglobato Choro ante Altare, cereis, & thuribulis accenſis, Epiſcopus Superpelliceo, & Stola indutus, facta Oratione ante Altare, ſtans ad cornu dexterum Altaris, lavat manus, incenſum benedicit, illudque ponit in thuribulo, & in medio Altaris Corporale explicat Sacerdos ſimiliter indutus. Deinde accedit ad ſepulcrum ex utraque parte expanſum, in quo Pyxis cum Reliquiis prædictis reſervatur; quam flexis genibus incenſat, eamque poſtea defert ad Altare, & cum ea Clero, & populo in modum Crucis benedicit more conſueto, & ſupradictum Corporale reponit, & incenſat, moxque ex ea ſumtum Corpus Dominicum genibus flexis adorandum oſtendit: quo in Pyxide repoſito, redit ad eundem locum, unde Calice cum Patena, & burſa ſumtis, & ad Altare delatis, ultimo vero Crucem extollens, & ad Altare converſus, incipiat Antiphonam, *Chriſtus reſurgens*, cum ſuo verſu, & regreſſu. Tunc omnes cum gaudio flexis genibus adorent Crucem, cantantes eandem Antiphonam, quæ dum cantatur, ſuper Altare Crucem deponit. Quo facto, ſtans Epiſcopus dicat ℣. *Surrexit Dominus de ſepulcro*; & Orationem, *Deus qui nobis Filium tuum*. Deinde cantatur Antiphona, *Regina Cæli*, cum ſuo Verſu, & Oratione, quæ dum cantatur, Epiſcopus iterum populo, & Clero cum Pyxide benedicit, eamque incenſatam Sacerdos in loco conſueto reponit, deinde lavat manus ad idem cornu dexterum Altaris, & dicit Orationem, *Deus qui per reſurrectionem &c.* ſtatim poſt Epiſcopus Cappa ſerica, & Mitra, cum Baculo, Chirothecis, & Annulo redimitus incipit Matutinas.

IX. Ab hoc ritu haud multum abſimilis eſt Proceſſio Sanctiſſimi Sacramenti, quam ita deſcriptam exhibet Ordinarium Eccleſiæ Laudunenſis apud eundem Martene Num. VIII. In die Paſchæ, inquit, ad Matutinum duæ magnæ Campanæ de miraculis inſimul pulſantur. Proceſſio vadit ad ſepulcrum ordinata in modum, qui ſequitur. Primo præcedit Clericulus aquam benedictam deferens, hunc ſequuntur duo Clericuli ferentes inſignia, duo alii Clericuli ferentes cereos, duo alii Clericuli Cappis ſericis induti, ferentes duas Cruces aureas, hos ſequuntur Clericuli. Deinde Cantor, & Succentor, Cappis ſericis induti, & quatuor Subdiaconi Canonici albis tunicis induti, pallium ſupra brachium tenentes. Hos ſequuntur alii combinati, unuſquiſque cereum accenſum deferens. Prædicti vero Diaconi ad oſtium ſepulcri venientes, incipiunt; *Ardens eſt*. Clericulus ſtans in ſepulcro reſpondet; *Quem quæritis?* Diaconi: *Jeſum Nazarenum*. Clericulus: *Non eſt hic.* Poſtea Cantor, & Succentor incipiunt: *Surrexit Dominus vere, Alleluja*. Deinde Pſalm. *Victimæ Paſchali laudes*, Et ſic cantando procedunt ante Crucifixum in medio Eccleſiæ, Sacerdos alba Caſula veſtitus, portans Calicem cum Corpore Chriſti, egrediens de ſepulcro reperit ante oſtium quatuor Subdiaconos albis tunicis indutos, pallium ſuper baculum tollentes, & illo protectus incedit in fine Proceſſionis, præcedentibus duobus Clericulis cum cereis, & aliis duobus juxta ipſum cum thuribulis. Dum autem Proceſſio pervenerit in medio Eccleſiæ, Cantor, & Succentor incipiunt ℟. *Chriſtus reſurgens.* Duo Diaconi cantant ℣. *Dicant nunc*. Quo cantato, Proceſſio intrat in Chorum cantando, *Quod enim vivit*. Sacerdos Calicem ſuper Altare deponit. Interim Campanæ ſimul pulſantur, Epiſcopus ſtans in Cathedra, Mitra, & Cappa præparatus, incipit, *Domine labia mea aperies &c.*

X. Nullum finem facerem, ſi hujuſmodi ritus vellem deſcribere ex aliarum Eccleſiarum Ordinariis; non enim Corporis Chriſti cum ſolemni pompa hac die in Proceſſione deferendi ritus uni fuit Laudunenſi Eccleſiæ ſingularis, ſed multis etiam aliis communis, vigetque etiam nunc in quibuſdam Galliæ Eccleſiis, ut teſtantur Martene, & Grancolas. Sed ut iidem Auctores docent, & ante ipſos Jacobus Eveillon, non una hac die peragebatur Proceſſio, ſed plures; in pleriſque quippe Eccleſiis poſt Matutinum fiebat Officium de ſepulcro, eratque popularis repræſentatio eorum, quæ mulieres egerant ad ſepulcrum, & colloquii cum Angelis. Cum Proceſſione ibatur ad locum qui dicebatur ſepulcrum, ubi repræſentabantur mulieres ad Chriſti ſepulcrum præcedentes: tres ſeniores Clerici retro Altare Mariarum formam induebant, candido velo ſuper Albam impoſito, & dum Chorus canebat, *Victimæ Paſchali*, alter

Digitized by Google

alter Chorus veniebat ad Altare, ubi erant Mariæ, & dicebat: *Dic nobis Maria*, & ipsæ respondebant: *sepulcrum Christi viventis*; postea subdit Chorus: *Scimus Christum*. Hoc autem videre est apud Joannem Abrincensem, & in Ordinariis Rotomagensi, Laudunensi, Svessionensi, Bellovacensi, Cabilonensi, Parisiensi, & Narbonensi.

XI. Curiosum plane est, ut hunc ritum narrat Durandus in Rationali Lib. VI. Cap. LXXXVII. Num. v. *Tertio Responsorio cum* Gloria Patri *decantato, cum cereis, & solemni Processione de Choro ad aliquem locum tendimus, ubi sepulcrum imaginarium cooptatur, & ubi introducuntur personæ sub formis, & habitu mulierum, & duorum discipulorum, scilicet Joannis, & Petri, qui ad sepulcrum Christum quærentes venere, & quædam aliæ personæ in personis, & forma Angelorum, qui Christum a mortuis resurrexisse dixerunt, in personis, quorum recte cantari potest illa secunda Responsorii primi particula*, Nolite timere &c. *usque ad finem Responsorii; tunc redeunt ad Chorum, quasi fratribus referentes, quæ viderunt, & audierunt, & unus redit citius alio, sicut Joannes cucurrit citius Petro, in personis quorum convenienter cantatur illud Responsorium*, Congratulamini, *sine versu*. Et mox: *Tunc Chorus audita resurrectione prorumpit in vocem altissime cantans, Te Deum laudamus &c.* Verum curiositate, & risu populi factum est, ut hujusmodi spectaculum, ac cæremonia supprimeretur, sicut & spectaculum illud variorum simulacrorum, quæ mane Paschatis cum solemni Processione deferebantur ad repræsentandum mysterium Resurrectionis Christi. Sane vidi ego Neapoli degens eam Cæremoniam, quæ tandem viginti circiter ab hinc annis sublata fuit.

XII. Mos antiquus præterea fuit, ut post Tertiam solemnis ageretur Processio, de qua ita inquit vulgatus Ordo Romanus: *Die sancto Paschæ induti solemnissimis vestimentis omnes Clerici convenientes ad Stationem ad sanctam Mariam Majorem primitus cantent Tertiam. Qua finita, respersi aqua sancta, quæ pridie collecta est de Fonte, tam ipsi, quam & omnis populus, procedunt cum omni decore, cum Crucibus, & thymiateriis, præcedentibus etiam sanctis Euangeliis cantantes Antiphonas processionales &c.* Mysterium ejusdem Processionis sic inter alios enarrat Libro VII. *De divinis Officiis*, Rupertus Abbas Tuitiensis, Cap. XX. & XXI. *Cum Crucibus, & vexillis, quæ sunt insignia victoriæ Christi, omnes albati, & exultantes in laude Resurrectionis sanctæ procedimus cum tanta populi expectatione sexus utriusque, majorum pariter, & minorum, ut corporaliter quoque illud Propheticum in nobis impleri videatur*: Cum jucunditate exibitis, & cum gaudio deducemini; nam & montes, & colles exilient, expectantes vos cum gaudio. *Ut autem Processio ageretur, ex mystica Euangelii auctoritate tractum est, scilicet ex eo, quod mulieribus præcipiunt, dicentes*: Ite dicite discipulis ejus, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam; *& ipse Dominus occurrens illis exeuntibus a monumento, cum tenuissent pedes ejus, & adorassent eum*. Ite, *inquit*, nuntiate Fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.

XIII. Ex præscripto Romani Ordinis Statio est ad Sanctam Mariam Majorem, & imitatione Ecclesiæ Romanæ in multis aliis Ecclesiis Processio hæc matutina vadit primo ad Altare, seu ad Oratorium Sanctæ Mariæ, quod ei credatur Christus ante omnes apparuisse, sicut scribit S. Ambrosius Lib. III. *De Virginibus*, ita inquiens: *Vidit Maria Resurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit*, quamquam nonnulli contendant, non de Maria Deipara, sed de altera Maria, quæ cum Maria Magdalena ivit ad monumentum, illa Ambrosii verba esse intelligenda. Sed Græci diserte profitentur in Pentacostario hac die: *Primum Resurrectio Dei Matri manifestatur*. Hoc Mysterium egregie observavit idem Rupertus Lib. citato, Cap. XXV. his verbis: *Quid Euangelicæ Fidei convenientius Christiana sedulitas comminisci potuit? quid pulchrius, quid venerabilius, quam congratulari Matri Virgini super Resurrectione Unigeniti jam non morituri, in cujus passione gladius animam ejus pertransivit?* Tum aliis allatis eam conatur constabilire opinionem, & deinde ita concludit: *Igitur pulcre, & laudabiliter traditum est a nostris Majoribus, ut in hodierna, cunctisque per annum Dominicalibus Processionibus, Beatæ Dei Genetricis memoriam prima Statione visitemus, eandem ob causam, qua in hodiernæ Missæ Officio Statio ad Sanctam Mariam præscribitur, ut eam principio lætitiæ nostræ proponamus*. Quibus similia scribit Durandus Lib. IV. Rationalis Cap. VI. atque hæc causa, cur tam frequenter in hoc Festo, & toto tempore Paschali cantetur Antiphona, *Regina Cæli lætare &c.*

XIV. In reditu Processionis Statio fit ante Crucifixum, cantando Responsorium, *Sedit Angelus*, juxta eundem Romanum Ordinem, & Durandum, cujus rei rationem ita explicat laudatus Rupertus Cap. XXIV. *Hujus diei Statio, qua Processio terminanda est in medio Templi splendide ordinata, rem ipsam, de qua dictum est, pulchre commendat; dum Sacer Ecclesiæ Chorus totus festivus, sexus utriusque populo circumstante, totis viribus in vocem exultationis, & solutis feliciter erumpit, cantando Antiphonam*, Sedit Angelus ad Sepulchrum Domini. *Hæc enim Antiphona rem ipsam patenter exprimit, quam perdocere omnes gentes jussi sunt Apostoli, scilicet, quod Deus homo factus mortem nostram moriendo devicit, & vitam nobis resurgendo reparavit*. Addit, eam Stationem nobis illud festivo concentu commemorare, quod scilicet in Galilæa jussi a Creatore suo Cæli enarraverunt gloriam Dei, gloriam Resurrectionis Christi, sicut legimus, quia *virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Jesu Christi Domini nostri*. Apostolos autem prædicantes mundo gloriam Resurrectionis in ea Statione representari in Ecclesia Andegavensi a senis Sacerdotibus, qui progressi ante Crucifixum cantant versum, *Cruci-*

Digitized by Google

cifixum in Carne laudate &c. docet eruditiſſimus Jacobus Eveillon in Libro citato, *De proceſſionibus Eccleſiaſticis*, Cap. xv. in fine.

XV. Proceſſionem tandem ſequebatur Miſſa, quæ, uti inquit Ordinarium Turonenſe Sancti Martini, *veniat Ordo Miſſæ reveſtitus in Chorum, & ſit Cantor cum Succentoribus ante januam Chori duobus pueris albis in Dalmaticis exiſtentibus, duo vero Vicarii Levitæ reveſtiti in Dalmaticis albis, ſtantes ante Sepulchrum Beatiſſimi Martini verſis vultibus ad Cantorem incipiant.* Quem quæritis? *Et duo pueri ſtantes ante Cantorem reſpondent*: Jeſum Nazarenum. *Levitæ*: Non eſt hic. *Pueri*: Alleluja, reſurrexit Dominus. *Tunc unus puer ſolus dicat ter*, Accendite, *exaltando vocem. Et alter puer reſpondet totidem vicibus*: Pſallite Fratres. *Sequitur ſolus puer una vice*: Accendite. *Alter puer reſpondet*: Pſallite Fratres. *Puer*, Accendite. *Alter puer reſpondet*: Pſallite Fratres. *Deinde Puer*: Accendite. *Alter Puer*: Pſallite Fratres. *Et his peractis ſimul Pueri verſis vultibus ad Cantorem dicant*, Hora eſt, cantate Deo, eja, *ſe inclinando*; *quo dicto*, *incipit Cantor Officium Miſſæ*. Similia in aliis Ordinariis legere eſt.

XVI. Quoad Miſſam nihil plane differt ab ea, quæ in antiquis Sacramentorum Libris reperitur. Introitus, *Reſurrexi*, uti notat Grancolas in Breviarium Romanum Cap. LXXII. Reſurrectionis Myſterio applicari nequit, niſi per quandam allegoriam, ſed non raro ſatis eſſe creditur, in Pſalmo aliquo quidpiam deprehendere, quod ad Feſtum applicari quoquo modo poſſit. Plura in ipſum Introitum Miſſæ Paſchatis notat in ſuo Rationali Durandus Libro VI. Cap. LXXXVIII. Num. IV. & ſeq. ubi etiam explicans verſum illum Pſalmi, *Domine probaſti me, & cognoviſti, tu cognoviſti Seſſionem meam, & reſurrectionem meam*; ait, in aliquibus Eccleſiis taceri verbum illud *ſeſſionem*, & ſolum dici, *reſurrectionem meam*. Oratio, *Deus qui hodierna die &c.* legitur paſſim in antiquis Libris Miſſalibus, atque Ordinariis, ſicut Epiſtola, & Euangelium. Verum teſte S. Auguſtino, cujus locum ſupra attulimus, olim in Africa pro Epiſtola legebatur Actus Apoſtolorum. In Miſſali Mozarabico, ubi duplex Epiſtola extat hac die, prima eſt ex Libro Apocalypſis, quia ſcilicet Concilium IV. Toletanum anni DCXXXIII. ita ſtatuit Canone XVII. *Siquis* Apocalypſim *deinceps, aut non receperit, aut a Paſcha uſque ad Pentecoſtem Miſſarum tempore in Eccleſia non prædicaverit, excommunicationis ſententiam habebit.*

XVII. In Miſſali Gothico Epiſtola deſumta eſt ex Epiſtola I. ad Corinthios, Cap. XV. *Notum facio vobis Euangelium &c.* duæque in eo habentur Miſſæ, prima de Feſto: *Miſſa prima in Feſto ſancto Paſchæ*; & ſecunda pro novis baptizatis, quæ dicebatur quotidie per hebdomadam: *Miſſa matutinalis per totum Paſcha pro parvulis, qui renati ſunt.* Porro cum ex præſcripto Eccleſiæ in Canone, *Omnis utriuſque ſexus. De pœnitentiis & remiſſionibus*, omnes Chriſtifideles hac die communicare teneantur, ut præceptum illud rite perageretur, unica olim in ſingulis Parochialibus Eccleſiis Urbis Remenſis celebrabatur, ad quam omnes communicabant; ubi tamen major exiſtebat Communicantium multitudo, altera Miſſa addebatur, uti ex pervetuſto Rituali Diœceſis Remenſis docet Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXV. Num. XXVIII. ubi etiam notat, unicam adhuc Miſſam hac die celebrari a Monachis Carthuſienſibus, in qua omnes Presbyteri de manu Prioris communionem capiunt ex Statutis Guigonis, Cap. IV.

XVIII. Graduale, & *Alleluja* hac die, ac per totam hebdomadam tam in Miſſa, quam in Veſperis *retro Altare* cantari jubet Narbonenſe Ordinarium; in pleriſque autem Eccleſiis, ac præſertim in Turonenſi, ac Toletana, *Alleluja* cum duplici verſiculo dicebatur. Teſte Sozomeno, Lib. VII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*. Cap. XIV. *Romæ quotannis ſemel canitur Alleluja primo die Paſchalis ſolemnitatis*. Sed ſcite admonet eruditus Martenius merito eſſe de hoc teſtimonio dubitandum; nam teſte S. Auguſtino in Epiſtola LV. *Alleluja* in Quinquageſima, hoc eſt, a Paſchate uſque ad Pentecoſtem *ubique* cantabatur. Proſam, *Victimæ Paſchali &c.* recentiorem eſſe in hac Miſſa, obſervat Grancolas, licet ejus meminerit in ſuo Rationali divinorum Officiorum Gulielmus Durandus Libro VI. Capite LXXXVII. Num. V. Teſte Gavanto in Rubricas Miſſalis, parte IV. Cap. II. proſa ipſa auctorem habet hactenus incognitum, nulluſque ante Durandum ejuſdem meminit, niſi obſcuriſſime Honorius Auguſtodunenſis in ſua Gemma animæ.

XIX. Tandem ex noſtro §. ſervatis omnibus, quæ ſuperius in Capite, *De Miſſa ſolemni, Epiſcopo Celebrante*, explicata ſunt uſque ad Offertorium, *eo dicto*, *portatur ad Altare per Subdiaconum vas argenteum, vel aureum cum multis particulis, prout populi frequentia requiret, coopertum*; quia ſcilicet, ut infra dicemus, antiquus eſt ritus, ut in hac Miſſa Clerus, ac populus communicaret: Ex Cæremoniali Patricii Lib. II. Sectione II. Cap. I. quod eſt de Feſto Reſurrectionis Domini, Papa celebrante, *dicto*, Et homo factus eſt, *Subdiaconus portat ad Altare Calicem Criſtallinum cum multis Hoſtiis parvis conſecrandis pro Communione populi Patena coopertum, deſuper burſam cum corporalibus, Hoſtiariam cum Hoſtiis, & purificatorium: quæ omnia Diaconus accipiens, ponit ſuper Altare in cornu Epiſtolæ*. Et paulo poſt: *Diaconus Cardinalis ponit dictum Calicem criſtallinum cum Hoſtiis parvis ſuper Corporalia in medio ante Crucem, itaut non impediat incenſationem Calicis, & Hoſtiæ, ſed quod inter ambos Calices ſit competens diſtantia*. Tum vero ſubjicit: *Cum dicetur per Papam*, Suſcipe ſancte Pater, omnipotens æterne Deus &c. *Calix Hoſtiarum diſcooperitur, & elevatur aliquantulum per Diaconum, & eo dicto, per eum cooperitur cum Patena &c.* Atque hic habes non modo quod edicit §. noſter, ſed quo etiam magis magiſque illuſtretur.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Cum vero Epiſcopus Sanguinem Domini ſumſerit, & mox Diaconum, & Subdiaconum communicaverit, qui oſculantur primo manum, deinde faciem Epiſcopi, qui eis dicit, *Pax tecum*, & illi reſpondent, *Et cum ſpiritu tuo*; ac etiam antequam ſe purificaverit, & digitos abluerit, retrahit ſe ad cornu Euangelii, verſa facie ad cornu Epiſtolæ, & Subdiaconus ſtabit poſt ipſum; Diaconus vero ſtans in cornu Epiſtolæ verſus Celebrantem aliquantulum inclinatus, ac manibus junctis, cantabit Confeſſionem in tono, & notis conſuetis, ſtantibus Canonicis, & Clero, exceptis his, qui ſunt communicandi, qui genuflectere debent, & tunc per Cæremoniarium vocantur. Epiſcopus vero Celebrans, finita Confeſſione, legit ex Libro ante ſe allato, vel memoriter, voce intelligibili Abſolutionem, videlicet, *Miſereatur veſtri &c.* & *Indulgentiam &c.* & faciet ſuper populum ſignum Crucis, & ſtatim loca permutat, videlicet, Celebrans cum Subdiacono accedunt cum debitis genuflexionibus ante Sanctiſſimum Sacramentum ad cornu Epiſtolæ, Diaconus vero, relicto dicto cornu Epiſtolæ, vadit ad cornu Euangelii, & capit cum debitis reverentiis dictum vas, ſeu Pyxidem coopertam cum Hoſtiis, & eandem diſcooperit, & Epiſcopus firmat ſe in medio Altaris, illi renes vertens, ad cujus dexteram ſtat Diaconus cum particulis conſecratis, ad ſiniſtram Subdiaconus cum Patena; eodemque tempore vocentur duo Capellani, ſeu Acolythi Cottis induti cum mantili albo, quod genuflexi ſuſtinent ante communicandos hinc inde ambabus manibus per quatuor angulos, quouſque perfecta fuerit Communio: qui autem Communionem ſumturi ſunt, convenienter debent ſinguli cum debitis reverentiis ante Epiſcopum accedere, & Communione ſumta, per latus ſiniſtrum Celebrantis diſcedant, & ibi in cornu Epiſtolæ accipiant purificationem de manu Sacriſtæ, vel Miſtri, Calicem cum vino, & mappula ad tergendum appenſa, miniſtrantis.

COMMENTARIUS.

I. OBſervat inter alios rerum Liturgicarum Scriptores Joannes Belethus in ſua divinorum Officiorum explicatione, Cap. cxx. præceptum in primitiva Eccleſia fuiſſe, *ut ſingulis diebus Corpus Domini ſumeretur; poſtea vero creſcente numero Fidelium, ut ſingulis diebus Dominicis*. Tum ad morem ſui ævi alludens, nempe ad Seculum XII. quo ipſe floruit, ita ſubjicit: *Modo autem nos tenemur in tribus ſolemnitatibus, nimirum Paſchate, Pentecoſte, & Natali*. Sed tandem refrigeſcente in dies Fidelium charitate, Innocentius III. in Concilio Lateranenſi anni MCCXV. Cap. XXI. obligationem communicandi ad annuam, & Paſchalem Communionem reduxit; licet non defuerint poſtea Concilia, quæ trinam per annum, in Natali ſcilicet Domini, Paſchate, & Pentecoſte Communionem præciperent, uti videre eſt in Concilio Tholoſano anni MCCXXVIII. Cap. XXXI. & in Albienſi anni MCCLIV. Cap. XXIX.

II. Hiſce notatis, quod noſtri §. Rubricam attinet, bona ex parte deſumta eſt ex Cæremoniali Patricii Lib. II. Sectione II. Cap. I. ubi ritus ipſe Communionis Paſchalis, qui in Capella Pontificia ſervabatur, ita enarratur: *In hac die poſtquam Papa dicit*, Per omnia ſecula ſeculorum, *ante* Pater noſter, *non reſpondetur*, Amen, *ſed Papa continuat*, Oremus præceptis &c. *Pax datur omnibus etiam Diaconibus Cardinalibus communicandis, præter illum, qui Euangelium cantavit*. Pacis oſculum a Celebrante communicantibus præbendum, docent varia Eccleſiarum Ordinaria: *Non datur Pax in Choro, ſed antequam communicentur, qui communicandi ſunt, det Epiſcopus oſculum pacis unicuique, antequam communicet*. Verba ſunt antiqui Ordinarii Bajocenſis.

III. Sicut in Cathedralibus Eccleſiis communicantes Pacis oſculum ab Epiſcopo celebrante, ita Monachi in Eccleſiis ſuis oſculum ipſum a Celebrante accipiebant Communionem ſcilicet ſumturi, uti docet Codex Miſſalis Monaſterii Athanacenſis: *Dicto*, Agnus Dei, *ante receptionem vadat Abbas, vel qui celebrat, ad gradus, & ibi recipiant omnes pacem ab eo. Abbas oſculando Fratres, dicat unicuique*, Pax tecum Frater; *alter vero reſpondeat*, Et cum ſpiritu tuo. *Primo accipiant pacem Diaconus, & Subdiaconus; inde Majores primi. Quo facto, ad Altare revertatur, & tunc omnes in circuitu Altaris veniant, & cantent alta voce Antiphonam*, Venite populi. *Cum dicitur*, Ipſum ſolum adoremus, *omnes flectant genua, & dum ipſa cantatur, habeant duo Majores thuribula thurificantes Altare. Poſtmodum faciant receptionem, & communicent omnes, qui non celebraverunt*. Idem legitur in variis Ordinariis, atque antiquis Miſſalibus Libris.

IV. Eſſe

Digitized by Google

IV. Erat profecto antiquus ritus, ut populi ad Communionem ſub præſcripta verborum formula invitarentur, quæ etiam cum gravi, & ſuavi melodia decantabatur, eratque hujuſmodi: *Venite populi ad ſacrum, & immortale Myſterium, & libamen agendum. Cum timore, & fide accedamus, manibus mundis, pœnitentiæ munus communicemus, quoniam propter nos Agnus Dei Patri Sacrificium propoſitum eſt. Ipſum ſolum adoremus, ipſum glorificemus cum Angelis clamantes, Alleluja.* Hanc Antiphonam hactenus cantari in Eccleſia Turonenſi, teſtatur in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Martenius, Cap. XXV. Num. XXVI. eamque ex veteri Miſſali ejuſdem Eccleſiæ Turonenſis ante annos DDCC. exarato, idem Auctor deſcripſit, quam etiam ante Communionem dicendam præſcribunt vetus Ordinarium Cabilonenſe, Miſſale Pictavienſe, & inter alia Miſſale Ambroſianum.

V. Quonam vero ritu id fieret, ita exponit laudatum Cabilonenſe Ordinarium: *Venit Chorus in Cappis poſt Communionem Sacerdotis, vel Epiſcopi. Diaconus, & Subdiaconus ante Altare. Epiſcopus ante ſeparatur a dextera parte Altaris cum Mitra, & Baculo, & incipit Cantor Antiphonam*, Venite populi, *aliis proſequentibus. Et cum pars illa dicitur*, Ipſum ſolum adoremus, *flectantur genua. Finita Antiphona, accipiunt Canonici, & Clerici deſuper ſtallum, & alii de ſubſtallum qui communicari debent, oſculum Pacis ab Epiſcopo. Poſtea communicat eos Epiſcopus, Mitra, & Baculo depoſitis, & laicos, ſi fuerint.* Porro is fuit Occidentalis Eccleſiæ ritus, qui ex aliis multis antiquis Codicibus confirmari poſſit. Nam quantum ad Eccleſiam Orientalem, notatum eſt illius antiquiſſima conſuetudo, qua cum Communionis tempus accidiſſet, clamabat Pontifex alta voce, *Sancta Sanctis*, uti videre eſt in Conſtitutionibus Apoſtolorum Lib. VIII. Cap. XIII. S. Cyrillum Alexandrinum Lib. XII. in Joannem Cap. XXX. S. Cyrillum Hieroſolymitanum Catecheſi V. Myſtagogica, S. Joannem Chryſoſtomum Homilia XVII. in Epiſtolam ad Hebræos, & Homilia XXXIV. ad populum Antiochenum, in qua tamen tradit, Diaconum in Synaxi ſubinde clamare ſolitum fuiſſe, *Agnoſcite vos invicem.*

VI. Sed ut ritus præſcriptos in noſtro §. perſequamur, jam, uti ſuperius notatum eſt, concinunt illi partim memorato Cæremoniali Patricii, partim vero ab illo diſſentiunt; nam in primis, eodem teſte Auctore, in Pontificia Capella Diaconus, & Subdiaconus, ſub utraque ſpecie communicant; deinde vero Papa Communionem generalem largiturus, non ad Altare, ſed in Solio ſuo illam præbet, ſtans ſcilicet ſine Mitra. Ex præſcripto noſtri §. ubi Epiſcopus Sanguinem Domini ſumſit, & mox Diaconum, & Subdiaconum communicaverit, illi prius deoſculantur manum, & poſt Communionem faciem Epiſcopi, qui eis dicit, *Pax tecum*, & illi reſpondent, *Et cum ſpiritu tuo.* Tum Epiſcopus antequam ſe purificet, retrahit ſe ad cornu Euangelii, verſa facie ad cornu Epiſtolæ; Subdiacono autem ſtante poſt ipſum, Diaconus in cornu Epiſtolæ ſtans, verſus Epiſcopum aliquantulum inclinatus, ac manibus junctis, cantabit Confeſſionem in tono, & notis conſuetis, ſtantibus Canonicis, & Clero, exceptis his, qui ſunt communicandi, quippe qui genuflectere debent, & tunc per Cæremoniarium vocantur.

VII. Quidquid de eo ritu ſit, ex Rubrica noſtri §. præter communicandos, qui ſcilicet genuflectunt, dum Communionem accipiunt, ſtare debent Canonici, & Clerus. Licet autem in Vaticana, atque in aliis Baſilicis Urbis, Canonici, & Clerus genuflectant, dum fit Communio in Miſſa ſolemni, notum eſt tamen, hunc ritum fuiſſe aliquando correctum a Summo Pontifice Benedicto XIII. quo tamen defuncto, ritus ipſe antiquus innovatus fuit, genuflectentibus Canonicis, & Clero prædictæ Baſilicæ, ſicut & aliarum plurium Urbis, uſquedum abſoluta fuerit Communio, quod tamen noſtro huic §. contrarium eſt, & Auctoribus, qui ſacros ritus enarrant, inter quos, ut alios omittam, Bauldryus in ſuo Manuali Parte III. Cap. XII. Articolo X. Num II. citans locum noſtri hujus §. ita ſcribit: *Qui communicandi ſunt, accedunt ad Altare cum debitis genuflexionibus ſoli, ibique ſic manent, aliis de Clero ſemper ſtantibus.*

VIII. Sane ſi ex Rubricis Miſſalis, & praxi omnium Eccleſiarum ſtat Clerus in Choro, cum Celebrans ſe communicat, intelligere prorſus neſcio, cur ad Communionem Miniſtrorum genuflectat? Quid quod in primitiva Eccleſia, & plura poſt pacem ei redditam ſecula Fideles ſtantes communicabant? Teſtatur id quidem de Græcis Joannes Bona Cardinalis Lib. II. *Rerum Liturgitarum*, Cap. XVII. Num. XVIII. ſic inquiens: *De ſitu Communicantium, ſi de Græcis ſermo ſit, nulla eſt dubitatio, quin ſtantes divina dona percipiant, ſed prono capite, & demiſſis oculis.* Addit mox, de Latinis non audere ſe id adfirmare, quod nihil habeat ex antiquis Scriptoribus, quod id confirmet, *niſi quod etiam hodie in Miſſa ſolemni Romani Pontificis, Diaconus communicetur ſtans omnino, ex veteri ritu.* Concludit autem, *ut in reliquis, ita etiam in hac re ſimiles ab initio utriuſque Eccleſiæ ritus fuiſſe.*

IX. Non utique genuflexos, ut hodie fit, ſed ſtantes communicaſſe Fideles, probant Henricus Valeſius in Notis ad Librum VII. Euſebii, Cap. IX. Iſaacus Habertus ad Pontificale Græcorum pag. 270. Joannes Thierſius in Gallica Diſſertatione, *De Altaribus*, & inter alios Edmundus Martene, Tomo I. *De antiquis Eccleſiæ Ritibus*, Cap. IV. Articulo VII. Num. VII. qui etiam in Additionibus ad ipſum Tomum, pag. 678. ita quidem ſcribit: *Nos proſtrati Chriſtum adoramus, Canonici Lugdunenſes ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine hactenus ſtando id præſtant.* Labente Seculo XV. ritum ipſum genuflectendi ad Euchariſtiam adorandam non fuiſſe univerſalem liquet ex Concilio Remenſi anni MCDLXXIII. in Tit. *De Eccleſia*, Num. XX. ubi ita ait: *Quoniam apud omnes fere Catholicos uſus modo obtinuit, ut pro-*

Digitized by Google

procumbentes adorent divinam Euchariſtiam, *Sancta Synodus hortatur*, *ut ſiquæ Eccleſia altero modo adhuc utatur*, *& ſtando Chriſti Corpus adoret*, *procumbat deineeps*, *dum Sancta Myſteria adoranda proponuntur*. Servandum plane hodie eſt, quod Eccleſia, ejuſque Hierarchæ mandant, Euchariſtiam ſcilicet ſumturos eſſe quidem genuflexos, ſtantem autem in Choro Clerum. Quod ultimum peculiari Diſſertatione numeris omnibus abſoluta, quam manu exaratum vidimus, egregie probat Vir Cl. Vaticanæ Baſilicæ Beneficiatus, Dominicus Pizzus, variiſque rationibus ritum a Benedicto XIII. in ipſa Baſilica aliquando emendatum propugnat, atque Adverſariorum effugia cuncta refellit,

X. Finita confeſſione, Epiſcopus celebrans, ut ait noſter §. *legit ex Libro ante ſe allato*, *vel memoriter*, *voce intelligibili*, *videlicet*, Miſereatur veſtri &c. *&* Indulgentiam &c. *& faciet ſuper populum ſignum Crucis &c.* ſtans ſcilicet ſine Mitra & ſine Baculo, ut notant Patricius, & Craſsus, quorum alter etiam ait Lib. II. Cap. XLIV. poſſe etiam Epiſcopum, ſi volet, cantare ea verba, *Miſereatur veſtri &c.* & *Indulgentiam &c.* Quibus dictis, & reſponſo per Chorum, *Amen*, atque omiſſis verbis, *& benedictio Dei &c.* populum tantum Cruce ſignans nihil dicit, ut iidem Auctores docent. Sane peracto hoc ritu, *ſtatim loca permutat*, ut ait noſter §. *videlicet Celebrans cum Subdiacono accedunt cum debitis genuflexionibus ante Sanctiſſimum Sacramentum ad cornu Epiſtolæ*, *Diaconus vero*, *relicto dicto cornu Epiſtolæ*, *vadit ad cornu Euangelii*, *& capit cum debitis reverentiis dictum vas ſeu pyxidem coopertam cum Hoſtiis*, *& eandem diſcooperit*. Ex Cæremoniali Patricii Diaconus ſtans in medio Altaris accipit Calicem cum Hoſtiis conſecratis, & illum dat Subdiacono ante ſe genuflexo, qui illum portat ad latus ſiniſtrum Solii Papæ, ibidem ſtans uſque ad finitam Communionem.

XI. Sed hic peculiaris eſt ritus Pontificiæ Capellæ; ex noſtro autem §. &, uti docet laudatus Craſſus, loco citato, *Epiſcopus firmat ſe in medio Altaris*, *illi renes vertens*, *ad cujus dexteram ſtat Diaconus cum particulis conſecratis*, cum Calice ſcilicet, ſeu vaſe, aut Pyxide, in qua illæ extant; *ad ſiniſtram Subdiaconus cum Patena*; ut illam ſcilicet dexteræ Epiſcopi Communionem præbentis ſupponat, ut ait Craſſus, vel, ut eſt uſus, mento cujuſque communicandi; *eodemque tempore vocentur duo Capellani*, *ſeu Acolythi Cottis induti cum mantili albo*, *quod genuflexi ſuſtinent ante communicandos*, *hinc inde ambabus manibus per quatuor angulos*, *quouſque perfecta fuerit communio*. Licet autem in hoc §. noſtro minime præcipiatur, ut Epiſcopus dicat, *Ecce agnus Dei &c. Domine non ſum dignus &c.* & *Corpus Domini noſtri &c.* convenit tamen, ut illa dicat, ſicut alii Sacerdotes. Docente in ſuo Cæremoniali Patricio, Subdiaconum ad Papam euntem cum memorato Calice ſacras Hoſtias continente, *ſequuntur duo Auditores cum mappula ſericea gremio Pontificis imponenda antequam populum communicet*, *quam dicti Auditores hinc & inde apud Papam genuflexi tenent uſque ad finem Communionis*.

XII. Qui autem Communionem ſumturi ſunt, ut idem hic noſter §. inquit, *debent ſinguli cum debitis reverentiis ante Epiſcopum accedere*. Nam alias, ut docet Craſſus, *communicandi non commode*, *nec decenter ſunt per ſemicirculum ſuper gradibus Altaris a cornu Euangelii ad cornu Epiſtolæ genuflexi per tranſverſum*, *ut Bononiæ fieri ſolet*. Additque mox, non eſſe honeſtum, quod Epiſcopus Celebrans ante illos vadat, ſed melius, ac honorabilius fieri, ſi e converſo ſinguli per lineam longam, ſcilicet unus poſt alium ad ipſum Celebrantem veniant, ibique genuflexi capiant ſacram Hoſtiam de manu ejus prius oſculata. Ritum eſſe Pontificiæ Capellæ, ut Cardinales ante Communionem, manum Pontificis deoſculentur, docet in ſuo Cæremoniali Patricius loco citato. Amelius autem in Ordine XV. Romano Cap. LXXXV. quod eſt de Communione Diaconorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum, inter alia & illud notat, *quod quilibet qui communicat*, *conſuevit offerre aliquid ſuper Altare poſtquam communicaverit*, *& totum illud eſt Sacriſtæ*, *& Capellanorum*. Erat Amelius Sacriſta Pontificis, ideoque agit cauſam ſuam.

XIII. Communione ſumta, cautum eſt ex noſtro §. ut communicati *per latus ſiniſtrum Celebrantis diſcedant*, *& ibi in cornu Epiſtolæ accipiant purificationem de manu Sacriſtæ*, *vel Miniſtri*, *Calicem cum vino*, *& mappula ad tergendum appenſa*, *miniſtrantis*. Id ipſum jam olim docuit Patricius; poſtquam enim dixit, ſingulos communicandos, antequam Communionem ſumant, debere manum Papæ, non autem pedem deoſculari, ita ſtatim ſubjicit: *Cum Papa Communionem populi incipit*, *Sacriſta*, *vel Diaconus Græcus ſtans in cornu Epiſtolæ*, *in manibus ſuis teneat Calicem cum puro vino*, *quo communicati ſe purificent*, *& in ſiniſtra habeant mappulam albam mundam*, *qua ipſi* ora ſua *extergant*; *deinde ad loca ſua redeant*. De eodem ritu loquens Craſſus, ait, communicatos per latus ſiniſtrum Celebrantis diſcedentes, debere ſtantes bibere vinum de Calice, *quem aliquis paratus in cornu Epiſtolæ teneat cum aliqua mappa pedi Calicis alligata*, *ex qua omnes ora tergant*.

XIV. Notatu hic digna ſunt quæ in laudato Romano Ordine ſcribit Amelius, nempe in Miſſa Pontificia, quæ hac die celebrata fuiſſet, omnes, & ſingulos, quicunque vere confeſſi, & pœnitentes eſſent, atque corde contriti, potuiſſe a Papa ſacram Communionem accipere *abſque licentia Epiſcopi*, *Plebani*, *vel alterius majoris*; deinde eiſdem omnibus, *qui communicaſſent de manu Papæ*, porrectam a Diacono fiſtulam, *ad bibendum de Sanguine Chriſti*. Unde ſatis liquet, Communionem ſaltem Paſchalem in Miſſa Pontificia peractam fuiſſe ſub utraque ſpecie uſque ad Amelii ævum, qui etiam illud docet, poſt perceptionem Sanguinis, quemlibet bibiſſe *modicum de vino in Calice de manu Sacriſtæ*, *vel Acolythi Cali-*

Digitized by Google

Calicem tenentis. Nec omittendum quod idem Auctor notat, nempe, *quod buticularii Papæ debent portare tres, vel quatuor magnas quartas vini puri, & optimi pro Communione; vinum vero, quod remanet tam in magnis Missis, quam in parvis Papalibus, semper est Sacristæ*. Et ecce hic aliud Sacristarum Pontificiorum emolumentum, quod Amelius Sacrista nefas censuit omittere.

XV. Scribit præterea Belethus in sua divinorum Officiorum explicatione, Cap CXIX. statutum esse in quibusdam Ecclesiis, & ubique terrarum sic debere fieri inquit, *ut illo die panis, & vinum in Ecclesia habeatur, & cum homines communicaverint, detur unicuique panis buccea, priusquam recedant, & paululum vini, ne forte quippiam de Sacramento in ore remanserit, quod expuendo facile emitti queat*. Est ritus sane antiquus, de quo inter alia accusationum capita perperam ab æmulis suis accusatus fuit S. Joannes Chrysostomus, qui, ut ait in ejus Vita Palladius, *admonebat omnes, ut post Communionem aquam, aut pastillum degustarent, ne cum saliva, aut pituita aliquid e symbolo Sacramenti præter voluntatem expuerent; quod primus ipse faciebat*. Sed hanc calumniam damnavit jam Ecclesiæ praxis etiam Occidentalis; nam S. Benedictus in Regula, Cap. XXXVIII. Lectori die Dominico mixtum sumere concedit *propter Communionem sanctam*, scilicet, ut exponit Smaragdus, *ne aliquid inde sumtum excreans projiciat in sputo*.

§. IV.

Cum autem Communio exhibetur Canonicis, vel Magistratui, convenienter debet aliquis Canonicus, vel eorum ultimus, dummodo tamen sit in Sacris constitutus, purificationem præbere; deinde pro reliquis Beneficiatis id munus exequitur aliquis Beneficiatus; pro reliquo Clero, & populo aliquis Capellanus; & ne confusio inter euntes, & redeuntes fiat, bonum erit adhibere aliquos de Clero, ad id deputatos, ut omnes quiete, devote, & ordine suo progredi curent, & per latus sinistrum revertantur.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam hodie Canonici Presbyteri, aliique Sacerdotes minime in Paschate communicare soleant, tradit tamen Crassus in suo Cæremoniali Libro II. Cap. XLIX. in fine, *pro Communione Canonicorum solemniter, & devote fienda*, posse ab Episcopo omnes ipsos prius moneri, *etiam sub aliquo mandato ac exhortatione ad exemplum populi ut omnes sint dispositi pro Communione in die illa per manum ipsius, & in illo loco fienda*. Sed licet hodie Canonici Sacerdotes non soleant communicare in Paschate per manum Episcopi, cum tamen Communio Canonicis saltem Diaconis, & in aliis inferioribus Ordinibus constitutis, qui scilicet Canonicatu insigniti sint, exhibetur, vel Magistratui, ut ait hic §. noster, *convenienter debet aliquis Canonicus, modo tamen sit in Sacris constitutus, purificationem præbere &c.* Id quod consentanee ad hunc nostrum §. docet memoratus Crassus sic inquiens: *Hic autem, qui tenet Calicem, debet esse ultimus Canonicus ministrans vinum Canonicis, & Magistratui, si modo ipse sit in sacris Ordinibus constitutus*. Et mox: *Sed unus Mansionarius pro Mansionariis, & unus Capellanus pro Capellanis, & aliis de Clero, & populo*, tenebit scilicet Calicem cum vino ad præbendam illis purificationem; qui etiam, ut idem subjicit, *si fessus erit, mutabitur, alio suffecto; & ut hi communicandi euntes simul, & redeuntes non se simul conculcent, providebitur etiam deputatis custodibus, ut quidem per rectum aditum ingrediantur, sed recedant per laterale diverticulum, excepto Legato, Magistratu, & Canonicis, qui illac redibunt, qua iverant*. Ita Crassus; sed recte admonet §. noster, deputandos ad tollendam confusionem inter euntes ad communicandum, & redeuntes a Communione, debere esse *aliquos de Clero*, quorum scilicet munus sit, *ut omnes quiete, devote, & ordine suo progredi curent, & per latus sinistrum revertantur*. Communionis ordo is erat, ut primum Episcopi, tum Presbyteri, postea Diaconi communicarent. His succedebant Subdiaconi, & alii inferiores Clerici, Monachi, Virgines, ac tandem laici, primum viri, deinde feminæ. Laicos consuevisse olim post acceptam ab Episcopo Eucharistiam, eidem osculum dare, ex S. Hieronymo, & Paulo Diacono docet Valesius in Eusebium Lib. IV. Cap. XLIII.

§. V.

Si aliquis Prælatus, non tamen Episcopus consecratus, vellet communicare, debet ante Communionem osculari manum Episcopi Celebrantis, & sumta Communione faciem; & idem omnes Canonici parati observabunt: reliqui omnes tam de Clero, quam de populo, & etiam Magistratus, osculantur manum Episcopi tantum ante Communionem.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Ordo autem euntium ad Communionem erit idem, qui ſervatur in diſtributione Candelarum, & Palmarum, ac incenſi, ut ſuo loco dicitur.

COMMENTARIUS.

I. EAdem, quæ noſtrum Cæremoniale in duobus hiſce Paragraphis, tradidit in ſuo Cæremoniali Craſſus Lib. II. Cap. XLIX. prope finem, ſic inquiens: *Si autem Locumtenens, aut Gubernator aderit, qui non ſit Epiſcopus conſecratus, ſed Protonotarius, aut etiam electus in Epiſcopum, ſed non conſecratus, tunc manum ante Communionem, deinde poſt illam Celebrantis faciem oſculabitur, quod etiam facient omnes Canonici, qui ſunt parati, inter quos etiam Diaconus, & Subdiaconus, & Aſſiſtens, qui ibunt ordine, quo in Choro ſedere ſolent. Reliqui vero quicunque, & quotcunque ſunt, ſive Eccleſiaſtici, ſive laici, ut Vexillifer, & Prætor, ac alii omnes, ante ſumtionem Hoſtiæ ſolam manum oſculabuntur.* His plane enarrat laudatus Auctor Rubricam noſtri §. v. nam quod Rubricam ſpectat §. noſtri VI. ita mox idem ſubjicit: *Ordo autem venientium ad Communionem ſervabitur, qui ſupra in ordine dandi incenſum dictum eſt.*

II. Porro ſi eſſet aliquis Cardinalis non Sacerdos, qui vellet communicare, ſive Diaconus, ſive Presbyter, vel etiam Epiſcopus conſecratus, tunc uti poſt Craſſum docet Bauldryus in ſuo Manuali Parte III. Cap. XI. Articulo X. Num. VII. capit Communionem ante omnes, præcedente Mazzerio, & Cæremoniario, a dignioribus de Choro in habitu prout ſunt, qui bini eum ſequuntur, aſſociatus, ſibi ipſi ob reverentiam Sanctiſſimi Sacramenti caudam Cappæ trahens, quem ſequitur dignor de ſua familia, & alii, ibit ad Altare, ubi genuflexus ante infimos gradus adorabit Sanctiſſimum Sacramentum ſuper pulvino. Tum aſcendet ad Celebrantem ſtantem verſus eum, a quo etiam ipſe ſtans, medius inter duos prædictos digniores mantile ante pectus ejus ſuſtinentes, non præmiſſa Confeſſione, nec data Abſolutione, nec dicto, *Ecce agnus Dei*, nec *Domine non ſum dignus*, Communionem accipiet, non oſculando manum ipſius Celebrantis, ſed tantum faciem poſt Communionem, ſi Celebrans Prælatus ſit; nam alias nec faciem oſculatur; & interim omnes, qui eum ſequuti ſunt, genuflexi manent ob reverentiam Sanctiſſimi Sacramenti.

III. Notat hæc quidem Bauldryus, cui tamen non adhæreo cum ait, Cardinalem ſtando accipere Communionem, debet enim, ſicut & ceteri ob reverentiam Sacramenti eſſe genuflexus, eſtque hic uſus Pontificiæ Capellæ, in qua vel Cardinale celebrante, genuflectunt Cardinales, cum Communionem ſumunt. Sane Sede vacante Cardinales conclave ingreſſi in generali Communione per manum Cardinalis Decani communicantes non modo genuflexi Communionem accipiunt, ſed & ejus manum deoſculantur, exceptis ſolum Cardinalibus Epiſcopis Suburbicariis, qui genuflectunt quidem, ſed manum non oſculantur, nam Cardinales Ordinis Presbyteralis quamquam Epiſcopi ſint, & Archiepiſcopi, & genuflexi Communionem accipiunt, & oſculantur.

IV. Sed non omittendum, quod de purificatione docet Craſſus ſumenda a Cardinali Legato poſt Communionem. Sic enim inquit Libro II. Cap. XLIX. *Poſt ſumtionem vero Sacramenti, primus Prælatus, qui ſequutus eum fuit, ſtans ibidem ad Celebrantis ſiniſtram, vidente Legato, accipit ab Aſſiſtente Celebrantis Calicem cum purificatorio, cum quibus celebratum fuit, quo Calice utetur ſolus Legatus in ſe purificando; nam alii omnes alio Calice utentur, & ipſum Calicem purificatorio mundat; tum phialam cum vino puro ſolo, facta prius de illo in aliqua patera per Credentiarium Celebrantis præguſtatione, capiens vinum ſine aqua in Calicem prædictum, & ſic ipſum Calicem offert in manibus Legati, qui illum capiens, ſemet purificat. Tum cum gremiali eodem per ipſos duos Canonicos (quod tamen ipſi tenentes prius oſculantur) porrecto ſe ipſum tergit, & gratiis, ac gratulationibus invicem peractis, Legatus ad dexteram Celebrantis converſus revertitur, ut iverat.* Hactenus ille, qui etiam deinde ſubjicit, quod ſi Legatus non adſit, tunc Cardinalis celebrans, prius Magiſtratu, & Canonicis Communicatis, ſedere poterit uſque ad finem Communionis. Sed hæc ſententia minime arridet, non enim decet, ut ſedens Epiſcopus ſacram Communionem miniſtret.

V. Tandem, ſi Imperator, aut Rex eſſet ab Epiſcopo communicandus, communicatis Diacono, & Subdiacono, & dicto *Confiteor* a Diacono, Imperator, vel Rex, ducetur per Prælatum digniorem, vel duos Canonicos ad Epiſcopum, a quo ſumit communionem, & poſtea oſculum Epiſcopi, & affertur ei per Diaconum purificatio, & reducitur ad Sedem. Tradit hæc quoque Bauldryus in Appendice ad Partem V. ſui Manualis, ubi recenſet Librum II. Cæremonialis, Cap. XXIX. Numero VII. ubi etiam addit, quod ſi plures eſſent Reges, eodem modo ducerentur, & reducerentur; & ſi eſſet conſuetudo, poſſet fieri præguſtatio vini, quo purificare ſe deberent; quod etiam fieret, ſi tantum eſſet unicus Communionem ſumturus. Porro de Communione Imperatoris, aut Regis agit in ſuo Cæremoniali Patricius Libro II. Sectione II. Cap. II. ubi ita ritum in Capella Pontificia ſervandum docet: *Si autem Imperator, aut Rex aliquis eſſet a Papa communicandus, tunc poſtquam Papa communicavit ſe, & Diaconum,*

Digitized by Google

ac Subdiaconum, Diaconus dicto ante Pontificem, Confiteor Deo &c. *vadit ad Altare, & unam tantum Hostiam ponit super Patenam pro Imperatore, vel Rege; factisque circulis consuetis, illam dat Subdiacono ad Pontificem deferendam; Imperator, vel Rex deducitur a priore Episcoporum Cardinalium ad pedes Pontificis, & recipitur ad osculum oris; postremo ab eodem Cardinali ducitur ad Altare, & per manus Diaconi se purificat, & reducitur ad Sedem suam ab eodem Cardinali. Deinde portantur aliæ Hostiæ, ut supra, pro Diaconibus, & aliis.* Addit mox, quod hoc servatum fuit tempore Innocentii Sexti, cum Petrus Rex Aragonum venit ad Romanam Curiam anno MCCCLXXXVI. Concludit autem demum, *quod si plures essent Reges simul, portentur tot Hostiæ simul, & totidem Cardinales primi deducunt Reges.*

§. VII.

Finita Communione, reportantur funalia, quæ usque tunc fuerunt accensa, & Diaconus, reposito vase, seu Pyxide, cum Hostiis super Altare, si quæ remanserunt, illam cooperit, & consignat alicui Presbytero parato cum Stola, & Cotta, seu Pluviali, qui illam sub baldachino, si commode fieri potest, præeuntibus Clericis cum intorticiis, & aliquibus de Clero comitantibus, portat ad locum, ubi asservatur Sanctissimum Sacramentum.

§. VIII.

Celebrans tunc sumta purificatione, lavat digitos, & sumit ablutionem; mox sumta Mitra, lavat manus, & prosequitur Missam, ut in præcedenti Capite VIII. hujus Libri II. de Missa solemni, Episcopo Celebrante, explicatum fuit.

COMMENTARIUS.

I. PEracta Communione, asportantur funalia, quæ usque tunc fuerunt accensa; ut ait noster §. VII. *& Diaconus,* non Celebrans, ut contra literam nostri textus inquit Bauldryus, *reposito vase, seu Pyxide cum Hostiis super Altare, si quæ remanserunt, illam cooperit, & consignat alicui Presbytero parato cum Stola, & Cotta, seu Pluviali, qui illam sub baldachino, si commode fieri potest,* vel eo deficiente omnino sub umbella, ob reverentiam Sacramenti, uti est usus Ecclesiarum ubique fere locorum receptus, *præcuntibus Clericis cum intorticiis, & aliquibus de Clero comitantibus, portat ad locum, ubi asservatur Sanctissimum Sacramentum;* quia scilicet, tametsi Tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento in Altari majori extet, tamen quum in eo solemni ritu Missa Pontificalis celebratur, alio asportandum prius est, juxta ritum jam superius explicatum a nobis in Commentariis Libri I. At advertendum est illud, ut qui Sanctissimum Sacramentum asportat, non gestet Cappam, si ea utatur, ut alicubi fieri solet, cum Communio administratur, sed sit Cotta, & Stola indutus, Cappa enim non est nisi insigne.

II. Ex Cæremoniali Patricii, Communione facta, *Papa surgit, si communicando sedebit, & facit reverentiam Sacramento, & Subdiaconus reportat Hostias, si quæ remanserint, super Altare, ubi manent ad finem Missæ.* Sed hæc hodie non habent locum, nam nec Summus Pontifex ob reverentiam scilicet Sacramenti communicat sedens, nec Hostiæ remanent in Altari, cum tot Hostiæ ponantur, quot sunt communicandi. Subdiaconus tamen, finita Communione, reportat Pyxidem cum fragmentis ad Altare, ubi, ut est hodie usus Pontificiæ Capellæ, illam, & Calicem simul, cum quo Pontifex celebravit, purificat, & tunc a Clerico Capellæ defertur Pyxis ad credentiam, Calicem ad credentiam ipsam Subdiacono reportante una cum Bursa. Quod autem Hostiæ manere deberent super Altare usque ad finem Missæ, testatur etiam in suo Cæremoniali Crassus, qui mox subdit, quod *quoties a Libro ad medium Altaris ibit, aut redibit, semper genuflectet, & non erit præcise ante medium Altaris, quando cantabit,* Dominus vobiscum, *ne directe renes Sacramento vertere videatur.*

III. Olim, teste Humberto Cardinali in responsione adversus Græcos, siquid ex sancta Eucharistia post Communionem superfuerat, in Pyxidem mundam recondebatur, & in sequenti die communicabat ex ea populus; eratque hæc vetus Constantinopolitanæ Ecclesiæ consuetudo, ut, quemadmodum tradit Evagrius Lib. IV. *Historiæ,* Cap. XXXVI. *quoties ex sacris partibus immaculati Corporis Christi Dei nostri magnus numerus superfuerit, pueri impuberes ex eis, qui Grammaticorum scholas frequentant, evocentur, qui eas manducent.* Eam disciplinam viguisse in Galliis, constat ex Canone VI. Concilii Matisconensis II. *Quæcunque reliquiæ Sacrificiorum post peractam Missam in Sacrario superfederint, quarta, & sexta Feria innocentes pueri ab illo, cujus interest, ad Ecclesiam adducantur, & indicto eis jejunio, easdem reliquias conspersas vino percipiant.* Vide Canonem IX. inter Arabicos Concilii I. Nicæni nostro I. Tomo Conciliorum, & Reginonem, Libro I. *De Ecclesiasticis disciplinis,* Cap. CXCV.

Digitized by Google

Cap. cxcv. ubi affert Canonem ſub nomine S. Clementis Papæ, qui de ipſis particulis, quæ Communioni ſuperſunt, alium ritum ſervandum ſtatuit. Verum quidquid de eo ritu ſit, & quidquid ſcripſerint in Cæremonialibus ſuis Patricius, & Craſſus, tenenda eſt regula noſtri §. ubi edicitur, ut peracta Communione, ſtatim Particulæ, quæ remanſerunt, ad locum aſportentur, ubi aſſervatur Sanctiſſimum Sacramentum. Quod ſpectat Rubricam §. VIII. perſpicua eſt, aliaque explicatione minime indiget, cum jam fuerit alio loco a nobis dilucidata.

CAP. XXX.

Ordo celebrandi Miſſam ſolemnem in die Paſchæ, Epiſcopo abſente; in Cathedralibus, vel in Collegiatis. Aquæ benedictæ aſperſio de more fiat. Celebrans communicet Miniſtros, & ceteros communicare volentes ad Miſſam. Communio cæteris de Parochia, ubi, & a quo tradenda.

§. I.

Abſente Epiſcopo, in Eccleſiis Cathedralibus, & in Collegiatis, aliquis Canonicus, ſeu Dignitas, vel is, ad quem de conſuetudine ſpectat hac die celebrare in abſentia Epiſcopi, paretur in Sacriſtia more ſolito cum Pluviali albo, & accedat ad Altare medius inter Diaconum, & Subdiaconum paratos omnibus paramentis, ipſis convenientibus; & facta Altari reverentia, ac ſalutatis hinc inde Canonicis, accepto de manu Diaconi aſperſorio cum aqua benedicta dicens, *Vidi aquam*, prout in Miſſali, aſperget primo Altare, deinde ſeipſum; mox Diaconum, & Subdiaconum, tum alios Canonicos, & alios de Choro, & populo more ſolito.

COMMENTARIUS.

I. INter functiones Pontificales, quæ abſente, vel impedito Epiſcopo, ſpectant ad primam Dignitatem, ex Decreto quidem Sacræ Rituum Congregationis edito die III. Decembris anni MDCLXXII. apud Meratum in Additionibus ad Gavantum recenſetur una cum aliis præcipuis Feſtum Paſchatis, niſi alia ſit conſuetudo Eccleſiarum, quam hic §. noſter confirmat, quippe qui poſtquam dixit, quod *abſente Epiſcopo in Eccleſiis Cathedralibus, & in Collegiatis, aliquis Canonicus, ſeu Dignitas*, ſtatim ſubjicit, *vel is, ad quem de conſuetudine ſpectat hac die celebrare in abſentia Epiſcopi*. Sane quicunque ex his ſit, qui celebraturus eſt, parari debet *in Sacriſtia, more ſolito cum Pluviali albo*, ideſt, poſt Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, uti in ſequenti Capite edicitur, §. III.

II. Cautum præterea ex noſtro §. eſt, ut paratus Celebrans *accedat ad Altare medius inter Diaconum, & Subdiaconum paratos omnibus paramentis ipſis convenientibus*, coloris ſcilicet albi. Notandum autem verbum illud *medius*, neque enim procedere debet Celebrans poſt ipſos Miniſtros, ut quidam Auctores male ſcripſerunt, ſed *medius inter Diaconum, & Subdiaconum*, qui etiam fimbrias Pluvialis illius tantiſper manibus elevabunt; eſt enim regula, ut Celebrans Planetam geſtans, incedat ſolus poſt Miniſtros, cum autem Pluviale, tunc medius inter ipſos Miniſtros, ut fimbrias Pluvialis elevent. Tum *facta Altari reverentia*, ideſt in infimo ejus gradu genuflexus, ut in §. III. ſequentis Capitis XXXI. habetur, *ac ſalutatis hinc inde Canonicis*, ab utraque ſcilicet parte Chori, medius inter prædictos duos Miniſtros, ut in citato §. III. edicitur, *accepto de manu Diaconi aſperſorio cum aqua benedicta*, & quidem genuflexus, ut inter alios ait Caſtaldus, *dicens*, Vidi aquam, *prout in Miſſali, aſperget primo Altare*, ter ſcilicet, juxta memoratum §. III. & juxta Miſſalis Rubricam Parte IV. Tit. XIX. Num. XI. nempe primo in medio, tum verſus cornu Euangelii, & deinde verſus cornu Epiſtolæ, ut ibidem notat Gavantus. Quo facto, aſperget *deinde ſe ipſum, mox ſurgens, Diaconum & Subdiaconum, & omnes de Choro, & populo more ſolito genuflexos*. Verbum illud, *& populo*, noſtro huic §. in novo Cæremoniali additum eſt, in antiquis enim deſideratur; ideoque debet Celebrans non modo *Canonicos, & omnes de Choro* aſpergere, verum de populo, quod tamen in multis Eccleſiis omiſſum vidi. Plura de aquæ benedictæ conſecratione, & aſperſione diebus Dominicis facienda notat in ſuo Rationali Durandus, Lib. IV. Tit. IV. ſed vide præter jam ſuperius dicta Lib. I. quæ iterum infra dicemus Capite ſequenti in Commentario ad §. III.

§. II.

Quo facto, depoſito Pluviali, capiet Planetam, & facta iterum reverentia Altari, & Canonicis, inchoabit Miſſam, quam proſequitur more ſolito, ſecundum Rubricas Miſſalis.

Digitized by Google

§. III.

Præparentur cum Hoſtia conſecranda Particulæ in numero ſufficienti pro communicandis Canonicis, & aliis de Clero communicare volentibus, in vaſe aureo, vel argenteo, ſaltem intus deaurato, quod collocetur cum Calice ſuper Altari, prout ſupra dictum eſt.

COMMENTARIUS.

I. PErſpicua plane ſunt, quæ in Paragraphis hiſce Cæremoniale præſcribit, quæ paſſim enarrant Sacrarum Cæremoniarum Scriptores. Sed notandum tamen in Rubricam §. II. quod dicit de reverentia facienda per Celebrantem Canonicis, intelligendum eſſe, ſi Celebrans deponeret Pluviale, & Planetam caperet ad Abacum, ſive ad Sedem ſuam; nam alias ſi ad Altare prope cornu Epiſtolæ Pluviali depoſito, Planetam indueret, ſatis eſt, ut antequam incipiat Miſſam, reverentiam ſoli Altari faciat, non vero Canonicis, iſque eſt uſus, qui in inſignioribus Eccleſiis ſervatur. Notandum & illud quoque eſt, Sacram Pyxidem, in qua præparari debent Particulæ pro ſacra Communione, debere eſſe auream, vel argenteam, ſaltem intus deauratam. Plura de Pyxide, ejuſque benedictione jam diximus noſtro Tomo II. Romani Pontificalis in Commentariis ad Titulum XVIII. Sed lubet hic ea deſcribere, quæ de ipſa Pyxide ad uſum cuſtodiendæ Euchariſtiæ ſtatuit in Actis Eccleſiæ ſuæ Mediolanenſis S. Carolus: *Pixis*, inquit, *quæ ad Sanctiſſimam Euchariſtiam recte, pieque cuſtodiendam adhibetur, ex auro, aut ex argento puro, ſaltem, eoque inaurato, fieri debet: quæ Pixis ſi ex argento ſit, ſi minus ab interiori, & exteriori parte auro non illinitur, ſaltem ab interiori parte illiniatur.*

II. Tum mox ita ſingulas ejus partes deſcribit: *Cujus pes, ut manu facile, firmiterque capi queat, altitudine ſit ſex unciarum. Nodus in medio decore, rectèque ornatus, nihil vel minimum eminens habeat, quo dum Pixis capitur, incommode capiatur, aut digiti quicquam lædantur, præſertim quo tempore inter Miſſæ Sacrum populo Sanctiſſima Euchariſtia miniſtratur, & illa indice, & pollice conjunctis, manu tenetur. Vas, ſeu cuppa forma rotunda, aut ovata pro profunditatis ratione ampla, in fundoque medio paululum aliquid habeat, quod in orbem tenuiter emineat. In ſumma Pixide circulus tenuis a labro minimum diſtans inſit, cui in orbem prominenti operculum innitatur. Pixidis operculum forma itidem rotunda ſit, vel ovata, quæ reſpondeat formæ Pixidis, quod in medio inſtar fere pyramidis extet, ab uno, & altero item latere parvulos tenueſque uncinos habeat, quibus in circulo apte includatur. In ejus ſummo Crux parvula, aut Imago Chriſti Crucifixi, vel reſurgentis infixa hæreat.* Vela Pyxidis auro, aut argento contexta eſſe debere ait, vel quod magis laudabile eſſet, aurea, aut argentea, fimbriis circumquaque ex eadem materia adhibitis. Porro, ut alias Conciliorum Deciſiones omittam, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die XVI. Novembris anni MDCXLIX. cujus inter alios Meratus meminit in Additionibus ad Gavantum, Pyxis, Oſtenſorium, & Corporalia, quæ immediate inſerviunt Sanctiſſimo Sacramento, benedici debent juxta formam propriam. Sed de his jam ſuſe diximus nos in laudato noſtro Tomo II. Romani Pontificalis, ſuis locis.

§. IV.

Poſtquam Celebrans Sanguinem ſumſerit, & antequam ſe purificaverit, & digitos abluerit, dicta Confeſſione per Diaconum, ut in Capite præcedenti, communicabit primo Diaconum, & Subdiaconum, ſi non ſint Sacerdotes, qui hac die celebrent, deinde ſingulos Canonicos, Beneficiatos, ſeu Manſionarios, Clericos, & Cantores non Presbyteros, ac etiam ſuo loco Officiales, Magiſtratus, ſi adſint, & communicare voluerint in hac Miſſa.

§. V.

Ceteri vero de Parochia utriuſque ſexus communicari poterunt in alio Altari, ſeu Capella ad hoc præparata, per Parochum, ſeu Sacriſtam, ubi continue tam ante Miſſam majorem, quam poſt, ac etiam dum Miſſa decantatur, ſecundum concurſum, & frequentiam populi, adſit Curátus Eccleſiæ, vel alius Sacerdos, qui Communionem præbeat ſingulis accedentibus: qui locus, ſeu Capella, non debet eſſe in conſpectu Altaris majoris, ſed in navi, ſeu loco ſeparato, ita ut, quoad

fieri

Digitized by Google

fieri poſſit, non videatur ab his, qui Miſſæ majori interſunt, ne continue genuflectere cogantur propter reverentiam Sanctiſſimi Sacramenti.

§. VI.

Finita Communione, Celebrans ſe purificat, & abluet digitos, & proſequitur Miſſam more ſolito.

COMMENTARIUS.

I. QUi ritus ſervari debeat in miniſtranda Communione ad Miſſam, ſive privata illa ſit, ſive ſolemnis, præſcripti plane ſunt in Rubricis Miſſalis Parte II. Titulo X. Num. IV. & IX. ubi inter alia edicitur, ut, *ſi in Miſſa ſolemni fiat Communio, omnia ſerventur, ut ſupra*, ideſt citato num. IV. *ſed prius communicet Diaconum, & Subdiaconum, & alios per ordinem*; poſtquam ſcilicet, uti noſter §. IV. & Miſſalis Rubricæ demandant, *Celebrans Sanguinem ſumſerit, & antequam ſe purificaverit, & digitos abluerit*. Tunc enim, *dicta confeſſione per Diaconum, ut in Capite præcedenti, communicabit primo Diaconum, & Subdiaconum, ſi non ſint Sacerdotes, qui hac die celebrent*; quia ſcilicet in multis Eccleſiis, ac præſertim in Baſilica Vaticana, uti alibi notatum a nobis fuit, Sacerdotes ipſi, qui in ſolemni Miſſa officio Diaconi, & Subdiaconi funguntur, die qua in Altari miniſtrant, a Sacrificio abſtinentes, de manu Celebrantis Communionem accipere ſolent, ſub una ſcilicet ſpecie panis.

II. Ritus dicendi *Confiteor* ante Communionem non ita recens eſt in Eccleſia, ut in antiquis Codicibus aliquod ejus veſtigium minime reperiatur; uti fuſe oſtendit eruditus Lebrun in ſua Explicatione Cæremoniarum Miſſæ Tomo I. Parte V. Articulo X. §. II. Ergo poſtquam Celebrans Sanginem ſumſerit, & nondum vino in Calicem infuſo pro purificatione ipſius Celebrantis, Subdiaconus palla tegit Calicem, & eum ultra medium Corporalis a parte Euangelii, non extra ipſum collocat, propter ſacras ſpecies vini adhuc in ejus fundo relictas, & ſtatim Diaconus accedit ad dexteram Celebrantis cum debitis genuflexionibus, & Subdiaconus per planum ad ſiniſtram ipſius Celebrantis, qui etiam debitas facit genuflexiones in acceſſu, & receſsu eo tempore, quo Diaconus. Tum ipſe Diaconus Pyxidem opertam, in qua ſunt Hoſtiæ conſecratæ, ponit in medio Corporalis cum genuflexione debita; qua poſita, eam diſcooperit, & genuflectit. Quod ſi ſit in Tabernaculo, illud aperit, ac genuflectit, & eam ponit ſuper medium Corporalis, ipſaque aperta, iterum genuflectit, Celebrante interim, & Subdiacono aliquantulum in cornu Euangelii, & aliis circum Altare genuflexis.

III. Aperta Pyxide, & facta genuflexione, Diaconus in planum deſcendit ad cornu Epiſtolæ, ibique profunde inclinatus verſus Celebrantem dicit manibus junctis, *Confiteor* alta voce, vel cantando, ut infra Cap. XXXVIII. Celebrans vero Pyxide aperta, ſurgit, & genuflectens retrahit ſe ad cornu Euangelii, ibique Subdiacono ſtante poſt ipſum, facie ad Altare converſa, expectat finem Confeſſionis. Qua facta, ipſe ſtans genuflectit, & convertens ſe ad Diaconum dicit ſtans, cantando ſcilicet, ſi Diaconus Confeſſionem cantavit, ſive alta, & intelligibili voce, *Miſereatur veſtri &c.* & *Indulgentiam &c.* licet communicandus ſit unicus, producens manu dextera ſignum Crucis ſuper communicandos, cui Diaconus adhuc inclinatus reſpondet, *Amen*; tum facta genuflexione accedit ad partem Epiſtolæ, ubi genuflexus ſuper gradum ſecundum Altaris expectat Communionem, Subdiacono jam ante Confeſſionem ad partem Euangelii genuflexo. Interim Acolythi, qui non tenent faces, vel alii Miniſtri, extendunt linteum mundum, & genuflexi, facie ad ſe invicem verſa, ſuſtinent illud hinc inde ambabus manibus per quatuor angulos, quouſque perfecta fuerit Communio Clericorum, quia ſcilicet laici, ut mox infra dicemus, juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam, & complurium Conciliorum, ac Pontificum Decreta Communionem ad cancellos accipere debent.

IV. Celebrans deinde accepta Pyxide cum genuflexione ſolita, atque præmiſſis verbis, *Ecce Agnus Dei &c.* ac ter, *Domine non ſum dignus &c.* de quibus fuſe agit Lebrun, & alii qui Miſſæ ritus enarrant, Communionem præbet primum Diacono, tum Subdiacono genuflexis ante prædictum linteum, ſi ſcilicet non ſint Sacerdotes, qui hac die celebrent; deinde ſingulis Canonicis, Beneficiatis, ſeu Manſionariis, & Cantoribus non Presbyteris, ac etiam *ſuo loco* Officialibus, ac Magiſtratibus, ſi adſint, & communicare voluerint in hac Miſſa. Notanda plane ea verba ſunt, *ſuo loco*, ſignificant enim extra Altare, & Chorum; nam Laicos extra Altare communicaſſe, ex noto S. Ambroſii facto addiſcimus, qui nec ipſum Imperatorem paſſus eſt remanere in Choro ad ſumendam Communionem, licet poſtea locum illum Trullana Synodus Can. LXIX Imperatori Communionem ſumturo non denegaverit.

V. Qualis fuerit ea in re præſertim in Hiſpaniis diſciplina, docet nos Concilium Bracarenſe II. anni DLXIII. Can. XIII. *Placuit, ut intra Sanctuarium Altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis viris, vel mulieribus, niſi tantum Clericis, ſicut & antiquis Canonibus ſtatutum eſt*. Concilium Toletanum IV. anni DCXXXIII. Can. XVII. juſſit quidem, *ut Sacerdotes, & Levitæ ante Altare communicent, in Choro Clerus, extra Chorum populus*. In Africa etiam Laicos ad cancellos, qui Chorum a populo ſeparabant, com-

Digitized by Google

communicaſſe, clare innuit S. Auguſtinus Sermone CCCXCII. novæ Editionis his verbis; *A communione ſe cohibeant, qui ſciunt, quia novi peccata ipſorum, ne de cancellis projiciantur*. Romæ, uti ex antiquo vulgato Romano Ordine liquet, Præsbyteris quidem genibus flexis ad Altare communicatis, Pontifex deſcendebat in Senatorium, ubi Magnates communicabat, atque in adverſam partem, ubi Matronæ conſiſtebant, eiſdem Communionem miniſtraturus. Fatetur autem ingenue Martenius Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. IV. Articulo X. Num. IV. in fine, ſolos hac in cauſa Gallos aliis minus religioſiores fuiſſe, quod tam viris, quam mulieribus communionem ad Altare impertirent, uti patet ex S. Gregorio Turonenſi Lib. X. *Hiſtoriæ Francorum* Cap. VIII. & Lib. II. *De miraculis S. Martini*, Cap. XIV. ex S. Cæſareo Arelatenſi Epiſcopo Sermone CCLXXXIX. in Appendice S. Auguſtini, ex Fortunato in Vita S. Marcelli Pariſienſis Epiſcopi, Cap. VI. & ex Concilio Turonenſi II.

VI. Peracta communione Diaconi, ac Subdiaconi, & aliorum, quos §. IV. Rubrica recenſet, ex præſcripto §. V. *cæteri de Parochia utriuſque ſexus communicari poterunt in alio Altari, ſeu Capella ad hoc præparata per Parochum, ſeu Sacriſtam &c.* Sed de hac Paſchali Communione ſumenda in propria Parochia, dicemus nos alibi.

CAP. XXXI.

Quid obſervandum, ſi Epiſcopus in Dominicis per annum celebret. aut Miſſæ aſſiſtat. Paramenta ſint coloris tempori congruentis. Aſperſio aquæ benedictæ in Dominicis quo ritu facienda. Si Epiſcopus celebret ſolemniter, hæc aſperſio omittitur. Decens eſt, ut Subdiaconus Epiſtolæ, & Diaconus Euangelii in hac Miſſa communicent.

§. I.

In Dominicis per annum, ſi Epiſcopus voluerit celebrare, aut Miſſæ ſolemni per alium celebratæ intereſſe, ſerventur omnia circa cæremonias, quæ ſuperius expreſſa fuerunt in hoc eodem Libro, Capite VIII. & IX.

§. II.

Paramenta tamen Altaris, Celebrantis, & Miniſtrorum ſint coloris viridis, exceptis Dominicis Adventus, & a Septuageſima uſque ad Paſcha excluſive, quia tunc violacea; & tempore Paſchali, quia tunc alba; ac infra Octavam Feſtorum ſolemnium, quia tunc vel alba, vel rubra, prout ſolemnitates ipſæ requirunt, adhibentur.

COMMENTARIUS.

I. EXtant in Romano Miſſali Parte I. Tit. XVIII. Rubricæ de vario colore paramentorum, qui in Dominicis, & in aliis Feſtis per annum occurrentibus, ex ritu non ita recentiori adhiberi ſolet: *Paramenta*, inquit, *Altaris, Celebrantis, & Miniſtrorum, debent eſſe coloris convenientis Officio, & Miſſæ diei ſecundum uſum Romanæ Eccleſiæ, quæ quinque coloribus uti conſuevit, Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo, & Nigro*. Totidem plane enumerat Innocentius III. Libro I. Myſteriorum Miſſæ, Cap. LXV. quamvis nigrum confundere videatur cum violaceo, quatuor enim principales colores eſſe ait, quibus ſecundum proprietates dierum ſacras veſtes Eccleſia diſtinguit, eamque ſententiam ſequutus eſt in Ordine Romano XIV. Jacobus Gaetanus, & in ſuo Rationali Durandus Lib. III. Cap. XVIII. Plura de coloribus Paramentorum circa praxim videri poterunt in Rubricis Miſſalis, & apud Gavantum, & Meratum in citata Parte I. Tit. XVIII. ubi inter alia edicitur, quod Eccleſia *viridi colore utitur ab Octava Epiphaniæ uſque ad Septuageſimam, & ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum excluſive in Officio de tempore, excepta Dominica Trinitatis, ut ſupra; exceptis Domninicis infra Octavas occurrentibus, in quibus color Octavarum ſervatur*, rubeus ſcilicet, vel albus, prout ſolemnitati convenit.

§. III.

Quia tamen in omnibus Dominicis per annum ſolet fieri aſperſio aquæ benedictæ per Sacerdotem celebrantem, antequam Miſſa inchoetur, Canonicus, vel alius, celebraturus in Dominicis prædictis, paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali, medius inter Diaconum, & Subdiaconum paratos accedet ad Altare, ante quod

Digitized by Google

quod in infimo ejus gradu genuflexus, medius inter prædictos duos Miniſtros, accipiet ex manibus Diaconi aſperſorium cum aqua benedicta, & intonando Antiphonam, *Aſperges me*, ſeu Antiphonam, *Vidi aquam*, juxta temporum diverſitatem, prout in Miſſali, ter Altare aſperget, & ſtatim ſurgens, dum Cantores proſequuntur Antiphonam cum ſuis Reſponſoriis, comitatus a Cæremoniario, & Acolytho, cum vaſe aqua benedicta pleno, accedit ad Epiſcopum, cui aſperſorium oſculatum cum debita reverentia, & oſculo manus porrigit; ipſe vero Epiſcopus primo ſe ipſum, deinde Sacerdotem celebrantem, poſtea Aſſiſtentes, & Solii Miniſtros aſperget, & ſtatim eidem reddit aſperſorium, qui primo manum, deinde illud oſculatur, & rediens ad Altare, Diaconum, & Subdiaconum paratos, deinde Canonicos, Beneficiatos, & Clericos ex utraque parte Chori, omneſque alios in Choro permanentes, & populum aſperget; & reverſus ante infimum gradum Altaris, ubi eum Diaconus, & Subdiaconus expectabunt, medius intes eos cantabit Verſiculos, & Orationem, prout in Miſſali, ex Libro, quem ſuſtinebunt dicti Miniſtri, vel ſuper legili ibidem poſito: qua finita, ſtatim amovetur legile, & Liber; & Celebrans in ſolito ſcamno, poſito in cornu Epiſtolæ, depoſito Pluviali, capit Manipulum, & Planetam, & cum Epiſcopo, qui a Sede deſcendit ante Altare, facit Confeſſionem, & omnia fiunt, & ſervantur, ut in ſupradicto Capite IX. hujus Libri II.

COMMENTARIUS.

I. AQuæ benedictæ aſperſionem diebus Dominicis per Eccleſiam ante Miſſarum ſolemnia faciendam, & quidem per Sacerdotem Celebrantem, ex antiquo ritu tradunt Micrologus, Rupertus Abbas Tuitienſis, Gulielmus Durandus, aliique paſſim rerum Liturgicarum Scriptores. Ut autem nos §. hunc noſtrum enarremus, *Canonicus, vel alius celebraturus in Dominicis prædictis, paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali*, coloris ſcilicet Dominicæ currenti convenientis, juxta Rubricam ſuperioris §. *medius inter Diaconum, & Subdiaconum*, non vero eorum poſtremus, ut quidam male opinati ſunt, *accedet ad Altare, ante quod in infimo ejus gradu genuflexus, accipiet ex manibus Diaconi aſperſorium cum aqua benedicta, & intonando Antiphonam*, Aſperges me, *ſeu Antiphonam*, Vidi aquam, *juxta temporum diverſitatem, prout in Miſſali, ter Altare aſperget &c.* Accipiet ſcilicet primum Diaconus ab Acolytho aſperſorium ſine oſculis, & tradit illud Celebranti cum oſculo illius in extrema ſui parte, & manus Celebrantis in parte exteriori.

II. Plura de Antiphonis, *Aſperges me*, & *Vidi aquam* in aſperſione aquæ benedictæ pro temrum diverſitate dicendis, docent præter memoratos Auctores Durantus, Lib. II. *De ritibus Catholicæ Eccleſiæ*, Cap. XI. Lebrun in explicatione Miſſæ Tomo I. in Tractatu præliminari Articulo I. §. II. Gavantus, Quartus, Meratus, & alii in Rubricas Miſſalis. Dicitur itaque Antiphona *Aſperges me* in omnibus Dominicis, quæ occurrunt per annum, exceptis illis, quæ a Paſchate uſque ad Pentecoſten occurrunt; tunc etenim vel ex antiquo Ritu Antiphona illa dicitur *Vidi aquam &c.* deſumta ex Capite XLVII. Ezechielis Prophetæ, quam præ ceteris fuſe exponit Rupertus Abbas Tuitienſis.

III. Intonata Antiphona, & ter aſperſo Altari cum aqua benedicta, ſi præſens ſit Miſſæ Epiſcopus, *Celebrans ſtatim ſurgens, dum Cantores proſequuntur Antiphonam cum ſuis Reſponſoriis, comitatus a Cæremoniario, & Acolitho cum vaſe aquæ benedictæ, accedit ad Epiſcopum, cui aſperſorium oſculatum cum debita reverentia*, ideſt capitis inclinatione, *& oſculo manus porrigit; ipſe vero Epiſcopus*, ut ait mox idem noſter §. *primo ſe ipſum, deinde Sacerdotem Celebrantem, poſtea Aſſiſtentes, & Solii Miniſtros aſperget, & ſtatim eidem reddit &c.* In antiquis vero ante hoc noſtrum editis Cæremonialibus duntaxat illud erat præſcriptum, ut ſcilicet Epiſcopus poſt aſperſionem ſui ipſius, deinde Sacerdotem ipſum Celebrantem aſpergeret, tum vero ſtatim eidem redderet aſperſorium. Verum ex novo facto huic noſtro §. additamento, debet Epiſcopus poſtquam aſperſit ſeipſum, non modo Celebrantem Sacerdotem, ſed etiam & Solii Miniſtros aſpergere; tum vero ſtatim Sacerdoti celebranti aſperſorium reddere.

IV. Sumens aſperſorium Celebrans de manu Epiſcopi, *primo manum, deinde illud oſculatur; & rediens ad Altare, Diaconum, & Subdiaconum paratos, deinde Canonicos, Beneficiatos, & Clericos, ex utraque parte Chori, omneſque alios in Choro permanentes, & populum aſperget*. Quantum ad Canonicos, aquæ benedictæ aſperſionem in Dominicis diebus fieri debere ſigillatim quibuſcumque Dignitatibus, & Canonicis, incipiendo ab iis, qui in dextro cornu exiſtunt, non unico ictu in circulum, edixit Sacra Rituum Congregatio in Peruſina XX. Decembris MDCI. apud Lezanam in Summa Quæſtionum Regularium Tomo III. verbo *Benedictio*, num. ultimo, & Barboſam in Tractatu, *De Canonicis, & Dignitatibus*, Cap. XXXIV. num. 23.

V. Cler,

Digitized by Google

V. Cleri, ac populi aſperſione peracta, reverſus Celebrans ad Altare, ante infimum gradum illius, ubi eum Diaconus, & Subdiaconus, expectabunt, medius inter eos cantabit Verſiculos, & Orationem, nempe, *Exaudi Domine Sancte Pater Omnipotens &c.* prout in Miſſali, & legitur paſſim in antiquis Sacramentorum Libris, ut notat Lebrun. Leget autem Orationem Celebrans *ex Libro, quem ſuſtinebunt dicti Miniſtri, vel ſuper legili ibidem poſito; qua finita, ſtatim amovetur legile, & Liber; & Celebrans in ſolito ſcamno poſito in cornu Epiſtolæ depoſito Pluviali, capit Manipulum &c.* Verba illa, *in ſolito ſcamno poſito in cornu Epiſtolæ*, deſiderantur in antiquis Cæremonialibus, majoriſque explicationis gratia, in novo hoc Cæremoniali, §. præſenti adjuncta fuere.

VI. Omitti demum non debent Decreta Sacræ Rituum Congregationis, quæ ad hunc §. ſpectant. Nam primo aquæ benedictæ aſperſio in Dominicis diebus fieri debet per ipſum Celebrantem, etiam ſi ſit prima Dignitas, vel alia, non obſtante contraria conſuetudine, quæ potius corruptela dici debet, uti edixit Sacra ipſa Rituum Congregatio in Peruſina XXIX. Novembris anni MDCXXXII. Secundo ex ejuſdem Decreto XVI. Novembris anni MDCXLIX. aſperſio die Dominico ſemper facienda eſt a Celebrante, etiam quando Superior celebrat. Tertio in ipſa aquæ benedictæ aſperſione, quæ in Dominicis fit a Sacerdote Alba, & Stola induto, vel etiam Pluviali, immediate celebraturo Miſſam Conventualem, Stola aptanda eſt ante pectus ad modum Crucis, non vero pendens ad utrunque latus, juxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis XXX. Septembris MDCLXXIX. Atque hæc Decreta poſt Barboſam, & alios affert etiam Meratus in Additionibus ſuis ad Gavantum. Ceterum ex noſtro §. ubi Celebrans depoſito Pluviali cepit Manipulum, & Planetam, ſi præſens ſit Epiſcopus, *cum Epiſcopo, qui a Sede deſcendit ante Altare, facit Confeſſionem, & omnia fiunt, & ſervantur, ut in ſupradicto Capite* IX. *hujus Libri II.* & uti nos ibidem notavimus.

§. IV.

Si Epiſcopus celebrare voluerit ſolemniter, non eſſet facienda hujuſmodi aquæ benedictæ aſperſio; abſente vero Epiſcopo, & in Collegiatis, ſemper Dominicis diebus fit, ut ſupradictum eſt; quo caſu Celebrans ſtatim atque Altare aſperſerit, ſeipſum primo, deinde Miniſtros paratos, mox iiſdem Miniſtris comitantibus, & elevantibus fimbrias anteriores Pluvialis, Canonicos, & alios de Choro, ut ſupra, aſperget, qui omnes, aſperſione hujuſmodi durante, a principio uſque ad finem ſtare debent, detecto capite; & dum ante ipſos Celebrans cum aſperſorio accedit, debent illi caput inclinare, & aſperſionem aquæ benedictæ reverenter recipere.

COMMENTARIUS.

I. UBi Epiſcopus in Dominicis ipſis diebus *celebrare voluerit ſolemniter*, ex Rubrica noſtri hujus §. *non eſſet facienda hujuſmodi aquæ benedictæ aſperſio; abſente vero Epiſcopo, & in Collegiatis Eccleſiis, ſemper Dominicis diebus fit, ut ſupra dictum eſt.* Ut eo caſu ſervandus ſit ritus prædictæ aſperſionis, docet idem noſter §. Sed primum illud notandum eſt, Celebrantem, ubi cum oſculis ſuperius dictis accepit de manu Diaconi aſperſorium genuflexus intonando Antiphonam, *Aſperges me*, vel *Vidi aquam*, ter Altare aſperſit, ideſt, frontem Altaris, in medio, tum verſus cornu Euangelii, & denique verſus cornu Epiſtolæ, Miniſtris ſacris Pluvialibus fimbrias elevantibus: *Statim atque Altare aſperſerit, ſeipſum primo, deinde Miniſtros paratos* (ſi ſint Canonici, alias poſt Canonicos, ut notat Bauldryus, explicans hunc locum noſtri §.) aſpergere.

II. Facta Miniſtrorum aſperſione, *mox iiſdem Miniſtris comitantibus, & elevantibus fimbrias anteriores Pluvialis, Canonicos, & alios de Choro, ut ſupra, aſperget*; nempe accedens ad Chorum, ſigillatim Canonicos aſperget cum inclinatione ante, & poſt, ad majorem eorum venerationem, & non unico ictu, ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum in Peruſina XX. Decembris MDCI. Reliquos de Choro aſperget Celebrans ſine mora, & plures ſimul quaſi in circulum, & non unum poſt alium. Stare debent tunc Canonici, & alii de Choro nudo capite; *& dum ante ipſos Celebrans cum aſperſorio accedit, debent illi caput inclinare, & aſperſionem aquæ benedictæ reverenter accipere*; ut ait hic noſter §. Poteſt autem, & debet ſervari laudabilis conſuetudo Eccleſiarum, in quibus præter Clerum populus etiam aſpergi ſolet, licet regulariter aſpergantur qui ſunt prope cancellos Altaris. Porro finita aſperſione Celebrans reverſus ad Altare cum debits reverentiis, aſperget Acolythos, Ceroferarios ad Credentiam ſtantes, & Miniſtrum de vaſe; deinde vero ſtans in plano ante Altaris gradus, junctis manibus cantat Verſum, *Oſtende nobis &c.* & alios cum Oratione, *Exaudi*, ex Libro, quem Miniſtri ſacri ſtantes hinc inde tenent ante eum, vel ſuper pulputum, ut ſupra in §. III. viderique poſſunt Bauldryus Parte II. ſui Manualis Cæremoniarum, Cap. VIII. & alii Scriptores antiqui, atque racentiores, qui de eo ritu aſperſionis aquæ benedictæ differunt.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Memores etiam ſint Diaconus, & Subdiaconus, qui Altari miniſtrant, Dominicis diebus, valde decere, ſi etiam ipſi, poſtquam Celebrans communicaverit, Communionem ex ejus manibus ſumſerint, prout cavetur in Concilio Tridentino Cap. XIII. Seſſione XXIII.

COMMENTARIUS.

I. ACtum fuit a nobis non uno in loco de Euchariſtiæ Communione, quæ licet primum quotidie a Fidelibus, & deinde ad certos quoſdam anni dies ſumeretur, præcepta eſt tandem in Paſchate a Concilio IV. Lateranenſi Oecumenico anni MCCXV. Can. XXI. Quidquid autem de ceteris ſit, ait hic §. noſter, ut *memores etiam ſint Diaconus, & Subdiaconus, qui Altari miniſtrant, Dominicis diebus valde decere, ſi etiam ipſi, poſtquam Celebrans communicaverit, Communionem ex ejus manibus ſumſerint*. Citat mox ea in re locum Concilii Tridentini, cujus hæc ſunt verba: *Sciantque, maxime decere, ſi ſaltem diebus Dominicis, & ſolemnibus, cum Altari miniſtraverint, Communionem perceperint*. Non itaque ſolum Dominicis diebus, ſed *& ſolemnibus*, ex Concilio Tridentino maxime deceret, ut de manu Celebrantis, cui aſſiſtunt, Diaconus, & Subdiaconus communicent. Licet hodie paſſim in Eccleſiis in ſolemnibus Miſſis fungantur officio Diaconi, & Subdiaconi, Sacerdotes, laudandus tamen eſt mos Baſilicæ Vaticanæ, in qua vel ipſi Sacerdotes, qui in Miſſa ſolemni Diaconum, & Subdiaconum agunt, abſtinentes ea die a Sacrificio, poſt Celebrantis Communionem, de ejus manu Euchariſtiam ſumunt, uti jam non uno in loco notavimus in Commentariis I. Libri.

CAP. XXXII.

Litaniæ in Feſto S. Marci quomodo ordinandæ. Decet, ut Canonici Eccleſiæ Cathedralis paramentis Miſſalibus induantur, aut ſaltem eorum aliqui Pluvialia capiant. Paramenta omnia ſint coloris violacei. Epiſcopus paretur Pluviali violaceo, & Aſſiſtentes Diaconi Dalmaticis item violaceis. Crux Archiepiſcopalis quomodo præferenda. Item Imagines, & Reliquiæ. Locus Prælatorum, Magiſtratus, & Nobilium in Proceſſione. Quæ Miſſa dicenda in Eccleſia, ad quam fit Proceſſio. Benedictio in fine Miſſæ per Epiſcopum danda, & Indulgentia publicanda. Quæ obſervanda in Litaniis Rogationum, & in aliis Proceſſionibus.

§. I.

In die S. Marci fiunt Litaniæ, quas majores vocamus. Dicta igitur die congregatur de mandato Epiſcopi totus Clerus ſecularis, & Regularis, ac etiam, ubi conſuetum eſt, Confraternitates laicorum cum eorum inſignibus ante fores Eccleſiæ, unde Proceſſio diſcedere debet, ſeu etiam intra Eccleſiam, ſi ſit capax; ibique expectant, donec erit tempus; tunc incipiet a Deputatis dirigi Proceſſio ordine ſolito, in qua prius procedent Confraternitates laicorum, deinde Religioſi, poſtmodum Clerus, & Eccleſiæ Collegiatæ, & ultimo Clerus Eccleſiæ Cathedralis, cujus Canonici omnes, ſi commode fieri poterit, erunt parati paramentis ſibi competentibus, quemadmodum ſolent, Epiſcopo Celebrante, vel ſaltem ſex, vel octo eorum erunt cum Pluvialibus; paramenta tamen erunt coloris violacei, & ultimo loco procedet Epiſcopus paratus Pluviali ſimiliter violaceo, & Mitra ſimplici, medius inter duos Canonicos aſſiſtentes paratos Dalmaticis, & manu ſiniſtra Baculum paſtoralem geſtabit, dextera vero populo benedicet.

COMMENTARIUS.

I. LItaniæ nomen tametſi omnibus Proceſſionibus commune ſit, quia in iis Deo ſupplicatur, ſingulari tamen ratione tribui ſolet iis, quæ ex pervetuſto Eccleſiæ ritu fiunt in Feſto S. Marci, & triduo ante Aſcenſionem; quarum prior, *Litania major*; poſterior vero, *Litania minor* appellatur; & illa, uti poſt Belethum, Durandum, & alios obſervat Clariſſimus

Digitized by Google

rissimus Jacobus Eveillon in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. xx. quamquam institutione posterior, majoris appellationem præ alia sortita est, tum a dignitate Auctoris, qui fuit Summus Pontifex, cum is, qui Litaniam minorem instituit, Episcopus tantum fuerit; tum a dignitate loci, in quo fuit instituta, nempe in Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarum. Ejus sententiæ sunt Honorius Augustodunensis Lib. III. Cap. CXXXVIII. Joannes Belethus in explicatione divinorum Officiorum, Cap. CXXII. Gulielmus Durandus in suo Rationali, Lib. VI. Cap. CII. & ut alios omittam, Jacobus de Vitriaco in Sermonibus de utraque Litania.

II. Majorem Litaniam Romana consuetudine appellatam fuisse olim *Litaniam majorem non in jejunio*, referunt vulgatus Ordo Romanus, Alcuinus, & Amalarius, cujus rei causam eam putat laudatus Eveillon, quod licet eo die a carnibus abstineatur, in signum pœnitentiæ, jejunandi tamen præceptum non sit impositum propter mysterium Resurrectionis, quod eo tempore colitur. Atque id similiter de Rogationibus accipiendum esse idem Auctor affirmat; neque aliud voluisse puto Concilium I. Aurelianense anni DXI. ubi Canone XXVII. ita statuit: *Rogationes, ideſt, Litanias ante Ascensionem Domini ab omnibus Ecclesiis placuit celebrari, itaut præmissum triduanum jejunium in Dominicæ Ascensionis festivitate solvatur; per quod triduum servi, & ancillæ ab omni opere relaxentur, quo magis plebs universa conveniat. Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis utantur.*

III. Sed ut primum de Litania majore agamus, ejus institutorem fuisse S. Gregorium Papam, constanter asserunt Joannes Diaconus in ejus Vita Libro I. Cap. XLI. vulgatus Ordo Romanus, Walafridus, Belethus, Durandus, & alii pene omnes Auctores, qui vel vitam memorati Pontificis, narrant, vel de originibus rerum Ecclesiasticarum tractant. Verum fuisse ipsam Litaniam S. Gregorio antiquiorem, non obscure Gregorius ipse indicat initio Libri II. suarum Epistolarum, his verbis: *Solemnitas annuæ devotionis nos, Fratres dilectissimi, admonet, ut Litaniam, quæ major ab omnibus appellatur, solicitis, ac devotis debeamus, auxiliante Deo, mentibus celebrare, per quam a nostris excessibus, ejus misericordiæ supplicantes, purgari aliquatenus mereamur &c.* Sed hanc forte, ut notat Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina*, Cap. XXVII. Num. I. cum Litania septiformi, quam ipse sanctus Pontifex ob ingruentem pestilentiam instituit, Auctores illi confundunt.

IV. Et quidem, uti Auctores docent, cum aquis omni ex parte Italiam inundantibus serpentum vis ingens cum dracone portentosæ magnitudinis per Tiberim affluxisset, & eluvione fluminis, atque æstus marini jactatione in terram ejecta, Urbem Romam, atque adeo omnem circa regionem tetro hiatu, ac fœtore computrescentium corporum infeciisset, exorta peste, quæ inguinaria dicta est, multisque jam civibus eo morbo extinctis, atque ipso in primis Papa Pelagio, tantæ cladi expiandæ S. Gregorius ejus loco Pontifex designatus supplicationes publicas in triduum per septem Ecclesias indixit, universo Clero, ac populo Romano in septem classes juxta numerum Ecclesiarum dispertito, quam ipse Litaniam septiformem appellavit in Sermone de ea re habito, qui subjectus est initio Libri II. Epistolarum ejusdem, & refertur a Joanne Diacono in ejus Vita, & ab aliis Scriptoribus.

V. Sed audiamus ipsum S. Pontificem, qui finem, & ordinem prædictæ Litaniæ septiformis ita describit: *Proinde Fratres Reverendissimi cum contrito corde, & correctis operibus crastina die primo diluculo ad septiformem Litaniam juxta distributionem inferius designatam devota cum lacrymis mente veniamus. Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat; nullus quodlibet negotium agere præsumat; quatenus ad sanctæ Genitricis Domini Ecclesiam convenientes, qui simul omnes peccavimus, simul omnes mala, quæ fecimus, deploremus, ut districtus Judex, dum culpas nostras nos punisse considerat, ipse a sententia propositæ damnationis parcat.* Tum ita ordinem in septiformi ipsa Litania tenendum exponit: *Litania Clericorum exeat ab Ecclesia S. Joannis Baptistæ. Litania virorum ab Ecclesia S. Martyris Marcelli. Litania Monachorum ab Ecclesia sanctorum Joannis & Pauli. Litania ancillarum Dei ab Ecclesia B. Martyrum Cosmæ, & Damiani. Litania feminarum conjugatarum ab Ecclesia B. primi Martyris Stephani. Litania Viduarum ab Ecclesia B. Martyris Vitalis. Litania pauperum, & infantum ab Ecclesia B. Martyris Ceciliæ.*

VI. Quidquid autem de hac Processione sit, testes sunt Amalarius, Alcuinus, Walafridus, Strabo, & alii Auctores passim, Romana consuetudine receptum fuisse ubique, sive exemplo memoratæ Processionis, sive ex institutione laudati Pontificis, ut ea certo die, ideſt, VII. Kalendas Maji, qui incidit in Festum S. Marci celebraretur. Unde in Concilio Aquisgranensi II. Cap. X. & Lib. VII. Capitularium, Cap. LXXIV. statutum fuit, *ut Litania major more Romano ab omnibus in septimo Kalendas Maji celebretur.* Idipsum edicit Synodus Moguntina anni DCCCXIII. Can. XXXIII. quem in sequenti Commentario describemus. Quibus addi possunt Belethus, Durandus, & Jacobus de Vitriaco Sermone in Litania majore de S. Gregorio loquens, *Et instituit*, inquit, *hanc processionem singulis annis fieri in Ecclesia Dei, & ubique terrarum jejunia observari.*

VII. Sane ei celebrandæ vernum tempus assignatum creditur, quod ea tempestas peccatorum licentiæ, & publicis calamitatibus utplurimum initia, & causas præbeat. Tunc enim effervescente sanguine ex novi sideris influxu, lasciviæ spiritus exardescunt, unde ingens vitiorum seges, bella oriuntur, aeris intemperie morbi excitantur, flores, & frugum, atque arborum germina pro teneritudine facile pruinis, & alia quavis Cæli injuria dispereunt, & spem annui proventus fallunt. Quibus malis avertendis hujusmodi

Digitized by Google

modi ſupplicatio inſtituitur, uti notarunt vulgatus Alcuinus in Libro, *De divinis Officiis*, Cap. *De Litania majore*, itemque vulgatus Ordo Romanus, Honorius Auguſtodunenſis, & inter alios, Patres Concilii Colonienſis anni MDXXXVI. Parte IX. Cap. VII.

VIII. Eſt tandem ejus opinionis eruditus Thomaſſinus in Tractatu, quem de jejunio compoſuit, Supplicationes ſolemnes in Feſto S. Marci inſtitutas, per dies tres perinde, ac in Rogationibus celebratas fuiſſe, quia ſcilicet Lib. v. Capitularium Regum Francorum, Cap. LXXXV. ſtatutum eſt, *ut Litania major ſervanda ſit a cunctis Chriſtianis, diebus tribus*. Verum recte admonet clariſſimus Martene, atque egregie oſtendit, Rogationes etiam dici jam olim conſueviſſe *Litanias majores*, de illiſque loquutum fuiſſe recitatum Capitularium locum, cui ſimilia afferri plane poſſent & alia veterum teſtimonia.

IX. Hiſce notatis in limine hujus Commentarii, ut ad noſtrum §. deveniamus, *dicta die*, ideſt, S. Marci, *congregatur de mandato Epiſcopi totus Clerus ſecularis, & Regularis*, qui ſcilicet ire ad Proceſſiones ſolet, *ac etiam, ubi conſuetum eſt, Confraternitates laicorum cum eorum inſignibus &c.* Eſt quidem & hic uſus complurium locorum, ut laicorum Confraternitates, ad hujuſmodi Proceſſiones pergant; & licet Romæ nulla nunc Confraternitas præeat Clero, non tamen ita fuit ſuperioribus ſeculis; legitur enim in mſs. Diariis Paridis Craſſi ad annum MDIV. in ipſa Proceſſione S. Marci, Societatem Confalonis, alias *Reccommendatorum* nuncupatam, præviſſe: *Societas Confalonis prima eſt cum vexillo B. Virginis*.

X. Congregandum Clerum ſecularem, ac Regularem, & ipſas Confraternitates laicorum *cum eorum Inſignibus ante fores Eccleſiæ, unde Proceſſio diſcedere debet, ſeu etiam intra Eccleſiam, ſi ſit capax*, expreſſe edicit Rubrica noſtri §. ſtatimque ſubjicit, quod ibi expectant, donec erit tempus; incipietque a Deputatis tunc dirigi Proceſſio ordine ſolito, procedentibus ſcilicet prius Confraternitatibus laicorum, deinde Ordinibus Religioſis, poſtmodum Clero, & Eccleſiis Collegiatis, & ultimo Cathedralis Eccleſiæ Clero, cujus Canonici omnes, ſi commode fieri poteſt, erunt parati paramentis ſibi competentibus, ut ſolent, Epiſcopo celebrante, vel ſaltem ſex, aut octo parati erunt cum Pluvialibus violaceis. Procedet demum ultimo loco Epiſcopus violaceo ſimiliter Pluviali paratus, & Mitra ſimplici, medius inter duos Diaconos aſſiſtentes paratis Dalmaticis violaceis, manu ſiniſtra Baculum paſtoralem geſtans, dextera vero populo benedicens. Sane violacea paramenta adhibentur in hac Proceſſione, in ſignum pœnitentiæ, quia inſtituta fuit ad avertenda iræ Dei flagella, uti ſuperius diximus.

§. II.

Si erit Archiepiſcopus, præibit Crux Archiepiſcopalis ante Canonicos Eccleſiæ Cathedralis, ut in Capitibus ſuperioribus dictum fuit: & ſi conſuetum ſit in hujuſmodi Proceſſione portari aliquas Sanctorum Reliquias, & ſacras Imagines, ſervabitur conſuetudo; removendi tamen erunt a Proceſſione ludrici, & indecori actus.

COMMENTARIUS.

I. VEtuſtiſſimus ille eſt plane ritus, in Proceſſione Crucem præferre, qua palam conteſtamur, ſalutem omnem, meritaque omnia, & commoda ſpiritalia nos per Paſſionem Chriſti obtinuiſſe. Nicephorus ex Socrate, & Sozomeno agens de Proceſſione tempore S. Joannis Chryſoſtomi celebrata, ita inquit Libro XIII. Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ, Cap. VII. *Proceſſionem Cruces argenteæ cereos incenſos habentes præibant, Eudoxia Imperatoris conjuge impenſas ad eam rem præbente, quæ hoc Briſoni Cubiculi ſui Præfecto injunxit, ut Hymnorum cantus procuraret, & ad eum uſum quamplurimum lucernarum pararet*. Plures in hoc teſtimonio habemus ritus, qui in antiquis Proceſſionibus obſervabantur. Sed quod Crucem ſpectat, celebre eſt teſtimonium Marci Diaconi in Vita S. Porphyrii Epiſcopi Gazenſis, ubi de Proceſſione agens rogatu Gazenſium pro impetranda pluvia a memorato ſanctiſſimo Præſule inſtituta, hæc habet: *Facto mane, accepto ſigno venerandæ Crucis, quod nos præcedebat, egreſſi ſumus cum hymnis ad antiquam Eccleſiam, quæ eſt a parte Occidentali Civitatis*. Affert hanc Vitam S. Porphyrii a Marco Diacono ſcriptam Laurentius Surius ad diem XXVI. menſis Februarii.

II. Jam plurima ejus rei vetera monumenta afferri poſſent, in quibus paſſim habetur, non unam, ſed plures Cruces delatas olim in ſacris Proceſſionibus. Idque adeo certum eſt, ut in Novella CXXIII. Cap. XXXII. omnino vetaret Juſtinianus, ne Litaniæ, ideſt, Supplicationes, Proceſſioneſve ſine Sacerdotibus, & honoranda Cruce fierent; aitque alibi, Sacerdotes *cum venerabilibus Crucibus in ſupplicationibus egredi*. At vero licet ex antiquo ritu pro diverſis ſacrorum hominum Cœtibus, qui Proceſſioni interſunt, variæ geſtentur Cruces, ex quo tamen Archiepiſcopi eo privilegio donati ſunt præferendæ ſibi Crucis, dum vel ſine Proceſſione ſacra incedunt, merito in ſacra Proceſſione Cruce ſua, velut propriæ ſuæ dignitatis inſigni utuntur, quæ quidem ex noſtro hoc §. ſi Archiepiſcopus Proceſſioni interſit, *præibit ante Canonicos Eccleſiæ Cathedralis*, juxta generales noſtri Cæremonialis Rubricas, jam ſuperius a nobis ſuis locis explicatas.

Digitized by Google

III. Præter Cruces, geſtatas vel olim in Proceſſionibus Sacras Imagines, docet nos celebre exemplum Stephani III. Papæ, de quo in ejus vita ſic inquit Anaſtaſius Bibliothecarius: *In una dierum cum multa humilitate Stephanus procedens in Litania cum Sanctiſſima Imagine Domini Dei, quæ achæropeta, non manu facta nuncupatur, ſimulque & cum ea alia diverſa miniſteria recipiens proprio humero ipſam ſanctam Imaginem cum reliquis Sacerdotibus idem Sanctiſſimus Papa geſtans, nudis pedibus tam ipſe, quam univerſa plebs incedentes in Eccleſiam Sanctæ Dei Genitricis, quæ ad præſepe nuncupatur, poſito in omnibus capitibus populorum cinere, cum maximo ejulatu pergentes miſericordiſſimum Dominum noſtrum deprecati ſunt, alligans connectenſque adorandæ Cruci Domini Dei noſtri pactum ſcilicet illud, quod nefandus Rex Longobardorum diſrupit.*

IV. Ex recitato huc uſque celebri loco duos inter alios præcipuos ritus addiſcimus in Proceſſionibus pœnitentiæ demonſtrandæ cauſa uſitatos. Primus eſt, quod omnes ipſi etiam laici, & ſeculares, viri, ac mulieres nudis in illis incederent pedibus, ejuſque ritus mentionem faciunt, non modo antiqui Romani Ordines, atque aliarum Eccleſiarum priſca Ordinaria, verum & ipſæ antiquæ Synodi, inter quas Moguntina DCCCXIII. Can. XXXIII. ita ſtatuit: *Placuit nobis, ut Litania major obſervanda ſit a cunctis Chriſtianis diebus tribus, ſicut legendo reperimus, & ſicut Sancti Patres noſtri inſtituerunt, non equitando, nec pretioſis veſtibus induti, ſed diſcalceati cinere, & cilicio, niſi infirmitas impedierit.* Hunc ritum obſervatum fuiſſe vel ab ipſis Imperatoribus, conſtat ex celebri exemplo Caroli Magni, quem laudat Monachus Sancti-Gallenſis in Libro de rebus ejus bellicis, Cap. XVI. quod *tempore Litaniarum de palatio diſcalceatis pedibus uſque ad Eccleſiam paſtoralem, vel ad Sanctum Hemeramnum, ſi quidem eſſet Rageneſpurg Crucem ſequi ſolitus.* Sed commendandum hic præ cæteris exemplum eſt S. Elizabethæ Hungarorum Regis filiæ, quæ, ut legimus in ejus vita Cap. x. apud Surium die XIV. Novembris, *Luſtrationem Chriſtiano more, priuſquam Dominicæ Aſcenſionis ſolemnitas agitur, fieri ſolitam, & ipſa laneis amicta, nudaque pedibus obſervabat, Chriſti Crucem, ac Sanctorum Reliquias indifferenter cum vulgo inſequuta &c.*

V. Alius ritus, quem ex ſuperius recitato Anaſtaſii loco diſcimus, eſt, quod omnes cinere capite aſperſo in laudatis Proceſſionibus incedebant, quod ad avertenda iræ Dei flagella inſtitutæ eſſent, ideoque ad oſtendendum compunctum, & pœnitentem animum & cinere aſperſi, & cilicio etiam induti, uti ex laudato quoque Canone Concilii Moguntini conſtat, Majores noſtri procedebant. Conſueviſſe cinerem ipſum prius benedici, docent nos pervetuſtus Codex Eccleſiæ Turonenſis annorum circiter CM. & Codex Pontificalis Salisburgenſis Eccleſiæ, in quorum primo ſingulæ ſingulis Rogationum diebus aſſignantur Miſſæ, præmiſſa cineris benedictione hoc modo: *Deus qui humiliatione fidelium flecteris, & ſatisfactione placaris, aurem tuæ pietatis inclina precibus noſtris, & capitibus ſervorum tuorum horum cinerum infuſione tangendis effunde propitius gratiam tuæ bene ✠ dictionis, ut eos & ſpiritu compunctionis repleas, & quæ juſte poſtulaverint, efficaciter tribuas, & conceſſa perpetua ſtabilitate manere decernas.* In altero vero hæc extat Rubrica: *In Litania minore, ſicut in majore, feria ſecunda in primis agitur benedictio cineris, ſequente Antiphona*, Exurge Domine, adjuva nos. Deus auribus. *Qua finita, ponendi ſunt cineres ſuper capita ſingulorum virorum, ac mulierum, incipiente Clero, ſicut Antiphona teſtatur:* Immutemur habitu.

VI. Quod attinet Sanctorum Reliquias in Proceſſionibus ipſis delatas, multa plane extant vetera monumenta, quæ de eo ritu nos docent, nam præter recitatum ſuperius locum ex vita Sanctæ Elizabethæ Hungarorum Regis filiæ, & alios, qui afferri poſſent, inſignis eſt locus ille Vitæ S. Winoci Abbatis, de quo ejuſdem vitæ Auctor Cap. XIII. apud Surium die VI. Novembris hæc habet: *Dies Rogationum advenerat, populus cum precibus, Reliquiis, & Cambuca Sancti, longius, ſed tardius ſolito Monaſterium repedaverat. Sed cum circa Reliquias Sancti negligentius, quam oportuit, ageretur, negligentia merito damnum meretur. Nam a fronte Cambucæ particula auri cum Reliquiis cecidit, atque inveniendi ſe veſtigia nulla relinquit, tantique perditio theſauri uſque mane latuit. Mane autem facto Capicerius Eccleſiæ damnum rei publice primum expertus, incredibili timore diriguit, remque Fratribus retulit, ſi forte hujuſmodi damno conſcientia alicujus ſubvenire poſſet.* Et paulo poſt: *Nam manum caſu ad capitium ducens Capicerius deſiderio inveniendi, quod quærebatur, eſt ſatisfactus, quia in eodem Capitio, quas quæſiverat, Reliquias eſt nactus.* Plura notat in hunc locum Clariſſimus Joannes Chryſoſtomus Trombellus Canonicus Regularis Congregationis Rhenanæ, & Sanctiſſimi Salvatoris Bononiæ Abbas, in celeberrimo Opere, *De cultu Sanctorum*, Parte II. Tomo I. Diſſertatione VIII. Num. XVI. & ſeqq.

VII. Quamquam vero ipſi pii ritus geſtandi in hujuſmodi Proceſſionibus Sanctorum Reliquias, & ſacras Imagines a §. noſtro probentur, præceptum tamen ex eodem illud plane eſt, ut ab ipſis Proceſſionibus removeantur *ludicri, & idecori actus.* Puto equidem ad hos referendum uſum illum quorundam locorum, cujus meminit Durandus in ſuo Rationali Lib. VI. Cap. CII. Num. IX. & Jacobus Eveillon in Libro, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis.* Cap. III. portandi ſcilicet in Rogationibus draconis effigiem: *Conſuevit quoque*, ait Durandus, *quidam draco cum cauda longa erecta & inflata duobus primis diebus ante Crucem, & vexilla præcedere; ultima vero die quaſi retro aſpiciens, cauda vacua, atque depreſſa retro ſequitur.*

VIII. Morem hujuſmodi tum Durandus, tum

Digitized by Google

tum alii variis ac myſticis nituntur rationibus exponere; ſed ut recte obſervat Clariſſimus Eveillon, videtur iſtius generis ferculum obrepſiſſe in ſupplicationes publicas errore vulgi magis, quam certa ratione, aut inſtitutione Eccleſiaſtica. Neque enim ſi tale portentum auctoritate Eccleſiæ introductum foret, ad ſignificandum, ut fabulantur, Dæmonem a Chriſto devictum, ſublimis, & elatus draco portandus eſſet, hianti ore, & minaci, quaſi victor, aut floribus, & ſertis redimitus, quaſi ſacra quædam, & veneranda imago, ſed terræ afflictus ad pedes Crucifixi, ad eum modum, quo ſub pedibus calcantis & proterentis S. Archangeli Michaelis effingi in Templis ſolet; vel quo Conſtantinus Auguſtinus Imaginem ſuam in tabula depictam pro foribus Palatii propoſuit victrici Signo Crucis in vertice capitis prominente, ſub pedibus autem ſtrato dracone Labari cuſpide transfixo, & fluctibus obruto; qua deſcriptione ſymbolice adumbratur, draconem antiquum idololatriæ principem ab ipſo Conſtantino virtute Crucis proſtratum, coſoſſum, & ſubmerſum fuiſſe, juxta Prophetiam Iſaiæ, Cap. XXVII. *In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper Leviathan ſerpentem vectem &c.*

IX. Forte error natus eſt ex nomine Draconariorum. Nam ut ſcite notat idem Eveillon, in militia Romana ſingulæ legiones ſuam Aquilam habuerunt pro ſigno militari; ſingulæ cohortes draconem, ſeu draconis ſpeciem in vexillo expreſſam juxta deſcriptionem Ammiani Marcellini Lib. XVI. & Prudentii, qui in Libro, *De coronis*, Hymno I. loquens de duobus Draconariis, qui e militibus Gentilium Chriſtiani facti Crucem in exercitu pro Dracone ferebant, ita cecinit.

Proque ventoſis draconum, quos gerebant palliis.
Præferunt inſigne lignū, quod draconē ſubdidit.

Itaque ſublatis tandem e militia draconibus, & in Cruces mutatis remanſit appellatio Draconariorum pro quibuſvis ſigniferis; ſicut draconis nomen plerumque pro alio quovis genere uſurpatur vexilli, ut apud Jonam Aurelianenſem initio Libri II. *De cultu Imaginum*, hiſce verbis: *Exinde ſignum*, loquitur de Conſtantino Imperatore; *quod de Cælo ſibi fuerat demonſtratum, in militaria vexilla transformat, ac Labarum, quem dicunt draconem, in ſpeciem Crucis Dominicæ exaptat; & ita armis, vexilliſque Religionis inſtructus adverſum impiorum arma proficiſcitur.*

X. Ex Ordinibus antiquis Romanis *Draconarii* paſsim dicuntur, qui ſigna portant in Proceſſione ante Pontificem, indeque forte putarunt nonnulli Draconariorum geſtamen in Proceſſionibus debere eſſe draconis imaginem, ut in militia Romana fuit; atque ita ſapientes in oculis ſuis eam vexilliferis Eccleſiaſticis portandam impoſuerunt. Cui etiam opinioni fortaſſe favit draco ille, qui aquarum vi raptatus in agrum Romanum, univerſæ regioni peſtem intulit; cujus cauſa S. Gregorius Magnus dicitur Litaniam majorem inſtituiſſe. Sed a nemine Hiſtoricorum eſt proditum, Sanctiſsimum Pontificem tam populariter, & otioſe in negotio Religionis egiſſe, ut in ſumma omnium Ordinum conſternatione, tam horrendi prodigii ſimulacrum populi Romani oculis objiceret; neque, ſi id verum foret, poſſet draconis geſtatio ad Rogationes, alia ſve quaſcumque Proceſsiones trahi, quorum inſtitutioni, & myſterio nullo modo convenit.

XI. Hæc & alia laudatus Auctor in confutationem ejus ritus geſtandi in ſacris Proceſsionibus draconis effigiem, addens, nullam de hujuſmodi deportatione mentionem in antiquis Auctoribus haberi, nullum ejus inſtituendæ monumentum. Sed plane in hoc fallitur, mentionem enim de eo ritu facit Durandus, cujus ſupra verba attulimus, & longe ante Durandum Joannes Belethus in ſua divinorum Officiorum explicatione, Cap. CXXIII. ubi fuſe eum ritum explicat variis allatis Sacræ Scripturæ locis. Fateor equidem, eliminandum prorſus hujuſmodi ritum ſi forte alicubi adhuc vigeat, ſicut etiam removendi ſunt a ſacris Proceſsionibus alii ſimiles Ludrici, & indecori actus, qui hodieque multis in locis peſsime vigent.

§. III.

Hoc ordine ibit Proceſſio uſque ad Eccleſiam, ad quam juxta conſuetudinem Civitatis dirigitur, cujus Eccleſiæ Clerus, ubi ita conſuetum eſt, procedet obviam, uſque extra portam Eccleſiæ, Proceſſioni, ibique ſtans, eam recipiet.

COMMENTARIUS.

I. PLures in Proceſſionibus quas enarramus, factas fuiſſe Stationes tum Romæ, tum alibi teſtantur Romani antiqui Ordines, ac pene omnes Libri Rituales, allati a Martenio in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXVII. Sed quidquid ſit de antiquo ritu hujus Proceſsionis, ex præſcripto noſtri §. *ibit Proceſſio uſque ad Eccleſiam, ad quam juxta conſuetudinem Civitatis dirigitur*; quibus verbis probatur quidem ea conſuetudo, ſi jam alicubi vigeat, ut ad aliam Eccleſiam, quam ad Cathedralem dirigatur Proceſsio, licet Cathedralis Eccleſia meta eſſe ſoleat hujuſmodi Proceſsionum. Hinc Romæ, ubi inſtituta primum eſt Litania major, Proceſsio ad Baſilicam Vaticanam dirigitur, cujus *Cathedralitatem*, conceptiſsmis verbis teſtatur Innocentius III. literis ſuis miſsis ad Archipresbyterum, & Clericos Plebis Aretinæ, quas evulgavit poſt Philippum Capellum Creſcimbenius in Hiſtoria Tituli S. Anaſtaſiæ, Cap. VII. & poſt ipſos

Digitized by Google

ſos eruditiſsimus Petrus Morettus, *De Presbyterio*, Parte II. Sectione X. §. XII. Pag. 187. in Nota.

II. Quocumque autem dirigatur Proceſsio, ſive ad Eccleſiam Cathedralem, ſive ad aliam inſignem Civitatis, ex §. noſtri præſcripto, *illius Eccleſiæ Clerus procedet obviam uſque extra portam Eccleſiæ, Proceſſioni, ibique ſtans illam recipiet*. Non ſatis ergo debito ex lege urbanitatis officio fungeretur, imo directe legi noſtri Cæremonialis obnoxius eſſet Clerus ille, qui ſtaret intra fores, vel, quod gravius eſt, ſederet, accedenteſque exciperet, vel eorum ordines diverſis tantum ſalutandi, atque aſſurgendi modis, ac formulis adhibitis honorare vellet. Sed dices: Praxis Romana hæc eſt, ſive conſuetudo Cleri Vaticani taliter occurrentis reliquo Urbis Clero, atque taliter excipientis Proceſsionem hac die ſancti Marci in Vaticanam Baſilicam intrantem, teſte laudato Moretto in citato Opere, *De Presbyterio*, Parte II. Sectione VII. §. XI. eſtque res omnibus nota, ac multis etiam modum ipſum excipiendi ac ſalutandi improbantibus.

III. Verum perperam a nonnullis ſugillatur Vaticana hujus diei conſuetudo, peſsimeque ab aliis pro exemplo aſſumeretur; ineſt enim ei conſuetudini ratio, cauſaque graviſsima, aliis occaſionibus, lociſque nullatenus accommodanda, ut ſcite monet ibidem Morettus §. XII. & XIII. qui poſtea etiam, Sectione ſcilicet X. §. VIII. cauſam illam rationemque conſuetudinis Cleri Vaticani ſic pandit: *Decuit aliter a Vaticanis Miniſtris occurri, quam per Cæremoniale poſtmodum inſinuatum eſt. Meminerimus, non præveniri generalem Cleri Supplicationem a Capitulo S. Petri, adeoque occurri ex conſuetudine primigenia, debitoque urbanitatis officio; ſed quod demandata ſit ſibi Apoſtolicæ Sedis, imo ipſius Petri nomine, Presbyterii, ideſt nobiliſſimæ (origine ac ſignificatione ſpectatis) præſtationis diſpenſatio. Anne tanta perſona, quam ſuſtinent, res tanta, tamque magnifica, abſque majeſtatis ſpecie, gravique ſupercilio tranſigenda? Decuit non una omnes honorari menſura obſequii. Num honor idem exhibendus Clericis, qui indonati recederent, & Clericis, quos Petrus honore Presbyterii muneraret?* Hæc ille, cujus vim, ac ſenſum verborum, clariorem in lucem ponent, quæ infra in Commentario ad §. VI. ſummatim dicemus de hic memorata præſtatione Presbyterii, quæ Clero fit ad Supplicationem ipſam procedenti.

IV. Forte abuſus ille eſt, quod alicubi in hac Proceſsione, ac in aliis pleriſque Clerus qui cum Proceſsione Eccleſiam ingreditur, cum aſperſione aquæ benedictæ excipiatur. Nihil plane de hoc ritu habet noſtrum Cæremoniale, hoc unum mandans, ut Clerus Eccleſiæ, ad quam Proceſsio dirigitur, procedat obviam uſque extra portam Eccleſiæ, ibique ſtans illam recipiat. Atque hinc eſt quod Benedictus XIII. ſacrorum Rituum peritiſsimus eum modum excipiendi Clerum proceſsionaliter indutum in Baſilica Vaticana aliquando vetuit, tametſi eo mortuo, modus ille revixerit, una cum aliis non paucis ritibus, quos ille aliquando improbaverat.

§. IV.

Per viam Proceſſionis cantentur Litaniæ, & alia, quæ in Libro Ritualis Romani continentur, & nihil ultra: ipſa via prius, de mandato Epiſcopi, ab omnibus in ea habitantibus mundetur.

COMMENTARIUS.

I. QUum mos fuerit antiquus, ut in Proceſsionibus cantaretur *Kyrie eleiſon*, ideo preces per ea vèrba incipientes, Litaniarum nomine ſunt appellatæ, uti videre eſt apud S. Gregorium Turonenſem, Lib. X. Cap. I. de Litania loquentem, quæ Romæ a S. Gregorio Papa inſtituta fuerat: *Kyrie eleiſon per plateas Urbis cantabat*. An etiam adderet invocationem Sanctorum, nihil dicit; teſtiſque Grancolas eſt in Breviarium Romanum, Cap. LXXIV. in pervetuſto Rituali Romano legi, *quod in Litaniis*, Kyrie, *tantum diceretur, & centies repeteretur abſque ulla invocatione Sanctorum*. Tum hunc laudati Ritualis locum ſubjicit: *Dicunt centies*, Kyrie eleiſon; *centies*, Chriſte eleiſon; *item centies*, Chriſte eleiſon.

II. Inter alios docet Walafridus Strabo, Cap. XXVIII. Litanias invocationem potius divinæ miſericordiæ, quam Sanctorum invocationem continere: *Notandum, Litanias dici non tantum recitationem nominum, qua Sancti in adjutorium vocantur infirmitatis humanæ, ſed etiam cuncta, quæ in ſupplicationibus fiunt, rogationes appellari*. Uſus invocandi Sanctos in Proceſsionibus eſt tamen antiquus, uti videre eſt apud Victorem Vitenſem Lib. III. *De perſequutione Vandalica*, ubi habetur, quod in calamitatibus publicis, & Vandalorum perſequutionibus, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, & reliqui omnes Sancti, uti nos facimus, invocabantur: *Deprecamur, Patriarchæ orate, Sancti Prophetæ, eſtote Apoſtoli ſuffragatores noſtri, præcipue tu Beate Petre ..... tu Sancte Paule .... ingemiſcite Sancti ſimul pro nobis.*

III. Ex præſcripto Romani Ordinis XI. Auctore Benedicto, Num. LVI. in Litaniis majoribus, in quibus *omnes Cruces Romanæ Civitatis cum Clero & populo honorifice cum Proceſſione procedunt ad S. Marcum*, prius cantanda erat Antiphona, *Domine Dominus noſter, qui cum Patribus noſtris*; deinde Pſalmus, *Beatus vir*. Cum autem ad Eccleſiam venirent, Reſponſorium, *Famule Dei Marce*; eoque finito, Collecta, *Populus*

Digitized by Google

lus Sion convertimini ad Dominum. Tum, *Flectamus genua*, *Levate*, & deinde Oratio; dictoque, *Procedamus in pace*; ac responso, *In nomine Jesu Christi*, exeuntes de Ecclesia redire jubentur ad Processonem, *per viam cantando Antiphonas, & Psalmos, & in statutis locis Litanias, sicuti mos est, usque ad sanctum Petrum, & accipiunt a Curia Domini Papæ Presbyterium secundum consuetudinem hujus diei*.

IV. Præclarissimum, ac numeris omnibus absolutissimum Opus de hujusmodi Romæ Presbyterio, & alibi distribui solito in variis occasionibus concinnavit Clarissimus Petrus Morettus. Sed ut ritum memorati Romani XI. Ordinis persequamur, conveniebant Ecclesiæ Patriarchales cum suis Crucibus in Basilicam Salvatoris, quæ vocatur Constantiniana, ubi Pontifex post Altare Ecclesiæ induebat se cum Episcopis, Cardinalibus, & aliis ordinibus, sacris paramentis; & tunc Primicerius cum Cantoribus cantabat Antiphonam, *Populus Sion*, qua cantata, ac dicto a Pontifice, *Oremus*; & ab Archidiacono, *Flectamus genua*, alio respondente, *Levate*, idem Pontifex dicebat Orationem, & dicta Oratione, Archidiaconus pronunciabat, *Procedamus cum pace*, cui respondebat Schola: *In nomine Christi*.

V. Hoc facto, Subdiaconus regionarius elevabat Crucem Stationalem de Altari, quam portabat in brachio, ut oscularetur ab omnibus, in Processione ante Pontificem, usque ad exitum Ecclesiæ; deinde vero eam erectam levabat. Primicerius cum Schola post Papam tenens Pallium cum læva primum incipiebat Antiphonam, *Domine Dominus noster*; ibatque Processio ad Patriarchales Urbis Ecclesias. Verum ubi Processio perveniebat ante Coliseum, Subdiaconus Regionarius incipiebat septiformem Litaniam, quæ scilicet in septem Choros erat distributa, & in septem Urbis regionibus ad eam canendam sistebatur. Cum vero ante Sanctam Mariam-Novam perveniebat, *in præparato lecto Dominus Pontifex cum Episcopis, Cardinalibus, & Diaconibus* quiescebat, *donec Litania* finiretur. Finita autem Litania, surgens Pontifex, ac præmissis, *Oremus*, *Flectamus genua*, & *Levate*, dicebat Orationem; tum vero Diaconus, *Procedamus cum pace*, & omnes per viam sacram in Processione pergebant. Addit & alia memoratus Ordo, ex quibus docemur, plures factas fuisse olim in hujusmodi Processionibus Stationes.

VI. Sed quidquid sit de antiquo ritu, mandat §. IV. noster, ut *per viam Processionis cantentur Litaniæ, & alia, quæ in Libro Ritualis continentur, & nihil ultra*. Duplicandæ sunt hæ Litaniæ, sicut fit Sabbato Sancto, repetenie scilicet Clero quæ a Cantoribus in illis dicuntur. Viget autem alicubi mos, ut præter illa, quæ continentur in Rituali, ex antiquo ritu in iis Processionibus ad portas Civitatis Euangelium decantetur. Paulæ, quæ patria mea, in hujusmodi Processionibus, in quibus etiam extra civitatem itur, solet Parochus Pluviali indutus ad aliqua loca sistere, & ibi accepta de manu Acolythi Cruce Processionali, quater dicere alta voce, *Ut fructus terre dare, & conservare digneris*, Clero, ac populo respondente, *Te rogamus audi nos*; ubi autem Portam Civitatis ingressus est, accepta tunc iterum Cruce, *Ut civitatem istam, & omnes habitantes in ea ab omni fame, peste, bello, & terræmotibus defendere, & liberare digneris*, Clero, & populo respondente, ut supra.

VII. Cautum est tandem ex nostro §. IV. ut *ipsa via prius de mandato Episcopi ab omnibus in ea habitantibus mundetur*; neque enim decet, ut sacra Processio per vias incedat immundas, ac luto plenas, atque hominum stercore, ac suum. Valde autem miratus quod hujusmodi abusus, in quibusdam insignioribus nostræ Italiæ Urbibus grassetur, in quibus & sues ire per vias permittitur, easque conspurcare, & homines passim, & clara luce ventrem per vias exonerare minime erubescentes, si per easdem Viri æque, ac Feminæ transeant. Sane laudat Jacobus Eveillon in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. XXI. piam complurium locorum consuetudinem, flores & herbas suave olentes in via spargendi adveniente Processione, de qua Baptista Mantuanus his versibus lib. IV. Fastorum mentionem facit.

Ante triumphali Christus quam Sidera pompa
Coscendat, Litanea minor per rura, per Urbes,
Incedit, tres mane dies pulsantibus æra
Turribus, & sparsis passim cum floribus herbis.

§. V.

Prælati, si qui aderunt de gremio Ecclesiæ, ibunt immediate ante Episcopum; alii vero Prælati, Magistratus, & alii nobiles laici post Episcopum.

COMMENTARIUS.

I. CLerum æque ac populum in Litania tum majori, tum minori incessisse, docent passim Romani Ordines, ac Libri Rituales variarum Ecclesiarum. Quidquid autem de aliis sit, ait hic noster §. Prælatos siqui aderunt de gremio Ecclesiæ, debere immediate ante Episcopum ire, idest post Canonicos etiam paratos; alios vero Prælatos, qui scilicet de gremio Ecclesiæ non sunt, & Magistratum, atque alios nobiles laicos post Episcopum. Atque hic nota. I. verba illa nostri hujus §. *alii vero Prælati*, adjuncta primum fuisse huic novo Cæremoniali, non enim in aliis Cæremonialibus extant, II. nomine Prælatorum illos intelligi, qui ita Romæ vocantur.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Cum autem Epiſcopus, & Proceſſio pervenerit ad dictam Eccleſiam, celebretur ibi Miſſa ſolemnis Rogationum, & non S. Marci, niſi fuerit Titulus Eccleſiæ, vel ab Epiſcopo, vel ab aliquo Canonico coram eo cum ſolitis Cæremoniis, ut ſupra ſuis locis dictum fuit: & in fine Epiſcopus dabit benedictionem ſolemnem, & facit publicari Indulgentiam. Si autem hæc Miſſa opportunius in regreſſu Proceſſionis in Cathedrali celebrari judicabitur, tunc in Eccleſia, ad quam Proceſſio pervenerit, per Epiſcopum, vel per Celebrantem, cantata per Cantores Antiphona de Beata Virgine, & de Sancto Titulari, ſubjungentur propriæ Orationes.

COMMENTARIUS.

I. MAndat hic §. noſter, ut *cum Epiſcopus, & Proceſſio pervenerit ad dictam Eccleſiam*, ideſt, ad Eccleſiam illam, ad quam juxta conſuetudinem Civitatis dirigitur, juxta regulam ſuperius traditam in §. III. *celebretur ibi Miſſa ſolemnis Rogationum, & non ſancti Marci*, nempe, ſine *Gloria*, & ſine *Credo*, & cum Præfatione Paſchali cum tribus Orationibus, ut in Litaniis minoribus ex Gavanto in Rubricas Miſſalis, Parte IV. Tit. XV. Num. VII. *niſi fuerit Titulus Eccleſiæ*, nempe niſi Proceſſio terminetur ad Eccleſiam ſancti Marci, quia tunc cantabitur Miſſa de Feſto ex præſcripto hujus §. & ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die XXIII. Maji anni MDCIII. apud eundem Gavantum loco citato, & apud Barboſam in Summa Apoſtolicarum Deciſionum Collectan. CDLII. Porro cantanda eſt Miſſa, ſive Rogationum, ſive ſancti Marci, *ab Epiſcopo, ſive ab aliquo Canonico coram eo cum ſolitis cæremoniis, & in fine Epiſcopus dabit benedictionem, & facit publicari Indulgentiam*.

II. Quod mox in noſtro §. ſequitur, & edicitur, ut, *ſi hæc Miſſa opportunius in regreſſu Proceſſionis celebrari judicabitur, tunc in Eccleſia, ad quam Proceſſio pervenerit, per Epiſcopum, vel per Celebrantem, cantata per Cantores Antiphona de Beata Virgine, & de Sancto Titulari*, ſubjungantur *propriæ orationes*; additamentum plane eſt in novo hoc Cæremoniali factum, nam in antiquis Cæremonialibus deſideratur. Addubitari autem nequit, quin ritus iſte, ut ſcilicet in Eccleſia, ad quam terminatur omnino Proceſſio, cantetur Miſſa laudabilis ſit, quippe qui memorato ſuperius Romano Ordini XI. concinit, ex cujus præſcripto, licet in majori Litania variæ fierent Stationes, uti ſupra notatum fuit, tamen *finita Litania, aliiſque Officiis aſcendit ad Baſilicam ſancti Petri, ubi eſt Statio; ibique Dominus Pontifex cantat Miſſam*. Verum Sacra Rituum Congregatio in Einſidleni XXIII. Junii MDCCXXXVI. aliquando indulſit, ut in gratiam populi, qui frequentiſsimus adeſſe ſolet hujuſmodi Proceſſionibus, ut vacare poſſit operibus, Miſſa decantaretur ante Proceſſionem.

III. Quantum ad ritum, qui in Proceſſione diei S. Marci Romæ hodie ſervatur, licet quod de eadem ſancit hic noſter §. conforme prorſus ſit inſtitutioni ſolemnitatis Litaniarum majorum, cujus concluſio erat Romæ Stationalis Miſſa per ipſummet Summum Pontificem celebrata, & ritu quidem maximo, ut antiqui Romani Ordines, præſertim XI. Benedicti Canonici S. Petri, & XII. Cencii Camerarii ampliſſime teſtantur: tamen nunc aliter in ipſa Urbe fit. Epiſcopus Suffraganeus, ac Viceſgerens nuncupatus, ſive alius eidem ſubſtitutus Antiſtes, qui loco Pontificum Summi (neque enim iſte cum Collegiis Curiæ procedit, uti olim conſuetum erat in majori Litania) paratus Pluviali violaceo, & Mitra ſimplici agmen procedentium claudit, planam celebrare ſolet Miſſam ſuper Altare majus Tituli Sancti Marci; in Altari vero principe Baſilicæ S. Petri, ubi olim Miſſa cantabatur, ſolemnem dumtaxat benedictionem adſtantibus impertit.

IV. Licet autem parvum ſit, quod modo Romæ ſupereſt enunciatæ Stationalis Miſſæ veſtigium, non tamen illud unicum eſt. Siquidem nunc accedenti Clero ad Vaticanam Baſilicam die XXV. Aprilis diſtribuitur, & quidem juſſu Pontificum, a Capitulo S. Petri ſub titulo *Præsbyterii* certa pecuniæ ſumma; res autem ita, & juxta ſequentem ritum completur. Canonici ipſi Vaticanæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum cum ceteris Collegiis ſuis ſupplicabundo ritu pergunt ab Eccleſia S. Marci ad propriam, antequam ſcilicet, illuc reliquus Clerus Urbis adveniat. Ubi vero prima hujus acies appropinquare nunciętur, diſponuntur per ſedilia prope, ac intra Baſilicæ fores collocata. His adhærent in ſiniſtro accedentibus, & limini propinquiore latere duo Capituli Miniſtri, Sacriſta nempe minoris notæ, atque unus ex Cæremoniariis, ſtantes, manuque tenentes crumenas pecunia refertas in *Presbyterium* eroganda; in dextro pone terga ſedentium ſtat Clericus ſub ipſo adventu Ordinum Cleri ſecularis, alta voce lecturus e ſuggeſtu Bullam Alexandri Papæ IV. ab Eugenio Papa itidem IV. renovatam, qua univerſis Urbis Eccleſiaſticorum Collegiis præſcribitur, ut accedant ad Baſilicam Vaticanam, accipiantque *Presbyterium* a Canonicis ejuſdem Baſilicæ cum interventu Pontificii cujuſpiam familiaris.

V. Subeunt interim agmina Cleri limen Baſilicæ, & tunc a prædictis Miniſtris pecuniam acci-

Digitized by Google

accipiunt, non tamen ſingula, nec ejus portio æqua datur accipientibus; nam indonati pertranſeunt quotquot ante ſecularem Clerum incedunt, & quibuſdam ex Clero ſeculari unus, Collegiis nonnullis tres, quinque aliis, inſignioribus duobus Collegiis S. Mariæ Tranſtyberim, & S. Laurentii in Damaſo ſeptem cum dimidio, duobus digniore loco præcedentibus Capitulis Patriarchalibus S. Joannis in Laterano, & S. Mariæ Majoris decem oboli traduntur pro *Presbyterio*, qua etiam ſumma fuitur Clericus lector Bullæ. Solet hæc pecunia ſumi de maſſa, quam vocant, Sacrarii, ex oblatis ad Baſilicam ipſam S. Petri, aliiſque peculiaribus proventibus conflata. Mirum vero illud, quod eam participantes cenſum ſibi dari putant, aut debitæ recognitionis ſpeciem a Capitulo S. Petri, iſtud autem ex adverſo non dubitat, ſtipendio quopiam, ſive ſalario a ſe illos donari, qui pecuniam ipſam accipiunt; quod quidem poſtremum certius autumo, dummodo ſtipendium ipſum, ſalariumve Beati Petri nomine, manuque ſuggeſtum, conſignatumque per miniſterium Vaticani Cleri reputetur; laudata etenim Alexandri Bulla ſalarium quidem appellat *Presbyterium* ab ipſo S. Petri Capitulo præſtandum; ſed tamen mox illud monet, ejuſmodi ſcilicet præſtationis actionem *intereſſe quodammodo reſpicere Principis Apoſtolorum*.

VI. Hæc ſane Romæ, ac ſub propoſita idea peraguntur occaſione Litaniæ majoris. Verum ecquis in iis non agnoſcat, ſumme licet, nec ſine cauſa, variatum, mutilatumque uſum præ antiquitate ſingulari, & notabili ſignificatione percelebrem? Memorandum, quid Romæ vel a primis pacatæ Eccleſiæ ſeculis ageretur poſt ſolemnes Papales Miſſas ad Aram maximam Baſilicæ Vaticanæ celebrari ſolitas occaſione Stationalium conventuum, & ſpecialius recurrente conventu die xxv. Aprilis: ſcilicet ſupremo ipſi Pontifici, cunctis Cleri tum Palatini, tum Urbani ordinibus, necnon pleriſque laicorum, qui Sacrificio adſtiterant, nummorum portio diſtribuebatur, dignitati Perſonarum, Collegiorumque congrua. Diſtributor utplurimum erat Archidiaconus, ſive Camerarius S. R. E. vel iiſdem ſubrogatus aliquis ex illuſtrioribus Apoſtolicæ Sedis Miniſtris. Actio perficiebatur frequentius in Baſilicæ gremio; oblata ad prædictam Aram, maxime Sacrificii tempore, nummos ſuppeditabant; & qui eos accipiebant, *Presbyterium* accepiſſe dicebantur.

VII. At quorſum iſthæc? Quia ſcilicet ſic placebat Romanis Pontificibus Maximis inculcare Chriſtianæ ſocietati Catholicam unitatem, charitatemque, ac ſibi inſuper, cæteriſque Viris Eccleſiaſticis in memoriam revocare, quam humiles eſſe, & unde, quave de manu ſtipendium, alimoniam, fortunaſque ſuas percipere, atque expectare deberent. Tam præclaro inſtituto, ejuſque œconomiæ teſtimonium præbent Romanæ Eccleſiæ tabulæ, ac potiſſimum citati antiqui Ordines Benedicti, & Cencii, conſuetudines haud dubie deſcribentes eo, quo compacti ſunt, ſeculo, vetuſtiores. Indicatam vero ſignificationem, ſeu myſterium declarant ſatis paulo diligenter expenſæ ipſius inſtituti circumſtantiæ. In ritu ſane offerendi, oblataque dividendi, manifeſtior emicabat nota charitatis, unitatiſque Catholicæ. Ex oblatis ad Altare, atque ad illud præſertim ſub quo Beati Petri Corpus quieſcebat, ſuppeditabantur nummi, & fiebat diviſio; ut Chriſtus ſcilicet per Altare deſignatus, & B. Petrus primus ejuſdem Vicarius datores Presbyterii viderentur, qui (pro modulo quiſque ſuo) unitatis Catholicæ, charitatis, atque humilitatis typi ſunt, & militantium, ac præſertim Clericorum ductores, ac ſummi Sacerdotes, ſeu Presbyteri ſunt, unde ei præſtationi Presbyterii nomen eſt inditum.

VIII. Cur autem ad hanc agendam functionem delecta dies xxv. Aprilis? Quia nimirum diu antequam dies ipſa Litaniæ majoris, nedum ſancti Marci celebritate nobilitaretur, honori Principis Apoſtolorum conſecrata erat per ſolemnitatem, qua nulla forſan erat aptior fovendæ expoſitæ Romanorum Pontificum, ſeu Eccleſiæ intentioni. Hæc ſolemnitas, quæ fuerit, ediſſerit peculiari Opuſculo idem doctiſſimus Scriptor Petrus Morettus, vulgato Romæ anno MDCCXLII. cujus hic eſt Titulus: *Parergon ad Lucubrationem, De ritu dandi Presbyterium, ſive, De Feſta in honorem Principis Apoſtolorum Romæ ad diem* xxv. *Aprilis inſtituto*. Illud evolvat Lector, & ſi de iis, quæ circa veterem, novumque deſcriptæ Vaticanæ diſtributionis uſum vix innuimus, copioſius, & funditus inſtrui velit, integram ſaltem perlegat Partem II. allegatæ Lucubrationis, *De ritu dandi Presbyterium*, ejuſdem Auctoris, non omiſſis caſtigationibus, & additionibus in calce prædicti Opuſculi editis.

IX. Tandem ut hunc Commentarium abſolvamus, & de iis quædam alia notemus, quæ propius noſtrum §. ſpectant, teſte Gavanto in Rubricas Miſſalis, Parte IV. Tit. XI. Num. x. & in Rubricas Breviarii Sectione VI. Cap. XVI. ſi occurrant Litaniæ majores in Paſchate, eo caſu tranſferendæ una cum Proceſſione ſunt in Feriam tertiam ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis xxv. Septembris MDCXXVII. ne ſcilicet populus impediatur a Communione Paſchali, neve triſtari videatur vel minimum in tanta ſolemnitate, colore violaceo adhibito, & Miſſa cantata de luctu. Verum pro notitia Romani antiqui ritus ſciendum plane quod ait in ſuo Romano Ordine xv. Petrus Amelius, Cap. CV. I. *Si Feſtum*, inquit, *S. Marci, vel aliud, veniat in Dominica in Albis, vel infra Octavas Paſchæ, tunc nihil fit de Feſto, ſed transfertur in diem lunæ, in Feriam ſcilicet ſecundam*. Circa tempus, quo Feſtum iſtud obſervari debeat, tradit & hæc pauca Scultingus: *Si venerit Feſtum S. Marci in aliqua Dominica poſt Paſcha, tunc Litania ſervabitur ſequenti die ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Leodienſis*. Additque mox, quod *Coloniæ ſervatur Feſtum S. Marci cum Litania die Veneris poſt Paſcha*. Sed non opus eſt recenſere hoc loco alias Chriſtiani Orbis Eccleſias, in quibus alii de eodem S. Marci Feſto ritus ſervabantur.

Digitized by Google

§. VII.

In Proceſſionibus vero, & Litaniis minoribus, quæ Rogationes vocantur, & fiunt tribus diebus ante Aſcenſionem Domini, eadem ſervantur, ſed aliquanto remiſſius: convenit tamen, in his Epiſcopum paratum cum Miniſtris intervenire, vel ſaltem cum Cappa.

COMMENTARIUS.

I. PRoceſſionum, & Litaniarum minorum, quæ Rogationes vocantur, & fiunt tribus diebus ante Aſcenſionem Domini Auctorem fuiſſe, atque inſtitutorem S. Mamertum Viennenſem in Gallia Epiſcopum, priſci æque ac recentiores Scriptores jam uno ore affirmant; nam præter Aviti Viennenſis Antiſtitis, & Sidonii Apollinaris Lib. I. Epiſtola VII. & Lib. VII. Epiſtola XIV. teſtimonium, idipſum una cum aliis plurimis aſſerit Gregorius Turonenſis Lib. II. *Hiſtoriæ Francorum*, ubi inſtitutionis illius cauſam, modumque deſcribit hiſce verbis: *In his temporibus fuit in Vienna Urbe terræmotus maximus, ubi multæ Eccleſiæ, & domus multorum concuſſæ fuerunt, & ſubverſæ, ubi beſtiæ multæ aberrantes, lupi, urſi acerbi ingreſſi per portam Civitatis devorantes plurimos, per totum annum hoc faciebant. Nam veniente ſolemnitate ſanctæ Paſchæ, S. Mamertus, qui in ea Urbe erat Epiſcopus, dum Miſſarum ſolemnia ipſa Vigilia celebraret, palatium quoque regale, quod in ea Civitate erat, divino igne ſuccenſum eſt. Cumque hæc agerentur, appropinquante Aſcenſione Domini, indixit jejunium Vir ſanctus Dei triduanum in populo cum gemitu, & contritione.* Et paulo poſt: *Tunc ceſſavit iſta tribulatio, & ſubverſio. Deinceps omnes Eccleſiæ Dei, & Sacerdotes hoc exemplum imitantes uſque ad præſens ipſas Litanias ubique celebriter colunt.*

II. Hactenus S. Gregorius Turonenſis originem Sacræ hujus Litaniæ, ſive Rogationum enarrans. Verum quod ait, omnes Eccleſias Viennenſis exemplum ſequutas fuiſſe, id de Gallicanis præſertim intelligendum eſſe, quæ ex præſcripto Concilii I. Aurelianenſis eandem inſtitutionem ſuſceperunt, recte admodum inter alios animadvertit Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXVII. Num. II. In eo autem Concilio Canon XXVII. ita ſtatuit: *Rogationes, ideſt, Litanias ante Aſcenſionem Domini ab omnibus Eccleſiis placuit celebrari; itaut præmiſſum triduanum jejunium in Dominicæ Aſcenſionis Feſtivitate ſolvatur, per quod triduum ſervi, & ancillæ ab omni opere relaxentur, quo magis plebs univerſa conveniat, quo triduo omnes abſtineant, & quadrageſimalibus cibis utantur.* Huic Decreto paruiſſe ſtatim univerſas Galliæ Eccleſias, docet nos idem S. Gregorius Turonenſis, qui in Libro, *De Vitis Patrum*, Cap. IV. laudat S. Quintianum Epiſcopum quinquennio poſt ipſum Aurelianenſe Concilium ad Arvernenſem Sedem evectum, quod *Rogationes illas, quæ ante Aſcenſionem Dominicam aguntur, devotiſſime celebraret.*

III. Meminit ejuſdem inſtitutionis Concilium Turonenſe II. anni DLXVII. Can. XVII. ubi a Paſcha ad Pentecoſten prandia permittit Monachis, *exceptis Rogationibus*. S. Cæſarius quoque Arelatenſis Epiſcopus in Appendice Tomi V. Operum S. Auguſtini novæ editionis, hortatur Fideles, ut *præcipue iſtis tribus diebus, quos regulariter in toto mundo celebrat Eccleſia, nullus ſe a ſancto conventu ſubducat, nullus Eccleſiam Cæleſtis Medici ſcholam occupatus terrenis actibus derelinquat*. Nomine totius mundi, quo Cæſarius uſus eſt, intelligendus eſt juxta interpretationem Amalarii, & aliorum veterum Scriptorum orbis Gallicanæ Eccleſiæ, nam alias Eccleſia Romana ceterarum omnium mater, ut alias aliarum nationum omittam Eccleſias, ſero eam inſtitutionem amplexa eſt, & quidem non ante Pontificatum Leonis Papæ III. qui, ut teſtantur in ejus Vita Anaſtaſius, & Ordericus Vitalis Lib. II. Hiſtoriæ, *conſtituit ut ante tres dies Aſcenſionis Dominicæ Litaniæ celebrentur*; quamquam Jacobus de Vitriaco Sermone in Feria II. Rogationum, id Liberio Papæ tribuat.

IV. Tardius etiam in Hiſpania receptas fuiſſe hujuſmodi Supplicationes, colligi facile poteſt ex Libris S. Iſidori, *De divinis Officiis*, in quibus nullam earum fieri mentionem, obſervat idem Martene, atque hinc forte Belethus eas non celebrari aſſerit, *niſi in Eccleſia Ciſalpina*. In Mediolanenſi non ante Aſcenſionem, ſed ſequenti hebdomada recoluntur, haud dubium, quin propter illa Euangelii verba, quandiu cum eis eſt ſponſus, non poſſunt jejunare. In Breviario Mozarabum poſt Dominicam infra Aſcenſionis Dominicæ octavam hæc legitur Rubrica; *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Obſervantur quarta Feria, quinta Feria, & ſexta Feria, & Sabbato ante Pentecoſten ad exorandum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro peccatis noſtris ac pacem impetrandam, vel pro ſanctis Lectionibus audiendis, & ut veniat Spiritus Paraclitus, & munda noſtra reperiat habitacula, Eccleſiam Dei frequentemus.* Porro antiquas eſſe in Hiſpania hujuſmodi Litanias, licet non ante Aſcenſionem, ſed poſt Pentecoſten, & Kalendis Novembris celebratas, liquido conſtat ex Concilio Gerundenſi habito anno Chriſti DXVII. Can. II. & III.

V. Finis triduanæ Supplicationis Litaniæ minoris, idem eſt, qui in Litania majore, ut ſcilicet operibus pœnitentiæ, & precibus aſſiduis propitietur Deus peccatis fidelium, & iræ ſuæ flagella ab eis clementer amoveat, pacem, aeris, & corporum ſalubritatem, frugum ubertatem concedat,

Digitized by Google

cedat, omnibuſque populi Chriſtiani neceſſitatibus benigne proſpiciat, quemadmodum docent vetus vulgatus Ordo Romanus, Amalarius, Honorius Auguſtodunenſis, & ante hos S. Cæſarius Arelatenſis, qui in ſua Homilia, ſeu Sermone de hac ſupplicatione ita inquit: *Ut ad integrum Deo vacantes, & miſericordiam illius ſuppliciter exorantes, & a cunctis infirmitatibus ſanari, & a peccatis omnibus erui, & de tam frequenti inundatione aquarum mereamur per Dei miſericordiam liberari*. Itaque hi dies ſunt expiationum, & pœnitentiæ, ideoque, uti dictum ſuperius fuit, ſolebant olim in hujuſmodi Litaniis capite cinere cooperto, ac nudis pedibus incedere. Hinc preces, quas in iis uſurpat Eccleſia ex præſcripto Antiphonarii, & Sacramentarii S. Gregorii, omnes pertinent ad pœnitentiam, & miſeriarum ex peccato inſurgentium deprecationem. Atque hæc cauſa eſt, cur Rituale Romanum vetet in hiſce Proceſsionibus, atque in Litania majore, aliiſve pœnitentiæ cauſa inſtitutis dici Hymnos, vel Cantica lætitiæ.

VI. Eodem ſpectat jejunium cum uſu ciborum quadrageſimalium, de quo extat Canon Concilii Aurelianenſis, quem ſuperius deſcripſimus, quod quidem primis temporibus, uti jam alias notatum fuit, per Galliarum Eccleſias religioſe fuit ſervatum S. Mamerti exemplo; unde Sidonius Lib. v. Epiſtola XIV. de uſu Eccleſiæ ſuæ loquens, ſcribit: *In his jejunatur, oratur, pſallitur, fletur*. Varia tum Scriptorum, tum etiam Conciliorum loca, quibus jejunium ipſum afferitur, affert poſt Jacobum Eveillon, & alios eruditus Martene. Sed ut alios omittam, notandum quod de eo ritu ſcribit Amalarius Lib. I. *De divinis Officiis*, Cap. XXVII. *Sequitur*, inquit, *una varietas inter octavas Paſchæ, & Vigilias Pentecoſtes, hoc eſt, jejunium triduanum in vigilia Aſcenſionis Domini*. Tum vero ſubjicit: *Miror, quomodo inolevit conſuetudo præſentis jejunii in noſtra Eccleſia, quæ tamen non tenetur per omnes Orientales Eccleſias &c.* In variis Ordinariis, ac præſertim in Ordinario noſtri Lucæ Conſentini Archiepiſcopi, qui floruit labente Seculo XII. & initio etiam Seculi XIII. Vigilia Aſcenſionis cum jejunio notatur. Ceterum Jacobus de Vitriaco, qui jam vivebat Seculo XIV. Sermone in Feria II. Rogationum de ipſo jejunio hæc habet: *In his autem Litaniis jejuniare ſolebant in principio in quadrageſimalibus cibis; nunc autem pauci jejunant primis duobus diebus, niſi in caſeo, & ovis. Omnes autem debent ab operibus mundanis ceſſare, ſicut in diebus feſtis, donec facta ſit Proceſſio, cui debent intereſſe*.

VII. Olim debuiſſe Fideles, non modo dum Proceſſio ageretur, verum toto hoc triduo a ſervili opere abſtinere, jam ſupra audivimus ex Canone XXVII. Concilii I. Aurelianenſis, deſcripto a nobis in Commentario ad §. I. cui quidem, & Scriptores complures, & aliorum Conciliorum Canones, quos hic omittimus recenſere, mirifice ſuffragantur.

§. VII.

Ad ſimilitudinem harum Proceſſionum regulari poterunt & aliæ Proceſſiones extraordinariæ, quæ fieri quandoque contingit ad placandam iram Dei.

COMMENTARIUS.

I. PRoceſſionem Eccleſiaſticarum alias eſſe ſtatas, ſeu ordinarias, quæ ſcilicet ex more certis diebus fieri ſolent, quales inter alias ſunt Proceſſiones die S. Marci, & triduo ante Aſcenſionem Domini, alias imperativas, quæ pro varietate cauſarum, ſeu neceſſitatum ingruentium, extra ordinem indicuntur, aut ſuſcipiuntur, docet jam laudatus toties Jacobus Eveillon in Libro, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, Cap. I. Porro juxta regulam in hoc §. noſtro traditam, ad ſimilitudinem Proceſſionum, quæ in Feſto S. Marci, & in Rogationibus fiunt, *regulari poterunt & aliæ Proceſſiones extraordinariæ, quæ fieri quandoque contingit ad placandum iram Dei*. Sacris Proceſſionibus iram Dei placari multis probari poſſet exemplis, ſed celebre eſt, quod de ſolemni Proceſſione a S. Gregorio Magno inſtituta refert Baronius ad annum DXC. nempe, quod cum ventum eſſet ad molem Adriani, viſus eſt ex ſumma arce Angelus diſtrictum enſem vagina recondens in ſignum placatæ cæleſtis iræ. Contemnendi itaque Hæretici, qui inter alias ſuæ impietates, Proceſſiones Eccleſiaſticas longo uſu a Concilis, & Patribus, ac divinitus etiam miraculis comprobatas ſugillare non verentur, qui tamen a noſtris Theologis egregie confutantur. Plura ſcito digna de variis Proceſſionibus Eccleſiaſticis videri poſſunt in Tractatu, quem de eo argumente edidit Paulus-Maria Quartus celebris Scriptor Ordinis Clericorum Regularium.

§. VIII.

Si vero celebrandæ erunt Proceſſiones ex cauſa lætitiæ, & pro gratiarum actione, aut etiam pro translatione aliquarum inſignium Reliquiarum Sanctorum, ordinari poterunt ad exemplum Proceſſionis Sanctiſſimi Sacramenti, de qua in ſequenti Capite

Digitized by Google

dicetur; lumina tamen, seu funalia accensa deferri magis convenit, cum Sanctissimum Sacramentum, vel saltem Reliquiæ, in Processionibus deducuntur.

COMMENTARIUS.

I. Ecclesiasticarum Processionum alias esse ordinarias, alias vero extraordinarias, in præcedenti Commentario notavimus; in posteriori genere numerandas ait laudatus superius Eveillon, Processiones, quæ fiunt, ad agendas Deo gratias pro singulari aliquo beneficio, pro pace, pro salubritate, seu serenitate aeris, pro frugum ubertate, & tempestiva maturitate, pro pluvia, pro obtinenda victoria, pro remissione peccatorum, in deportatione, seu translatione Reliquiarum, pro Jubilæo, seu Indulgentiis, pro averruncanda peste, & morbis popularibus, & ceteras hujusmodi Processiones, quæ seu devotionis, seu necessitatis causa quoquo modo extra ordinem celebrantur. Verum habenda est Processionum distinctio, quæ in hoc, & superiori §. traditur, ut nimirum Processiones, quæ fiunt ad placandam iram Dei, reregulentur ad similitudinem Processionum stationum S. Marci, & Rogationum; quæ autem ex causa lætitiæ, & pro gratiarum actione, aut etiam pro translatione aliquarum insignium Reliquiarum Sanctorum celebrantur, ad exemplum Processionis Sanctissimi Sacramenti in Festo Corporis Christi ordinentur; sed juxta clausulam nostri §. ubi edicitur, lumina, seu funalia deferri magis convenire, cum Sanctissimum Sacramentum, vel Reliquiæ in Processionibus deducuntur.

CAP. XXXIII.

Pro Processione Sanctissimi Sacramenti in Festo Corporis Christi, quæ promovenda ab Episcopo circa præcedentias. Viæ, & Ecclesia quomodo ornanda. Ordo Processionis. Paramenta Capituli Ecclesiæ Cathedralis in ipsa Processione, Funalia a quibus, & quo ordine portanda. Sanctissimum Sacramentum ab Episcopo quomodo gestandum. Locus, & habitus Legati a latere, Cardinalis, Nuntii Apostolici, Metropolitani, & aliorum Prælatorum. Nobiles viri etiam hastas baldachini deferant. Præparanda pro ipsa Processione. Accessus Episcopi ad Ecclesiam. Agenda post Communionem Celebrantis. Ordo inchoandæ Processionis. Baldachini hastæ per Ecclesiam a Beneficiatis deferantur. Psalmi, & Hymni ab Episcopo una cum Ministris dicendi. Quid servandum ad Altaria per vias erecta. Processio quo ritu perficienda. Benedictio cum Sanctissimo Sacramento danda, & Indulgentiæ evulgandæ. Missa privata ab Episcopo hac die dicenda. Ritus exponendi Sanctissimum Sacramentum super Altari per totam octavam, & Processiones faciendi.

§. I.

Ut Processio, quæ hac die erit facienda, rite, & recte, ac secundum debitas cæremonias in honorem tanti Sacramenti fiat, & ad removendas omnes contentiones, & lites, quæ forsitan causa præcedentiæ oriri possent, & in ipso actu maxima cum indecentia, & scandalo Processionem ipsam turbare, cura erit Episcopi pridie hujus diei, vel etiam per aliquos dies ante demandare Magistris Cæremoniarium, vel alteri, ad quem forsan secundum loci consuetudinem hujusmodi cura spectabit, ut omnia decenter, & diligenter præparentur, & prævideantur.

§. II.

Nempe ut viæ, per quas Processio transire debebit, mundentur, & ornentur aulæis, pannis, picturis, floribus, frondibusque virentibus secundum posse, & qualitatem loci. Et ipsa Ecclesia similiter perpulchre ornata sit, prout legitur in Capite XII. Libri I. De ornatu Ecclesiæ.

COMMENTARIUS.

I. Quamquam multis retro seculis, uti scitissime post S. Thomam Opusculo LVII. & alios passim Scriptores, notat Grancolas in Breviarium Romanum, Capite LXXXI. Sanctissimi Sacramenti institutio in Officio celebrata fuerit, & potissimum in Missa Feriæ V. in Coe-

Digitized by Google

in Cœna Domini, cum tamen Ecclesia die illa occupata sit in Passione Domini, in reconciliatione Pœnitentium, sanctorumque Oleorum consecratione, ac in aliis sacris functionibus, quarum superius mentionem fecimus, ut tam augusto Mysterio ulterior, ac præcipuus cultus tribueretur, Urbanus Papa IV. diem illi proprium ac peculiare Festum consecrandum censuit, anno MCCLXIV. decrevitque, ut eadem solemnitate, qua primæ classis Festa, ubique terrarum celebraretur, Feria nempe v. post octavam Pentecostes, quæ prima erat Feria v. Officiis Paschalis temporis vacua: *Etsi in die Cœnæ, quando Sacramentum prædictum noscitur institutum, inter Missarum solemnia de institutione ipsius specialis mentio habeatur; totum tamen residuum ejusdem diei Officium ad Christi Passionem pertinet, circa cujus venerationem Ecclesia illo tempore occupatur.* Verba sunt Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis, in laudato Opusculo LVII. ubi ita deinde subdit: *Ut autem integro celebritatis officio institutionem tanti Sacramenti recoleret plebs fidelium, Romanus Pontifex Urbanus IV. hujus Sacramenti devotione affectus, pie statuit, præfatæ institutionis memoriam prima quinta Feria post Octavas Pentecostes a cunctis Fidelibus celebrari; ut qui per totum anni circulum hoc Sacramento utimur ad salutem, ejus institutionem illo tempore specialiter recolamus, quo Spiritus Sanctus corda discipulorum edocuit ad plene cognoscenda hujus Mysteria Sacramenti: Nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum a Fidelibus frequentari.*

II. Plura de hoc Festo, ejusque instituendi variis rationibus, atque Officio tradunt inter alios eruditi Jacobus Eveillon in Libro, *De Processionibus Ecclesiasticis*, Cap. XXV. & Edmundus Martene in Libro, *De antiqua Ecclesiæ disciplina &c.* Cap. XXIX. ubi recte animadvertit, tria præsertim in solemnitate Festi Corporis Christi commendari, nempe Officium, Processionem, & Expositionem; quantum autem ad Officium, omnes eruditos viros in eo consentire, ut verus, & germanus illius parens sit laudatus Angelicus Doctor S. Thomas, omnemque, vel minimum dubitandi scrupulum sublatum jam fuisse a Viro doctissimo Natali Alexandro, qui peculiari Dissertatione Officium ipsum vindicavit Angelico ipsi Doctori, qui illud, jubente Urbano IV. Pontifice, composuit tanta pietate, tantaque divini Spiritus unctione refertum, ut illud mox omnes Ecclesiæ Occidentales sibi decantandum, persolvendumque ultro susceperint.

III. Quantum ad Processionem Sanctissimi Sacramenti in ejus Festo celebrandam, sunt qui una cum Festo institutam illam fuisse affirmant, acriterque pro hac sententia pugnat inter alios Jacobus Eveillon, multos Auctores citans, aliis aliter sentientibus, quia scilicet in Constitutione Urbani IV. qui Festivitatem sacratissimi Corporis Christi instituit, & apud S. Thomam in suis de eodem Festo Opusculis, nulla prorsus fit mentio Processionis. Quidquid sit de hac controversia, de qua nonnihil diximus nostro II. Tomo Conciliorum, probata est ea Processio a variis Synodis, novissime vero a Tridentina Oecumenica, Sessione XXIII. Cap. V. ubi ait oportuisse *victricem veritatem de mendacio, & hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati, & fracti tabescant, vel pudore affecti, & confusi aliquando resipiscant.*

IV. Ut autem Processio, quæ hac die erit facienda, rite, & recte, ac secundum debitas Cæremonias in honorem tanti Sacramenti fiat, & ad removendas omnes contentiones, & lites, quæ forsitan causa præcedentiæ oriri possent, & in ipso actu maxima cum indecentia, & scandalo Processionem ipsam turbare, optime cautum est ex nostro §. I. ut curet Episcopus *pridie hujus diei, vel etiam per aliquos dies ante demandare Magistris Cæremoniarum*, ad quos scilicet, ut alias dictum fuit, regulariter spectat Processiones sacras dirigere; *vel alteri, ad quem forsan secundum loci consuetudinem hujusmodi cura spectabit, ut omnia decenter, & diligenter præparentur, & prævideantur.*

V. Cura autem ipsorum erit, ut, quemadmodum mandat II. noster §. *viæ, per quas Processio transire debebit, mundentur, & ornentur*, parietes scilicet viarum *aulæis, pannis, picturis*, sacris scilicet, & non profanis penitus: *floribus, frondibusque virentibus* viarum nempe strata *secundum posse, & qualitatem loci.* Arcus, quos triumphales vocant, si locis congruis apte disponantur cum versibus, emblematibus, & mysticis figuris, probatis scilicet prius ab Episcopo, admodum erit laudabile; modo nihil sordidi, profani, ludicri, indecorive appareat, uti jam ex variis Synodis cautum est, ac præsertim non uno in loco a nostro Cæremoniali, potissimum vero infra, §. XII. Laudabile quoque esset, si juxta morem complurium locorum, paretur per vias, per quas transeundum est, unum, sive ad summum duo Altaria, quæ decentissime ornentur cum multis luminibus, & solitis paramentis, ac mappa munda contegantur cum Palla, aut Corporali desuper in ejus medio, nisi forte bursa cum Corporali deferatur ab aliquo, ut inserviat, prout opus erit, & non est necesse, ut ponatur Altare portatile, quia scilicet nullum ibidem celebrandum est Sacrificium.

VI. Si autem ornandæ sunt viæ, multo magis Ecclesia in qua Processio incipit, juxta regulam supra Lib. I. traditam Cap. XII. parari debet festivo apparatu, & pretiosiori supellectili, nullis tamen super eo positis Statuis, Reliquiisve Sanctorum, ne populus minimum quid distrahatur ab adoratione sanctissimæ Eucharistiæ, ut est usus insignium Ecclesiarum, & scite monet Meratus in Additionibus ad Gavantum, Parte IV. Tit. XII. Neque enim adhæreo Christiani Lupi Viri alias docti sententiæ, ubi Tomo XI. Operum in Dissertatione, *De sacris Processionibus*, Cap. V. acriter contendit, vel in Processionibus, quæ Sacrosanctum Sacramentum circumferunt, recte circumferri Sanctorum Reliquias.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Item ut fiat rotulus, in quo deſcribantur per ordinem omnes, tam Laicorum Confraternitates, Religioſi, & Clerus, quam etiam alii quicumque, qui huic Proceſſioni intereſſe conſueverunt, vel debent; ut ſecundum debitum ordinem, & abſque aliqua contentione procedatur, appoſita etiam aliqua pœna pecuniaria, vel etiam, ſi Epiſcopo videbitur, pœna excommunicationis, contra inobedientes, & procedere recuſantes, ſecundum ordinem præſcriptum in dicto rotulo.

COMMENTARIUS.

I. QUo rite, ac recte, & ſine ulla contentione Proceſsio ipſa Sanctiſsimi Sacramenti peragatur, cautum & illud ex hoc noſtro §. eſt, *ut fiat rotulus*, ideſt, catalogus, *in quo deſcribantur per ordinem omnes, tam laicorum Confraternitates, Religioſi, & Clerus, quam etiam alii quicunque, qui huic Proceſſioni intereſſe conſueverunt, vel debent &c.* Poſſe Epiſcopum compellere ſub cenſuris omnes Religioſos, & Monachos, ut accedant ad publicas, & generales Proceſsiones, declaravit ſæpius Sacra Rituum Congregatio, in Ferrarien. XXVII. Julii MDCIV. & in Toletana IV. Junii MDCXV. teſte Barboſa, *De Officio, & poteſtate Epiſcopi*, Parte III. Allegatione LXXVIII. Licet vero ex Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium in Vercellen XX. Maji MDCXVI. Proceſsionibus publicis ut interſint Regulares, Epiſcopus ſub cenſurarum ipſo facto incurrendarum pœna intimari facere poſsit, inobedientes autem punire nequeat, tenenda nihilominus eſt §. hujus noſtri Regula, in qua edicitur, ut poſsit Epiſcopus non modo pœna pecuniaria, ſed etiam excommunicationis procedere contra inobedientes, & recuſantes ad Proceſsionem accedere, contra illos ſcilicet, qui huic Proceſsioni intereſſe jam conſueverunt, vel debent.

II. Circa Laicorum Confraternitates, ut alia variarum Synodorum Decreta omittam, in Beneventana Provinciali Synodo Joanne-Baptiſta Foppa Archiepiſcopo anno MDCLVI. edita, Tit. XXX. Num. X. ita legitur: *Confraternitates in Proceſſionibus vocatæ omnino omnes accedant, & ordine debito, ac devota quadam gravitate incedant, nihil tumultuarie, nihil litigioſe agentes. Quæ recuſaverint, pœnam arbitrio Epiſcopi ſubibunt.* Sed & Sacra Concilii Congregatio in Ripana III. Februarii MDCLII. apud Pignatellum Tomo I. Conſultatione CCCVIII. jam declaravit, poſſe Epiſcopum, ſi ex inveterata conſuetudine ſolitus fuit per Edictum publicum monere Confratres Sodalitatum, ut Proceſsionibus publicis interſint, renuentes intereſſe pœnis in Edicto publicato expreſsis punire. Teſte eodem Pignatello Tomo IV. Conſultatione XXX. Numero I. ex Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium in Viterbien. IX. Decembris MDLXXXVI. & in Camerinen. XVI. Julii MDCXXIV. eſt quidem Epiſcopus manutenendus in quaſi poſſeſsione cogendi Confratres per Edicta pœnalia, exactionem pœnarum, aliaque juris, & facti remedia ad intereſſendum ſolitis Proceſsionibus, non obſtante aggregatione, niſi haberent privilegium ſpeciale.

§. IV.

Quod ſi aliqua præcedentiæ lis inter aliquos Religioſos, Confraternitates, ſeu laicos pendeat, quæ non ita de facili terminari valeat, poterit Epiſcopus mandare, ut abſque præjudicio jurium ambarum partium, vel procedant ſecundum ordinem in dicto rotulo deſcriptum, vel omnino ab hujuſmodi Proceſſione abſtineant, donec lis fuerit determinata, & intimentur omnes in rotulo deſcripti, ut ipſa die Feſtivitatis Sanctiſſimi Corporis Chriſti ſummo mane ad Eccleſiam Cathedralem conveniant, & ibidem, vel in aliquo ejuſdem Eccleſiæ atrio, ſeu platea congregentur, unaquæque Religio, & Confraternitas, cum ſuis inſignibus, & Cruce, ac etiam funalibus, ſeu candelis in Proceſſione deferendis. Omnes enim tam Religioſi, quam laici deberent, ſi fieri poſſet, in hac Proceſſione, ſi non funalia, ſaltem candelas cereæ albæ accenſas manibus portare.

COMMENTARIUS.

I. COntroverſias, quam paſsim Forus audit inter Eccleſiaſticas perſonas circa præcedentiam, laudabiliter promoveri, ſi ſcilicet animo ſervandi debitum ordinem inſtituantur, Doctores plane uno ore affirmant, & noviſsime Scarfantonus ad Ceccoperium Parte I.

Digitized by Google

te 1. Lucubrationum Canonicalium Lib. 1. Tit. 1. Tenenda autem est Regula a Synodo Tridentina tradita Sessione XXV. Cap. XIII. ubi junctis Declarationibus Sacræ Congregationis super eodem Capite, datur facultas Episcopis summarie de plano sine strepitu, & figura judicii, brevi manu conponendi, & terminandi omnes, & singulas controversias de præcedentia, quæ in Processionibus oriuntur inter personas Ecclesiasticas, tam Seculares, quam Regulares amota, omni appellatione, quoad effectum suspensivum, non vero devolutivum, uti memerati Scriptores tradunt.

II. Hisce notatis convenire, ex nostro §. debet *summo mane ad Ecclesiam Cathedralem, & ibidem, vel in aliquo ejusdem Ecclesiæ Atrio, seu platea* congregari *unaquæque Religio, & Confraternitas cum suis insignibus, & Cruce, ac etiam funalibus, seu candelis, in Processione deferendis*. De jure statutum esse, ut omnes Clerici inferiorum Ecclesiarum occasione supplicationum ad Ecclesiam Cathedralem accedere debeant, ex Canone *Quando Præsbyteri*, distinctione XXXVIII. & ibi Glossa, verbo, *ad Litanias*, & Archidiaconus Num. II. itemque ex Canone, *Rogationes*, De consecratione, Distinctione III. ex Decisione Rotæ Romanæ, ac præsertim ex hoc nostro §. docet Pignatellus Tomo IV. Consultatione XXIX. quibus addi possunt varia Sacræ Rituum Congregationis Decreta, ut in Tuscanen. die XXIX. Augusti MDCXIX. & in Sulmonen. XV. Januari, quibus edicitur, Processionem Sacramenti in ejus Festo debere inchoari a Cathedrali Ecclesia, & in ea terminari. Meminit horum Decretorum Bonfadinius in Thesauro Canonicorum Decisionum Resolutione VIII. num. XXVII. & Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. DCVI. ubi etiam refert aliud ejusdem Sacræ Rituum Congregationis Decretum in Pisana, die XXII. Maii MDCXV. non licere aliis Ecclesiis facere Processiones in Festo Corporis Christi, sed soli Episcopo.

III. Quum autem certum sit ex plurimis, quæ afferri possent Decretis, Processiones decernere, indicere, diregere, atque ordinare, solius esse Episcopi, privative quoad alios, non obstante consuetudine immemorabili; hinc Processionis hora arbitrio illius indicenda est, eique Magistratus, & alii omnes obedire debent, uti ipsa Sacra Rituum Congregatio statuit in Urbevetana, XVII Junii MDCVII. Indicta itaque hora unaquaque Religio, & Confraternitas *cum suis insignibus, & Cruce, ac etiam funalibus, seu candelis in Processione deferendis* convenire debet *ad Ecclesiam Cathedralem, & ibidem, vel in aliquo ejusdem Ecclesiæ atrio, se platea* congregari, si Ecclesia scilicet non sit capax.

IV. Regulares in Processionibus publicis debere Crucem deferre cum velo, seu pallio appenso, non autem discoopertam, ut defert Clerus secularis suam Crucem, declaravit Sacra Rituum Congregatio in Neapolitana XIV. MDCXVII. apud Gavantum, Novarium, Lezanam, Barbosam, & novissime apud Meratum. Ex ejusdem autem Congregationis Decreto in Caropolitana nullius IV. Martii MDCVI. Cruces, vel nova insignia præter solitum deferre non licet. Quantum ad funalia, seu candelas in hac Processione deferenda, ut ait tandem noster §. *omnes tam Religiosi, quam Laici deberent, si fieri posset, in hac Processione, si non funalia, saltem candelas ceræ albæ accensas manibus portare*. Quocirca satis mirari nequeo, cur Romæ Religiosi, qui alias reditibus potius abundant, in solemni Processione Corporis Christi, quæ fit in Basilica Vaticana, gestante Sacramentum summo Pontifice, nec funalia, nec candelas ceræ albæ accensas manibus gestent. Id quod nec sine admiratione in seculari Clero observavi, sine accensis cereis in ipsa Processione incedente; vel in Oppidis enim parvis secularis pariter, & Regularis Clerus funalia accensa deferunt.

§. V.

Ordo autem describendus in prædicto rotulo erit, ut præcedant Confraternitates laicorum, deinde Religiosi secundum ordinem antiquitatis, vel prout de jure, vel consuetudine præcedere solent; postmodum Curiales, & Officiales portantes intorticia accensa, inter quos ultimo loco ibunt Nobiliores, & Magistratus, deinde Clerus, hoc est, primo Minister portans Crucem Ecclesiæ Cathedralis, medius inter duos Clericos portantes duo candelabra cum candelis accensis; deinde, si aderunt, Clerici Seminarii, & post eos Curati Ecclesiarum Parochialium cum Cottis; tum Ecclesiæ Collegiatæ cum eorum insignibus, si alias illa deferre solent; & ultimo loco Clerus Ecclesiæ Cathedralis, cujus Ecclesiæ saltem octo Beneficiati, seu Mansionarii erunt parati cum Pluvialibus albis, pro deferendis hastis baldachini in principio Processionis, ut infra dicitur, & deinde ibunt ante Canonicos, qui similiter omnes una cum Dignitatibus erunt parati paramentis albis, sibi competentibus, quemadmodum solent parari, Episcopo solemniter celebrante, incipiendo a junioribus, & inferioribus, hoc ordine; videlicet, primo Subdiaconi, & Diaconi cum Tunicellis, & Dalmaticis, deinde Presbyteri cum Planetis, ultimo loco Dignitates cum Pluvialibus; & si erit Archiepiscopus, portabitur immediate ante præ-

dictos

Digitized by Google

dictos octo Beneficiatos paratos, & Canonicos, per aliquem Subdiaconum paratum, medium inter duos Acolythos Ceroferarios Crux Archiepiscopalis.

COMMENTARIUS.

I. TAmetsi controversiæ super præcedentiis, uti superius notatum fuit auctoritate Concilii Tridentini, ab Episcopis terminandæ sint etiam inter Regulares alias exemptos, summarie, omnique omissa judiciorum solemnitate, tenenda nihilominus illa regula est, quam ad tollendam penitus dissentionum materiam tradit in sua constitutione LXXXIV. Gregorius XIII. ubi statuit, ut quibuscumque postpositis, iis in sacris Processionibus Præcedentia debita esset, qui in quasi possessione Præcedentiæ, ac juris præcedendi reperiuntur; quod si constare non posset, cuinam quasi possessio assisteret, tunc respectu Regularium Mendicantium Præcedentia deberetur iis, qui essent in loco controversiæ antiquiores; respectu vero Confratrum, iis, qui prius saccis usi forent. Plura in hanc Constitutionem Gregorii XIII. cui concinit Constitutio CXXXIX. Urbani Papæ VIII. in qua etiam confirmantur variæ Resolutiones Sacrarum Congregationum Concilii, ac Rituum, docet Tancredus Consultatione XIV. num. 9. & seqq. atque inter alios Panimolle, Decisione I. Adnotatione I. & pluribus sequentibus, quibus latissime Præcedentiæ materiam, quæ oriri solet inter personas Ecclesiasticas, pertractat.

II. Esse autem generalem regulam in hac Præcedentiæ, seu Præeminentiarum materia, ut totum faciat consuetudo, & possessio, Tancredus idem docet, loco citato, Num. I. & 5. edixitque Rota Romana Decisione DCCLXXXI. Numero V. Parte XVIII. Recentiorum; proindeque a Judicibus non ita facile est alteranda, cum novitates non nisi cum scandalo jubeantur, ob egregiam illam rationem, quam tradit S. Augustinus in celebri Epistola CXVIII. ad Januarium Cap. V. nempe quod ipsa mutatio consuetudinis, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Vide Textum in Cap. *Quod dilectio* III. *De consanguinitate & affinitate*, & in Cap. *Cum consuetudinis*, *De Consuetudine*, itemque Joannem Cardinalem Bonam Lib. I. *Rerum Liturgicarum*, Cap. VI. Cardinalem de Luca in Miscellaneis, Discursu XXXIX. Num. XVII. Rotam in Hispalen. Processionis, super II. Dubio, XXVIII. Junii MDCC. §. *Sane*, & seqq. coram Ansaldo, & alios relatos a Scarfantono ad Ceccoperium, Parte I. Lucubrationum Canonicalium Lib. I. Tit. I. Num. IX. & X. ajentes, in præcedentiæ materia pro regula generali haberi, ut totum faciat consuetudo, & possessio, etiamsi juris dispositioni adversetur.

III. Circa itaque procedendi ordinem, cautum est ex nostro §. ut *præcedant Confraternitate laicorum*, *deinde Religiosi &c.* cum ea scilicet distinctione, ut ubi adest Sodalitas, seu Confraternitas Sanctissimi Sacramenti, competat ei præcedentia super alias Confraternitates in omni Processione, in qua deferri solet Sanctissimum Sacramentum juxta repetita Sacræ Rituum Congregationis Decreta, nempe in Lauden. XII. Julii MDCXXVIII. in Mediolanen. XIX. Junii MDCLV. in Vercellen. XX. Septembris MDCLXXXVII. uti videre est apud Meratum, qui post alios Auctores Decreta ipsa recenset in suis Additionibus ad Gavantum, & in Indice Decretorum.

IV. Post Confraternitates Laicorum, atque Religiosos, qui uti dictum est secundum ordinem antiquitatis, vel prout de jure, vel consuetudine præcedere solent, sequuntur mox juxta præscriptum præsentis nostri §. *Curiales*, *& Officiales portantes intortitia accensa*, *inter quos*, *ultimo loco ibunt Nobiles*, *& Magistratus*. Quod proculdubio ita intelligendum est, si ipsi Religiosi, aut etiam Canfratres intortitia non deferant, alias enim, Curiales, & Officiales, Nobiliores, ac Magistratus laici ante omnes alios procedere deberent, quum, uti docet Meratus in Gavantum Parte IV. Tit. XII. manifestum sit, talem locum eis non dari, nisi quatenus decet majora lumina viciniora esse Sanctissimo Sacramento. Sed quidquid sit, standum puto consuetudini locorum, nihilque quoad præcedentias immutandum, quod scilicet longo jam usu toleratum, factumque est, ad evitandas nimirum lites, & scandala, quæ oriri possent.

V. Ergo, ut inquit noster §. post Magistratus incedit *deinde Clerus* quem scilicet, secularem vocant; ipsi enim omnino, & de jure debetur præcedentia supra omnes Regulares quoscumque, potissimum vero supra laicos, uti ex Rubrica hujus §. quam in terminis hujus Processionis servandam declaravit Sacra Rituum Congregatio in Insulana, die XIX. Junii anni MDCIV. apud Barbosam Collectan. DCVI. ea ratione, quia Cæremoniale facit jus commune, ex Rota Romana Decisione DCCI. Num. I. Parte IV. Recentiorum Tomo III. Sciendum tamen, quod licet Consules, Syndici, Nobilesque Civitatis in Processione Sanctissimi Corporis Christi procedere debeant cum cereis funalibus ante Clerum juxta §. nostri præscriptum, quod pluribus probat Pignatellus Tomo VI. Consultatione LXII. Num. I. 2. & 3. nihilominus Sacra Rituum Congregatio die XIII. Februarii MDCLXVI. in Taurinensi Præcedentiæ censuit, ejusmodi Syndicos, & Consules, manutenendos esse in sua possessione. Quod & alias censuit in Forojulien si IV. Aprilis MDCXI. hisce verbis: *Magistratus in Processionibus Sanctissimi Sacramenti debet incedere in loco*, *in quo secundum antiquam consuetudinem consuevit incedere.* Nam prælatio minoris respectu majoris, ita demum in aliquibus casibus toleratur, quatenus subsistit ratio aliqua dignitatis, vel officii, alias omnis consuetudo reprobatur tanquam irrationalis, & impræscriptibilis, uti docet post alios idem Pignatellus loco citato num. 4.

VI. Ad

Digitized by Google

VI. Ad Clerum quod attinet, *procedit*, inquit noſter §. *primo Miniſter portans Crucem Eccleſiæ Cathedralis medius inter duos Clericos portantes duo candelabra cum candelis accenſis*; qui ritus plane eſt antiquus, uti jam alias notatum fuit: *deinde ſi aderunt, Clerici Seminarii, & poſt eos Curati Eccleſiarum Parochialium cum Cottis*, atque etiam Stolis, ut eſt probata complurium locorum conſuetudo, & diſciplina, quam etiam Romæ ſervari ſtatuit BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus, Diſciplinæ Eccleſiaſticæ vindex, & Sacrorum Rituum peritiſſimis, uti conſtat ex Apoſtolicis Literis ſuis datis die XXIII. Auguſti anni MDCCXLII. Prius etenim prædicti Curati, ſeu Parochi in Urbe in ſolemnibus Proceſſionibus ſolis Cottis induti procedebant; indulſit autem illis, ut etiam Stolas geſtarent. Clericos Seminarii debere in Proceſſionibus primos incedere ante Clerum ſecularem, & relinquere locum digniorem Curatis, decidit Sacra Rituum Congregatio 1. Septembris MDCVII. apud Meratum in Additionibus ad Gavantum.

VII. Curatos ſequuntur *Eccleſiæ Collegiatæ cum eorum inſignibus, ſi alias illa deferre ſolent*, non enim ubique ritus ille viget, ut Eccleſiarum Collegiatarum Canonici inſignia in Proceſſione geſtent. Certe Romæ vel ipſi Canonici trium Patriarchalium Baſilicarum in ſolemnibus Proceſſione ſolis Cottis ſuper Rocchetta induti procedunt. Quidquid ſit de hoc Ritu Romano, in aliis Civitatibus incedat *ultimo loco Clerus Eccleſiæ Cathedralis*; *cujus Eccleſiæ*, ut ait noſter §. *ſaltem octo Beneficiati, ſeu Manſionarii, erunt parati cum Pluvialibus albis*, ſine Manipulis ſcilicet, & ſine Stolis, *pro deferendis haſtis baldachini in principio Proceſſionis*, ideſt per Eccleſiam uſque ad ejus portam, uti juxta Cæremonialis præſcriptum declaravit Sacra Rituum Congregatio in Melphiten. XXX. Auguſti MDCII. quia ſcilicet ut edicitur infra §. XIII. deputandi ſunt etiam nobiles Viri, ſeu Barones, & alii, qui ejuſdem baldachini haſtas per viam portent juxta regulam ſuperius poſitam Lib. I. Cap. XIV. quod eſt de uſu Umbraculi §. II. in quem nos plura notavimus.

VIII. Acceptis baldachini haſtis per Nobiles viros, ſive Barones, vel per alios juxta conſuetudinem locorum, tunc ex noſtri hujus §. præſcripto, Manſionarii, qui Pluvialibus albis induti in principio Proceſſionis haſtas Baldachini geſtarunt, *ibunt ante Canonicos, qui ſimiliter omnes una cum Dignitatibus erunt parati paramentis albis ſibi competentibus, quemadmodum ſolent parari, Epiſcopo ſolemniter celebrante; incipiendo a junioribus, & inferioribus, hoc ordine; videlicet, primo Subdiaconi, & Diaconi cum Tunicellis, & Dalmaticis; deinde Presbyteri cum Planetis, ultimo loco Dignitates cum Pluvialibus*, coloris ſcilicet albi, ſicuti ſunt cetera paramenta hujus diei; omneſque erunt ſine Stolis, & Manipulis, ac ſine eorum inſignibus; deferent omnes intorticia, aut ſaltem candelas accenſas manu dextera, ſiniſtra pectori admota, uti inter alios notat Meratus in Additionibus ad Gavantum Parte IV. Tit. XII. Porro ſi erit Archiepiſcopus loci, qui in ea Proceſsione Sacramentum geſtet, tunc, ut concludit noſter §. *portabitur immediate ante prædictos octo Beneficiatos paratos, & Canonicos per aliquem Subdiaconum paratum, medium inter duos Acolythos Ceroferarios Crux Archiepiſcopalis*.

IX. Sed neque omittendum illud, quod etiamſi Epiſcopus in ipſa Proceſsione non deferat Sanctiſsimum Sacramentum, vel non interſit Proceſsioni, Canonici quoque Cathedralis Eccleſiæ induere ſacras veſtes debent, Pluvialia ſcilicet, Planetas, Dalmaticas, & Tunicellas juxta ritum, ac ordinem ſupra explicatum, idque ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Cajetana XXVII. Martii MDCXXVIII. ut nimirum Dignitates, Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi appareant omnes cum paramentis ſuo ordini convenientibus coram ſummo Sacerdote Chriſto Domino, a quo eorum tota gloria, ſplendor, & decor emanat.

§. VI.

Ante Epiſcopum immediate ibit Miniſter de Baculo ſerviens, ſeu juxta loci conſuetudinem Dignitas, vel Canonicus paratus Pluviali, Baculum prædictum a terra elevatum ambabus manibus portans, prout in Cap. XVII. §. VI. Lib. I. De Mitra & Baculo paſtorali dicitur.

§. VII.

A lateribus hinc inde ibunt octo Capellani cum Cottis, qui in Miſſa ſervierunt, quatuor pro qualibet parte, portantes eadem funalia accenſa, quæ pro Miſſa ſervierunt, & poſt eos duo Acolythi cum duobus thuribulis continue Sanctiſſimum Sacramentum per viam thurificantes.

COMMENTARIUS.

I. UTi Baculo Epiſcopum in ſua ſcilicet tantum Civitate, vel Diœceſi, & etiam alibi ex permiſsione loci Ordinarii in omnibus Proceſsionibus docet nos Cæremoniale Lib. I. Cap. XVII. §. V. & VI. ex cujus præſcripto, ſi ipſæ Proceſsiones *longioris viæ fuerint*, qualis ſolet eſſe Proceſsio in Feſto Corporis Chriſti, *faciet* Epiſcopus *illum ante ſe immediate*

Digitized by Google

diate deferri a Miniſtro, Pluviali induto, *qui de eo ſervit*, *quem portabit embabus manibus*, extremitate ſcilicet Cottæ coopertis, *a terra elevatum*. Tum addit, ſervari poſſe ipſam conſuetudinem, vel privilegium, *ut aliquis de Capitulo Dignitatem habens*, *Baculum ante Epiſcopum deferat*.

II. Quod ſpectat præſentem noſtrum §. VII. *a lateribus* Miniſtri nempe de Baculo, & ante Thuriferarios, *hinc inde ibunt octo Capellani Cottis induti*, *qui in Miſſa ſervierunt*, *quatuor pro qualibet parte*, *portantes eadem funalia accenſa*, *quæ pro Miſſa ſervierunt*, in elevatione ſcilicet Corporis, & Sanguinis Chriſti; *& poſt eos duo Acolythi cum duobus thuribulis continue Sanctiſſimum Sacramentum per viam thurificantes*. Idem de his duobus Acolythis thuribula geſtantibus, & continue inconſantibus ante Sacramentum, docet in ſuo Cæremoniali Patricius Lib. II. Sectione II. Cap. XV ubi inter alia addit, unum alium Acolythum cum ipſis incedere, *qui naviculam portat cum thure*, *quod cum opus ſit*, *imponit thuribulo*.

III. Illud vero notandum ſupereſt, quod dicitur in noſtro §. VII. de octo Capellanis, qui induti Cottis, *a lateribus hinc inde ibunt*, portantes ſcilicet octo funalia accenſa, non eſſe intelligendum, ut procedant a lateribus baldachini, ut quidam male opinati ſunt; ſed *hinc inde*, ideſt ab una, & ab altera parte immediate ante baldachinum; hunc enim eſſe genuinum ſenſum illorum verborum noſtri §. *a lateribus hinc inde ibunt octo Capellani cum Cottis &c.* ex verbis ſequentibus perſpicue colligitur, nam ait noſter idem §. quod ibunt *poſt eos duo Acolythi cum duobus thuribulis continue Sanctiſſimum Sacramentum per viam thurificantes*. Id quod nullo modo fieri poſſet, ſi a lateribus baldachini procederent Capellani intorticia accenſa geſtantes, ut poſt alios advertit Meratus in ſuis ad Gavantum Additionibus, Parte IV. Tit. XII. præſertim cum hodie ex Concilio Romano Benedicti XIII. anno MDCCXXV. habito, Tit. XV. Cap. VII. præſcriptum ſit, ut in ſolemnibus Sanctiſſimi Sacramenti Proceſſionibus præter conſueta lumina quatuor ſemper accenſæ laternæ *hinc inde circa Celebrantem*, *qui Sacramentum geſtat*, *in poſterum deferantur*. Decreta hujuſmod legere eſt etiam in aliis Synodis.

§. VIII.

Sequetur Epiſcopus ſub baldachino capite detecto, portans manibus ſuis Sanctiſſimum Sacramentum in Tabernaculo, ſive Oſtenſorio incluſum, medius inter duos Diaconos aſſiſtentes paratos hinc inde Pluvialis fimbrias elevantes.



COMMENTARIUS.

I. SUnt qui conantur oſtendere Proceſsionem cum Sanctiſsimo Sacramento celebrari jam olim in Hiſpania conſueviſſe, ex Can. v. Concilii III. Bracarenſis, quod habitum fuit anno Chriſti DCLXXV. In eo enim non ille obſcure dilucidatur ritus, quo Levitæ, ideſt Diaconi

coni albas induti in ſellulis Epiſcopum deportabant *collo ſuo Reliquias* appenſas ferentem, ideſt, ſanctum Domini Corpus, quod quidem olim Reliquiarum nomine appellabatur, quod ex Sacrificio ante acto ſupereſſet. Ea appellatione ad explicandum Corpus Domini uſos eſſe veteres Patres, conſtat plane ex pervetuſto Auctore Apoſtolicarum Conſtitutionum Lib. VIII. Cap. XIII. & XXXI. ex S. Cyrillo Alexandrino in Epiſtola ad Caloſyrium, quæ præfixa eſt Libro adverſus Antropomorphytas, ubi vocat λείψανα, ex Liturgia Præſanctificatorum in Euchologio, quæ ſimiliter vocat ἁγια λείψανα *ſanctas Reliquias*, & ex S. Germano Conſtantinopolitano in ſua Theoria myſtica, qui etiam appellat θεῖα λείψανα *divinas Reliquias*. Ceterum ut aliquod vetus de ea re monumentum Eccleſiæ Latinæ proferamus, Concilium quidem Matiſconenſe II. anni DLXXXVIII. Canone VI. Corpus Domini vocat *Reliquias Sacrificiorum*, & ſimpliciter, *Reliquias*.

II. Non me latet a nonnullis Auctoribus exponi Canonem Bracarenſem de Reliquiis Martyrum, quia ſcilicet Patres in eo Canone inquiunt, *Agnovimus quoſdam de Epiſcopis, quod in ſolemnitatibus Martyrum ad Eccleſiam progreſſuri, Reliquias collo ſuo imponant &c.* Verum ſi contextus Canonis attendatur, clarum eſt, eas denominationes, quibus deinde utitur, nempe, *divina Myſteria, quæ contrectantur*; *ſancta Dei Reliquiæ*; *Arca Domini*, Reliquiis Martyrum convenire nequaquam poſſe, ſed ſoli Euchariſtiæ Sacramento, quod Deum præſentem in ſe, & cæleſtis cibi manna continet, cujus figura extitit Arca veteris Teſtamenti, quæ cum religione, & reverentia portabatur a Levitis, quaſi Dei ſedes ex ejus propitiatorio oracula edentis, & vota ſuorum exaudientis; de quo ſolo Sacramento dici poteſt, quod in eo divina myſteria contrectentur a Sacerdotibus, uti ſcite notavit Clariſſimus Eveillon, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, Cap. XXV.

III. Præter huc uſque explicatum Bracarenſem Canonem, ſunt plane inſignia vetera illa monumenta a nobis alias expoſita, quibus docemur, delatam jam olim Euchariſtiam in Proceſſione, Dominica Palmarum, cujus quidem ritus inter alios meminit Matthæus Pariſius in Vitis Abbatum Monaſterii S. Albani in Anglia; ait enim, Simonem Abbatem fieri juſſiſſe ad deferendum Corpus Domini, in Proceſſione Dominicæ Palmarum, *vaſculum ſeu ſcrinium eleganter elaboratum ad portandum Corpus Domini in Ramis Palmarum ad Proceſſionem*. Antiqua eſt ergo Proceſſio cum Sanctiſſimo Sacramento non in una tantum, ſed in variis functionibus Eccleſiaſticis uſitata, licet non in apertis, & translucidis Oſtenſoriis, ut hodie fit, ſed in vaſculo, ſeu ſcrinio eſſet incluſum, ut ex laudato Pariſii loco. Fuit enim ritus antiquus, ut ipſa Sanctiſſimi Sacramenti oſtenſio, ſeu expoſitio minime in propatulo fieret, niſi in Miſſa Hoſtiam elevando.

IV. Conſtat illud tamen, Seculo XV. jam morem alicubi invaluiſſe, ut in Oſtenſoriis apertis Euchariſtia includeretur. Id ſane innuit Concilium Colonienſe anni MCDLII. ubi vetat, illam eo modo exponi, præterquam in Feſto Sanctiſſimi Sacramenti, & in Octava: *Ad majorem*, ait, *honorem Sanctiſſimi Sacramenti ſtatuimus, quod deinceps ipſum Sanctiſſimum Sacramentum, nullatenus viſibiliter in quibuſdam monſtrantiis ponatur, aut deferatur, niſi in Sanctiſſimo Feſto Corporis Chriſti cum ſuis Octavis ſemel in anno in qualibet Civitate, aut oppido, aut Parochia*. Quidquid ad expoſitionem Sanctiſſimi Sacramenti, atque etiam ad Proceſſionem pertinet, fuſe enarrant Grancolas Tomo II. ſuam Liturgiarum, & inter alios Scriptores Joannes Thierſius in peculiari Opella, quod de frequenti Sanctiſſimi Sacramenti expoſitione ſcripſit.

V. Inter alios ipſe Thierſius in eam propendet ſententiam, quæ Corpus Chriſti in Calice, ſeu vaſe alio abſconditum, delatum fuiſſe in Proceſſione ſuſtinet. Verum, ut ſcite notat Martenius in Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina &c.* Cap. XXIX. Num. V. huic opinioni obviat Miſſale antiquum Monaſterii Eiſcamnenſis ad uſum Eccleſiæ Rotomagenſis ſcriptum, annorum circiter CD. in quo ante hujus diei Miſſam præmittuntur ea, quæ in Proceſsione ſunt canenda, atque in prima initiali litera efformata eſt Imago duorum Presbyterorum Sacramentum in vaſe geſtatorio omnino apertum, ut nunc fit, humeris geſtantium. Idem eruitur ex Miſſali Melodunenſi, in quo, Feria V. poſt Feſtum Sanctiſsimæ Trinitatis habetur Miſſa de Sanctiſsimo Sacramento, cui appicta eſt imago Sacerdotis Euchariſtiam manu geſtantis ſub baldachino a quatuor viris delato, qui perinde, ac Sacerdos ipſe, reliquique Clerici, in ea Proceſſione nudum caput florum coronis ornatum habent.

VI. Egregium teſtimonium de eodem ritu habetur plane in Ordinario mſs. Silvanectenſi annorum CD. cujus hæc ſunt verba, ut idem teſtatur Martenius: *Poſt Primam Proceſſiones Sanctorum Reguli, & Frambaldi, & omnes Curati Civitatis cum ſuis Parrochianis, & Canonici Sancti Mauritii veniunt ad Eccleſiam Cathedralem. Tunc fiet Proceſſio in Cappis ſericis, in qua Sacratiſſimum Corpus Chriſti in aperto vaſculo poſitum defertur ab Epiſcopo, vel Decano, vel antiquiori Canonico reverenter*. Omitto alia monumenta, quæ ad confirmandum eum ritum afferri poſsint, ſed non addubito, quin aliquibus in locis incluſa in Calice Euchariſtia geſtaretur; uti ex Conſtitutionibus Chori inſignis Eccleſiæ Lemovicenſis, anno MCDLXXVI. ſcriptis liquet, quæ ita inquiunt: *Ad Proceſſionem portatur Corpus Chriſti in Calice pulchriori &c.*

VII. Quamquam vero tum ex noſtro hoc §. tum ex Rituali Romano ad Titulum, *De Proceſſione in Feſto Corporis Chriſti*, atque ex uſu, & praxi omnium Eccleſiarum, ac præſertim Romanæ Eccleſiarum omnium Matris, ac Magiſtræ, geſtandum ſit Sanctiſsimum Sacramentum manibus Celebrantis, vel Epiſcopi, extat nihilominus Sacræ Romanæ Rotæ Deciſio coram Anſaldo in Hiſpalen. Proceſsionis XXVIII. Julii MDCC.

Digitized by Google

qua valere dicitur ad ſolatium populorum diuturna, ac inveterata conſuetudo deferendi Auguſtiſsimum Chriſti Corpus in illius annua ſolemnitate cum aliqua honorifica machina, geſtanda ob illius ingens pondus per humeros ſecularium excluſo ſcandalo, ac indecentia, non obſtantibus Cæremoniali Epiſcoporum, ac Rituali Romano, a quibus præſcribitur, ipſum Venerabile Sacramentum, præſertim in hac majori Solemnitate deferendum eſſe cum baldachino, & propriis manibus Celebrantis.

VIII. Extat & alia Deciſio coram eodem Anſaldo iiſdem die ac anno edita, qua permiſſa ab Innocentio Papa XI. ex voto Sacræ Rituum Congregationis, Capitulo Hiſpalenſi vetuſta conſuetudine deferendi Venerabile Sacramentum ſuper pretioſæ ſtructuræ machina, non licet Archiepiſcopo illam impedire, prætendendo, eundem Euchariſticum panem propriis manibus geſtare. Multa ſunt rationum monumenta, quibus inductæ ſunt Sacra Rituum Congregatio, & Rota Sacra Romana, ipſeque Romanus Pontifex Maximus ad probandam illam Hiſpalenſis Eccleſiæ conſuetudinem, quam non puto debere in exemplum trahi; decet enim quammaxime, ut Epiſcopus pedes incedens, propriis manibus ſuis Sacramentum geſtet, non obſtante ritu, qui in Hiſpalenſi, & in aliis quoque Hiſpaniæ Eccleſiis ſervatur, imo & alicubi in noſtra ipſa Italia, nempe in Urbeveteri, ubi in prædicta Corporis Chriſti ſolemnitate, ſive ex aliqua conceſsione Romanorum Pontificum, ſive ex antiqua conſuetudine adhuc fertur Sanctiſsimum Sacramentum in ea machina argentea, ubi aſſervatur ſacrum Corporale, in quo accidit miraculum omnibus notum, bajulantibus machinam Sacerdotibus indutis ſacris veſtibus, haſtaſque baldachini ferentibus aliis Presbyteris cum Pluvialibus.

IX. Quod inſuper attinet praxim noſtri hujus §. dum Celebrans deſcendit per gradus Altaris tenens ambabus Oſtenſorium cum Sanctiſsimo Sacramento, promta debet eſſe umbella ſerica albi coloris ſuper caput illius elevanda priuſquam tranſeat, & medius inter duos Diaconos paratos hinc inde Pluvialis finbrias elevantes ſe ſupponat baldachino, quia ſcilicet baldachinum difficile, & cum magno incommodo ad Altare accedere poteſt, ut Celebrantem tegat, eſſetque plane inconveniens, & ab hodierna diſciplina penitus alienum, ut vel per breve temporis ſpatium deferatur ſine aliquo tegmine Sacramentum, uti poſt alios advertit Meratus. In noſtra tandem Figura §. VIII. ſuppoſita notandum I. Oſtenſorium Sanctiſſimi Sacramenti alius fuiſſe formæ, ac hodie eſt. II. debuiſſe humeris Epiſcopi apponi velum, de quo ritu infra dicetur.

§. IX.

Poſt Epiſcopum immediate Miniſter de Mitra ſerviens cum Cotta, & velo ad collum Mitram ipſam manibus geſtans.

§. X.

Si aderit Legatus de Latere, vel alius Cardinalis, aut Metropolitanus, ſeu Nuntius Apoſtolicus, habens facultatem Legati de latere, vel alius Prælatus ipſo Epiſcopo ſuperior, ibunt immediate poſt Epiſcopum cum Cappa.

§. XI.

Alii vero Epiſcopi extranei, & Prælati poſt eos in habitu eorum ordinario, hoc eſt, Mantelletto ſupra Rocchettum; & ſi una cum Legato, vel alio Cardinali adeſſet Metropolitanus, vel Nuntius, ſeu alius Prælatus Epiſcopo ſuperior, tunc ſolus Cardinalis, vel ſoli Cardinales, ſi plures eſſent, erunt cum Cappa, ceteri vero omnes in habitu ordinario, ut ſupra.

COMMENTARIUS.

I. QUum plane perſpicua ſint, quæ in hiſce Paragraphis ſtatuuntur, unum eſt, quod pro notitia peculiaris ritus aliquarum Eccleſiarum cenſemus hic adnotandum. Poteſt namque Archiepiſcopus ex immemorabili conſuetudine in Proceſſionibus ſolemnibus, ac etiam in ſolemni Proceſſione Sanctiſſimi Corporis Chriſti, poſt ſe referre ſellam geſtatoriam, mediam inter ſe, & Præſidentem, ac Regium Magiſtratum, uti jam declaravit Sacra Rituum Congregatio in Granaten. x. Maji MDCVIII. & VIII. Junii MDCLVIII. Sciendum autem, Decretum hujuſmodi eſſe dumtaxat municipale pro Eccleſia ſcilicet, & Antiſtite Granatenſi, non vero generale pro omnibus Eccleſiis Cathedralibus, & Epiſcopis, ut aliqui cenſent, inter quos Paſcuccius, qui in Compendio Conſultationum Canonicarum Jacobi Pignatelli Parte I. Tit. *De Epiſcopis*, rationes quaſdam afferre conatur, quibus vindicare ſtudet prædictum Decretum

Digitized by Google

tum generalibus verbis conceptum, tanquam pro omnibus Epiſcopis. Sed errat quidem Paſcuccius, ineptaque eſt illius interpretatio, ac rationes, quas adducit, infirmæ; non enim illud generale Decretum eſt pro omnibus Epiſcopis, ſed particulare, imo pro ſolo Archiepiſcopo Granatenſi, ob immemorabilem conſuetudinem ibi expoſitam, quam tolerari præſtat, ſicut & aliæ multæ tolerantur, ad evitanda ſcilicet ſcandala, quæ ex hujuſmodi conſuetudinum ſublatione oriri poſſent.

§. XII.

Cavendum etiam erit, ne in hac Proceſſione actus ſcenici, vel ludicri, & indecori intermiſceantur, prout in Capite præcedenti dictum fuit, ſed omnia cum gravitate, & devotione fiant, & procedant.

COMMENTARIUS.

I. SI in omnibus Proceſſionibus Eccleſiaſticis cavendum eſt, ne actus ſcenici, vel ludicri, & indecori intermiſceantur, prout in Capite præcedenti dictum fuit, multo magis in hac Proceſſione, in qua non ſimulacrum quodpiam, ſed verum Chriſti Corpus geſtatur ad mortis ejus victoriam & triumphum repræſentandum. In quibuſdam Eccleſiis peculiari quidem cum pompa hæc Proceſſio peragitur, præſertim in Eccleſia Andegavenſi, quæ ut illatam a Berengario ſuo quondam Archidiacono, Corpori Chriſti ſacratiſſimo injuriam aliquatenus expiare poſſit, illiuſque memoriam delere, maximam hujus diei partem in impertiendo Sacræ Euchariſtiæ cultu debito, ac reverentiæ impendit. Univerſum ordinem, & pompam hujus Proceſſionis juxta ritum memoratæ Eccleſiæ Andegavenſis eleganter admodum & graphice deſcribunt Ludovicus Cellotius Lib. III. Mauritiados, & Jacobus Eveillon, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, Cap. XXV.

§. XIII.

Deputentur etiam Nobiles Viri, ſeu Barones, & alii, qui haſtas baldachini per viam Proceſſionis portent, & qui illos in tempore, quando opus erit, vocet ſecundum regulam ſupra poſitam in Cap. XV. Lib. I. §. II. De uſu Umbraculi.

§. XIV.

Ipſo die, ſummo mane præparetur per Sacriſtam, vel alios Miniſtros baldachinum album perpulcrum ſuper Sanctiſſimum Sacramentum deferendum; item ſuper credentia ultra candelabra, & alia ordinaria pro Miſſa Tabernaculum pulcrum ex auro, vel argento, ſive Oſtenſorium, in quo Sanctiſſimum Sacramentum ponendum, portandumque erit; item duo thuribula cum naviculis, & thure; item velum ſericum album, amplum, auratum, ſeu pelpulchre ornatum, ponendum ſuper humeros Epiſcopi, dum Sacramentum portabit. Præparentur etiam funalia, & candelæ ex cera alba in numero ſufficienti pro Canonicis, & aliis deferenda in Proceſſione. Quæ omnia per Cæremoniarium prævideantur, an ſint opportune, & ad uſum neceſſarium præparata.

COMMENTARIUS.

I. DEbere octo ex Beneficiatis, ſeu Manſionariis paratis cum Pluvialibus albis in hac Proceſsione deferre haſtas baldachini per Eccleſiam uſque ad ejus portam, notavimus ſupra in Commentario ad §. v. Quamvis autem ex Rubrica §. XIII. cautum ſit, ut *deputentur etiam Nobiles Viri, ſeu Barones, & alii qui haſtas baldachini per viam Proceſſionis portent &c.* ſervanda eſt tamen ſemper conſuetudo locorum, in quibus prædictæ haſtæ deferri a certis Perſonis ſolent, ideoque forte in noſtro §. dicitur, *& alii*, ideſt, aut alii, ad quos ſcilicet, vel ex privilegio, vel ex longa conſuetudine ſpectat haſtas ipſas geſtare, ut exempli gratia Romæ, ubi in ſolemni quidem Proceſsione Corporis Chriſti, in qua Summus Pontifex Sanctiſsimum Sacramentum geſtat, baldachini haſtæ deferri ſolent a variis Perſonarum Cœtibus per viam, quæ olim uſque ad molem Hadriani extendebatur.

II. Præparandum itaque hac die ſummo mane per Sacriſtam, aut alios Miniſtros *baldachinum album perpulcrum, ſuper Sanctiſſimum Sacramentum deferendum*, ut inquit noſter §. XIV. cum ſuis ſcilicet haſtis, & collocandum loco congruo prope Altare; itemque umbella ſerica albi coloris cum ſuis laciniis, vel ſericis, vel aureis, argenteiſ-

Digitized by Google

genteiſve circa eam pendentibus; non autem decet, ut ipſa umbella, multoque minus baldachinum, coloris ſit rubei, uti alicubi adhibetur; concordare etenim debent cum ceteris paramentis Feſto Corporis Chriſti aſsignatis, ideſt, albi coloris, uti videre in Rubricis Miſſalis, & in hoc præſenti noſtro §. ubi expreſſe edicitur, præparandum eſſe *baldachinum album perpulcrum*.

III. Credentia quoque paranda eſt cum omnibus requiſitis ad Pontificalem ſolemnem Miſſam celebrandam more conſueto, & jam alias explicato; verum ratione Proceſsionis ponetur ſuper ipſa credentia *Tabernaculum pulcrum ex auro, vel argento, ſive Oſtenſorium, in quo Sanctiſſimum Sacramentum ponendum, portandumque erit*. Hinc ſuper Patenam Calicis poni duæ Hoſtiæ debent conſecrandæ a Sacerdote, una ſcilicet pro Sacrificio, altera vero in Oſtenſorio ipſo ponenda: *item duo thuribula cum naviculis, & thure; item velum ſericum album, amplum, aureum, ſeu perpulcre ornatum, ponendum ſuper humeros Epiſcopi, dum Sacramentum portabit*, præter velum ſcilicet humerale Subdiaconi, ad cooperiendam Patenam in Miſſa. Præparanda etiam *funalia, & candelæ ex cera alba in numero ſufficienti pro Canonicis, & aliis, deferenda in Proceſſione*. Atque hæc omnia prævidenda eſſe ait noſter §. *per Cæremoniarium, an ſint opportune, & ad uſum neceſſarium præparata*; quia ſcilicet ſæpiſsime accidit, ut ob Cæremoniarii oſcitantiam, quæ neceſſaria ſunt ad ſacras functiones, deſint, expectante inſuper Epiſcopo, quod indecens eſt.

§. XV.

Omnibus paratis, Epiſcopus quantocius poterit, veniet ad Eccleſiam ordine, prout dicitur de acceſſu Epiſcopi ad Eccleſiam, & ibidem Miſſæ per primam Dignitatem, vel digniorem Canonicum celebrandæ, paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali albo, & Mitra aſſiſtit, in qua omnia ſervabuntur, quæ in Capite IX. hujus Libri II. de Miſſa ſolemni, quæ coram Epiſcopo celebratur, expreſſa ſunt; ac etiam poſt Communionem, cum Cæremoniis, genuflexionibus, & reverentiis erga Sanctiſſimum Sacramentum ſuper Altare poſitum, quæ explicantur in Capite XXIII. hujus Libri II. De Officio, & Miſſa Feriæ quintæ in Cœna Domini.

COMMENTARIUS.

I. PAratis jam omnibus, uti in Commentariis ſuperioribus dictum fuit, *Epiſcopus, quantocius poterit, veniet ad Eccleſiam ordine, prout dicitur de acceſſu Epiſcopi ad Eccleſiam*, aſſociatus ſcilicet a Canonicis, qui eum a Cubiculo ad Eccleſiam deducunt; *& ibidem Miſſæ per primam Dignitatem, vel digniorem Canonicum celebrandæ, paratus Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Pluviali albo, & Mitra aſſiſtit*; poſtquam ſcilicet ipſe ſummo mane Miſſam planam ſine cantu dixit, *omiſſa pro hac die*, ut ait infra Rubrica §. XXXI. *propter Proceſſionem, ad celeriorem actus expeditionem, & ad evitandum calorem, Miſſa ſolemni*. Quidquid ſit, non modo ex noſtro hoc præſenti §. XV. ſed ex variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis illud plane iterum atque iterum firmatum eſt, abſente, impedito, vel nolente Epiſcopo celebrare, in majoribus ſolemnitatibus a noſtro Cæremoniali expreſſis, atque etiam occaſione Proceſſionis Sanctiſſimi Corporis Chriſti, non poſſe quidem ſacras functiones expleri per Vicarium Generalem, vel Canonicum hebdomadarium, ſed ſpectare ad primam Dignitatem, eaque impedita, gradatim ad alias, vel ad digniores Canonicos.

II. Quamquam vero generalis regula ſit variis etiam Sacræ Rituum Congregationis Deciſionibus roborata, & allatis a Merato in Gavantum Parte IV. Tit. XII. ut qui celebrat Miſſam hac die Feſti Corporis Chriſti, & per ejuſdem Octavam, deferat etiam in Proceſſione Sanctiſſimum Sacramentum, excipitur tamen ab hac regula Epiſcopus, qui licet ob ſuperius dictam cauſam non celebret Miſſam Pontificalem, nihilominus ipſe deferre debet Sacramentum in Proceſsione hodierna, non autem prima Dignitas, ſeu dignior Canonicus, qui Miſſam cantavit. Id quod ex hoc noſtro §. liquido conſtat. Porro quantum ad ritus in hac Miſſa ſervandos, videri poſſunt Gavantus, Quartus, Bauldryus, Meratus, & alii.

§. XVI.

Elevato Sanctiſſimo Sacramento, vel etiam ante, ſi opus erit, junior Magiſter Cæremoniarum curabit, ut Proceſſio ſecundum ordinem in prædicto rotulo deſcriptum dirigatur, & procedat.

§. XVII.

Poſtquam Celebrans ipſe Communionem ſumſerit, & Sanctiſſimum Sacramentum in Proceſſione deferendum in Tabernaculo incluſerit, Dignitates, & Canonici, ac

octo

Digitized by Google

octo Beneficiati ſupradicti, & ſiqui alii erunt, qui cum paramentis in Proceſſione ire debeant, unuſquiſque Canonicorum, & Dignitatum in loco ſuo paramenta ſacra albi coloris ſibi convenientia induet; Beneficiati vero prædicti extra Chorum capient Pluvialia, & diſcedentibus duobus Diaconis aſſiſtentibus ad ſe parandum in loco ſuo, duo ultimi juniores Canonici venient ad aſſiſtendum Epiſcopo, donec primi parati revertantur; quibus reverſis, & ipſi ad ſe parandum ibunt.

COMMENTARIUS.

I. QUando dirigenda per juniorem Cæremoniarium Proceſſio ſit, pendet ex majori, vel minori eorum frequentia, qui hujuſmodi Proceſsioni interſunt: *Elevato Sanctiſſimo Sacramento, vel etiam ante, ſi opus erit*, ut ait hic §. noſter XVI. Sumto autem ſacratiſsimo Chriſti Corpore in Miſſa, vel paulo ante Communionem, ab alio Cæremoniario per viam breviorem defertur Oſtenſorium cum velo, quo tegitur ad Altare, collocatque in parte Epiſtolæ extra Corporale, facta genuflexione, & quidem utroque genu, antequam illud collocet, & deinde iterum quando recedit. Diaconus vero (uti poſt alios obſervat Meratus) qui ſtabat ad Librum, facta ibidem genuflexione unico genu, dum Celebrans ſumto Chriſti Corpore, ſtat in meditatione Sanctiſsimi Sacramenti, accedit ad dexteram Celebrantis, ubi iterum genuflectit, ut ſupra, & ſurgens inſervit Celebranti in cornu Epiſtolæ, recedente interim Subdiacono cum iiſdem genuflexionibus in receſſu, & acceſſu ad cornu Euangelii, aliiſque Cæremoniis ſervatis, quas apud Scriptores legere eſt.

II. Sumto a Celebrante ſacratiſsimo Sanguine, Diaconus Calicem verſus cornu Evangelii ponit, non tamen extra Corporale, ipſumque Palla cooperit, & continuo Oſtenſorium detectum aperit, & collocat ante Celebrantem, qui ſtatim cum Diacono, & Subdiacono genuflectit in ſuo loco, unico genu, moxque ſurgunt, & Celebrans extracta lunula ex Oſtenſorio, manu ſua dextera ponit ſacram Hoſtiam in ipſa lunula, quam cum ſacra Hoſtia in Oſtenſorio reponit, clauſumque in medio Corporalis collocat, & velo ſuo cooperit; tum tam Celebrans, quam ejus Miniſtri genuflectunt, & ſtatim ſurgunt, adſtantibus interim omnibus, etiam Cæremoniario, & Clericis, dum ſacra Hoſtia in ipſo Oſtenſorio locatur, uti poſt Turrinum, Bauldryum, & alios idem Meratus notat. Incluſa tandem in Oſtenſorio Hoſtia, ex Rubrica noſtri §. XVII. *Dignitates, & Canonici, ac octo Beneficiati ſupradicti, & ſi qui alii erunt, qui cum paramentis in Proceſſione ire debeant, unuſquiſque Canonicorum, & Dignitatum in loco ſuo paramenta ſacra albi coloris ſibi convenientia induet &c.*

§. XVIII.

Finita Miſſa, & data per Epiſcopum benedictione, Celebrans diſcedens ab Altari ibit in Sacriſtiam, ubi depoſitis paramentis Miſſalibus, induet alia dignitati, & Ordini ſuo convenientia, deferenda in Proceſſione, & reverſus, ibit ad locum ſuum inter alias Dignitates, & Canonicos.

§. XIX.

Interim accedent ad Epiſcopum duo Acolythi cum duobus thuribulis, & miniſtrante naviculam Presbytero aſſiſtente abſque oſculo cochlearis, & manus, Epiſcopus ſtans cum Mitra, ſine benedictione imponet thus in prædictis duobus thuribulis. Quo facto, accedet ad Altare, ubi depoſita Mitra genuflexus ſuper pulvino ante Sanctiſſimum Sacramentum, accepto e manibus prædicti Presbyteri aſsiſtentis uno ex duobus thuribulis, thurificabit triplici ductu Sanctiſsimum Sacramentum.

COMMENTARIUS.

I. MIſſa tandem finita, *& data per Epiſcopum benedictione, Celebrans diſcedens ab Altari*, facta utroque genu reverentia Sanctiſſimo Sacramento, *ibit in Sacriſtiam*, cum Diacono ſcilicet, & Subdiacono, *ubi depoſitis paramentis Miſſalibus, induet alia Dignitati, & Ordini ſuo convenientia, deferenda in Proceſſione, & reverſus ibit ad locum ſuum &c.* ut in noſtro §. XVIII. Interim, ex præſcripto ſequentis §. XIX. *accedent ad Epiſcopum duo Acolythi cum duobus thuribulis, & miniſtrante naviculam Presbytero aſſiſtente, abſque oſculo cochlearis & manus*, ob reverentiam ſcilicet Sanctiſsimi Sacramenti, *Epiſcopus ſtans cum Mitra ſine benedictione imponet thus in duobus thuribulis*. Verba illa *cum Mitra*, appoſita primum fuere huic §. in novo Cæremoniali, nam alias in antiquis legitur contrarium, nempe, *ſtans detecto*

Digitized by Google

Eto capite. Quidquid itaque Auctores ſcripſerint adhærentes alias Cæremoniali, correcta eſt hodie ipſa Rubrica, ideoque ex novo ritu imponet Epiſcopus thus in duobus thuribulis in Sede ſua *ſtans cum Mitra*; deinde vero, ut ſubdit §. noſter *accedet ad Altare*, cum duobus ſcilicet aſsiſtentibus Diaconis, & aſsiſtente Presbytero, *ubi depoſita Mitra* (in antiquis Cæremonialibus legitur, *nudo capite*) *genuflexus ſuper pulvino ante Sanctiſsimum Sacramentum, accepto e manibus prædicti Presbyteri aſsiſtentis*, ſine conſuetis ſcilicet oſculis, *uno ex duobus thuribulis thurificabit triplici ductu Sanctiſsimum Sacramentum*, facta ſcilicet ei ante & poſt capitis inclinatione.

§. XX.

Tum per Magiſtrum Cæremoniarum imponetur ſuper humeros ejus velum perpulcrum ſupradictum, quod firmabitur ſpinulis, ne per viam decidat, & Diaconus aſsiſtens a dexteris accedet ad Altare, & cum debitis reverentiis accipiet Tabernacum, ſive Oſtenſorium cum Sanctiſsimo Sacramento de Altari, & illud in manibus Epiſcopi genuflexi collocabit, cui nec manum oſculabitnr, nec ullam tunc faciet reverentiam, ſed ſtatim atque in ejus manibus ipſum Sacramentum reliquerit, genuflectet: tunc Cantores incipiunt Hymnum, *Pange lingua glorioſi &c.* & Epicopus cum Sanctiſsimo Sacramento ſurget, & Diaconi aſsiſtentes hinc inde fimbrias anteriores Pluvialis elevabunt; & ſi contingat aliquos gradus aſcendere, & deſcendere, Cæremoniarius, vel aliquis Capellanus, extremitates Albæ, & veſtes interiores ipſius Epiſcopi a parte anteriori elevabit; & aliquis Princeps, ſi adſit, vel nobilior laicus ſublevabit, & portabit per totam Proceſsionem Pluviale Epiſcopi a parte poſteriori.

§. XXI.

Octo vero Beneficiati prædicti, vel Manſionarii, ex dignioribus parati, ut ſupra, accipiant haſtas baldachini, quas portabunt per totam Eccleſiam, & in porta Eccleſiæ illas relinquent in manibus laicorum, qui primo loco Barones, & nobiliores, ſeu Magiſtratus eſſe debent, deinde alii, ut ſupra dictum fuit. Ipſi vero Beneficiati præibunt ad locum ſuum, ideſt, ante Canonicos paratos.

COMMENTARIUS.

I. INcenſato per Epiſcopum Sanctiſsimo Sacramento, *tum per Magiſtrum Cæremoniarum*, ut inquit noſter §. xx. *imponetur ſuper humeros ejus velum perpulcrum ſupradictum, quod firmabitur ſpinulis, ne per viam decidat*, vel, ut eſt hodie uſus, firmabitur lingulis ante; *& Diaconus aſsiſtens a dexteris, accedet ad Altare, & cum debitis reverentiis, accipiet*, ambabus ſcilicet manibus, *Tabernaculum, ſive Oſtenſorium cum Sanctiſsimo Sacramento de Altari, & illud in manibus Epiſcopi genuflexi collocabit*. Accipit nempe Diaconus Sacramentum imagine Crucifixi, quæ eſt in Hoſtia, ad ſe converſa, ipſumque Epiſcopo genuflexo tradit eodem modo, ut in tota Proceſsione ipſa Crucifixi imago non Epiſcopum reſpiciat Oſtenſorium deferentem, ſed viam, quam ante ſe habet Epiſcopus. Porro ſtans Diaconus Oſtenſorium in manibus genuflexi Epiſcopi collocabit, *cui nec manum oſculabitur, nec ullam tunc faciet reverentiam*, quia ſcilicet præſens eſt Sacramentum; *ſed ſtatim atque in ejus manibus ipſum Sacramenum reliquerit, genuflectet*. Epiſcopus vero manibus ſub velo poſitis illud cum debita reverentia accipit genuflexus.

II. Relicto per Diaconum in manibus genuflexi Epiſcopi Oſtenſorio, *tunc Cantores* ex præſcripto ejuſdem §. xx. *incipient Hymnum*. Pange lingua glorioſi &c. *& Epiſcopus cum Sanctiſsimo Sacramento ſurget &c.* Prius ergo quam ſurgat Epiſcopus, Cantores inchoant Hymnum, *Pange lingua*, & deinde Epiſcopus ſurget, licet paſsim Scriptores doceant, intonari Hymnum poſtquam Celebrans accepto Sacramento ſurrexit, & aſcendit ſuper planum ultimi gradus, ſeu Suppedanei. Quidquid ſit de hac ſententia, ubi Epiſcopus cum Sacramento ſurrexit, *Diaconi aſsiſtentes hinc inde fimbrias anteriores Pluvialis elevabunt, & ſi contingat aliquos gradus aſcendere, Cæremoniarius, vel aliquis Capellanus, extremitates Albæ, & veſtes interiores ipſius Epiſcopi a parte anteriori elevabit, & aliquis Princeps ſi adſit, vel nobilior laicus ſublevabit, & portabit per totam Proceſsionem Pluviale Epiſcopi a parte poſteriori*. Quantum denique ad octo Beneficiatos paratos Pluvialibus, qui per Eccleſiam geſtabunt haſtas baldachini, vide quæ jam ſuperius diximus. Accipient hi, ut eſt uſus Eccleſiarum, baldachini haſtas ad cancellos, ſeu in aditu Chori, vel in medio Presbyterii, ideoque uſque ad locum, in quo Sacramentum geſtans ſe baldachino ſupponat, tegetur umbella, de qua dictum fuit ſupra,

§. XXII. Per

Digitized by Google

§. XXII.

Per viam Proceſsionis ſemper Epiſcopus aliquos Pſalmos, vel Hymnos ſummiſſa voce recitabit, reſpondentibus Diaconis aſsiſtentibus, & ſic ordine ſuperius deſcripto procedant per totam viam Proceſsionis; quæ ſi longior fuerit, poterit Epiſcopus in aliqua Eccleſia, & ſuper illius Altare deponere Sanctiſsimum Sacramentum, & aliquantulum quieſcere; & ibidem, antequam diſcedat, thurificare Sanctiſsimum Sacramentum, & Orationem de Sacramento cantare; quod tamen non paſsim in ſingulis Eccleſiis, vel ad ſingula Altaria, quæ forſitan per viam conſtructa, & ornata reperiuntur, faciendum eſt, ſed ſemel tantum, vel iterum arbitrio Epiſcopi.

§. XXIII.

Dum Proceſsio erit in fine, ideſt prope eandem Eccleſiam, a qua diſceſsit, ante ejuſdem Eccleſiæ fores, iterum nobiliores, laici, vel alii nobilitate eiſdem æquales haſtas baldachini capient, & Epiſcopus ſub baldachino ibit uſque ad cancellos, vel Presbyterium, vel ad gradus Altaris juxta Eccleſiæ ſtructuram, & ſituationem.

COMMENTARIUS.

I. INtonato a Cantoribus Hymno, *Pange lingua glorioſi*, Chorus eum proſequitur alternatim ab una, & ab alia parte, omnibus tunc cum debita genuflexione Sanctiſsimo Sacramento progredientibus ordine ſuperius deſcripto. Præter ipſum Hymnum, cantantur & alii per viam in Rituali præſcripti, ſed *per viam Proceſſionis*, ut ait noſter §. XXII. *Epiſcopus aliquos Pſalmos, vel Hymnos*, memoriter ſcilicet, *ſummiſſa voce recitabit, reſpondentibus Diaconis aſſiſtentibus*, nunquam enim cum aliis Hymnos ipſos cantabit Sacramentum geſtans, ſed cum ſuis Miniſtris hinc inde recitabit. Via ſi longior fuerit, *poterit Epiſcopus in aliqua Eccleſia, & ſuper illius Altare*, ideſt ſuper Corporale in eo præparatum, *deponere Sanctiſſimum Sacramentum, & aliquantulum quieſcere*, ſtando tamen, & nudo capite, non autem ſedendo; nam ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Hiſpalen. XXI. Januarii MDCXC. apud Meratum, in Proceſſione ſolemni Corporis Chriſti, quando Proceſſio ſiſtit, Sacerdos celebrans, Diaconus, & Subdiaconus non debent ſedere, neque in ſcamno, neque in ſedibus.

II. Poſito in aliqua Eccleſia Sacramento ſuper Altari, poſtquam Epiſcopus aliquantulum quievit, poterit *ibidem, antequam diſcedat, thurificare Sanctiſſimum Sacramentum, & Orationem de Sacramento cantare*, juxta ritum ſcilicet probatum, quem fuſe enarrant Scriptores, inter quos acriter contendit Meratus, incenſandum eſſe Sacramentum a Celebrante in infimo Altaris gradu genuflexo, aliis contrarium propugnantibus, ut ſcilicet is, qui incenſat, in ſuppedaneo genuflectat. Porro monet idem noſter §. faciendam eſſe ab Epiſcopo incenſationem *ſemel tantum, vel iterum pro arbitrio ſuo, non paſſim in ſingulis Eccleſiis, vel ad ſingula Altaria, quæ forſitan per viam conſtructa, vel ornata reperiuntur*; frequentes enim ſtationes importunæ eſſent, & Proceſsionis ſæpe ordinem perverterent. Eſt tamen uſus, ut in multis locis publico ſumtu nobiliſsimum Altare in celebriori via Altare extruatur, ubi Sacramentum geſtans, illud deponit, ac deinde thurificat, & Orationem cantat. Quod ſpectat tandem §. XXIII. clara eſt ejus Rubrica, ut illam legenti patet.

§. XXIV.

Poſtquam Epiſcopus pervenerit ad ſupremum Altaris gradum, Diaconus a dexteris cum debita reverentia, & genuflexione, ac ſine oſculo, accipiet de manu ipſius Epiſcopi ſtantis Sanctiſſimum Sacramentum, & illud ſuper Altare collocabit.

§. XXV.

Interim Cantores in cantu pauſato, & devoto cantabunt Verſiculum, *Tantum ergo Sacramentum &c.*

§. XXVI.

Epiſcopus vero depoſito velo genuflectet ſuper pulvino in infimo gradu Altaris; mox

Digitized by Google

ſurget, & imponet incenſum in altero ex duobus thuribulis, miniſtrante naviculam Presbytero aſſiſtente, & ſine benedictione, & oſculo, ut ſupra, & iterum genuflexus Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu, prout fecerat in principio, thurificabit.

§. XXVII.

Quo facto, duo Cantores cantabunt Verſiculum, *Panem de Cælo &c.* & Chorus Reſponſorium, *Omne delectamentum &c.* & Epiſcopus ſurgens, ex Libro, quem Diaconi aſſiſtentes genuflexi hinc inde ſuſtinebunt, cantabit Orationem, *Deus, qui nobis ſub Sacramento &c.* qua finita, accedet ad Altare, & accepto Tabernaculo, ſeu Oſtenſorio cum Sanctiſſimo Sacramento, illud ambabus manibus velatis elevatum tenens, vertens ſe ad populum, cum illo ſignum Crucis ſuper populum ter faciet, nihil dicens. Quo facto, iterum deponet Sanctiſſimum Sacramentum ſuper Altare, deponet velum, & genuflectet, ut ſupra.

COMMENTARIUS.

I. PRoceſſione finita, & ſublato baldachino, *poſtquam Epiſcopus pervenerit ad ſupremum Altaris gradum*, *Diaconus a dexteris*, *cum debita reverentia*, *& genuflexione*, *ac ſine oſculo*, manus ſcilicet Epiſcopi, & Sacramenti, *accipiet de manu ipſius Epiſcopi ſtantis Sanctiſſimum Sacramentum*, *& illud ſuper Altare collocabit*, in medio ſcilicet Corporalis ſuper Altare extenſi, advertens, ne renes tunc vertat Epiſcopo, & ut Imago Chriſti in Hoſtia ſacra expreſſa populum reſpiciat; interim vero, ut ait §. xxv. *Cantores in cantu pauſato*, *& devoto cantabunt Verſiculum*, Tantum ergo Sacramentum &c.

II. Adorato tantiſper Sanctiſsimo Sacramento, *Epiſcopus depoſito velo*, *genuflectet ſuper pulvino in infimo gradu Altaris*, ideſt, deſcendit a ſupremo Altaris gradu ad infimum ejus gradum, & remoto ab eo velo humerali per Cæremoniarium, genuflectet ſuper pulvino in dicto infimo Altaris gradu; *mox ſurget*, *& imponet incenſum in altero ex duobus thuribulis*, *miniſtrante naviculam Presbytero aſſiſtente*, *& ſine benedictione*, ideſt, incenſi, *& oſculo* (in antiquis Cæremonialibus legitur, *oſculis*) *ut ſupra*, *& iterum genuflexus*, in ipſo ſcilicet gradu infimo Altaris, *Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu*, *prout fecerat in principio*, *thurificabit*. Quis intelligendus ſit infimus gradus Altaris, magna profecto lis apud eſt Scriptores Sacrarum Cæremoniarium, ſuſeque ea in re ſcribit Meratus in Additionibus ad Gavantum, Parte IV. Tit. XII.

III. Sacramento incenſato, *duo Cantores cantabunt Verſiculum*, Panem de Cælo &c. *& Chorus Reſponſorium*, Omne delectamentum &c. *& Epiſcopus ſurgens*, *ex Libro*, *quem Diaconi aſſiſtentes genuflexi hinc inde ſuſtinebunt*, *cantabit Orationem*, nempe, *Deus qui nobis ſub Sacramento &c.* non præmiſſo ſcilicet Verſiculo, *Dominus vobiſcum*, ut Scriptores communiter docent, & colligitur ex noſtro §. XXVII. in qua nulla fit ejus Verſiculi mentio. Cur autem omittatur, multi multa dicunt, ſed nihil concludunt. Oratio concluditur per ea verba: *Qui vivis*, *& regnas per omnia ſecula ſeculorum*; & reſponſo a Choro, *Amen*, Epiſcopus genuflectens in ſupradicto infimo gradu Altaris, accipit ſuper humeros velum oblongum, ſeu humerale, per Cæremoniarum, *accedet ad Altare*, ibique genuflectit unico genu, ut commodius ſurgere queat; *& accepto Tabernaculo*, *ſive Oſtenſorio cum Sanctiſſimo Sacramento*, per ſe ſcilicet, & ſine alterius miniſterio, *illud ambabus manibus velatis elevatum tenens*, *vertens ſe ad populum*, *cum illo ſignum Crucis ſuper populum ter faciet nihil dicens*; quia proprie Epiſcopus non eſt ille, qui benedicit populum, ſed Chriſtus. Muſici quoque ſilere debent, quum datur benedictio, ſed poſſunt tamen pulſari organa ſuavi ſono, & gravi, ut ad elevationem Sacramenti fieri ſolet. Benedicente Epiſcopo, Diaconi aſsiſtentes hinc inde genuflexi, ideſt in ora ſuppedanei, elevabunt partes anteriores Pluvialis; dataque benedictione, Epiſcopus *deponet Sanctiſſimum Sacramentum ſuper per Altare*, *deponet velum*, *& genuflectet*, *ut ſupra*. Verba illa, *deponet velum*, addita primum ſunt huic §. in novo Cæremoniali; amovetur autem velum per Cæremoniarium, qui illud ſuper humeros ei impoſuit.

§. XXVIII.

Tum Presbyter aſsiſtens in cornu Epiſtolæ, ſtans verſus populum, facta prius debita reverentia cum genuflexione Sanctiſsimo Sacramento, publicabit Indulgentias in forma conſueta a ſummis Pontificibus, & ab Epiſcopo conceſſas omnibus, qui Proceſsioni interfuerunt.

§. XXIX.

Digitized by Google

§. XXIX.

Et advertatur, ut intorticia, & candelæ, quæ in Proceſsione delata fuerunt, non extinguantur, donec Epiſcopus cum Sanctiſsimo Sacramento benedictionem, ut ſupra dictum eſt, dederit.

§. XXX.

Omnibus expeditis, Epiſcopus, facta aliquantulum Oratione ante Sanctiſsimum Sacramentum poſt debitam genuflexionem, atque accepta Mitra extra cancellos, diſcedet cum Canonicis in Sacriſtiam, ubi paramenta deponet, & ſolito more aſſociatus ab eis, ad domum ſuam redibit,

COMMENTARIUS.

I. BEnedictione per Epiſcopum data, & Sacramento ſuper Altare depoſito, ac genuflexo ſuper pulvino in infimo Altaris gradu, ut ſupra jam dictum fuit, *tunc Presbyter aſſiſtens*, ex præſcripto §. XXVIII. *in cornu Epiſtolæ, ſtans verſus populum, facta prius debita reverentia, cum genuflexione Sanctiſſimo Sacramento, publicabit Indulgentias, in forma conſueta, a Summis Pontificibus, & ab Epiſcopo conceſſas omnibus, qui Proceſſioni interfuerunt*. Advertendum autem, quod ait §. XXIX. *ut intorticia, & candelæ, quæ in Proceſſione delata fuerunt, non extinguantur, donec Epiſcopus, cum Sanctiſſimo Sacramento benedictionem dederit*. Eſt tamen uſus complurium inſignium Eccleſiarum, docetque inter alios Bauldryus in ſuo Manuali Sacrarum Cæremoniarum, Parte IV. Cap. XVI. Articulo III. Num. XXXVIII. ut ardeant faces, & candelæ uſque ad depoſitionem Sanctiſsimi Sacramenti *in loco ſuo incluſive*, ideſt, in magno Tabernaculo, quod etiam vulgo Cuſtodiam vocant. Quidquid ſit, *omnibus expeditis*, inquit tandem §. noſter XXX. *Epiſcopus, facta aliquantulum oratione ante Sanctiſſimum Sacramentum, poſt debitam genuflexionem, atque accepta Mitra extra cancellos, diſcedet cum Canonicis &c.* Sunt, qui ajunt, ſumendam eſſe ab Epiſcopo Mitram ſtatim ac e ſuppedaneo Altaris diſcedit, ſed ſumenda eſt in hac functione *extra cancellos*, ut docet noſter §. & eſt uſus Pontificiæ Capellæ. Porro, ut ritum hujus Proceſſionis abſolvam, ex præſcripto §. XXXIV. peracta functione, de qua abunde jam dictum eſt, circa Proceſſionem ſcilicet Sanctiſſimi Sacramenti, *demum Diaconus debet in fine illud includere, & reponere in Tabernaculo, ubi ſolet continue aſſervari*.

§. XXXI.

Si vero Epiſcopus voluerit ex ſua particulari devotione hac die celebrare, & Sanctiſſimum Sacramentum pro dicta Proceſſione conficere, poterit ſummo mane Miſſam planam ſine cantu legere, omiſſa pro hac die propter Proceſſionem ad celeriorem actus expeditionem, & ad evitandum calorem, Miſſa ſolemni, & in fine Miſſæ Canonici, & alii ut ſupra capient paramenta.

§. XXXII.

Epiſcopus vero depoſitis Manipulo, & Planeta, capiet Pluviale, & cetera omnia fient, quæ ſuperius declarata ſunt.

COMMENTARIUS.

I. ABſtinendum eſſe Epiſcopo hac die celebrare Miſſam ſolemnem *propter Proceſſionem, ad celeriorem actus expeditionem, & ad evitandum calorem*, monet Rubrica §. XXXI. ubi etiam edicit, quod ſi voluerit ipſe *ex ſua particulari devotione hac die celebrare, & Sanctiſſimum Sacramentum pro dicta Proceſſione conficere, poterit ſummo mane Miſſam planam ſine cantu legere*. Puto equidem, verba illa, *ex ſua particulari devotione*, referri potius ad Sanctiſsimi Sacramenti pro ipſa Proceſsione confectionem, quam ad celebrationem Miſſæ planæ; non enim decet, ut Epiſcopus hac præſertim die Feſti Corporis Chriſti omnino abſtineat a celebratione Miſſæ. Dicet ergo Miſſam planam Epiſcopus, in qua etiam aliam Hoſtiam in Proceſsione deferendam conſecrabit, *& in fine Miſſæ Canonici, & alii, ut ſupra, capient paramenta*; Epi-

Digitized by Google

ſcopus vero, ut ait Rubrica §. XXXII. *depoſitis Manipulo, & Planeta, capiet Pluviale*, cum pectorali ſcilicet, ſeu formalio, *& cetera omnia fient, quæ ſuperius declarata ſunt*, circa cæremonias ſcilicet ſervandas in Proceſsione, in qua geſtabit Sanctiſsimum Sacramentum.

§. XXXIII.

Et quia ſolitum eſt per totam hanc Octavam ponere ſuper Altare Tabernaculum cum Sanctiſſimo Sacramento diſcooperto, dum Veſperæ, & Officia divina recitantur, ad quæ magna populi frequentia ſolet accedere, conveniens eſſet, ut ob reverentiam tanti Sacramenti, tam Epiſcopus, quam Canonici, & omnes præſentes, & in Choro aſſiſtentes, durante Officio, ſtarent ſemper capite detecto, & nunquam ſederent. Quod ſi ob longitudinem Officii præſtare non poterunt, non omittant ſaltem in ſignum reverentiæ, detecto capite, exiſtente Sanctiſſimo Sacramento ſuper Altari, divinis Officiis aſſiſtere.

COMMENTARIUS.

I. QUamquam, ut teſtatur ſanctus Thomas Aquinas in Opuſculo LVII. Urbanus IV. Pontifex Maximus Feſtum Corporis Chriſti inſtituerit, Indulgentiaſque iis conceſſerit, qui in hac ſolemnitate divinis Officiis perſonaliter intereſſent, conſtat nihilominus, & ſolemnem circumgeſtationem Corporis Chriſti in ſupplicatione publica, & publicam ejuſdem ſuper Altari expoſitionem, dum per Octavam Veſperæ, & Officia divina recitantur, longe poſt ipſum Urbanum IV. fuiſſe introductas. In Ordinario Argentino exarato anno anno MCCCLXIV. præſcriptum eſt quidem, ut *ponatur Corpus Chriſti ſuper Altare in prima Veſpera, & in Matutinis, & in Miſſa*. Verum de ejus infra Octavam expoſitione altum in eo ſilentium, uti jam notavit Martenius in citato toties Libro, *De antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis Officiis celebrandis*, Cap. XXIX. Num. VI.

II. At vero, quidquid ſit de primæva origine ejus ritus, *quia ſolitum eſt per totam hanc Octavam ponere ſuper Altare Tabernaculum cum Sanctiſſimo Sacramento diſcooperto dum Veſperæ, & Officia divina recitantur, ad quæ magna populi frequentia ſolet accedere; conveniens eſſet*, ex Rubrica noſtri §. *ut ob reverentiam tanti Sacramenti, tam Epiſcopus, quam Canonici, & omnes præſentes, & in Choro aſſiſtentes, durante Officio, ſtarent ſemper, capite detecto, & nunquam ſederent*. Fuit hæc plane vetus Eccleſiæ diſciplina, ut non modo Clerici, ſed laici quoque toto divinorum Officiorum tempore ſtarent, pie, feliciterque Chriſto Domino obſequentes, qui in Euangelio Marci, Cap. II. ait: *Cum ſtabitis ad orandum &c.* Unde æqua erat Tertulliani querimonia adverſus quoſdam delicatulos ſui ævi, quos ita in Libro, *De Oratione*, Cap. XII. inſectabatur: *Siquidem irreverens eſt, aſſidere ſub conſpectu, contraque conſpectum ejus, quem maxime reverearis, quanto magis ſub conſpectu Dei vivi, Angelo adhuc Orationis adſtante, factum iſtud irreligioſiſſimum eſt?* Alludit nimirum ad locum Lucæ, Cap. I. qui loquens de Zacharia patre S. Joannis Baptiſtæ, ita ait: *Apparuit illi Angelus ſtans a dexteris Altaris incenſi*. Sed non hic omittenda altera Tertulliani ratio, qua loco citato perſuadere nititur, ſtando orandum eſſe ab homine Chriſtiano, *ne ſcilicet ſedendo exprobremus Deo, quod nos Oratio fatigaverit*.

III. Morem temporis ſui non ſine ſpecioſa ratione tradit Lib. IV. *De Officiis*, Cap. III. Amalarius, dicens: *Quando cantamus Pſalmos, ſolemus ſtare, ut ex ſtatu corporis demonſtremus affectum noſtræ mentis, hoc eſt, paratos nos eſſe ad opera bona*. Plura contra hanc ſedendi conſuetudinem, quæ in omnibus pene Choris invaluit, notavimus jam in noſtro Opere, *De Codice ſancti Euangelii &c.* Lib. II. Cap. XXIII. ubi etiam exoptavimus, ut, quandoquidem tantum hodie obtinere non licet, ſaltem, quemadmodum Clerici Regulares, ac alii complures Religioſi Ordines totis divinis Officiis ſtantes aſsiſtunt (uti fuit primorum Chriſtianorum mos, qui a S. Cypriano paſsim, & ab aliis priſcis Patribus ſtantes vocantur) ceteri ſaltem id agerent, quo tempore, diviniſsimæ Euchariſtiæ Sacramento publicæ venerationi expoſito, Canonicas in Choro Horas, & divina Officia cantant.

IV. Illud autem expreſſe præceptum eſt ex Rubrica noſtri §. ut ſi id *ob longitudinem Officii præſtare non poterunt, non omittant ſaltem in ſignum reverentiæ, detecto capite, exiſtente Sanctiſſimo Sacramento ſuper Altari, divinis Officiis aſſiſtere*. Egimus & de eodem ritu in laudato Opere, *De Codice ſancti Euangelii &c.* Lib. II. Cap. XXIV. ſed celeberrimus eſt plane locus de orando nudo capite in Epiſtola I. ad Corinthios, Cap. XI. ubi ait Apoſtolus, quod *omnis vir orans velato capite, deturpat caput ſuum*, ideſt, Chriſtum, ut in ea Epiſtola exponit Apoſtolus, cujus locum ad rem noſtram egregie explicat inter alios Patres S. Joannes Chryſoſtomus Homilia XXVI. in ipſam Pauli Epiſtolam. Hanc fuiſſe primorum Chriſtifidelium diſciplinam, teſtatur Tertullianus in ſuo Apologetico, Cap. XXX. ubi diſerte ait, conſueviſſe orare Chriſtianos *nudo capite*. Si itaque

mos

Digitized by Google

mos erat antiquus, detecto, ac nudo capite, generaliter orare, quanto magis ſervanda eſt hæc cæremonia, præſente Chriſto Domino in Euchariſtiæ Sacramento venerationi publicæ expoſito?

§. XXXIV.

Solitum eſt etiam octava die hujus Feſti poſt Veſperas fieri Proceſſionem ad reponendum Sanctiſſimum Sacramentum, quæ non tam ſolemnis, & longa via, ut prima, ſed vel per Eccleſiam, vel parum circa extra eam fieri debet, in qua ſi Epiſcopus intereſſe voluerit, debet cum Pluviali Sanctiſſimum Sacramentum portare, & tam in principio, quam in fine Proceſſionis, illud thurificare, & alia facere, quæ ſuperius expreſſa ſunt, & demum Diaconus debet in fine illud includere, & reponere in Tabernaculo, ubi ſolet continue aſſervari.

COMMENTARIUS.

I. INvaluit jam planè ritus, ut non modo die hujus Feſti ſolemnis Proceſsio cum Sanctiſsimo Sacramento a Cathedralibus, & Matricibus Eccleſiis perageretur, ſed etiam ab aliis infra octavam ejuſdem Feſti tam manè, quam veſperi. Debere Proceſsionem in ſolemnitate Corporis Chriſti inchoari a Cathedrali Eccleſia, ſeu Matrice, & ad eandem terminare, non vero a Parochiali, decidit non ſemel Sacra Rituum Congregatio, ac præſertim in Nolana 1. Septembris MDCCVIII. & IX. Junii MDCCXVIII. Afferri plane circa hujuſmodi Proceſsiones, quæ a Regularibus præſertim infra Corporis Chriſti octavam extra clauſtrum fiunt, Decreta ipſius Sacræ Congregationis poſſent, ſed cum non ſint generalia, ſed peculiaria loca reſpiciant, puto equidem, ſervanda omnino, ubi ſunt, ipſa Decreta, in aliis autem conſuetudinem ſervandam Eccleſiarum.

II. Quantum vero ad hunc §. noſtrum, poſtquam edixit, ſolitum eſſe octava hujus Feſti poſt Veſperas fieri Proceſsionem ad reponendum Sanctiſsimum Sacramentum, quæ non tam ſolemnis, & longa via, ut prima, ſed vel per Eccleſiam, vel parum circa extra eam fieri debet, addit mox, quod ſi Epiſcopus intereſſe voluerit huic Proceſsioni, *debet cum Pluviali Sanctiſſimum Sacramentum portare, & tam in principio, quam in fine Proceſſionis, illud thurificare, & alia facere, quæ ſuperius expreſſa ſunt, & demum Diaconus debet in fine includere, & reponere in Tabernaculo, ubi ſolet continue aſſervari*. Solet hodie Romæ in octava hujus Feſti poſt Veſperas in Vaticana Baſilica fieri Proceſsio a Capitulo S. Petri per breviorem tamen viam, ubi licet aliquando interfuerit Summus Pontifex Benedictus XIII. non geſtavit tamen Sacramentum, ſed manu cereum accenſum.

§. XXXV.

Abſente Epiſcopo, & in Collegiatis Celebrans finita Miſſa, & depoſitis Planeta, & Manipulo, capiet Pluviale, & Sanctiſſimum Sacramentum thurificabit, illudque ſub baldachino portabit, & omnia, ut ſupra fient, exceptis iis, quæ ad Epiſcopum proprie pertinent.

COMMENTARIUS.

I. ABſente Epiſcopo hac die, & celebrationem Miſſæ ſolemnis, & delationem Sanctiſsimi Sacramenti in Proceſsione pertinere ad primam Dignitatem, & ea deficiente ad ſecundam, & ſic ſucceſsive ad alias, vel ad digniores Canonicos, iterum atque iterum decrevit Sacra Rituum Congregatio. Quamvis autem Epiſcopus ſolemniter hac die non celebrans Miſſam, geſtet tamen ipſe in Proceſsione Sacramentum, non habet id tamen in aliis locum; conſtat enim ex Decreto ipſius Sacræ Congregationis Rituum in Compſana XXIII. Martii MDCCIX. Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum in Proceſsione, quæ fit in Feſto Sanctiſsimi Corporis Chriſti, deferri ab eo quidem debere, qui Miſſam celebrat; idemque ſervandum eſſe in Proceſsione, quæ fit in die Dominico infra ejus octavam, non vero a primo de Capitulo, qui non celebravit.

II. Id ipſum jam antea deciderat Sacra Congregatio in Januenſi, ſive Genuenſi XXXI. Julii MDCXXXII. ubi declaravit, non convenire, quod prima Dignitas celebret Miſſam ante Proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti, & deinde altera minor Dignitas deferat illud in Proceſſione. Sed ut alia id genus Decreta omittam, confirmatum plane memoratum Decretum fuit ab Innocentio Papa XI. Conſtitutione ſua XXI. quæ incipit, *Alias emanarunt*, edita IV. Junii MDCLXXXIX. legiturque in Bullario Romano Tomo V. Editionis Luxemburgenſis. Sicut autem manè Celebrans Miſſam, Sacramentum in Proceſſione geſtat, ita in Veſperis, ſi fiat Proceſſio, deferre illud debet, qui Veſperas celebravit, ex Decreto ejuſdem Sacræ Congregationis in Brunduſina die XII. Junii MDCXXVII. Atque his Decretis notatis, quantum ad §. noſtrum, nihil eſt, quod in ipſum expli-

Digitized by Google

plicandum motemur. Ait, abſente Epiſcopo, & in Collegiatis, hac die ſervanda eſſe omnia, quæ dicta ſuperius ſunt, *exceptis iis, quæ ad Epiſcopum propriè pertinent*. Qui autem plura deſiderat circa ritus ab iis ſervandos in prædicta ſolemnitate, qui non ſunt Epiſcopi, legere poteſt Manuale Sacrarum Cæremoniarium Bauldry, Parte IV. Cap. XVI. Articulo I. & ſeqq. & inter alios Merati Additiones in Gavantum Parte IV. Tit. XII.

III. Unum eſt tandem, quod ad hujus Commentarii calcem notemus, abuſum ſcilicet, qui in quibuſdam Eccleſiis inſignis alias Religioſi Ordinis viget, in quibus Celebrans in expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti qualibet Feria VI. fieri ſolita, dare benedictionem ſolet indutus Cotta, & Stola, non autem Pluviali, ut eſt ritus communis in hujuſmodi functionibus. Laudandi plane ſunt Canonici Regulares Lateranenſes, quorum Parochus Romæ in Eccleſia S. Mariæ de Pace, licet aliquando ſine Pluviali Euchariſtiam ad infirmos deferat, tamen ubi in ſuo ad Eccleſiam reditu benedictionem eſt largiturus cum Pyxide, in qua ſcilicet aliæ adeſſent Particulæ, Pluviali prius induitur; ſed nec eſt omittenda ejuſdem Eccleſiæ diſciplina, quæ in ipſa Euchariſtiæ delatione, ubi Fideles promti non ſint ad deferendas haſtas cum laternis accenſis, ut eſt ritus in Concilio Romano anni MDCCXXV. a ſanctæ memoriæ Benedicto XIII. præſcriptus, homines conducere ſolet, qui mercede allecti, prædictas haſtas geſtent. Quod iccirco notandum hic cenſui, quia ſcilicet ejus ritus ſervatores cum mercedis ſolvendæ incommodo, non ita paſſim Parochos inveneris. Novi autem plures a labe avaritiæ prorſus immunes, liberaleſque, uti alias eſſe debent, erga ea, quæ vel ad divinum augendum cultum, præſertim Sanctiſſimi Sacramenti, vel ad pauperum ſublevamen pertinent.

CAP. XXXIV.

In quibus Feſtis Epiſcopi ſolemniter celebrare ſoleant. Epiſcopus in craſtinum celebraturus, Veſperas ſolemnes pridie agere ipſe conſuevit. In quibus Feſtis Epiſcopi Miſſæ, & Veſperis ſolemnibus aſſiſtant.

§. I.

Quia per annum plura Feſta occurrunt, ultra ſuperius expreſſa, in quibus decet, vel Epiſcopum ſolemniter celebrare, vel ſaltem Veſperis, & Miſſæ ſolemniter per alium celebratæ intereſſe, de his breviter aliquid dicendum eſt.

§. II.

Celebrare igitur poterit Epiſcopus, niſi legitime fuerit impeditus, in die Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, in Feſto Epiphaniæ Domini, Feria quinta in Cœna Domini, in Dominica Reſurrectionis, in die Aſcenſionis, in Dominica Pentecoſtes, in Feſtivitatibus Annunciationis, & Aſſumtionis B. Mariæ Virginis, in feſto Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, in feſto omnium Sanctorum, in feſto Sancti Titularis Eccleſiæ, & Patroni, in die Anniverſario Dedicationis Cathedralis Eccleſiæ, vel etiam arbitrio ſuo in aliis Feſtivitatibus per annum, quandocumque ei placuerit, cum cæremoniis, & ſolemnitatibus, quæ ſupra in Capite VIII. hujus Libri II. de Miſſa ſolemni Epiſcopo celebrante explicatæ fuerunt; ac etiam cum Veſperis ſolemnibus in Vigilia, ſeu die, quæ Feſtum præcedit, excepto Sabbato Sancto, quo die Veſperæ non dicuntur, niſi mane in fine Miſſæ, & Vigilia Annunciationis Beatæ Mariæ, ſi venerit in Quadrageſima die feriato; quo caſu Veſperæ non celebrantur in Vigilia, ſed tantum in die, finita Miſſa, & tunc ne iſta ſolemnitas ſine Veſperis ſolemnibus tranſeat, poterit Epiſcopus, depoſitis Miſſæ indumentis, accipere Pluviale, & celebrare Veſperas, Canonicis paratis remanentibus.

§. III.

Sed ſi hoc Feſtum venerit Feria II. in Quadrageſima, poterunt Veſperæ ſolemnes in Dominica præcedenti celebrari cum cæremoniis, prout ſupra dictum eſt in Capite I. hujus Libri II. de Veſperis ſolemnibus, Epiſcopo in craſtinum celebraturo.

COMMENTARIUS.

I. QUæ in hiſce duobus Paragraphis continentur, ſupra non uno in loco Commentariorum noſtrorum tum Libro I. tum hoc ſecundo abunde jam explicata fuere. Sane ſi Romanos antiquos Ordines conſulamus, vel ipſi Pontifices Maximi frequenter divina Officia, quæ

Digitized by Google

quæ per annum occurrunt, Pontificali ritu, & summa cum solemnitate celebrabant. Diligentissimi in ea servanda disciplina fuerunt quoque & olim Episcopi; sed quum sequioribus seculis segniores facti essent, huic abusui occurrens Rubrica II. nostri hujus §. edicit, celebrare posse Episcopum, *nisi legitime fuerit impeditus, in die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi*, atque in aliis in §. ipso II. enumeratis, *vel etiam arbitrio suo in aliis Festivitatibus per annum, quandocumque ei placuerit, cum cæremoniis, & solemnitatibus, quæ supra in Capite* VIII. *hujus Libri* II. de Missa Solemni, Episcopo celebrante, *explicatæ fuerunt*.

II. Hortatur præterea memoratus §. noster Episcopos ipsos, ut Festa ipsa descripta celebrent *etiam cum Vesperis solemnibus in Vigilia, seu die, quæ Festum præcedit*, quia scilicet primæ Vesperæ juxta Brevarii Romani Rubricas, & Pontificiæ Capellæ disciplinam, digniores, atque excellentiores sunt secundis. Excipitur autem I. ab hac generali regula Sabbatum Sanctum, *quo die Vesperæ non dicuntur, nisi mane in fine Missæ*, juxta ritum scilicet a nobis jam supra explicatum in Commentariis ad Caput XXVII. Excipitur II. Vigilia Annunciationis Beatæ Mariæ, si venerit in Quadragesima die feriato: *quo casu*, ut ait idem noster §. II. *Vesperæ non celebrantur in Vigilia, sed tantum in die, finita Missa, & tunc ne ipsa solemnitas sine Vesperis solemnibus transeat, poterit Episcopus, depositis Missæ indumentis, accipere Pluviale*, albi scilicet coloris, *Canonicis paratis remanentibus*.

III. Concinunt hæc plane antiquo ritui Pontificiæ Capellæ, uti constat ex toties memorato Cæremoniali Augustini Patricii Lib. II. Sectione II. Cap. VIII. quod est de Festo Resurrectionis Beatæ Mariæ Virginis, & Vesperis Papalibus in Quadragesima, ubi inter alia ita inquit: *Consueverunt antiqui Pontifices celebrare hoc die, & tunc si Festum fuisset die Lunæ in Quadragesima, in præcedenti Dominico die fiebant Vesperæ Papales cum paramentis*. Tum vero mox: *Idem fiebat, si Festum celebrabatur post Pascha; in aliis autem temporibus, quia in Quadragesima Vesperæ dicuntur ante prandium, non fiebant Vesperæ solemnes; sed, ne ista solemnitas remaneret sine Vesperis solemnibus, post Missam, in qua una tantum Oratio dicitur, scilicet de Beata Virgine, Papa, depositis Missalibus indumentis, accipiebat Pluviale album, & incipiebat*, Deus in adjutorium &c. *pro Vesperis, stans in Sede sua eminenti, & Cardinales, atque Prælati omnes permanebant cum suis paramentis, & incipiebantur Antiphonæ per Papam, & Cardinales more solito*. Addit tandem, si Papa non celebrasset, sed aliquis Cardinalis, aut Prælatus alius in sua præsentia, tunc finita Missa, consuevisse Papam incipere pro Vesperis, *Deus in adjutorium*, incensare, & cantare Orationes, sicut consuevit facere, quando non est celebraturus. Tum vero etiam subdit, suo ævo Vesperas ipsas, neque ante, neque post, sicut & hodie, celebrari solitas fuisse in ipsa Pontificia Capella. Quod tamen aliter olim factum, Romani Ordines docent.

IV. Audiamus nunc ergo, quid de Capellæ Pontificiæ ritu ante Patricium scripsit in Ordine Romano XV. Cap. CV. Amelius: *Nota, quod hæc Festivitas venit in die Jovis ante Dominicam de Rosa anno Domini* MCCCLXXXIX. *nec habuit primas Vesperas, sed in die post Missam celebratam in Sancto Petro, Sanctissimus Dominus noster Urbanus Sextus sic indutus in Cathedra Lapidea incæpit solemniter Vesperas, & incæpit Antiphonam primam, & Antiphonam ad* Magnificat, *& thurificavit Altare semper indutus vestibus sacris, prout in Missa; & mandavit Cardinales quatenus sic starent induti, prout fuerunt in Missa &c.* Neque omittendum, quod de iisdem Vesperis notandum subjicit: *Nota, quod hæc Festivitas venit die Lunæ post Dominicam de Passione anno* MCCCXCIX. *Pontificatus Bonifacii Papæ anno* XI. *& non habuit Vesperas præcedentes propter magnum frigus; sed die Lunæ immediate, post Missam fuerunt cantatæ*. Addit, Antiphonas iacœptas fuisse a Cantoribus, & Papam adfuisse cum Pluviali rubeo, sicut in Missa, quam cantavit Cardinalis Neapolitanus.

V. Cautum est denique ex nostro §. III. ut *si hoc Festum venerit Feria secunda in Quadragesima* (excepta scilicet majori hebdomada, in qua nullum omnino fit Officium de Sanctis) possint *Vesperæ solemnes in Dominica præcedenti celebrari cum cæremoniis, ut supra dictum est &c.* & quidem post meridiem solita hora dicendi Vesperas, quia scilicet, Dominica die ex pervetusto Ecclesiæ ritu minime jejunatur. Anticipantur autem Vesperæ in Quadragesima propter jejunium; nam ad duodecimum usque seculum inaudita erat in Occidente comestio ante finem diei, nec dicebatur Missa, nisi post Nonam, hoc est, circa tertiam Horam Vespertinam, ne scilicet comederetur, nisi post horam Vesperarum, hoc est, sero, & Vesperæ dicebantur in Missa post Communionem, uti fit Sabbato Sancto, idque ex antiquis Scriptoribus, & Libris Ritualibus constat. Sed decimo tertio seculo non parum laxatus est mos antiquus; & ad Nonam cœpta est anticipari comestio. Alexander de Ales ex iis fuit, qui huic consuetudini locum dedere, ut notat Grancolas in Breviarium Romanum Cap. XXXIX. ubi etiam observat, quod seculo decimoquarto, ut tempus lucrifieret, hora Nona anticipata est, Paludano potissimum Auctore. Quinto decimo seculo magis etiam laxatum est comedendi tempus, dummodo recitatæ essent Vesperæ circa meridiem ante comestionem, & sextodecimo seculo non defuere Casuistæ affirmantes comedi posse non solum ad meridiem, sed etiam una ante meridiem hora.

VI. Nostra hac tempestate res eo pervenit, conniventibus Theologis laxis, ut non pauci, qui tota fere nocte, tempore etiam Quadragesimæ, aleis ludunt, ut alia facinora omittam, post mediam noctem, sive potius circa Auroram, qua ad domos suas redeunt, collationem, quam voca-

Digitized by Google

vocamus ſerotinam, ſumunt, & deinde dormientes ſomnum ſuum uſque ad meridiem, & ultra, longe poſt meridiem prandent. Hi autem ſunt, qui ſe putant præcepto Eccleſiæ de ſervando jejunio obtemperare, nam alios multos invenjes, qui ex leviſſimis cauſis, imo & nullis omnino jejunium ſolvunt, Medicis facultatem eis etiam comedendi carnes præbentibus pro ſuo arbitrio.

CAP. XXXV.

Miſſa ſolemnis vel per Epiſcopum, vel per aliquam Dignitatem celebranda in diebus Electionis, & Conſecrationis ejuſdem. Paramenta ſint coloris Feſto convenientis. Si vero feriata dies ſit, erunt alba. Collecta pro Epiſcopo in eadem Miſſa dicenda.

§. I.

Singulis annis in diebus anniverſariis Electionis, & Conſecrationis Epiſcopi, Miſſam ſolemnem vel per ipſum Epiſcopum, vel per aliquam Dignitatem, ſeu Canonicum, ipſo præſente, celebrari convenit; quæ, ſi dies Electionis, ſeu Conſecrationis venerit in die aliquo feſtivo, celebrabitur de Feſto cum paramentis Feſto convenientibus, & cum commemoratione pro Epiſcopo.

§. II.

Si vero venerit in die feriato, celebrabitur prout in Miſſali, cum paramentis albis, & una tantum Collecta pro Epiſcopo, videlicet, *Deus omnium Fidelium Paſtor, & Rector &c.* & ſi Epiſcopus celebret, dicat in Oratione, *Me indignum famulum tuum, quem huic Eccleſiæ &c.* ſed in reliquis omnia circa cæremonias ſervabuntur, quæ ſupra propriis in locis explicata fuerunt.

COMMENTARIUS.

I. QUemlibet Epiſcopum Conſecrationis ſuæ diem anniverſarium ſua antiquitas in Eccleſia recoluiſſe, fuſe oſtendimus jam Tomo I. Romani Pontificalis Tit. XIII. in Commentario ad §. LIII. ubi etiam quædam Patrum loca, ac Synodorum Canones, & Decreta Romanorum Pontificum, exemplaque recentiorum nonnullorum Epiſcoporum de ea tenenda diſciplina recenſuimus. Præ ceteris tenent hodieque antiquum hunc ritum Romani Pontifices, uti conſtat ex Cæremoniali Auguſtini Patricii Lib. II. Sectione II. Cap. XXXII. & XXXIII. quorum alterum eſt, *De anniverſario aſſumtionis Summi Pontificis*; alterum vero, *De anniverſario coronationis Summi Pontificis*. Cui ritui concinens Rubrica noſtri §. I. ait, conveniens plane eſſe, ut *ſingulis annis in diebus anniverſariis Electionis, & Conſecrationis Epiſcopi, Miſſam ſolemnem per ipſum Epiſcopum, vel per aliquam Dignitatem, ſeu Canonicum, ipſo præſente, celebrari*. Bis ergo celebrandum eſt ab Epiſcopo anniverſarium, nempe, tum ſuæ Electionis, tum etiam Conſecrationis juxta ritum in citato §. & ſequenti præſcriptum, ſolemni ſcilicet celebratione Miſſæ per ipſum Epiſcopum, ſive per aliquam Dignitatem, ſive Canonicum, Epiſcopo ipſo præſente, & aſſiſtente, ut alias.

II. Reliquum eſt, ut duo notemus, quæ in duobus hiſce Paragraphis ſtatuuntur. Primum illud eſt, quod, ut ait Rubrica noſtri I. §. *ſi dies Electionis, ſeu Conſecrationis, venerit in die aliquo feſtivo, celebrabitur de Feſto cum paramentis Feſto convenientibus, & cum Commemoratione pro Epiſcopo*. Hinc quamvis Sacra Rituum Congregatio die XXVIIV. Auguſti MDCXXVII. apud Gavantum in Rubricas Miſſalis, Parte I. Tit. IX. Num. XVI. decreverit, quod commemorationes pro publica cauſa non fiant in Feſtis primæ claſſis, excipitur tamen hæc Commemoratio Conſecrationis Epiſcopi, & ratio eſt, quia hæc Oratio præcepta eſt ex Rubricis Miſſalis, ac noſtri Cæremonialis, quibus Sacra ipſa Rituum Congregatio adhærens in Lycien. IV. Aprilis MDCCV. declaravit quidem, quod quando dies anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi incidit in Dominicam primæ claſſis, infra Hebdomadam Majorem, in diem Paſchæ, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, vel alium ſolemniorem, non poteſt dici Miſſa de dicta Conſecratione, ſed in ipſa Miſſa de die debet fieri Collecta pro Epiſcopo ſub unica concluſione, ut diſponit Cæremoniale Epiſcoporum. Rurſus ex alio ejuſdem Sacræ Congregationis Decreto in Bracharen. VIII. Junii MDCCIX. Commemoratio in Miſſa pro Conſecratione Epiſcopi, quando ratione Feſti currentis dicitur Miſſa de Feſto habente plures Commemorationes, debet uniri cum Oratione Miſſæ, & dici ſub unica concluſione juxta Rubricam Pontificalis Romani de Conſecratione Electi in Epiſcopum, & Miſſalis Romani in fine poſt benedictiones.

III. Al-

Digitized by Google

III. Alterum quod adnotemus, eſt, quod, ut inquit Rubrica noſtri §. II. ſi dies prædicta Electionis, vel Conſecrationis Epiſcopi, *venerit in die feriato, celebrabitur prout in Miſſali cum paramentis albis, & una tantum Collecta pro Epiſcopo, videlicet*, Deus omnium fidelium Paſtor, & Rector &c. *& ſi Epiſcopus celebret dicat in Oratione*, Me indignum famulum tuum, quem huic Eccleſiæ &c. *in reliquis omnia circa Cæremonias, ſervabuntur, quæ ſupra propriis in locis explicata fuerunt*. Plura de hac Miſſa vide apud Gavantum in Rubricas Miſſalis, Parte IV. Tit. XVII. & apud Meratum in ſuis ad ipſum Gavantum Additionibus.

CAP. XXXVI.

Anniverſarium pro Epiſcopo proxime defuncto celebrandum. Miſſa ſolemnis pro Defunctis ea die coram Epiſcopo cantanda. Sermo poſt Miſſam omittatur. Abſolutio in fine per Epiſcopum cum paramentis nigris fiat.

§. I.

Epiſcopus vivens Prædeceſſoris ſui proxime ante ipſum defuncti memoriam habere debet, & pro ejus anima ſingulis annis in die obitus anniverſarium celebrare, vel ſaltem Miſſæ pro ejus anima ab aliqua Dignitate, ſeu Canonico celebrandæ præſens aſſiſtere, & in fine abſolvere.

COMMENTARIUS.

I. Die tertio, itemque ſeptimo, nono, trigeſimo, quadrageſimo, atque anniverſario, conſueviſſe olim commemorationem fieri pro Defunctis, ex variis veterum Patrum teſtimoniis probat Durantus Lib. II. *De ritibus Eccleſiæ Catholicæ*, Cap. LXIII. Num. V. & VI. Sane anniverſaria, ut ad explicandum hoc Caput deveniamus, dicuntur quæ emortuali die, ut Plautus loquitur, ideſt, ipſo die, quo quis mortuus eſt, poſt annum recurrente fiunt, Cap. *Cum inter vos, De verborum ſignificatione*, de iiſque loquuntur paſſim priſci Patres, inter quos Tertullianus in Libro, *De Corona militis*, alludens ad Ritum, qui ſecundo Chriſti ſeculo, quo ipſe floruit, in uſu erat, hæc habet: *Oblationes pro Defunctis, pro natalitiis annua die facimus.*

II. Teſte Patricio Lib. II. Sectione II. Cap. XXX. huic profecto adhærentes ritui ſoliti jam olim fuere *Summi Pontifices immediate Prædeceſſoribus ſuis in die annuo obitus anniverſarium peragere in Capella majori, in qua Epiſcopus celebrat omnibus Pontificalibus ornamentis nigris paratus*. Tenaciſſimus ejus uſus fuit inter alios Benedictus XIII. Pontifex Maximus, qui etiam quantum ad Epiſcopos, videns eam diſciplinam contemni, ex hoc præſenti Capite XXXVI. & ſequenti noſtri Cæremonialis ſtatuit jam in ſua Romana Synodo anni MDCCXXV. Tit. XV. Cap. V. in univerſis cujuſque Civitatis, & Dioceſis Cathedralibus, & Collegiatis, aliiſque Conventualibus, ſeu receptitiis Eccleſiis, præter ſolemne anniverſarium pro ultimi defuncti Epiſcopi anima in ejus die obitus celebrandum, alterum etiam per ſingulos annos agendum in perpetuum pro omnibus propriæ Dioceſis Epiſcopis intra fidelium omnium Defunctorum octavam. Tum pientiſſimus Pontifex ad excitandos Epiſcopos, eam Chriſti Domini, Lucæ Cap. VI. ſententiam commemorat, ajentis: *Eadem menſura qua menſi fueritis, remetitur vobis.* Sed de hoc generali omnium Epiſcoporum propriæ Dioceſis anniverſario, vide quæ infra dicemus in Commentariis ad Caput XXXVII.

§. II.

Miſſa autem erit Defunctorum, & in ea omnia tam circa ornamentum Altaris, & indumenta, ac paramenta Miſſalia, quam circa genuflexiones, & Cæremonias ſervabuntur, quæ ſupra declarata fuerunt in Cap. XI. Lib. II. De Miſſa Pontificali pro Defunctis; & in Capite XII. De Miſſa pro Defunctis, quæ coram Epiſcopo celebratur.

§. III.

Non tamen poſt Miſſam ſermo habendus erit, ſed finita Miſſa, ſolus Epiſcopus, depoſita Cappa, apud Sedem ſuam parabitur Pluviali nigro cum ceteris indumentis; & habens ante ſe pannum nigrum extenſum, ſeu lecticam mortuorum, abſolvet, prout ibi dicitur.

COMMENTARIUS.

I. Quum abunde & de iis, quæ in Paragraphis hiſce notantur, dictum a nobis jam fuerit ſupra in Commentariis ad Caput XI. & Caput XII. referenda hic ſolum cenſemus quædam Sacræ Rituum Congregationis Decreta, quæ Defunctorum anniverſarium ſpectant,

Digitized by Google

ctant, quæque inter alios collegit Meratus, & ſuis ad Gavantum Additionibus inſeruit. I. itaque ex memoratæ Sacræ Congregationis Decreto in Egitanien. XXIII. Maji MDCIII. Officium anniverſarium, vel ſeptenarium, vel trigenarium Defunctorum poſt obitum, ſi cadat die Dominico, vel Feſtivo, transfertur in diem ſequentem cum eadem ſolemnitate. II. ex alio Decreto in Collen. v. Julii MDCXCVIII. infra octavas privilegiatas non poteſt cantari Miſſa Defunctorum, ſi in eas incidat eorum anniverſarium. III. durante expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti occaſione quadraginta Horarum, regulariter celebrari non poteſt Miſſa privata pro Defunctis, licet occurrat Officium hujuſmodi Miſſas admittens; neque cantari Miſſa pro iiſdem, ut adimpleatur mens Teſtatoris, ſive, ut anniverſario ſatis fiat; ita enim declaravit ſacra ipſa Rituum Congregatio in una Canonicorum Regularium Lateranenſium II. Decembris MDCLXXXIV. Idque confirmatum etiam fuit a Clemente Papa XI. in ſua Inſtructione pro dicta Expoſitione quadraginta Horarum anno MDCCV. vulgata.

II. Licet autem ex variis Sacræ Rituum Congregationis Decretis, ſi contingat anniverſaria dies in Feſto celebrari, debeat transferri in alias ſequentes, ſciendum tamen, translato anniverſario ob Feſtum de præcepto, recitandam eſſe Orationem prout in Miſſali, non omiſſis ſcilicet illis Orationis verbis, *cujus anniverſarium depoſitionis diem commemoramus*, ut in una memoratorum Canonicorum Regularium Lateranenſium cenſuit Sacra Rituum Congregatio IV. Maji anni MDCLXXXVI apud Meratum in Gavantum Parte I. Tit. v. ubi etiam notat, quod, licet in Feſtis de præcepto anniverſarium Defunctorum cum ſolemni Miſſa celebrari nequeat, poſſit tamen hoc fieri in Feſtis duplicibus.

CAP. XXXVII.

Anniverſarium omnium Epiſcoporum quotannis in Cathedrali faciendum. Quomodo Epiſcopus Miſſæ huic aſſiſtat, & Abſolutio facienda ſit vel ab Epiſcopo, vel a Celebrante.

§. I.

Aliquo die non impedito infra octavam Defunctorum, arbitrio Epiſcopi, Canonicus aliquis, ſeu Dignitas Eccleſiæ Cathedralis celebrabit Miſſam pro animabus omnium Epiſcoporum, & Eccleſiæ Cathedralis Canonicorum defunctorum cum paramentis nigris, & Cæremoniis, prout ſupra dictum eſt; cui Miſſæ Epiſcopus præſens erit cum Cappa; & in fine, ſi voluerit, poterit, imo debebit, depoſita Cappa, & accepto Pluviali, abſolvere, prout dicitur Capite præcedenti.

COMMENTARIUS.

I. LEgitur in Romano Ordine XIV. Cap. c. Alexandrum Papam IV. de Fratrum ſuorum unanimi conſenſu & aſſenſu ſtatuiſſe, anniverſarium Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontificum, & Cardinalium defunctorum Nonis Septembris annis ſingulis, Veſperis, & Vigiliis pro Defunctis cum novem lectionibus decantatis, ſolemniter celebrandum, eoque die, quo Pontifex ipſe ſolemniter Miſſam pro Defunctis celebraret, ducentos ab eodem pauperes, & vigintiquinque a quolibet Cardinale reficiendos. Quod de hoc anniverſario Nonis Septembris celebrando ſtatuit Alexander, ſervari ſolitum quidem fuit poſt laudatum Romanum Ordinem XIV. *ſingulis annis aliquo die poſt diem Commemorationis omnium fidelium Defunctorum*, ut teſtatur Patricius Lib. II. Cæremonialis, Sectione II. Cap. XXXIV. tunc enim, ut idem ait, *ſolebant Summi Pontifices..... Miſſam publicam pro omnibus Summis Pontificibus, & omnibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus defunctis in Capella Apoſtolica coram ſe, & ſacro Collegio celebrari facere more ſolito, ut ſupra in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum dictum eſt.*

II. Quum autem hæc diſciplina, quæ alias noſtro hoc ævo vigebat adhuc pro ſolis defunctis Cardinalibus, abolita omnino eſſet pro ſummis Pontificibus defunctis, Benedictus Papa XIII. veterum rituum inſtaurator in ſua Romana Synodo anni MDCCXXV. Tit. XV. Cap. IV. antiquum pium ipſum commendans uſum, atque diſpoſitioni etiam inhærens Capitis hujus noſtri Cæremonialis, dignum, & congruum arbitratus eſt, ut priſca reſumeretur conſuetudo, & ſolemne pro ſummis eiſdem Pontificibus perpetuum anniverſarium ab eo, quod pro Cardinalibus agitur, omnino diſtinctum, coram etiam Pontifice, & ſacro ipſo Collegio de more, prout in Papali Cæremoniali cavetur, prima die poſt fidelium Defunctorum Commemorationem agatur; idque ſimiliter intra eandem octavam celebrari ſtatuit, ac mandavit. Tum vero Capite ſequenti edixit, quod de celebrandis anniverſariis in Civitate, ac Dioeceſi, uno ſcilicet pro Epiſcopo proprio proxime defuncto, altero vero pro omnibus Defunctis Epiſcopis propriæ ſcilicet Dioeceſis, dictum a nobis fuit ſupra Cap. XXXVI. in Commentario ad §. I.

III. At

Digitized by Google

III. At vero quum Synodus ipsa Romana ad nostrum Cæremoniale se referat, servandum plane illud est, quod in hoc §. præscribitur, ut scilicet *aliquo die non impedito, infra Octavam Defunctorum arbitrio Episcopi Canonicus aliquis, seu Dignitas Ecclesiæ Cathedralis* celebret *Missam pro animabus omnium Episcoporum, & Ecclesiæ Cathedralis Canonicorum Defunctorum cum paramentis nigris, & cæremoniis &c.* Sequitur porro noster hic §. disciplinam laudati superius Romani antiqui Ordinis XIV. ac etiam Cæremonialis Patricii, ex quorum præscripto anniversarium unum quidem celebratur pro defunctis Summis Pontificibus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, licet hodie, uti dictum est, distinctum sit ex Decreto Romanæ Synodi Benedicti XIII. anniversarium pro Pontificibus summis celebrandum ab anniversario Cardinalium.

IV. Hæc distinctio servata quoque fuit ab ipso Benedicto, quum ante Pontificatum Maximum, Beneventanam Ecclesiam regens, in Provinciali Concilio, quod egit anno MDCXCIII. duo quidem diversa statuit anniversaria, pro Episcopis unum, & alterum pro Canonicis. Ergo Tit. XXVIII. postquam Cap. XVI. edixit, ut pro omnibus Episcopis defunctis Beneventanæ Provinciæ postridie Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum in Ecclesiis Cathedralibus ab Episcopis, eorumque Capitulis, ritu solemni, cum Missa, & Absolutione anniversarium celebraretur, ita deinde Cap. XVII. statuit: *Die proxime sequenti alterum anniversarium pro Canonicis, & aliis de Capitulo defunctis a singulis Capitulis, & Collegiis sub pœnis arbitrio Episcopi infligendis peragatur.* Idipsum statutum est plane ex aliis compluribus Synodis, quas recensere hoc loco supervacaneum est.

V. Quidquid autem sit de hac re, unum ex præscripto nostri §. celebrandum est anniversarium arbitrio Episcopi, sed aliquo die non impedito, infra octavam Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum tam pro Episcopis, quam pro Canonicis defunctis cum Missa solemni ab aliquo Canonico, seu Dignitate Ecclesiæ celebranda; *cui Missæ Episcopus præsens erit cum Cappa; & in fine si voluerit, poterit, imo debebit, deposita Cappa, & accepto Pluviali, absolvere &c.* Verba ipsa, *imo debebit*, desiderantur in antiquis Cæremonialibus, nostroque huic §. adjuncta fuere in novo Cæremoniali, quod nos a Benedicto XIII. emendatum explicamus. Ex illo autem additamento addiscimus, nisi legitime impeditus fuerit Episcopus, debere ipsum Absolutionem facere.

§. II.

Quod si Episcopus hujusmodi Missæ præsens non erit, vel absolvere nequiverit, Celebrans, finita Missa, accedet ad cornu Epistolæ Altaris, ubi in plano deposita Planeta, & Manipulo, accipiet Pluviale nigrum, & stans in dicto cornu Epistolæ, versus ad Altare, expectabit finem Responsorii, & interim Clerici, seu alii extendent pannum nigrum ante gradus Altaris, vel portabunt illuc lecticam mortuorum, nisi alias a principio Missæ fuerit accomodata.

COMMENTARIUS.

I. A Deo Episcopus præsens hujusmodi Missæ anniversariæ, quæ pro omnibus Episcopis, & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ defunctis celebratur, absolutionem ipse facere debet, ut ubi in antiquis Cæremonialibus legebatur, *si præsens non erit, vel absolvere noluerit*, verbum *noluerit* in hoc novo Cæremoniali correctum est, ejusque loco appositum, *nequiverit*, ad denotandum scilicet, Episcopum Missæ ipsi præsentem, debere ipsum Absolutionem facere, modo illam peragere valeat; nam alias ex nostro §. *si præsens non erit, vel absolvere nequiverit, Celebrans, finita Missa*, nempe usque ad ultimum Sancti Joannis Euangelii, non vero dicto, *Placeat &c.* ut ait Bauldryus in Appedice ad Partem V. Manualis, Cap. XXXVII. Num. II. *accedet ad cornu Epistolæ Altaris, & in plano deposita Planeta, & Manipulo, accipiet Pluviale nigrum &c.* ut in hoc nostro §. & in Rubricis Missalis, Parte II. Tit. XIII. quas fuse explicant Gavantus in easdem Rubricas, Bauldryus in suo Manuali, & novissime Meratus ad ipsum Gavantum.

§. III.

Quando per Cantores repetitur Responsorium, post Versiculum, *Requiem æternam &c.* accedet Cæremoniarius ad Episcopum, si aderit, cum thuribulo, & ministrante naviculam Presbytero assistente, Episcopus imponet thus in thuribulum cum benedictione solita, quod Cæremoniarius portabit ad Altare, & alicui Capellano Celebrantis consignabit, tenendum juxta cornu Epistolæ Altaris, ubi etiam alius Capellanus tenet vas aquæ benedictæ cum asperiorio.

Digitized by Google

§. IV.

Si vero Episcopus præsens non erit, ipse Celebrans imponet thus in thuribulum, ministrante naviculam Diacono.

COMMENTARIUS.

I. PRæsente Episcopo Missæ prædictæ, *quando per Cantores repetitur Responsorium, post Versiculum*, Requiem æternam &c. *accedet Cæremoniarius ad Episcopum cum thuribulo, & ministrante naviculam*, a dexteris scilicet, & sine oculis, ex Capite XI. §. XII. *Presbytero assistente, Episcopus imponet thus in thuribulum cum benedictione solita &c.* ut in nostro præsenti §. III. *Si vero Episcopus præsens non erit*, ex sequenti §. IV. *ipse Celebrans imponet thus in thuribulum, ministrante naviculam Diacono*; qui scilicet una cum Thuriferario, facta genuflexione Altari, accedit ad dexteram Celebrantis, eique naviculam ministrans dicit, *Benedicite Reverende*. Respondens tunc autem Celebrans, *Ab illo Benedicaris &c.* thus more solito benedicit, facto signo Crucis manu, ter de more imponens in ipsum thuribulum.

§. V.

Incœpto *Kyrie eleison*, surget Episcopus, detecto capite; Celebrans vero, dicto ultimo *Kyrie eleison*, stans detecto capite in dicto cornu versus ad Altare, dicet intelligibili voce, *Pater noster*, quod secrete complebit; & interim accedet ad medium Altaris, & versus dictum pannum, seu lecticam mortuorum, ministrante Diacono aspersorium, asperget ter super eundem pannum, seu lecticam; tum ministrante eodem Diacono thuribulum, simili modo ter thuribulum ducens, pannum, seu lecticam thurificabit; deinde conversus ad Altare, ex Libro super illud posito, in eodem cornu Epistolæ dicet Versiculum, *Et ne nos inducas &c* & alios Versiculos, & Orationem, & in fine Versiculum, *Requiem æternam dona eis Domine &c.* & dicto per Cantores Versiculo, *Requiescant in pace*, Celebrans redibit in Sacristiam ad se exeundum.

COMMENTARIUS.

I. QUi Ritus servandus sit ab Episcopo, ubi ipse Absolutionem facit, dictum abunde superius fuit, Cap. XI. §. XII. Quantum autem ad hunc §. nostrum *incœpto* Kyrie eleison, *surget Episcopus detecto capite*; *Celebrans vero, dicto ultimo* Kyrie elison, *stans detecto capite in dicto cornu versus ad Altare, dicit intelligibili voce*, Pater noster, *quod secrete complebit &c.* ut in ipso §. nostro, sed videsis laudatos Meratum, & Bauldryum, qui per singulas partes ritum hunc absolvendi enarrant. Porro in exequiis Defunctorum, præsente Cadavere, antequam Cantores intonent, *Libera me Domine &c.* Absolvens recitat Orationem illam, quæ habetur in Rituali Romano, & incipit: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine &c.* quæque semper eodem modo dicenda est, etiam si defuncta femina absolvatur, vel plures mortui; non enim in his casibus dicendum est, *cum serva tua Domine*, vel *cum servis tuis*, uti jam declaravit Sacra Rituum Congregatio in Fanen. XXXI. Augusti MDCXCVII.

II. Sed neque in præsenti hoc Commentario omittendum illud, si elevetur in aliquo Altari Sanctissimum Sacramentum, dum fit Absolutio alicujus Defuncti, ex Gavanto in Rubricas Missalis Parte II. Tit. XIII. nec Celebrantem, neque Ministros genuflectere debere, ne sacra interrumpatur actio; rectiusque fieret, si in ea elevatione pulsatio campanulæ omitteretur a ministro, qui Missæ inservit; neque enim Tonnellio adhæreo, aut Quarto, quorum alter in eo casu vult Sacerdotem cum Ministris debere genuflectere, nisi aspergat, vel incenset tumulum, aut dicat ℣. & orationem; Quartus vero docet, in ipsas Missalis Rubricas Parte II. Tit. XIII. in simili casu geneflectendum omnino esse a Sacerdote, licet actu aspergat tumulum, vel incenset. Sed placet sententia Gavanti, quam etiam in praxi vidi in Ecclesiis servari, ubi scilicet in Absolutione Defunctorum elevari contigit Sanctissimum Sacramentum in aliquo Altari. Atque hæc satis sint pro explicatione hujus §. in quem etiam notare lubet, pannum nigrum, seu lecticam mortuorum, non poni hodie ante gradus Altaris, sed in medio Ecclesiæ collocari molem ligneam lugubri, eleganti apparatu vestitam, atque ornatam cum variis imaginibus mortis, & candelabris argenteis cum multis cereis; de qua mole variis nominibus vulgo appellata jam nos supra non nihil etiam diximus, Libro II. Cap. XI. & Capite XII.

CAP. XXXVIII.

Digitized by Google

CAP. XXXVIII.

Episcopi ægrotantis quæ cura, & studia esse debeant. Fidei professionem emittat. A quo, & quomodo sacrum Viaticum suscipiat. Veniam petat de negligentiis coram Capitulo, Parochis, & Curatis, & rursus Fidei professionem faciat. Commendet eis Ecclesiam, & pauperes, & bonum Successorem adprecetur. Ecclesiæ res, & scripturas manifestet. Viri Religiosi ad ejus agonem assistant. Preces dicendæ statim ac vita excesserit. Quæ præstanda a Familiaribus circa defuncti corpus. Induatur vestibus omnibus Pontificalibus violaceis. Ubi exponendum sit ejus cadaver. Religiosi Mendicantes per ordinem in ejus funere Vigilias Defunctorum cantent, & Prior eorum Absolutionem faciat. Ordo deferendi ejus corpus ad Ecclesiam. Octava, vel alia die Exequiæ cum quatuor Absolutionibus celebrentur. Processiones, & preces habendæ pro futuro Successore. Ad nuntium novi Electi gratiæ Deo agendæ, & Hymnus Te Deum *in Ecclesia cantandus.*

§. I.

Licet Episcopus tanquam bonus Pastor, & diligentissimus Villicus omni tempore paratus esse debeat ad reddendam rationem Domino suo de ovibus sibi commissis, & de suæ administrationis officio, id tamen diligentiori cura, & studio peragere debet, dum ægrotat, quasi extremæ vitæ suæ diei vicinior. Nam etsi semper mortis periculum mortalibus immineat, propinquiores tamen morti sumus, dum ægrotamus.

COMMENTARIUS.

I. MUlta quæ & in hoc Capite Cæremoniale nostrum præscribit de ægrotatione, morte, funere, & exequiis Episcopi, desumta sunt plane ad literam ex Cæremoniali Augustini Patricii Lib. 1. Sectione xv. Cap. 11. quod inscriptum est, *De ægrotatione, morte, & exequiis Romani Pontificis*, ubi paulo post initium ita quidem Cæremoniale ipsum Papale subjicit: *Sit igitur semper Pontifex paratus ut bonus Pastor, solertissimus Vicarius, & diligentissimus Villicus rationem reddere Domino suæ administrationis, & cupiens dissolvi, & esse cum Christo, cum Martino Turonensi clamet, & dicat:* Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua; *curetque eo majori studio &c.* ut mox infra.

§. II.

Curet igitur Episcopus, ut quanto magis dignitate cæteris præest, eo majori studio ultimum hujus vitæ actum, quo solo coronari electi solent, cum laude perficiat. Quod si, dum ægrotat, tanquam homo morbi periculum non agnosceret, Medici, Domestici, Familiares, & præcipue ejus Confessarius, secrete, & summa cum reverentia, & charitate, eum de discrimine vitæ, in quo versatur, moneant; & hortentur, ut voluntati divinæ non invitus adhæreat, & quæ ad animæ salutem pertinent, peragere curet. Nam Episcopum decet, non solum verbo, sed etiam opere, & exemplo, usque ad extremum vitæ spiritum alios docere, & ad viam salutis dirigere. Medici vero, & Familiares, quæ ad corporis salutem pertinent, diligentissime curent, & polliceantur Episcopo, se, quantum humuna potest industria, facturos, ut, si fieri poterit, pristinam sanitatem recuperet.

COMMENTARIUS.

I. PErgit loco citato Patricius, & de Summo Pontifice ægrotante loquens, post quam dixit, quod nos in præcedenti Commentario nostro jam adnotavimus, curandum scilicet Podtifici *eo majori studio, quo ceteris omnibus præest, ut ultimum actum, quo solo coronari electi solent*; tum ita subdit: *Quod si forte non agnosceret, dum ægrotat, morbi periculum, medici, qui illius curam gerunt, cum de ejus salute dubitare cæperint, prudentibus verbis eum admoneant, semotis arbitris, hortenturque ad ea peragenda, quæ ad animæ suæ salutem*

Digitized by Google

lutem pertinent, polliceantur se omni studio acturos quæ spectant ad corporis sanitatem; aperiant eidem Confessori Pontificis, qui verbis apertioribus, secrete tamen, & summa reverentia, & charitate moneat Pontificem, in quo sit descrimine; hortetur, ut voluntati divinæ non invitus adhæreat, cogitet quem locum teneat; oportereque, ut alios Principes verbo, & exemplo ad viam salutis deducat. Hæc Patricius, cujus non modo sensum, sed & omnia pene verba ipsa usurpavit hic noster præsens §. imo & totum hoc nostrum Cæremoniale, uti in decursu Operis ostensum est.

II. Notandum vero hic illud est nobis, quod Episcopo morbo laborante, tenetur Medicus, etiamsi morbi periculum non agnosceret, eum initio morbi monere, ut saltem pœnitentiæ Sacramentum suscipiat, juxta Decretum Concilii IV. Oecumenici Lateranensis relatum in Capite, *Cum infirmitas, De pœnitentiis, & remissionibus*, & in multis sequioribus Synodis confirmatum, præsertim vero in Ravennatensi II. Rubrica XV. ubi Patres ita inquiunt: *Monemus insuper omnes Medicos, quod quando vocati fuerint ad infirmos, non ulterius redire audeant, nec curare eosdem, nisi prius eis constiterit, quod ipsi infirmi prædicti Medicum advocaverint animarum, & eis fuerit de animarum salute provisum.* Extat ea in re celebris Constitutio S. Pii V. quæ incipit, *Super gregem*, edita die VIII. Martii anno MDLXVI. confirmata in multis Conciliis, & inter alia in Lateranensi Benedicti Papæ XIII. anno MDCCXXV Tit. XXXII. Cap. I. ubi ultra pœnas alias excommunicatio proponitur adversus Medicos tertio visitantes infirmos post decubitum non confessos. Sed hasce pœnas parvipendere Medici complures videntur, qui falsa spe allicientes infirmos, eos sine Sacramentis mori sinunt, uti quotidiana experientia nos docet.

§. III.

His verbis, & hortationibus excitatus Episcopus ægrotans, vel, quod melius esset, sua sponte, cum extremum diem suum appropinquare cognoverit, primo peccata sua Confessario diligentissime confiteatur, deinde tempore congruo sacrum petat Viaticum, & antequam communicet, indutus Rocchetto, & Stola, præsente Sanctissimo Christi Corpore, profiteatur Catholicam Fidem, ex formula ab Apostolica Sede præscripta, quam affirmet, se semper inconcusse, & firmiter tenuisse, & credidisse, seque in ea velle vivere, & mori, cum Deo placuerit.



§. IV.

Tum majori, qua poterit, devotione, & humilitate, sacrum sumat Viaticum, quod illi deferat prima Dignitas, comitante Capitulo, & toto Clero Cathedralis Ecclesiæ

Digitized by Google

siæ in habitu Ecclesiastico, & cum candelis accensis; & si fieri potest, Magistratus deferat baldachinum; moneatque Episcopus Sacristam, seu Curatum, ut cum tempus erit, extremæ Unctionis Sacramentum sibi administret, & animæ commendationem faciat.

COMMENTARIUS.

I. EAdem, quæ hic noster §. & iisdem pene verbis, si pauca excipias, affert in suo Cæremoniali Patricius, sic dicens: *Pontifex sua sponte, quod melius erit, vel saltem his monitionibus excitatus, cum ultimum diem appropinquare cognoverit, primum peccata sua Confessori diligentissime confiteatur, petatque ab eo plenariam Indulgentiam, deinde tempore congruo jubeat, ad se vocari Prælatos domesticos, & principales familiæ suæ, & præsente sacratissimo Christi Corpore, primum confiteatur, & Catholicam Fidem, quam affirmet se semper inconcusse, & firmiter tenuisse, & in ea velle vivere, & mori, cum Deo placuerit.* Pergit Auctor laudatus, aliaque tradit, quæ ordine paululum inverso in nostro hoc Capite descripta sunt: *Tum petat veniam ab omnibus, si quem forte injuste offenderit, largiatur eis aliquas gratias spirituales; roget, ut orent Deum pro anima sua, & petat a Sacrista, vel ab aliis Prælatis, ut tunc sacratissimum Viaticum recipiat, ut, cum tempus eis videbitur, alia Ecclesiæ Sacramenta sibi administrent.* Hactenus in suo Cæremoniali Papali Augustinus Patricius Lib. I. Sectione XV. Cap. II.

II. Sed ut explicemus nunc nostros Paragraphos, ubi Confessarius, aliique notati in II. §. hortati sunt Episcopum, ut voluntati divinæ non invitus adhæreat, & quæ ad animæ salutem pertinent, peragere curet: *his verbis, & hortationibus excitatus Episcopus ægrotans, vel, quod melius esset, sua sponte, cum extremum diem suum appropinquare cognoverit, primo peccata sua Confessario diligentissime confiteatur.* Verba sunt nostri §. III. Verum licet non adsit mortis periculum, ut supra jam dictum est, initio infirmitatis, tertiam post visitationem monitus a Medico infirmus confiteri peccata sua debet. Quod autem præsertim *ab infirmis in mortis periculo positis per Presbyteros pura inquirenda est Confessio*, edicunt Pœnitentiale Theodori Cantuariensis Archiepiscopi, & inter alia, quæ afferri hic possent, Concilium Moguntinum anni DCCCXLVII. Can. XXVI.

III. Facta Confessione, cautum & illud est ex nostro §. III. ut Episcopus *deinde tempore congruo sacrum petat Viaticum, &, antequam communicet indutus Rocchetto, & Stola, præsente sanctissimo Christi Corpore, profiteatur Catholicam Fidem &c.* Corrigenda itaque Figura est, in qua contra præscriptum nostri §. imo & sacrorum Canonum, ac Ritualium ordinationes, cernitur Episcopus communicare domestica veste indutus sine Rocchetto, & Stola; cernitur quoque pileolum in capite habere, quem tamen tunc deponi deceret, si fieri possit, ob reverentiam Sanctissimi Sacramenti. Præmissam vero fuisse olim sacro Viatico Fidei professionem, edocent varii mss. Codices Rituales allati a Martenio Libro I. *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, Cap. VII. Articulo IV. Appellatur autem Eucharistia *Viaticum*, nec immerito, tum quia illo sacro cibo in hujus seculi peregrinatione reficimur, tum etiam quia ex hac vita ad alteram profecturis dispensatur contra invisibiles fidei hostes, uti addiscimus ex antiqua formula, quæ hodieque legitur in Rituali Romano, ubi ægrotanti periculose Eucharistia ita præbetur: *Accipe Frater Viaticum Corporis Domini Nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat in vitam æternam. Amen.*

IV. Cur autem Sacra Eucharistia Viaticum appelletur, exponit Paschasius in Tractatu, *De Corpore, & Sanguine Domini*, Cap. IX. dicens: *Hoc Mysterium nonnunquam Viaticum appellatur, quia, siquis illo fruitur in via, pervenit ad vitam, quam jam in se habet.* Utuntur & eo vocabulo Capitularia Caroli Magni, Lib. VII. Cap. CXXXVIII. *De his, qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicare; quod morientis sufficit consolationi secundum definitiones Patrum, qui hujuscemodi Communionem congruenter Viaticum nominaverunt.* Sed audiamus S. Thomam, qui Parte III. Quæstione LXXIII. Articulo IV. vocabulum illud ita explicat: *Hoc Sacramentum est præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in patria; & secundum hoc dicitur Viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi.* Plura de ea voce videri possunt apud Dufresne in suo mediæ, & infimæ Latinitatis Glossario; sed prætermissum nolo, nomine scilicet Viatici in Conciliis, & Patribus, sæpe intelligi Pœnitentiæ Sacramentum, præsertim vero in Can. XIII. Concilii I. Nicæni, & in Epistola Innocentii Papæ I. ad Exuperium Tolosanum Episcopum, Cap. II.

V. Quod Fidei professionem spectat a morituris eliciendam, ex antiquo Ecclesiæ instituto tradit Rituale ipsum Romanum, de modo juvandi infirmos, sic inquiens: *Deinde hortetur infirmum, & excitet, ut, dum mente viget, eliciat actus Fidei &c.* Consuevisse Sanctos illam sibi describi, sibique in manu post mortem poni, atque cum ea sepeliri, ex multis plane exemplis liquet. De S. Joanne Gualberto scribit ejus Vitæ Auctor ad diem XII. Julii, quod cum ad exitum appropinquaret, fecit hæc in breviculo scribi, & præcepit in sua manu poni post mortem, sibique consepeliri, nempe: *Ego Joannes credo, & confiteor Fidem, quam sancti Apostoli prædicaverunt, & Sancti Patres in quatuor Conciliis confirmaverunt.* Beatum Joannem Columbinum Jesuatorum Ordinis institutorem Fidem Catholicam,

Digitized by Google

cam, quam moriens profeſſus eſt, in acta publica redigi curaviſſe, teſtatur jam in ejus Vita Belcarius, Cap. LXXVI.

VI. Præter exemplum ſancti Petri Martyris inter vulnera, atque immanes cædis cruciatus, Apoſtolorum Symbolum pronunciantis, egregia profecto fuit S. Amati Epiſcopi, quam moribundus protulit, publica Catholicæ Fidei denunciatio. Juſſit enim, ut ſe audiente, ac vultu, oculis, nutuque firmante, de ſcripto legeretur celebris illa Magni Leonis Pontificis Maximi Epiſtola XII. ad Flavianum; meritoque eam potiſſimum elegit, qua veri dogmatis ſeriem fateretur, quandoquidem tanti illam æſtimavit antiquitas, ut de ejus vel apice ambigentem anathemate feriendum jam olim ſanxerit Gelaſius Pontifex Maximus. Miſſa facio alia exempla, ſed minime ſilentio prætereundum illud Beati Bonifacii Epiſcopi Lauſanenſis factum, qui, ut in ipſius Vita legitur apud Bollandianos ad diem XIX. Februarii: *Cum appropinquaret termino vitæ ſuæ, petiit textum Euangelii ſecundum Joannem, quem cum teneret, manu ſua amplexatus eſt Librum dicens*: Hæc didici, in his vixi, denique hæc ſunt, in quæ credo, & ſpero, ac deſidero mori. *Quod non multo poſt, ut optaverat, evenit.*

VII. Ex noſtro §. III. profiteri debet Epiſcopus moriens, *præſente Sanctiſſimo Chriſti Corpore, Catholicam Fidem ex formula ab Apoſtolica Sede præſcripta, quam affirmet &c.* juxta ritum ſcilicet, qui a Summis Pontificibus morituris ex præſcripto Romani Cæremonialis, quod concinnavit Patricius, cujus locum ſuperius deſcripſimus. Porro facta Fidei profeſſione, juxta formulam ſcilicet a Pio IV. præſcriptam, *tum majori, qua poterit, devotione*, inquit noſter §. IV. *ſacrum ſumat Viaticum, quod illi deferat prima Dignitas &c.* Spectare ad primam Dignitatem miniſtrare Sacramenta Epiſcopo decumbenti, eoque defuncto, Officia celebrare, una cum Rubrica noſtri Cæremonialis conveniunt paſſim Doctores, quos citat Scarfantonus in Ceccoperium Parte III. Additione VII. ubi inter alia ſcite notat, id quidem procedere etiamſi in Eccleſia Cathedrali adeſſet Canonicus exercens curam animarum, quique ſolitus eſſet adminiſtrare Sacramenta Canonicis decumbentibus in propriis domibus; quia ſcilicet hoc non procederet reſpectu Epiſcopi, licet ſit caput Capituli, & cum eo unicum corpus conſtituat. Sed neque ſuffragari tunc poſſe contrariam conſuetudinem, attenta Cæremonialis clauſula, quæ irritat contrarias conſuetudines, idem Scarfantonus notat, probatque ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis in Gerunden. XI. Februarii, MDCCII. Propoſito enim inter alia hujuſmodi Dubio, quamquam allegaretur contraria conſuetudo, prodiit Reſponſum: *Servetur Cæremoniale in omnibus.*

VIII. At vero licet ex noſtro Cæremoniali ad primam ſpectet Dignitatem ſacro Viatico reficere Epiſcopum morientem, ſtatuit, nihilominus Concilium Provinciale XIV. Beneventanum anni MDCXCIII. ſub Vincentio-Maria Cardinali Urſino, qui fuit poſtea Benedictus XIII. ſtatuit, inquam Tit. XXVIVI. Cap. XII. ut *Epiſcopo morti proximo, tres primi de Capitulo præſentes vicinum Epiſcopum .... invitent, qui ſtatim veniat, quique ſi vivum Epiſcopum deprehenderit, qua par eſt, charitate conſoletur, & pro opportunitate Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis conferat Sacramenta, eaque omnia præſtet, quæ ad animæ ſalutem eo tempore requiruntur.* Hanc fuiſſe antiquam Eccleſiæ diſciplinam docet nos exemplum S. Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi cujus felicem exitum ita in ejus Vita Paulinus ejus Diaconus narrat: *Honoratus Sacerdos Eccleſiæ Vercellenſis... deſcendens obtulit Sancto Domini Corpus, quo accepto, ubi deglutivit, emiſit ſpiritum.* Celeberrimum exemplum eſt S. Paulini Nolani Epiſcopi, qui, teſte Uranio, morti cum proximus eſſet, Symmachum, Benedictum, & Hiacintium Epiſcopos, *quaſi profecturus ad Dominum juſſit ſibi ante lectum ſuum ſacra myſteria exhibere, ſcilicet, ut una cum ſanctis Epiſcopis oblato Sacrificio animam ſuam Deo commendaret.*

IX. Occurrunt paſſim hujuſmodi exempla in Vitis Sacrorum Epiſcoporum, ſed ſtandum noſtro §. IV. ex cujus præſcripto deferendum eſt Sacrum Viaticum ad Epiſcopum graviter ægrotantem per primam Capituli Cathedralis Dignitatem, ſed tamen, ut ait idem noſter §. IV. *comitante Capitulo, & toto Clero Cathedralis Eccleſiæ in habitu Eccleſiaſtico, & cum candelis accenſis; & ſi fieri poteſt, Magiſtratus deferat Baldachinum.* Ipſe vero Epiſcopus Viaticum ſumturus *indutus Rocchetto, & Stola*, albi ſcilicet coloris, detecto capite, & humili, ac pio cordis affectu ſacram Communionem ſumet, præparata jam prope lectulum loco congruo credentia linteo mundo cooperta, cum floſculis inter candelabra cum cereis, Crucifixi, vel alicujus ſancti Imaginem in medio habente, tapeto quoque in terram ſtrato, omnibuſque, ut decet, ad excipiendum tantum hoſpitem, Chriſtum ſcilicet Dominum bene diſpoſitis, ut notat Caſtaldus in ſua Cæremoniarum Praxi Lib. I. Sectione X. Cap. XII. ubi etiam Rocchetto, & Stolæ, quibus ex noſtro §. III. indutus eſſe debet Epiſcopus, Mozzettam adjungit, ſed ſtandum eſt ipſi noſtro §. ubi nulla fit mentio Mozzettæ, ſicut nec in Vita S. Caroli, ubi agitur de Viatico ab eo ſumto; ejus enim Auctor Carolus a Baſilica Petri Lib. VI. Cap. VIII. Sanctum Antiſtitem accepiſſe Sacroſanctum Viaticum *linea veſte*, ideſt Rocchetto, *ac Stola collo inducta*, affirmat.

X. Poſt acceptum Viaticum, monere tandem Epiſcopus debet *Sacriſtam, ſeu Curatum, ut, cum tempus erit, extremæ Unctionis Sacramentum ſibi adminiſtret &c.* Quod dicitur hic de Sacriſta, acceptum plane & iſtud eſt ex Cæremoniali Papæ, Auctore Patricio, ubi de ægrotatione Papæ agens, diſerte edicit, ut *Sacriſta in tempore extremam Unctionem, & commendationem animæ faciat.* Puto equidem, licet proprie ſit minus Curati extremam Unctionem morienti

Digitized by Google

rienti præbere, cum tamen utriuſque, & quidem disjunctive mentio in noſtro §. fiat, Sacriſtæ ſcilicet, ſeu Curati, iccirco eſſe in arbitrio Epiſcopi, ab uno, vel altero Unctionem extremam accipere. Forte §. noſter Sacriſtæ meminit, quod in Cæremoniali Patricii, ex quo noſtrum Cæremoniale compactum eſt, Sacriſta extremam Unctionem morienti Papæ miniſtrat.

XI. Quidquid ſit, licet hodie ex Ritualium præſcripto extrema Unctio poſt Viaticum accipiatur, evidentiſſime tamen inter alios oſtendit Martenius Lib. I. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. VII. Articulo II. Num. III. conſueviſſe olim inungi ſacro Oleo infirmos ante Viaticum. Dolendum plane non quod mutata ſit hæc diſciplina, ſed quod ſummo abuſu extrema Unctio adeo differtur, ut nonniſi ſemimortuis conferatur. Anſam huic abuſui pluribus jam ab hinc ſeculis dediſſe inter alia avaritiam, & cupiditatem Parochorum, qui multum exigebant ab ungendis, adeo ut vix aliquando pauperes hujus Sacramenti fierent participes, docet Reinerius inſignis Ordinis Prædicatorum Theologus, qui floruit poſt medium XIII. Seculum. Is enim in Libro, quem adverſus Waldenſes ſcripſit, Cap. v. notat, eos Sacramentum hoc reprobaſſe, quod tantum divitibus daretur, nulli autem *ſine pretio*. Tum vero mox addit: *Item quidam prædicant, nulli Sacramentum hoc debere dari, niſi qui poſſit habere ſaltem duas vaccas, unde pauperes graviter ſcandalizantur. Item dicunt, quod duodecim luminaria ſunt neceſſaria in unctione.*

XII. Eandem Sacerdotum cupiditatem notavit Guillelmus Majoris Epiſcopus Andegavenſis in Statutis Synodalibus anni MCCXCIV. & leguntur Tomo XI. Specilegii Dacheriani, ubi hæc habet: *Accepimus, referentibus fide dignis, quod dictum Sacramentum, ſine quo, ut dicunt Sancti, periculoſum eſt ex hac vita migrare, ex quadam negligentia omittitur; imo, ut verius loquamur, ex Sacerdotum rapacitate, & avaritia, qui in collatione hujus Sacramenti novas, & inſolitas exactiones inducunt aliunde, petendo linteamina, quibus jacens inungitur ægrotans.* Nullum plane Sacramentum video, quod Parochorum rapacitas, cupiditaſque non conſpurcaverit. Niſi hujuſmodi homines coerceantur, & ab Eccleſia prorſus eliminentur, anſam hæreticis dabimus ſemper, & Sacramenta irridendi, & Cathocam Religionem calumniandi.

§. V.

Convocet deinde Canonicos, Parochos, & Curatos omnes, dum adhuc ſenſus corporis integri ſunt, & coram eis profiteatur iterum Catholicam Fidem ex prædicta formula; petat veniam de negligentiis, & imperfectionibus ſuis, & ſi quemquam unquam in ſua adminiſtratione offenderit, roget, ut orent Deum Omnipotentem pro anima ſua; commendet illis Eccleſiam, Pauperes, Viduas, Orphanos, & loca pia; memoret eis, ut donec de Succeſſore provideatur, continuas preces ad Deum fundant, ut eis bonum Paſtorem concedere dignetur, qui eos uberius, quam ipſe fecit, paſcere noverit.

§. VI.

Aperiat etiam eis debita, & credita Eccleſiæ, ſi quæ ſunt; & notificet ſcripturas, jura, & actiones ejuſdem Eccleſiæ; condat, ſi velit, & ſi habeat ab Apoſtolica Sede facultatem, teſtamentum, & eligat ſibi ſepulturam.

COMMENTARIUS.

I. COnſona & hæc ſunt iis, quæ de ægrotante Papa ſcribit Patricius Lib. I. Sectione XV. Cap. II. ubi ita ait: *Convocet poſthæc, dum ſenſus integri ſunt, ſacrum Cardinalium Senatum; profiteatur iterum Catholicam Fidem; petat veniam, ſi in ſua adminiſtratione quempiam injuſte offenderit. Roget, ut orent pro anima ſua; commendet eis Eccleſiam Dei.* Tum ubi edixit, hortari eum illos debere, ut in electione Succeſſoris diligentes ſint, & unanimes, & talem eligant, qui Chriſtianos uberius, quam ipſe paverit, paſcere noverit, & ſi ei videbitur, nominare unum, vel plures, quos ſuo judicio magis idoneos arbitretur; ita ſubjicit: *Aperiat etiam eis debita, & credita ſi qua ſunt, & ſimiliter ſcripturas, pecunias, & gemmas, ac precioſa quæque manifeſtet, condat teſtamentum, & eligat ſepulturam.* Hæc ſunt, quæ docet in ſuo Cæremoniali Patricius, & hæc pariter ſunt, quæ paucis mutatis in noſtris præſentibus hiſce Paragraphis notantur.

II. Ergo convocabit Epiſcopus Canonicos, Parochos, & Curatos omnes, & quidem, ſi fieri poſſit, Dioeceſis ſuæ, dum adhuc ſcilicet ſenſus corporis integri ſunt, & poſtquam coram eis profeſſus eſt iterum Catholicam Fidem ex prædicta formula, quæ habetur ſcilicet in Conſtitutione LXXXVIII. edita a Pio Papa IV. anno MDLXIV. petet *veniam de negligentiis, & imperfectionibus ſuis, & ſi quemquam unquam in ſua adminiſtratione offenderit*, rogabit, *ut orent Deum omnipotentem pro anima ſua*. Eſt ritus, qui hodieque

Digitized by Google

vel ab ipsis laicis morituris servatur, & a Principibus etiam Viris, qui in extremo constituti veniam ab aulicis, & subditis suis, petere solent. Quantum ad Episcopos, ut alia omittam, celebre est S. Fulgentii Ruspensis Episcopi exemplum, de quo ejus Vitæ Auctor apud Surium ad diem 1. Januarii ait, quod postquam se sensit, sine aliqua dubitatione obeundum, vocans universos suos, præsentibus Monachis, alloquutus est, dicens: *Ego, Fratres, animarum vestrarum saluti prospiciens, molestus apud vos forsitan, & difficilis exstiti; & idco obsecro vos, ut ignoscat mihi quisquis aliquis dolet. E si forsitan severitas nostra modum transgressa est debitum, crate, ne mihi hoc Dominus imputet ad peccatum.* Addit tum autem Auctor, *talia beato Fulgentio lacrymosis singultibus exprimente*, cunctos *simul super ejus genua* cecidisse, *semper bonum, semper affabilem, pro omnium salute, sicut decuit, invigilasse clamantes.*

III. Venia petita, commendabit deinde Episcopus moriens Canonicis scilicet, Parochis, Curatisque omnibus *Ecclesiam, pauperes, viduas, orphanos, & loca pia.* Huc facit, quod de laudato paulo superius S. Fulgentio Episcopo ejus Vitæ Auctor subdit, quodque ad exornandam Rubricam nostri §. describere hic lubet: *Imperato*, inquit, *silentio, paululum requievit; & deinde pauperum curam gerens requisita summa pecuniæ, de qua fidelissimus dispensator quotidie egentibus ministrabat, totum jussit expendi, per se ipsum recolens Viduarum, Pupillorum, Peregrinorum, cunctorumque illic indigentium nomina, quibus quid singillatim daretur, propria deliberatione constituit &c.* Exempla id genus sanctorum Episcoporum pene innumera afferri possent, quibus excitari quidem deberent hodierni Episcopi morientes, ut non commendarent solum perfunctorie, ut dici assolet, Canonicis, Parochis, Curatisque pauperes, viduas, orphanos, & loca pia scilicet indigentia, sed ut ipse de iis, quæ forte reliquit, illis subveniat.

IV. Ait præterea §. noster v. eosdem Canonicos, ac alios memoratos superius monendos esse ab Episcopo morituro, *ut, donec de Successore provideatur, continuas preces ad Deum fundant, ut eis bonum Pastorem concedere dignetur, qui eos uberius, quam ipse fecit, pascere noverit.* Id plane jam olim exequutus est S. Fulgentius, ubi morti proximus, adstantibus omnibus ita dixit: *Provideat Dominus Deus meus Pastorem dignum se.* Est plane summa rei electio Episcoporum, ideoque soliciti esse debent Fideles ad orandum Deum, ut sibi bonum Pastorem concedat, qui scilicet non sua in Episcopatu quærat, sed quæ Jesu Christi; qui non dominetur in Clero, neque in subditos tumeat, & instar Tyrannorum sæviat, sed humilitatem præseferat, & animam suam, ubi opus est, ponat pro ovibus suis. Sed de his jam fuse alias diximus præsertim Tomo 1. nostrorum Commentariorum in 1. Partem Romani Pontificalis ad Titulum XIII.

V. Restat, ut Episcopus moriens ex præscripto nostri §. VI. *aperiat etiam eis debita, & credita Ecclesiæ, siquæ sunt; & notificet scripturas, jura, & actiones ejusdem Ecclesiæ*; neque enim Dominus est, sed mere Administrator, ut sacri Canones, & sancti Patres loquuntur: *Condat, si velit, & habeat ab Apostolica Sede facultatem, testamentum, & eligat sibi sepulturam.* Quantum ad testamenti factionem, cum Episcopi, aliique Beneficiarii, reputati semper fuerint tanquam simplices rerum Ecclesiasticarum dispensatores, ut ex iis scilicet sumant, quæ ad necessitates proprias sufficiant, reliqua vero in pauperes, alioſve pios usus, juxta regulas Ecclesiasticas, & offerentium voluntatem impendant, iccirco jampridem Episcopis, ceteriſque Clericis, vetitum fuit de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis testari. Eam fuisse Ecclesiæ disciplinam, & quidem per multa sæcula, perspicue ostendit in sua veteri, & nova Ecclesiæ disciplina Thomassinus, & inter alios Vanespen, Parte II. Juris Ecclesiastici universi, Tit. XXXII. Cap. VII. Plura & de hac re dicemus Deo dante III. Tomo Conciliorum in Commentario ad Canonem XV. Concilii III. Lateranensis; satisque hic est illud monere, hanc disciplinam vigere hodie in Italia, ut sine indulto summi Pontificis nequeat Episcopus condere testamentum. Optandum sane, ut & de Episcopis dici omnibus posset, quod de S. Augustino Episcopo Hipponensi scripsit in ejus Vita Possidius Cap. XXXI. *Testamentum nullum fecit, quia unde faceret, pauper Dei non habuit.*

VI. Liberum vero Episcopo erit, sicut & alii cuique, sepulturam quo velit loco sibi deligere, adeout & uxor inconsulto Marito, & filius sine assensu Patris sui hanc potestatem sibi vindicent; nisi scilicet sit filius impubes, cui propter defectum judicii Pater sepulturam eligit, si id ferat loci consuetudo, alioqui ea cessante, in sepulcro Majorum suorum, vel in Parochiali Ecclesia humandus est. Constant hæc ex Titulo Decretalium, qui inscribitur, *De sepulturis*, in eumque videri possunt Canonici Juris Interpretes. Porro si Episcopus non elegerit sepulturam, sepeliendus erit in Ecclesia Cathedrali, quam decet etiam ab ipso ceteris præferri Ecclesiis exemplo S. Caroli qui testamento cavit, ut quocumque loco moreretur, Mediolani tamen sepeliri vellet.

§. VII.

Cum vero hora mortis appropinquat, petat, ut sibi administretur extremæ Unctionis Sacramentum, & animæ commendatio fiat, prout in Rituali Romano. Viri pii, & Religiosi continue assistant Episcopo animam agenti, cui Crucem inspiciendam, osculandamque crebro offerant; redigantque ei ad memoriam Passionem Do-

Digitized by Google

Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Nec deſint Religioſi, & Sacerdotes, qui continue, dum adhuc expirat, Pſalmos, Paſſionem Chriſti Domini, & alias devotas Orationes legant.

COMMENTARIUS.

I. CAutum & illud eſt ex Cæremoniali Patricii citato non ſemel ſuperius loco, ut Summo *Pontifice animam agente*, *aliquis ex Prælatis domeſticis ei adſtet, & Crucem inſpiciendam, oſculandamque illi crebro offerat, redigatque ei ad memoriam Paſſionem Chriſti: Cubicularii adſtent cum diligentia miniſtrantes neceſſaria: Sacriſta in tempore extremam unctionem, & commendationem animæ faciat, prout in Ordinario: Pœnitentiarii vero circumſtent, legant Pſalmos Pœnitentiales, Paſſionem Chriſti, & alias devotas Orationes, dum adhuc expiret.* Similia legere eſt in Ordinariis, ac Ritualibus antiquis Libris, qui & illud etiam nos docent, ritum fuiſſe antiquum, ut coram infirmis, qui in mortis periculo verſabantur, non ſolum die, ſed nocte etiam Canonicum Officium ab aſſiſtentibus Sacerdotibus recitaretur. Celebre, ac ſingulare prorſus Officium, quod Romæ olim ad uſum infirmorum habebatur, ex pervetuſto mſs. Codice Archivi Baſilicæ Vaticanæ Num VII. vulgavit doctus æque ac pius S. R. E. Cardinalis Thomaſius una cum antiquo Romanæ Eccleſiæ Antiphonario. Præmittitur autem in eo Codice hæc Rubrica: *Debent etiam Sacerdotes, & Miniſtri Eccleſiæ cum ſumma reverentia infirmis decantare per ſingulos dies Veſperas, & Matutinum cum Hymno.* Sequitur deinde Officium, quod Libro III. *De antiquis Eccleſiæ Ritibus*, Cap. XI. poſt Num. V. Martenius inſeruit.

II. Fuit preterea antiquus ritus, ut morienti Epiſcopo cilicium cum ſacro cinere imponeretur, uti in vita S. Caroli notat Carolus a Baſilica Petri Lib. VI. Cap. VIII. *Cilicium*, ait, *illi cum Sacro cinere impoſuimus, ex inſtituto veteri, quod ille in Libro Rituum Eccleſiæ ſuæ renovari juſſerat.* Celebre eſt ea in re, ac notum S. Martini exemplum, quippe qui, teſte in ejus Vita Sulpitio, & eam quoque ſententiam protulit, non debere *Chriſtianum niſi in cinere, & cilicio mori.* Mos ſane ille receptior fuit, ut ipſe infirmus ad terram cinere, & cilicio ſtratam deponeretur, uti obſervat laudatus Martenius loco citato, Numero XIII. ubi tres illuſtres recenſet Epiſcopos Arigium Wapincenſem, Herifridum, & Guillelmum Antiſſiodorenſes. De primo quidem ita in ejus Vita legitur: *Nudato corpore ante Altare S. Euſebii cum cinere, & cilicio jacens &c.* De ſecundo Auctor Hiſtoriæ Epiſcoporum Antiſſiodorenſium Cap. XLI. ita inquit: *Aderat Clerus ejulans, & pro exitu animæ Pſalmos decantans, moxque præparatis cineribus, & ſuperjecto cilicio, ut Virum decet Chriſticolam, deſuper extendi juſſit.* Guillelmus tandem, qui circa finem Seculi XII. obiit, uti in eadem Hiſtoria legitur, *interrogatus, utrum in cinere, & cilicio, ſicut decet Chriſtianum, vellet obire, id ipſe voce, qua potuit, & geſtu annuit, & popoſcit.*

III. Summos etiam Pontifices conſueviſſe aliquando eundem ritum ſervare, addiſcere licet ex celebri exemplo Gelaſii II. Papæ, de quo Pandulfus apud Angelum de Nuce in Notis ad Chronicon Caſſinenſe Lib. IV. Cap. LXIV. ſic inquit: *Suis, ac multis Fratribus, undique convocatis, facta Confeſſione, ac Corpore, & Sanguine Redemptoris acceptis, & juxta normam Monaſticam, ſtrato terræ corpuſculo, ſancta illa Anima carne ſoluta eſt.* Præter Monachos, conſueviſſe olim Chriſtianos fere omnes in cinere, & cilicio mori, probari poſſit ex multis locis a Martenio allatis, præſertim ex Anonymo Turonenſi in mſs. Speculo Eccleſiæ, ubi etiam antiquus illæ Diſciplinæ Eccleſiaſticæ rigor temperatus eſt, dum permittit, ut infirmus non ſuper nudam terram, ſed ſuper paleam deponi poſſet. Hac indulgentia utuntur hodieque Monachi Carthuſiani, qui in tertia Statutorum compilatione Cap. II. mandant, ut *morti appropinquans non ponatur ſuper benedictum cinerem, prout vult antiquum Statutum, ſed dumtaxat lectus, in quo jacet, modico cinere conſpergatur.* Cinerem ipſum, & cilicium benedici prius conſueviſſe, ex antiquis Ritualibus liquet. Enarrati antiqui ritus, de quo hactenus dictum eſt, reſtat adhuc aliquod veſtigium alicubi, ut in Lexovienſi Diœceſi, ubi Sacerdos infirmos extremæ Unctionis Oleo illiturus, prius eos cinere conſpergit, dicens: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reveteris.* Hodie omiſſa non modo eſt ubique fere locorum hæc diſciplina, verum etiam multi graviter ægrotantes ſine Sacramento extremæ Unctionis ex hac vita ob negligentiam Medicorum migrant.

§. VIII.

Poſtquam Epiſcopus ſpiritum Creatori reddiderit, Canonici, qui aderunt, ſinguli ſuper eum Verſiculum, *A porta inferi &c.* cum Oratione, *Deus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes &c.* recitabunt. Cubicularii vero, & Familiares ipſius Epiſcopi defuncti corpus aqua calida cum vino, & herbis odoriferis lavabunt, & mundabunt; & ſi hæredibus videbitur, poterit etiam aperiri, & aromatibus condiri; quo caſu inteſtina ejus ſtatim ſepeliantur in Eccleſia.

Digitized by Google

§. IX.

Sed licet corpus non aperiatur, omnino agendum, & curandum eſt opportunis remediis, ut ſine fœtere uſque nd præſtitutum tempus ſepolturæ ſervari poſſit.

COMMENTARIUS.

I. EX Cæremoniali Auguſtini Patricii Pœnitentiari quidem, qui, uti ſuperius dictum eſt, aſſiſtebant morienti Papæ, *poſtquam ille ſpiritum Creatori reddiderit, legunt Officium Mortuorum. Cardinales vero debent ſinguli abſolvere defunctum Pontificem dicentes unum Reſponſorium cum ſuis Verſiculis, & Orationem pro defunctis, videlicet, Deus qui inter Apoſtolicos &c.* Quod Cardinales Papæ, id & Canonici præſtare & ſuo Epiſcopo debent, uti ex noſtro §. VIII. addiſcimus, qui etiam & Cæremoniali ipſi Patricii adhærens mandat, ut Cubicularii, & Familiares ipſius Epiſcopi defuncti corpus aqua calida cum vino, & herbis odoriferis lavent, ac mundent; eſt enim hæc vetus Eccleſiæ diſciplina.

II. Sed audiamus Patricium, qui poſtquam dixit, quod, ubi quiſque abſoluit, diſcedit, ita ſubjicit: *Cubicularii autem parent aquam calidam cum herbis odoriferis, & Fratres Plumbatores lavent ejus corpus. Tonſor radat barbam; interim lavetur corpus cum optimo vino albo aromatizato, & calido; & loca ſpumantia impleantur aromatibus, mirrha, & aloes; nares, & aures impleantur muſco, & demum bene fricentur manus, & totum corpus balſamo, quod Cubicularii, & Sacriſta ſubminiſtrabunt.* Plura his docet Patricius, quæ facienda ſunt circa Epiſcopi defuncti corpus, licet in noſtro §. omiſſa, ut raſio barbæ, & obturatio locorum ſpumantium. Sed vide quæ fuſe nos diximus in Tomo III. Romani Pontificalis de ipſis obſequiis olim defunctis ſtatim poſt eorum obitum exhiberi ſolitis. Advertendum plane illud, non eſſe aperiendum corpus defuncti, niſi elapſis poſt obitum XXIV. horis.

§. X.

Loto, & terſo corpore, Clerici familiares, ſeu alii Eccleſiaſtici viri, cum Magiſtro cæremoniarum, induant illud primum veſtibus ordinariis uſque ad Rochettum, deinde ſacris veſtibus, quibus vivens induebatur, dum ſolemniter erat celebraturus; hoc eſt, Caligis, & Sandalis, Amictu, Alba, Cingulo, Cruce pectorali, Manipulo, Stola, Tunicella, Dalmatica, Chirothecis, Planeta coloris violacei, Annulo, & Mitra ſimplici, ac etiam Pallio cum ſpinulis, ſi erit Archiepiſcopus, vel alias utens Pallio, & ponat ſuper pectus ejus Crucem aliquam, quam manibus teneat.

§. XI.

Corpus ſic indutum, donec præparetur lectus in Aula majori, ut infra, ponatur ſuper aliqua menſa, ſeu in terra ſuper tapete, cum cereis ardentibus ad caput, & pedes.

§. XII.

Interim cæteri Epiſcopi familiares inferiores, & famuli totam domum denudent, & in Aula majori palatii, ſive domus præparent lectum ex tabulis altitudinis palmorum ſex, longitudinis ad minus palmorum duodecim, & latitudinis palmorum decem, vel ad minus octo, & ſuper illud ponatur ſtratum ex lana, ſeu palea plenum, & cooperiatur panno ſerico nigro, vel ſaltem laneo. Ad lecti pedes præparetur parva menſa mundo linteo cooperta, & ſuper ea duo candelabra cum candelis accenſis, Liber Miſſalis, vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, thuribulum cum navicula, & incenſo; ac unum Superpelliceum cum Stola, & Pluviale nigrum ponatur.

COMMENTARIUS.

I. MOrtuo Papa, ex Cæremoniali Patricii, *Pœnetentiarii induunt eum communes veſtes uſque ad Rocchettum, deinde ſacras, ac ſi eſſet celebraturus, incipiendo a ſandaliis uſque ad Mitram ſimplicem &c.* Indui Epiſcopum jam defunctum ornatu Pontificali, ritus

Digitized by Google

ritus est plane antiquus, uti jam varia exempla nos docent. De S. Hugone Lincolnjensi Episcopo ita scribit in sua Historia Matthæus Paris ad annum MCC. *Ante sane Viri Dei sepulturam, dum pro eo exequiæ Mortuorum agerentur, & ipse more Pontificum discooperta facie jaceret, Mitram habens in capite, Chirothecas in manibus, Annulum in digito cum ceteris Pontificalibus ornamentis &c.* Tradit præterea Hugo Abbas Flaviniacensis in Chronico Virdunensi, tempore Richardi Abbatis S. Vitoni, repertum fuisse Corpus Berengari *cum Casula, & Sandaliis*; Herimannum vero Metensem Episcopum *Cruce, Mitra, & Pallio* decoratum fuisse sepultum. Sed quid alia exempla congero, docet in Philotheo Cap. XVII. Theodoretus, Episcopos olim Pontificali veste indutos, sepultos fuisse. Ceterum tametsi nulla de Baculo pastorali in nostro hoc Cæremoniali fiat mentio, legimus nihilominus in Vita S. Bennonis Misnensis Episcopi apud Surium XVI. Junii Num. XXXII. sepultum fuisse ipsum cum Casula, & Baculo Pastorali. Ex Cæremoniali Ambrosiano apud Archiepiscopum Mediolanensem defunctum non modo Pastoralis Baculus, sed & Crux Archiepiscopalis ponitur.

II. Quantum ad indumentorum Pontificalium colorem, quibus induendum est corpus defuncti Episcopi, violacea quidem esse ex nostro §. x. debent; notandum tamen quod de S. Caroli cadavere scribit in ejus Vita Carolus a Basilica Petri Lib. VII. Cap. VII. ita inquiens: *Collocatum postremo est in Palatii Sacello, vestitum Pontificiis indumentis albi coloris.* Quidquid autem sit de hoc ritu in Mediolanensi Ecclesia, & erga S. Caroli cadaver servato, tenenda omnino est Rubrica prædicti nostri §. x. adhiberi mandans colorem violaceum. Sane Papæ cadaver induendum esse paramentis rubri Coloris, ac si esset Missarum solemnia celebraturus, docet in Cæremoniali suo Augustinus Patricius; isque est hodie usus Romanæ Ecclesiæ in funere maximorum Pontificum. Cardinalium autem cadavera paramentis violaceis induuntur.

III. Præter pectoralem Crucem parvam, qua una cum Pontificali ornatu induendum est Episcopi defuncti corpus, debere poni *super pectus ejus Crucem aliquam, quam manibus teneat*, expresse edicit §. noster x. Olim super pectus defuncti præsertim Episcopi consuevisse sacram Eucharistiam poni, innumeris pene ostendi posset exemplis. Sed audiamus quid ea in re scribit Auctor Anonymus in Vita S. Euthberti Episcopi Lindisfarnensis apud Bollandum ad diem XX. Martii: *A navigantibus*, inquit, *ad insulam nostram delatus, toto corpore lavato, capite sudario circumdato, Oblatis super sanctum pectus positis, vestimenta Sacerdotalia indutus, in obviam Christi calceamentis suis præparatis, in sindone cerata curatus, animam habens cum Christo gaudentem, corpus incorruptibile requiescens, & quasi dormiens in sepulcro lapideo honorabiliter in Basilica deposuerunt.* Quod de Oblatis hic dicitur super pectus positis, de Eucharistia esse intelligendum, minime est addubitandum; sepultam enim fuisse olim Eucharistiam ipsam cum mortuis, abunde ostendimus Tomo II. Conciliorum in Commentario ad Canonem Trullanum LXXXIII. & nostro Tomo III. Romani Pontificalis in Commentario ad Titulum XXVII. & alibi.

IV. Cætera, quæ in nostris Paragraphis statuuntur, consona pene sunt Cæremoniali Ambrosiano in eo Capite, quod inscribitur, *De infirmitate, obitu, funere, & exequiis Archiepiscopi*; edicit enim, totam quidem domum Archiepiscopalem esse nudandam omnibus paramentis, sed aptandum tamen Sacellum, appensis in ejus parietibus pannis nigri coloris; lectum quoque, in quo poni debet corpus defuncti, magno aliquo panno esse cooperiendum, non tamen nigro, ut ait noster §. XII. sed *coloris violacei, seu rubri, si fuerit Cardinalis.* Addit & illud quoque, Familiam totam, Magistrumque Cæremoniarum, Parochos, atque Sacristas Metropolitanæ Ecclesiæ indui *vestibus lugubribus* debere. Neque omittendum, quod paulo ante edixerat, nempe, statim ac spiritum Præsul emiserit, pulsandas esse Campanas omnes Civitatis, primum signo salutationis Angelicæ, deinde a mortuis; atque ita quidem pulsandas, *donec super terra inhumatus remanebit.* Atque hæc quidem in Cæremoniali Ambrosiano, sed tu videsis Cæremoniale Augustini Patricii Lib. I. Sectione XV. Cap. I. ubi fere ad verbum, quæ in nostris Paragraphis statuta deinde fuere, invenies. Quod autem in prædicto suo Cæremoniali tradit Patricius, accepit ex antiquis Ordinibus Romanis, ac præsertim ex Ordine XV. quem exaravit Petrus Amelius Apostolicarum olim Cæremoniarum Magister.

V. Unum adhuc restat, quod ad nostri hujus Commentarii calcem notemus, nempe cavendum, ne moriente Episcopo, multoque magis vita jam functo a Domesticis, aliisve familiaribus bona illius, Ecclesiæve, uti est antiqum vitium, sceluſque enormissimum a sacris Synodis iterum iterumque damnatum, diripiantur; de quo vide quæ scripsimus nos nostro II. Tomo Conciliorum in Commentario ad Canonem XXII. Chalcedonensis Concilii, cujus Titulus est: *Quod non liceat Clericis post mortem sui Episcopi res ad eum pertinentes diripere.* Celebris ea in re est Epistola Concilii XIV. Provincialis Beneventani ad Innocentium XII. quam in ipso Commentario descripsi.


§. XIII.

Quibus omnibus sic paratis, corpus Episcopi defuncti, ut supra indutum, portetur in dicta Aula, & super dicto loco collocetur, & ad pedes ejus ponatur pileus Pontificalis, floccis sericis viridibus ornatus, & hinc inde a lateribus ponantur scamna

cum

Digitized by Google

cum foraminibus pro funalibus, ſeu intorticiis ponendis circa corpus, vel ſaltem, illi deficientibus, collocentur quatuor candelabra alta, cum quatuor intorticiis ardentibus ad quatuor lecti angulos.



§. XIV.

Circumcirca per totam Aulam diſponantur ſedilia pro Canonicis, Clericis, Magiſtratu, Civibus, & aliis, qui venient ad honorandum funus.

§. XV.

Hora competenti, cum jam, ſi non omnes invitati ad funus, ſaltem eorum aliqui advenerint, Clerus ſæcularis per ordinem, vel Religioſi quatuor Ordinum Mendicantium, ſi in Civitate adſint, qui invitari debent, vel alii per ſingula Collegia, incipient Vigilias, hoc eſt, Veſperas, & Matutinum cum Invitatorio, & tribus Nocturnis, ac Laudibus Defunctorum.

COMMENTARIUS.

I. CUm primum in aula majori Epiſcopalis Palatii omnia fuerint parata, ut ſupra, mandat tum noſter §. XIII. ut *corpus Epiſcopi defuncti, ut ſupra indutum, portetur in dicta aula*, private ſcilicet, *& ſuper dicto loco collocetur, & ad pedes ejus ponatur Pileus Pontificalis &c.* ardentibus quatuor funalibus, ſeu intorticiis circa corpus ad quatuor lecti augulos, ſuper quatuor candelabra alta collocatis, licet in noſtra figura circa defunctum plura ardere funalia conſpiciantur. Diſpoſitis ex §. XIV. per totam aulam ſedilibus pro Canonicis, Clericis, Magiſtratu, Civibus, & aliis, qui venient ad honorandum funus, *hora competenti*, ut ait §. XV. *cum jam, ſi non omnes invitati ad funus, ſaltem eorum aliqui advenerint, Clerus ſecularis per ordinem*, (in antiquis Cæremonialibus, ita hic legitur, *Clerus ſecularis per ordinem, ſi voluerit*) *vel Religioſi quatuor Ordinum Mendicantium, ſi in Civitate adſint, qui invitari debent, vel alii per ſingula Collegia incipient Vigilias &c.* Privatum hoc funus eſt, quod in Aula Palatii, præſente cadavere celebratur, ideoque invitari debent, & conſequenter, ſi invitati non fuerint, non cogi poſſunt Religioſi ad præſtandum hujuſmodi obſequium, ad recitandum ſcilicet *Vigilias, hoc eſt, Veſperas, & Matutinum cum Invitatorio, & tribus Nocturnis, ac Laudibus Defunctorum.*

§. XVI.

Digitized by Google

§. XVI.

Primi, ideſt, inferiores, a quibus inchoandum eſt, nam ultimus locus dignoribus Religioſis reſervatur, inchoabunt Veſperas: Prior enim eorum, habens ante ſe legile cum Libro, alta voce incipiet Antiphonam, *Placebo Domino*, quam cæteri ejuſdem Religionis Fratres, qui prope funus ante alios hinc inde ſtare debent, proſequentur; & ea finita, ſedentes, recitabunt alternatim Pſalmos Veſperarum, cum Antiphonis duplicatis, prout fieri ſolet in Officio duplici; & dum inchoantur Pſalmi, eiſdem Fratribus, qui cantant, & candelæ diſtribuendæ ſunt, prout & cæteris, quando Nocturnos, & Laudes cantabunt, ut infra.

§. XVII.

Ad Canticum, *Magnificat*, ſurgunt omnes, & Prior illorum Religioſorum, qui Veſperas cantaverunt, accedet ad menſam ad pedes lecti, & ibidem a Cæremoniario, vel aliis Clericis induetur Superpelliceo, Stola, & Pluviali, & imponet thus in thuribulum.

§. XVIII.

Finitis Cantico, *Magnificat*, & Antiphona, ſtans ibidem ad pedes lecti ante menſam prædictam, manibus junctis, dicet, *Pater noſter*, & interim, accepto aſperſorio de manu Cæremoniarii, vel alterius Clerici, incipiendo a parte ſua dextera, aſperget lectum, aſpergendo ter in ſingulis lateralibus partibus tantum; & dum tranſibit ante Canonicos, illos capite aliquantulum inclinato ſalutabit. Et poſtquam reverſus fuerit, in eodem loco apud menſam, reddito aſperſorio, capiet de manu ejuſdem Cæremoniarii, vel alterius Clerici thuribulum, & lectum ſimiliter eodem modo thurificabit: quo facto, ſtans ante prædictam menſam, reddito thuribulo, & habens ante ſe Librum apertum, ex eo leget Verſiculos, & Orationem infraſcriptam, videlicet. ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*. ℟. *Sed libera nos a malo*. ℣. *A porta inferi*. ℟. *Erue, Domine, animam ejus*. ℣. *Requieſcant in pace*. ℟. *Amen*. ℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus Vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*. Oremus. *Deus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes &c.* Deinde dicit Verſiculum, *Requiem æternam &c.* Demum duo ex Fratribus cantantibus ſubjungunt, *Requieſcat in pace*, & ceteri reſpondebunt, *Amen*.

COMMENTARIUS.

I. COllocato corpore Epiſcopi defuncti ſuper lecto, & circumcirca ſedentibus Canonicis, Clericis, Magiſtratu, & aliis, ut ſupra in §. XIV. Religioſi Mendicantes, ſi in Civitate adſint, & invitati fuerint, ex præſcripto §. XV. incipient Vigilias, ideſt Veſperas; inferiores ſcilicet, *nam ultimus locus*, ut ait noſter §. XVI. *dignioribus Religioſis reſervatur*. Quod in ipſo §. XVI. & duobus ſequentibus fuſe edicitur de ritu in Vigiliis recitandis ſervando, brevi expoſuit in ſuo Cæremoniali Patricius Lib. I. Sectione XV. *De morte, & exequiis Reverendiſſimorum Cardinalium*, ubi poſtquam dixit, quod poſito defuncti corpore ſuper lectum in Aula, cum quatuor ſcilicet intorticiis ad quatuor lecti angulos accenſis, *Cardinales, Prælati, & alii, qui venerunt, ſedebunt circum circa*, ita mox ſubjicit: *Religioſi per ſingula Collegia, ſive per ſingulos Conventus incipient Vigilias, & primi*, ideſt, inferiores, ut in noſtro Cæremoniali, *dicent Invitatorium cum primo Nocturno; & poſt Reſponſorium tertiæ Lectionis, dignor ex eis indutus Superpelliceo, Stola, & Pluviali, ſtans apud menſam ad pedes lecti*, inſtructam ſcilicet his paramentis, Libro Miſſalis, vaſe aquæ benedictæ cum aſperſorio, & thuribulo, cum navicula, & incenſo, ut ſupra in §. XII. *dicit*, Pater noſter, *aſperget, & incenſabit per circulum, & deinde ſequitur*, Et ne nos inducas, *cum Verſ. & Oratione conſuetis. Cum incipient cantare, diſtribuentur Cantantibus aliquæ candelæ*. Et mox: *Cum primum finierint, aliqui ſequentur ſecundum, & deinde tertium Nocturnum, & deinde Laudes; & digniores, qui aderunt, incipient*. Tum vero demum: *Et ſi eſſent plura Collegia, ſive plures Conventus, poterunt duo ſimul cantare unum Nocturnum*.

II. Quam-

Digitized by Google

II. Quamquam vero in recitato hactenus Patricii loco nulla recitandarum Vesperarum mentio fiat, recitandæ tamen ipsæ primum sunt, uti expresse in nostro Cæremoniali edicitur, estque hic ritus in multis etiam antiquis Ritualibus præscriptus, imo & in ipso Cæremoniali Patricii, sed ubi agit de morte, & exequiis Romani Pontificis, Lib. I. Sectione XV. Cap. II. ubi inter alia ait: *Cantores, & Pœnitentiarii cantabunt Vesperas, & Vigilias pro Defunctis, quousque veniant alii Religiosi.* Porro ex multis Ritualibus, & priscis Ecclesiæ Patribus illud etiam habemus, coram Defuncto, vel antequam deferretur ad Ecclesiam sepeliendus, recitari consuevisse varias preces, maxime vero Psalmos, uti constat ex S. Augustino, qui de ejus matre S. Monica, Lib. IX. Confessionum, Cap. XII. hæc scripsit: *Ubi efflavit extremum spiritum, puer Adeodatus exclamavit in planctum, atque ab omnibus nobis coercitus tacuit.* Tum vero mox ita ad rem inquit: *Cohibito ergo a fletu puero illo, Psalterium arripuit Evodius, & cantare cœpit Psalmum, cui respondebamus omnis domus, Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine &c.* Ita Augustinus.

III. Sed hisce omissis, quod supra ait Patricias, sedere Cardinales circum circa defuncti corpus, quum super lecto in Aula domus positum recitantur Vigiliæ, nec hodie est in usu, nec fuit ante Xisti IV. tempora, teste eodem Patricio loco citato. Notandum & illud quoque, ubi in nostro §. XVIII. legitur, Priorem Religiosorum aspergere lectum Defuncti *ter in singulis lateralibus partibus tantum*, in Cæremonialibus ante hoc nostrum editis legi, *ter in qualibet parte lecti*. Tandem ubi in ipso nostro §. in fine legitur: *Demum duo ex Fratribus cantantibus subjungunt*, Requiescat in pace, *& ceteri respondebunt &c.* antiqua Cæremonialia sic habent: *Et duo ex Fratribus cantantibus*, Requiescat in pace, *ceteri respondebunt &c.*

§. XIX.

Finitis Vesperis, Religiosi, qui illas cantarunt, descendunt, & vocantur alii Religiosi, qui Matutinum, hoc est, Invitatorium cum tribus Psalmis primi Nocturni & Lectionibus cantabunt; & dum cantatur Invitatorium, usque ad initium primi Psalmi omnes stare debent.

§. XX.

Finitis Psalmis primi Nocturni, duo Cantores, sive duo ex Fratribus, qui Nocturnum cantarunt, annuntiant Versiculum, *A porta inferi*, & respondetur, *Erue, Domine, animam ejus*; quo dicto, omnes surgunt. Tunc unus ex eisdem Religiosis, Lectionem cantaturus, accedit ad pulpitum, seu legile, & secrete dicto ab omnibus, *Pater noster*, quod totum sub silentio completur, omnes sedent; ipse Lectionem incipit; & ea finita, Cantores cantant Responsorium, & alii duo ex eadem Religione cantant secundam, & tertiam Lectionem.

§. XXI.

Finita ultima Lectione, dum cantatur tertium Responsorium, Prior ejus Religionis, quæ Nocturnum cantavit, accedit ad mensam, induitur Superpelliceo, Stola, & Pluviali; & cum dicitur Versiculus *Requiem æternam &c.* imponit thus in thuribulum; & in fine, cum dicitur, *Kyrie eleison*, surgunt omnes; & Prior dicat, *Pater noster*, aspergat, & thurificet lectum, ut supra in Vesperis, & cantet eosdem Versiculos, & Orationem, ut supra dictum est.

COMMENTARIUS.

I. VEsperis jam cantatis, & quidem juxta ritum in Paragraphis præcedentibus præscriptum, ex Rubrica §. XIX. recedentibus Religiosis, qui illas cantarunt, *vocantur alii Religiosi, qui Matutinum, hoc est, Invitatorium cum tribus Psalmis primi Nocturni, & Lectionibus cantabunt; & dum cantatur Invitatorium, usque ad initium primi Psalmi, omnes stare debent*, tam ipsi scilicet Religiosi cantantes, quam Canonici, & alii præsentes: *Finitis Psalmis primi Nocturni, sive duo ex Fratribus, qui Nocturnum cantarunt, annuntiant Versiculum*, A porta inferi; *& respondetur*, Erue Domine animam ejus; *quo dicto omnes, surgunt*. Qui ritus peculiaris esse videtur in Officio Defunctorum, quod, ut inter alios notat Durandus Lib. VII. sui Rationalis, Cap. XXXV. Num. XXVII. & seqq. *imitatur omnino triduanam Christi sepulturam*, ideſt, Officium Tenebrarum Hebdomadæ sanctæ, in quo, uti habetur supra Cap. XXII. §. VIII. *finita*

Digitized by Google

nita Antiphona tertii Pſalmi, poſt Verſiculos Epiſcopus ſurgit &c. Nam alias in ceteris Matutinis, uti edicit noſtrum Cæremoniale Cap. v. §. *finitis tribus Pſalmis primi Nocturni, cum cantatur Verſiculus, omnes ſurgunt &c.* vel uti habetur Cap. VI. §. XI. *Verſiculo incepto, omnes ſurgunt &c.*

II. Ex peculiari itaque ritu Officii Tenebrarum, & Defunctorum Officii, quod illud imitatur, finitis omnino Verſiculis cujuſque Nocturni, *omnes ſurgunt*, tuncque unus ex eiſdem Religioſis, Lectionem cantaturus, accedit ad pulpitum, ſeu legile, *& ſecrete dicto ab omnibus*, Pater noſter, *quod totum ſub ſilentio completur, omnes ſedent &c.* Verbum *ab omnibus* majoris explicationis cauſa adjectum eſt §. noſtro XX. in novo Cæremoniali, non enim ut in aliis Officiis, *Pater noſter*, a Celebrante intonatur, ſed ſecrete totum ab omnibus dicitur, atque completur in hoc Defunctorum Officio, ſicut etiam & in ipſo Officio Tenebrarum Majoris Hebdomadæ, uti videre eſt ſupra Cap. XXII. §. VIII. Finita quidem tertia lectione cujuſque Nocturni, aliiſque peractis, ut in noſtro §. XXI. Prior Religioſorum indutus Superpelliceo, Stola, & Pluviali, ubi aſperſurus, & thurificaturus eſt lectum Defuncti, dicet alta voce, *Pater noſter*, quod proſequens ſecrete, aſpergendo, & thurificando, ut ſupra, voce itidem alta dicet, *Et ne nos inducas &c.* ut ſupra in fine §. XVIII. ubi de Veſperis dictum eſt; ſed & de his vide Rituale Romanum.

§. XXII.

Quo facto, alii Religioſi vocentur, & cantent ſimiliter ſecundum Nocturnum; & eo finito, alii, qui cantent tertium eodem modo, & forma, prout de primo dictum eſt. Demum ultimi, & dignores Religioſi cantent Laudes eadem forma, prout decantatæ fuerunt Veſperæ; & ad *Benedictus*, & Orationes &c. omnes ſurgant, ut ſupra.

§. XXIII.

Quod ſi non adeſſent tot Religiones, quæ poſſent diſtincte Veſperas, & Nocturnos, & Laudes prædictas decantare, poſſet una cantare duos Nocturnos, vel plures: ſed omnino in fine Veſperarum, cujuslibet Nocturni, & Laudum, aſpergendus, & thurificandus eſt lectus, & dicendi Verſiculi, & Orationes, ut ſupra. Et e contra, ſi eſſent plures Conventus, & Religiones, poterunt duo ſimul cantare unum Nocturnum, & alii alia, prout melius videbitur.

COMMENTARIUS.

I. CAntato primo Nocturno, & terminato ut ſupra ad Veſperas, vocantur alii Religioſi, & cantant ſimiliter ſecundum Nocturnum, eoque finito, cantabitur ab aliis tertium, *eodem modo, & forma, prout de primo dictum eſt.* Abſolutis tribus Nocturnis, ultimi, & digniores Religioſi cantabunt Laudes eadem forma prout Veſperæ decantatæ fuerunt, & ad *Benedictus*, & Orationes &c. omnes ſurgent, ut ſupra. Hæc plane ſtatuit Rubrica §. XXII. nihilque in eo difficile, ſicuti nec in §. XXIII. ubi tamen illa verba in fine: *& alii alia, prout melius videbitur*, addita ſunt in hoc Cæremoniali, non enim in Cæremonialibus antiquis extant.

§. XXIV.

Dum cantantur Laudes, paretur feretrum, & illis finitis, ponatur corpus Epiſcopi defuncti ſuper feretrum, & præcedentibus omnibus Religioſis, & Clero, ordine ſuo, ad Eccleſiam deducetur; feretrum autem portabitur per Sacerdotes Cottis indutos. Canonici feretrum immediate præcedant, Magiſtratus vero cum cæteris omnibus invitatis, & de Civitate, ſequantur.

COMMENTARIUS.

I. VEſperis, & Matutino, ac Laudibus Officii defunctorum in Aula Epiſcopalis Palatii præſente cadavere Epiſcopi finitis, & quidem juxta ritus præſcriptos in Paragraphis præcedentibus, deducendum eſt ipſum cadaver ad Eccleſiam; ideoque parata prius eſſe jam debent, quæ neceſſaria ſunt pro funere ducendo; parata Eccleſia, ſi fieri poſſit, pannis nigris, cum Epiſcopi defuncti inſignibus, uti mos eſt; invitati Clerus Secularis, ac Regularis, Confraternitates, Magiſtratus, Nobiles, & alii de Civitate, prout viſum fuerit Capitulo, ſed ſervata

Digitized by Google

vata tamen probata illius Ecclesiæ consuetudine, ubi funus hujusmodi peragitur.

II. At vero illud hic repetendum, quod notavimus supra ex Provinciali Synodo XIV. Beneventana, Tit. XXVIII. Cap. XII. ubi statuitur, ut Episcopo morti proximo, tres primi de Capitulo præsentes vicinum Episcopum invitent, qui statim veniat, & si vivum deprehenderit, Sacramenta ei administret, *mortuum vero una cum seculari, & Regulari Clero ad sepulcrum prosequatur*. Est is antiquissimus ritus, nam quod S. Possidius Calamensis Episcopus curavit funus S. Episcopi, & Doctoris Augustini, testatur in ipsius Vita idem Possidius, Cap. XXI. Multa id genus exempla afferri possent, præsertim cum constet ex S. Hieronymo in Epitaphio S. Paulæ Matronæ, plures ejus funeri interfuisse Episcopos: *Translata est Episcoporum manibus, & cervicibus feretro subjicientibus, cum alii Pontifices lampades, cereosque perferrent*. Sed de ipso ritu, ut scilicet Episcopi defuncti a provincialibus Episcopis sepelirentur, vide infra in §. XXVI.

§. XXV.

Prædictum feretrum collocetur in medio Ecclesiæ, & ibidem Prior, seu dignior Canonicorum, vel prima Dignitas, si adsit, indutus Pluviali, faciet Officium, hoc est, dicet ad pedes feretri, *Pater noster*, imponet thus, asperget, & thurificabit, ut supra; & demum cantabit Versiculos, & Orationem supradictam. Quo facto, cantetur Missa pro ejus anima (curæ namque sit Cæremoniariis, ut cadaveris delatio in Ecclesiam semper de mane fiat) & in fine solitæ Absolutiones habeantur, ut in Pontificali: hisque expletis, defuncti corpus de more, summa, qua decet, reverentia sepeliatur.

COMMENTARIUS.

I. INter alia, quæ Religiosissimus æque ac doctissimus Benedictus Papa XIII. in novo hoc Cæremoniali emendavit, unum magni plane momenti est, quod ubi ex antiquis Cæremonialibus deducto ad Ecclesiam feretro, ibique in medio collocato, post aspersionem, & thurificationem, paucosque Versiculos, & Orationem supradictam, ita is præsens concludebatur §. *Quo facto omnes discedant, & corpus sepeliatur; & si commode fieri potest, antequam sepeliatur, cantetur Missa pro ejus anima*: Ille hanc Rubricam corrigens, sic præscripsit: *Quo facto, cantetur Missa pro ejus anima, curæ namque sit Cæremoniariis, ut cadaveris delatio in Ecclesiam semper de mane fiat, & in fine solitæ Absolutiones habeantur, ut in Pontificali; hisque expletis, defuncti corpus de more, summa, qua decet, reverentia sepeliatur*.

II. Hunc fuisse Ecclesiæ ritum, ut præsente Cadavere, Missa pro ejus anima celebraretur, non modo antiqui Rituales Libri docent allati a Martenio Lib. III. *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, Cap. XIV. sed & pervetusti Patres, atque Scriptores. Id sane testatur S. Augustinus Lib. IX. Confessionum, Cap. XII. ubi mortem, ac funus matris suæ Monicæ describit: *Ecce corpus elatum est, imus, & redimus sine lacrymis; nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cum tibi offerretur pro ea Sacrificium pretii nostri, juxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi*. Nequis autem putet ritum hunc non sepeliendi defunctos, nisi oblato prius pro eis Sacrificio, peculiarem fuisse Italiæ, nam obiit S. Monica ad Ostia Tiberina, constat ex S. Possidio in Vita S. Augustini, servatum etiam ipsum ritum fuisse in Africa; postquam enim Augustini mortem Possidius describsit, ita statim subjicit: *Nobis coram pro ejus commendanda corporis depositione, Sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est*.

III. Sed supervacaneum est alia afferre exempla, cum nullum pene aliud tam prolixum in Ritualibus, ac priscis Ordinariis variarum Ecclesiarum occurrat, quam Officium sepulturæ, non modo ob Sacrificium Missæ, sed etiam ob multitudinem Psalmorum, precum, Orationum, quæ ad longum tempus usque ad ipsam defuncti sepulturam pie, ac rite a Majoribus nostris dicebantur. Forte avaritia Curatorum sepulturæ Officium decurtatum est, ne scilicet cerei, qui in magna copia ex prisco ritu in exequiis Mortuorum adhibentur, & ad ipsos Curatos pertinent, consumerentur. Res notas cuique affero, plenæque sunt Ecclesiasticæ Historiæ variis quorundam Parochorum extorsionibus, quibus etiam conati sunt zelosiores Episcopi, & sacræ Synodi occurrere, uti fuse ostendit Lupus Tomo IV. Operum editionis Venetæ in secunda prooemiali Dissertatione, *De simoniæ crimine, & variis ad ipsum spectantibus*, Cap. XII. ubi post varios adductos Canones adversus importunam exactionem pro exequiis, sic inquit: *Omnes de hac re Canones adducere si velim, deficiet me dies; quosdam tamen volui adductos, ut parentum nostrorum castitas fiat cunctis manifesta*.

IV. Possem hic varia exempla congerere, quibus patefiat, quanta sit sacrorum hominum avaritia, ac turpis cupiditas captandi lucrum a funeribus Defunctorum. Verum innumeris pene omissis, unum affero, quod accidit Romæ. De Villelmo Eustoutevilla S. R. E. Cardinali, & Episcopo Ostiensi, ac Veliternensi Romæ vita functo XI. Kal. Februarii anno MCDLXXXIII. legitur apud Ughellum Tomo I. Italiæ Sacræ in Episcopis Ostien-

Digitized by Google

Oſtienſibus, Num. LXXI. quod elato funere ad Eccleſiam S. Auguſtini, quam olim ipſe fundaverat, ibique cum adhuc demortui in feretro cadaver pretioſis indutum ornamentis jaceret, coorta inter Fratres Auguſtinianos, & Canonicos S. Mariæ Majoris lite, cuinam ſcilicet Eccleſiæ ornamenta illa cedere viderentur, cumque utrique pro ſua calentibus animis decertarent, a diſcordantibus verbis ad violentiam factorum deventum eſt, quippe prædabundi ubique pretioſa quæque haud reluctanti cadaveri violenter diripuerunt, populo demirante, ab iis potiſſimum Villelmum Cardinalem inverecundo procurſu fuiſſe denudatum, quos ingentibus beneficiis ſibi in vita obſtrinxiſſe conſtabat. Teſte laudato Ughello, Archipresbyteratus munere ad S. Mariam Majorem Villelmus honorifice functus fuit, quam pretioſa ſupellectili donavit; ſed plane non omittendum, quod tandem ipſe Ughellus poſt narratum enormiſſimum facinus, ita demum ſcribit: *Hæc eſt avaritiæ familiaris impietas, ut cupidiſſimis quibuſque omnem expectoret pietatem.*

V. Longum eſſet hoc loco referre varios caſus, quos de ſacrorum hominum avaritia, præſertim vero Parochorum occaſione funerum apud Scriptores tum laicos, tum Eccleſiaſticos legimus, ut omittamus complura Epiſcoporum Concilia, & Summorum Pontificum Conſtitutiones, quibus conati ſunt tantæ rapacitati Virorum Eccleſiæ addictorum, & ſcandalis, quæ inde oriuntur, occurrere. Verum tametſi extent Leges, ſolet hodieque avaritia aliquorum excogitare varios modos, quibus ſub fuco laudabilis conſuetudinis Defunctorum hæredes graviſſima Parochialium Jurium exactione moleſtent. Dolent de hujuſmodi abuſu pii cordatique Viri, ſed fruſtra, optandumque eſſet, ut ſacri homines congrua ſuſtentatione contenti, ea dumtaxat funerum occaſione acciperent, quæ ſponte a Fidelibus offeruntur, non vero ut alicubi fieri ſolet, exactionibus importuniſſimis, de quibus merito queritur in peculiari Opella Italice ſcripta Philippus Solombrinius Neapoli cauſarum Patronus eruditiſſimus.

VI. His jam ad rem adnotatis, cum olim Cardinalium exequiæ ſine ſolemni Miſſa celebrarentur, Veſperi ſcilicet cum Officio Defunctorum, Benedictus XIII. quoad vixit, celebrari illas mane juſſit cum Sacrificio Miſſæ, & Abſoltione, ut fuit ritus antiquus, qui tamen poſt illius obitum intermiſſus, a Regnante BENEDICTO XIV. Pontifice Maximo reſtitutus eſt, & peculiari Conſtitutione firmatus.

§. XXVI.

Si vero id tempus, & hora non ferant, octavo die, vel quando (non ulta tamen diem trigeſimum) hæredibus, & executoribus Defuncti placuerit, in Eccleſia celebrentur exequiæ, cum quatuor Abſolutionibus, & omnibus cæremoniis, quæ ſupra expreſſæ ſunt in hoc eodem Cap. XI. de Miſſa Pontificali pro Defunctis.

COMMENTARIUS.

I. EEmendatus fuit & hic præſens §. in novo Cæremoniali a Benedicto XIII. antiquum enim Cæremoniale, ubi in §. ſuperiori edixerat, ut delato feretro ad Eccleſiam, ibique in medio collocato, cantatis paucis Verſiculis, & Oratione, *omnes diſcedant, & corpus ſepeliatur; & ſi commode fieri poteſt, antequam ſepeliatur, cantetur Miſſa pro ejus anima*; hunc in modum deinde præſcripſit: *Octavo die, vel quando hæredibus, & executoribus defuncti placuerit, poterunt in Eccliſia celebrari exequiæ cum quatuor Abſolutionibus &c.* Ergo Benedictus XIII. veteri adhærens Eccleſiæ diſciplinæ ſtatuit primum in præcedenti §. ut delato mane ad Eccleſiam cadavere Epiſcopi, *cantetur Miſſa*; tum vero in hoc §. XXVI. mandavit, *ut ſi id tempus, & hora non ferant*, (ut ſcilicet celebrari poſſit Miſſa, quia nempe funus ipſum incidit in dies impeditos, quales præſertim ſunt dies Feriæ V. in Cœna Domini, in Paraſceve, & Sabbati Sancti, aliique ſimiles) *octavo die, vel quando, non ultra tamen diem trigeſimum, hæredibus, & executoribus defuncti placuerit, in Eccleſia celebrentur exequiæ &c.*

II Quamquam vero ex §. XXV. ſuperius jam explicato ad digniorem Canonicum, ſeu primam Dignitatem ſpectet pro defuncto Epiſcopo Officium facere, & Miſſam ſolemniter celebrare, fuit tamen vetus Eccleſiæ diſciplina præſertim in Eccleſiis Hiſpaniæ ſervata, ut Epiſcopi defuncti ab Epiſcopis provincialibus rite ſepelirentur, oblato prius Sacrificio, præſente cadavere; uti conſtat ex Canone IV. Concilii Valentini, quod celebratum fuit anno DXXIV. Poſtquam enim Concilium ipſum inter alia edixit, ut Epiſcopus ad Coepiſcopum infirmum ſe conferat, & *recedentem a ſeculo, poſt oblatum in ejus commendatione Sacrificium Deo, mox ſepulturæ tradat diligentiſſime*, ita deinde ſubjicit: *Siquis autem, ut fieri ſolet, Antiſtes obitu repentino diſceſſerit, & conlimitanei Sacerdotes de longinquo minime adeſſe potuerint, uno die tantum cum nocte exanimatum corpuſculum Sacerdotis maneat, non ſine Fratrum, ac Religioſorum frequentia, vel pſallentium excubatione ſervatum, a Presbyteris cum omni diligentia in loculo conditum ſeorſum, non ſtatim humetur, ſed honorifice commendetur, donec ſine mora invitata undecunque Pontifice, ab ipſo, ut condecet, ſolemniter tumuletur, & ut injuriæ tollatur occaſio, & mos antiquus in ſepeliendis Sacerdotibus ſervetur.*

III. Idem fuit ritus Gallicanæ Eccleſiæ, uti ex Canone V. Concilii II. Aurelianenſis habiti an-

Digitized by Google

no DXXXIII. addiſcimus; ſed lubet duo adnotare in recitatum Canonem Concilii Valentini. I. morem eſſe antiquum, ut Epiſcopi non modo comprovinciales Epiſcopos graviter decumbentes viſitarent, eiſque aſſiſterent, verum etiam mortuos rite ſepelirent. II. antequam Epiſcopus defunctus humaretur, debuiſſe in ejus commendatione Sacrificium Deo offerri per ipſum comprovincialem Epiſcopum. Hanc autem fuiſſe pervetuſtam Eccleſiæ diſciplinam, ut præſente cadavere Sacrificium Miſſæ pro ejus anima celebraretur, jam fuſe a nobis oſtenſum fuit Tomo III. Romani Pontificalis, docentque Codices antiqui Miſſarum, ac veteres Libri Rituales allati a Martenio Lib. III. *De antiquis Eccleſiæ ritibus*, Cap. XXV.

IV. Neque vero omittendum hic illud, celeberrimum inter alios fuiſſe vel olim diem Trigeſimum pro ſuffragandis defunctis, uti docet nos Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus in ſuis Capitulis ſelectis Tomo IX. Specilegii deſcriptis, ubi Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem, qualis ſua ætate vigebat, ita enarrat: *Prima, & Tertia, & Nona, & Trigeſima die, pro eis Miſſa agatur.* Notatu hic plane potiſſimum eſt, quod de Trigeſimo die pro defuncto Epiſcopo celebrando ſtatuit Synodus Celichytenſis habita anno DCCCXVI. in Anglia, Can. x. ubi poſtquam edixit, ut pro ipſo Epiſcopo defuncto ſinguli ejuſdem Provinciæ Epiſcopi, & Abbates, &c. Pſalmos, ſeu IV. Pſalteria, ſuis in Eccleſiis celebrare faciant, & inter alia pietatis opera, atque ſuffragia, Clerici, & Monachi, quos *Servorum Dei* nomine appellat, diem unum jejunent, ita deinde ſubjicit: *Hoc expleto, Trigeſima item die obitus ſui tam bene refficiantur, ſicut in cujuslibet Apoſtolorum Natali die refici ſoleant &c.* Ubi nota, Trigeſimum obitus diem non lugubrem, ſed feſtivum fuiſſe, quaſi hoc præſtituto tempore defunctus Præſul deſcriptus jam inter Sanctos cenſeretur, uti ad ipſum Canonem notat Auctor Delectus Actorum Eccleſiæ univerſalis, qui etiam & alia plura ſcitu digna ibidem obſervat.

§. XXVII.

Sepulto Epiſcopo, donec de novo Succeſſore proviſum fuerit, preces ad Deum continue offerendæ ſunt pro opportuna novi Epiſcopi electione impetranda, & conveniret, ut ſingulis diebus, vel ſaltem ſemel in hebdomada, Religioſi proceſſionaliter ad Eccleſiam Cathedralem accederent, Litanias cantantes, & ibidem pias, & devotas Orationes recitarent, cum Canonicis, & Clero ejuſdem Eccleſiæ Cathedralis, ut Deus illis quamprimum concedere dignetur novum, & bonum Paſtorem, qui Eccleſiam regere, & animarum curam digne, & fructuoſe habere valeat, & poſſit.

§. XXVIII.

Qua electione obtenta, quamprimum de ea nuntium certum habuerint, ſinguli Religioſi ad Eccleſiam Cathedralem accedentes, Deo gratias agent, & Hymnum, *Te Deum &c.* devote cantare poterunt in Eccleſia.

COMMENTARIUS.

I. ELectio Epiſcopi res eſt magni momenti, ideoque omni ævo ſolicita fuit Eccleſia, ut doctrina æque, ac virtute præſtantes Epiſcopi populis præficerentur, ac ii præſertim, qui vocati eſſent a Deo tanquam Aaron, non autem qui per ſe accedunt, honoremque Epiſcopatus ultro ſibi ambientes, ad illum palam ſe ingerere, proſilire, irrumpere non erubeſcunt, perperam, ac temere idoneos ſe putantes ad onus ſuſtinendum Angelicis humeris formidandum, quod vel aliquando parvarum rerum in Foro cauſulas egerint, vel in exigua aliqua Diœceſi Vicarii munus obierint. Aliæ enim ſunt dotes, quas in eligendo Epiſcopo requirit Apoſtolus, ſive potius Chriſtus ore Apoſtoli loquens in Epiſtola I. ad Timotheum, Cap. III. ubi ita inquit: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non violentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domuæ bene præpoſitum.* Legendus plane in hunc locum S. Joannes Chryſoſtomus, & quod idem ſcripſit in aureis Libris, *De Sacerdotio*, quos non ita pridem una cum Notis publici juris fecimus.

II. Hinc merito cautum eſt ex noſtro §. XXVI. ut ſepulto Epiſcopo, donec de novo Succeſſore proviſum fuerit, preces ad Deum continue offerantur, pro opportuna novi Epiſcopi electione impetranda. Convenire etiam mox inquit, *ut ſingulis diebus, vel ſaltem ſemel in hebdomada Religioſi proceſſionaliter ad Eccleſiam Cathedralem accederent, Litanias cantantes, & ibidem pias, & devotas orationes recitarent cum Canonicis, & Clero ejuſdem Eccleſiæ Cathedralis, ut Deus illis quamprimum concedere dignetur novum, & bonum Paſtorem, qui Eccleſiam regere, & animarum curam digne, & fructuoſe habere valeat, & poſſit.* Verba illa, *vel ſaltem in hebdomada*, huic §. adjuncta primum fuere in novo Cæremoniali. An autem teneantur Religioſi ſemel ſaltem in hebdomada

Digitized by Google

domada proceſſionaliter pro ſupradicta cauſa accedere ad Eccleſiam Cathedralem, non ita clare ex noſtro ipſo §. eruitur, dum ait: *& conveniret, at ſingulis diebus, vel ſaltem ſemel in hebdomada &c.* Ceterum quidquid ſit de hoc modo loquendi, puto equidem, teneri ad Proceſſionem prædictam accedere omnino Regulares, ſi ea alicubi adeſſet conſuetudo, præſertim cum agatur de re gravi, qualis eſt electio boni Paſtoris.


III. Ritum autem fuiſſe antiquum, ut publicæ preces, & ſupplicationes, ac ſolemne triduanum jejunium indicerentur pro novi Præſulis electione, variæ antiquæ Synodi, atque Sanctorum Acta abunde nos docent. Quantum ad jejunium celebris quidem eſt Canon III. Concilii Barchinonenſis, quod habitum fuit DXCIX. ſed audiamus Acta S. Baſſiani Laudenſis Epiſcopi collecta a Bollando, & deſcripta ad diem XIX. Januarii, ubi ita inquiunt: *Per idem tempus Laudenſis populus Paſtore proprio deſtitutus rogationes publicas triduo indixerat, quatenus Præſulem futurum Eccleſiæ ſuæ idoneum præſidere divina pietas innoteſceret.* Porro Electione obtenta, de eaque certo nuntio habito, agendæ ſunt gratiæ Deo juxta præſcriptum Rubricæ noſtri §. XXVIII. atque laudabilem Eccleſiarum conſuetudinem.

CAP. XXXIX.

Qua vocis modulatione Confeſſio per Diaconum poſt Sermonem recitanda ſit. Forma Indulgentiæ publicandæ per Sermocinantem, ac benedictionis ab Epiſcopo poſt ipſum Sermonem impertiendæ.

§. I.

Statim finito Sermone, Diaconus, qui cantavit Euangelium, ſtans ante infimum gradum Solii, converſus ad Epiſcopum ſtantem cum Mitra, cãpite inclinato, cantabit Confeſſionem in tono, prout habetur in Rituali Romano; & dum dicet, *Tibi Pater*, & *Te Pater*, ſi fuerit Canonicus, profunde ſe inclinabit, ſi non fuerit Canonicus genuflectet.



§. II.

Digitized by Google

§. II.

Finita Confeſſione per Diaconum, Epiſcopus ſedet; & Sermocinator, qui in pulpito, dum cantatur Confeſſio, genuflectet, ſurgens, publicabit Indulgentiam in forma ſequenti, videlicet: *Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus N. Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia, hujus ſanctæ Eccleſiæ Epiſcopus, dat, & concedit omnibus hic præſentibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta. Rogate Deum pro felici ſtatu Sanctiſſimi Domini Noſtri N. Divina providentia Papæ N. Dominationis ſuæ Reverendiſſimæ, & ſanctæ Matris Eccleſiæ.*

§. III.

Publicata Indulgentia, Epiſcopus, depoſita Mitra, ſurget, & leget ex Libro, per Miniſtrum de eo ſervientem, ſupra caput ſuſtentato, in tono Orationis, verſus ad populum, ut infra, videlicet: *Precibus, & meritis Beatæ Mariæ ſemper Virginis, Beati Michaelis Archangeli, Beati Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, miſereatur veſtri Omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris, perducat vos ad vitam æternam.* ℟. *Amen.*
Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum, tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus. ℟. *Amen.* Deinde, reaſſumta Mitra, benedicens populo, more conſueto, dicet: *Et benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper.* ℟. *Amen.*

§. IV.

Si autem erit Archiepiſcopus, ſtatim, publicata Indulgentia, Capellanus portabit ante illum Crucem, quam genuflexus tenebit, & Archicpiſcopus ſurgens, depoſita Mitra, prius Cruci caput profunde inclinabit, & deinde adhuc ſtans, proſequetur, *Precibus &c.* & ſic, detecto capite, ſolemniter bonedicet.

COMMENTARIUS.

I. AGitur in præſenti de tono Confeſſionis recitandæ poſt Sermonem, & de forma Indulgentiæ publicandæ per Sermocinantem, ac de ritu dandæ benedictionis ſolemnis per Epiſcopum, vel per Archiepiſcopum poſt Sermonem. Hæc nos jam ſparſim non uno in loco Commentariorum in I. & II. Librum Cæremonialis hujus Epiſcoporum explicuimus, ſed ſuſe tamen Lib. I. Cap. XXV. Admonendum autem in præſenti, quod alias ibidem adnotatum fuit, abſtinendum ſcilicet eſſe Epiſcopo ab hujuſmodi benedictione, ſi adeſſet tunc aliquis S. R. E. Cardinalis, vel alii eo ſuperiores, juxta notata Libro I. Cap. IV. §. IV. Porro licet Epiſcopus Mitra indutus ſolemnem benedictionem populo elargiatur, Archiepiſcopus tamen ab ea abſtinebit ob reverentiam Crucis, quam ante ipſum ſolemniter benedicentem Capellanus aliquis genuflexus tenere ſolet ex ritu non adeo recenti, de quo nos etiam alias diximus.

II. Quamquam autem proprium ſit Epiſcopi jus ſolemnem benedictionem fundere ſuper plebem, Can. *Denique*, Diſtinctione XXI. licet nihilominus & Abbatibus benedictionem ſuper plebem fundere poſt Sacra in Eccleſiis ſcilicet pleno jure ad eos ſpectantibus, & non aliter, quam ex ſpeciali privilegio Sedis Apoſtolicæ, uti docet Alexander Papa IV. cujus Decretum legere eſt in Cap. *Abbates, De privilegiis* in VI. Ratio eſt, quia Epiſcopalis benedictio eſt juriſdictionis ſpecies, ideoque extra territorium exerceri nequit. Hinc Apoſtolicæ Sedis Legato ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam pro curanda Eccleſiarum unione, quod occurrenti populo publice benediceret, admodum diſplicuiſſe, ac fuiſſe ſolemniter prohibitum, ſcribit in Florentini Concilii Hiſtoria Sylveſter Sguropulus, & cauſam adjungit: *Quod id a Legato Romano in aliena Provincia, ac juriſdictione audacter tentaretur.* Nempe juxta Euſebianæ factionis priſca ac devia principia Schiſmatici Græci juriſdictionem Romani Pontificis Maximi intra Occidentis Patriarchatum circumſcribere volunt. Plura qui deſiderat ſcire de benedictionis Epiſcopalis antiquitate, forma, ac fructu, legat eruditiſſimum Lupum Tomo VI. Operum editionis Venetæ in S. Gregorii VI. Pontificis Concilium VII. Romanum, Pag. 239. & pluribus ſequentibus. Atque hic finem Operi faciens Deum Optimum Maximum obteſtor, ut ipſe mihi benedictionem ſuam impertiat, ac neceſſaria vitæ ſubſidia tribuat. Ipſe enim ſolus eſt, ut ait Apoſtolus, *Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.*

Digitized by Google

INDEX RERUM

Quæ in I. & II. Tomo hujus Operis continentur.

A

ABacus, ſeu credentia in Feſtivitatibus pro Miſſa Pontificali, ut inſtruenda. I. 196.

Abbates Regulares Pontificalium uſum habentes in reverentiam antiquæ ſubjectionis Epiſcopo præſente non poſſunt Cathedram aſcendere, ſed debent illam Epiſcopo cedere. I. 54.

Abbates Cathedram fixam habere nequeunt in ſuis Eccleſiis. I. 208.

Abbates quando obtinuerint uſum Mitræ a Sede Apoſtolica. I. 261.

Abbates olim etiam Mitris pretioſis, & gemmatis uſi. I. 267.

Abbates Baculo & Mitra uti in Proceſſionibus extra ſuum Monaſterium nequeunt. I. 273.

Abbates ut dare debent benedictionem. I. 360.

Abbatibus, & aliis Prælatis Epiſcopis inferioribus Pontificalium uſus ut conceſſus. I. XVI. & ſeq.

Abbatibus, licet Pontificalium uſum habeant, Miſſarum ſolemnia celebrantibus ſeptimum candelabrum vetitum. I. 185.

Abbatis nomen poſt nomen Papæ in Canone Miſſæ a Monachis recitatum. II. 116.

Abbatum Cathedra ut ornanda, & quot gradibus conſtet. I. 208.

Abbatiali Baculo cur ad ejus nodum appendatur velum, ſeu ſudarium. I. 36.

Abbatiſſam Monaſterii Virginum quo ritu ſibi Dux Venetus quotannis deſponſet. I. 49.

Abbatiſſarum abuſus dantium benedictionem cum manus impoſitione, & Crucis ſignaculo ſuper capita virorum. I. 360.

Abſolutio, quæ in Officio divino Lectiones præcedit, olim minime dicta. II. 44.

Abſolutio Defunctorum quo ritu peragenda. II. 156. & ſeq.

Abſolutio ſolemnis ad caſtrum doloris quo ritu, & per quos peragenda. II. 158. & ſeqq.

Abſolutionem facere in Miſſa Defunctorum, cui Epiſcopus aſſiſtit cum Cappa, vel Pluviali, eſt in ejus arbitrio. II. 167. & ſeq.

Abſolutio dum fit Defunctorum, ſi elevetur in aliquo Altari Euchariſtia ad Miſſam, an genuflectendum Celebranti Abſolutionem, ejuſque Miniſtris. II. 396.

Aceti Thomæ nunc Epiſcopi Laquedonienſis Notæ in Barrium laudantur. I. 47.

Aceti Thomas Epiſcopus Laquedonienſis laudatus. II. 324.

Acclamationes in Synodis. I. 416.

Acolythus de thuribulo, & navicula, ejuſque qualitates, ac munia. I. 162. & ſeq.

Acolythus de ampullis, ejuſque Officia. I. 165. & ſeq.

Actus voluntarii & facultativi non ſunt apti ad inducendam obligationem, & quando ceſſet hæc regula. I. 286.

S. Adalbertus Epiſcopus pedibus nudis ad ſuam Civitatem Epiſcopalem intrat, I. 22.

Advocati Romanæ Curiæ hallucinatio ajentis Crucem pectoralem Epiſcopi eſſe ornamentum civile, non ſacrum. I. 397.

Admonitor idem ac Cæremoniarum Magiſter. I. 72.

Adventus Domini, & ejus tempus, ac ritus in eo ſervandus. II. 169. & ſeq.

Adventus peculiares Ritus in quibuſdam Eccleſiis. II. 172.

Agathenſis Concilii Canon XLVII. explicatus. I. 359.

Agnus Dei in Miſſa cum tunſione pectoris, præterquam in Miſſis Defunctorum. II. 123. & ſeq.

Agnus Dei &c. in Miſſa Defunctorum, ut dicendum. II. 123. & ſeq.

Agnus Dei qui tollis peccata &c. dicendum ter in Miſſa, & ejus varius ritus. II. 123. Cur ad tertium in Baſilica Lateranenſi omittitur, *dona nobis pacem*. *ibid.*

S. Aidanus Epiſcopus pedibus dioeceſim peragrabat; equum ſibi a Rege donatum pauperi largitur, reprehenſuſque ab eo, ut reſpondit. I. 70.

Alba vetuſtiſſima Epiſcoporum, aliorumque Eccleſiæ miniſtrorum veſtis; ne defluat, & greſſum impediat, cingulo ſtringitur. I. 128.

Alexandri Papæ IV. Conſtitutio de celebrando anniverſario ſummorum Pontificum, & Cardinalium defunctorum. II. 394.

Alexandri Papæ VI. proceſſus ad Baſilicam Lateranenſem ſolemnis. I. 29.

Alexandri Papæ VII. Conſtitutio adverſus muſicæ & muſicorum abuſus. I. 386.

B. Alexandri Saulii ſolemnis ingreſſus in ſuam Civitatem Epiſcopalem Papiæ, ejuſque de futura ſua morte vaticinium. I. 28. Eidem in primo ſuo ad ipſam Civitatem ingreſſu traditæ claves argenteæ. I. 43.

Alexandro Papæ III. redeunti e Gallia occurſus cum ſolemni proceſſione. I. 31. & ſeq.

Alma Redemtoris Mater &c. Antiphona in fine Officii. II. 34.

Almutia quid. I. 281.

Altare majus in ſolemnioribus Feſtis, vel Epiſcopo celebraturo, ſplendidius ornandum. I. 181.

Altare palliis, & linteis nitidis ornandum. I. 182.

Altare tribus mappis benedictis tegendum. I. 182.

Altare SS. Sacramenti præ ceteris ſumtuoſius exornandum. I. 191.

Altare ſi parieti adhæreat, ibidem appendenda tabula, ſeu pannus cum ſacra Imagine. I. 186.

Altare oſculandum regulariter ab Epiſcopo, dum a ſede ſua ad ipſum accedit. I. 291.

Altare oſculandum a Celebrante in medio, dum ante ipſum ſtans ſe vertit ad populum. I. 291.

Altare dum oſculatur, non facienda Crux manu Celebrantis in ejus medio. I. 291.

Altare nudatum ad verba illa paſſionis in Paraſceve: *Clamans voce magna expiravit*. II. 281.

Al-

Digitized by Google

Altaris baldachinum, & ejus forma, & quando ſuper illo appendendum. I. 186. & ſeq.
Altaris gradus u.. tegendi in Feſtivitatibus. I. 189. & ſeq.
Altaris incenſatio ut facienda. I. 136. & ſeq.
Altaris portatilis uſus Epiſcopo conceſſus. I. 393.
Altaria floribus exornare antiquiſsimus Eccleſiæ ritus. I. 170. & ſeq.
Altaria præſertim velis, & aulæis ornata Feſtis diebus. I. 173.
Altaria Sanctorum nitidius exornare Altari, in quo eſt Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, abuſus minime ferendus. I. 191.
Altarium lintea, ſeu mappæ, antiquiſſima. I. 182.
Altaria in feſtivitatibus ornanda vaſculis cum floribus, frondibuſque odoriferis. I. 185.
Altaria abluta per Epiſcopum, vel per alium, eo deficiente, Feria VI. in Paraſceve. II. 299.
Altarium denudatio Feria V. in Cœna Domini. II. 263. & ſeq.
Altarium, & pavimenti lotio Feria V. in Cœna Domini. II. 264.
Altariſta Baſilicæ Vaticanæ ejuſque munia, & emolumenta. I. 244.
Ambo, ſeu pulpitum, ubi habenda concio, ut ornandum. I. 307.
Ambones quot olim in Eccleſiis. I. 149.
Ambones, in quibus Epiſtola, & Euangelium cantantur, in Feſtivitatibus ut ornandi. I. 195.
S. Ambroſius ejecit a Presbyterio Theodoſium Imperatorem I. 118.
S. Ambroſii pedibus provolutus Theodoſius ſe meritis ejus ſervatum eſſe teſtatur. I. 48.
Amburbale quid. II. 189.
Amictus olim, ſicut hodie in Eccleſia Mediolanenſi, & Lugdunenſi ſuper albam induebatur. I. 128.
Amictus, ſicut & aliæ veſtes ſacræ, in medio Crucem habere debet. I. 128.
Amictus qua cæremonia induendus. I. 128.
Anniverſarium Electionis, & Conſecrationis Epiſcopi, & ritus quo celebrari debet. II. 392. & ſeq.
Anniverſarium Electionis, & Conſecrationis Epiſcopi, ut celebrandum. II. 392. & ſeq.
Anniverſarium pro Epiſcopo proxime defuncto ut celebrandum. II. 393.
Anniverſarium defunctorum, ſi incidat in diem Dominicum, vel feſtivum, transferrendum in diem ſequentem. II. 394.
Anniverſarium omnium Epiſcoporum defunctorum quotannis in Eccleſia Cathedrali faciendum, & quo ritu. II. 394.
Anniverſarium ſi occurrat infra octavas privilegiatas, vel intra dies expoſitionis Sacramenti occaſione quadraginta Horarum quid. II. 394.
Anniverſarium defunctorum Summorum Pontificum diſtinctum ab anniverſario pro defunctis Cardinalibus celebrandum. II. 394. & ſeq.
Anniverſarium pro Canonicis Cathedralis Eccleſiæ, ut celebrandum. II. 395.
Anniverſaria, & Miſſarum onera deſcribenda in tabella. I. 101.
Anniverſaria pro defunctis a primis ſeculis uſitata. I. 101. & 102.
Anniverſaria Defunctorum antiqua in Eccleſia. II. 393.
Annunciationis Deiparæ Feſtum in Quadrageſima. I. 376.
S. Anſelmus Cantuarienſis Antiſtes accerſitus a Rege, ut ei benedictionem impertiret. I. 38.
Antiphona quid. II. 10.
Antiphonæ reliquæ in Veſperis a quo, & quibus præintonandæ. II. 13. & ſeq.
Antiphonæ Beatæ Mariæ Virginis in fine Officii, quæ, & quos habent Auctores. II. 34.
Antiphonæ ad Matutinum per quos, & quibus præintonandæ. II. 41. & ſeq.
Annulus Epiſcopalis, ut Epiſcopo imponendus per aſſiſtentem Presbyterum. I. 106.
Annulis pluribus aliquando uſi Epiſcopi. II. 70.
Apolyſis apud Græcos quid. II. 129.
Apolyſin, ideſt, dimiſſionem canunt Græci in fine Liturgiæ. I. 141.
Apoſtoli olim an habuerint particulares ſolemnitates. I. 377. & ſeqq.
Aprilis dies XXV. honori Principis Apoſtolorum olim conſecrata. II 369.
Aqua pro lotione manuum Cardinalis, & Archiepiſcopi, vel Epiſcopi valde inſignis a quibus deferenda, & quomodo miniſtranda. I. 167. & ſeq.
Aqua lavandis manibus Epiſcopi celebrantis, ut præguſtanda, & a quo. I. 168.
Aqua in ſcripturis quid. II. 105.
Aqua miſcenda vino in Miſſa benedicenda ex antiquo ritu, & cur. II. 105.
Aqua immiſcenda vino in Miſſa defunctorum non benedicenda. I. 152. Cur II. 153. & ſeq.
Aquæ cur minor quantitas miſcendæ vino in Miſſa. II. 105. & ſeq.
Aqua benedicta quo ritu conficienda. I. 94
Aqua benedicta ſingulis ſaltem hebdomadis renovanda. I. 94.
Aqua benedicta, præter Epiſcopos, per aſperſionem aliis, etiam Toparchis dari a Sacerdote debet, non vero per aſperſorium. I. 41.
Aqua benedicta Feria VI. in Paraſceve. II. 279.
Aquæ benedictæ aſperſio eſt quædam ſpecies benedictionis. I. 41.
Aquæ benedictæ aſperſionis ritus diebus Dominicis. II. 358. & ſeq.
Aquæ benedictæ aſperſio non fuit primitus inſtituta, ut nota honoris eſſet, & honorificis juribus annumeraretur. I. 41.
Aqua benedicta eos aſpergi, qui proceſſionaliter Eccleſiam ingrediuntur, abuſus a Benedicto XIII. in Baſilica Vaticana correctus. II. 366.
Archiclavis idem ac Sacriſta. I. 85.
Archidiaconus olim Romæ Proceſſiones dirigebat tenens ferulam in muneris ſui ſignum. I. 71.
Archidiaconus prima Dignitas, & Sacerdos tenetur fungi officio Presbyteri aſſiſtentis. I. 118.
Archidiaconus ſuſtinens Baculum Epiſcopi incenſandus poſt Presbyterum, & duos Diaconos aſſiſtentes. I. 105.
Archidiaconi olim vicarii nati Epiſcoporum. I. 27.
Archidiaconi, ſive Diaconi olim Cæremoniarum eccleſiaſticarum directores. I. 71.

Ar-

Digitized by Google

Archiepiſcopi cum primum Provinciam ſuam intraverint, facient ante ſe Crucem deferri. I. 22.
Archiepiſcopi, & Epiſcopi quid poſſint, & quid non poſſint in locis ſuæ Dioeceſis exemtis facere. I. 23.
Archiepiſcopi, & Patriarchæ nequeunt ſibi Crucem præferri, ubi præſentes ſunt Legati a latere ſummi Pontificis. I. 60.
Archiepiſcopi cur præviam Crucem habeant, cum ambulant, & quando eo donati privilegio. I. 23.
Archiepiſcopi Mediolanenſis primus ſolemnis ingreſſus in ſuam Civitatem. I. 23. & ſeq.
Archiepiſcopo, vel Epiſcopo valde inſigni celebrante, qui adhibendi ad lotionem manuum. I. 167. & ſeq.
Archiepiſcopo Mediolanenſi Confanoneria familia juramentum fidelitatis præſtat. I. 50.
Archiepiſcopis, & Epiſcopis abſtinendum a benedictionibus dandis, ubi ſunt præſentes Cardinales legati a latere. I. 60.
Archiepiſcoporum Florentinorum primus ingreſſus in Civitatem lectu curioſus. I. 48. & 49.
Archipresbyter prima Dignitas Pluviali indutus debet porrigere aſperſorium Epiſcopo ingredienti ſuam Civitatem. I. 33.
Arcus triumphales per vias Urbis dum Romani Pontifices poſt ordinationem ad Baſilicam Lateranenſem pergerent. I. 29.
Arundo cum tribus candelis in Proceſſione Sabbati ſancti, & ejus ritus. II. 316. & ſeq.
Aſelli fræna, dum illo veheretur S. Cæleſtinus Papa V. tenuere Reges Siciliæ, & Hungariæ. I. 21.
Aſello vectus idem S. Petrus Cæleſtinus, dum equitaret. I. 21.
Aſperſorium porrigendum Epiſcopo in primo ad ſuam Civitatem ingreſſu ab Archipresbytero, qui ſit prima Dignitas. I. 33.
Aſperſorium ubi porrigendum novo Epiſcopo in primo ejus ingreſſu. I. 40.
Aſperſorium per quem porrigendum Epiſcopo ad Eccleſiam venienti. I. 232.
Aſperſorium cum aqua benedicta Toparchis porrigi a Sacerdote vetitum. I. 41.
Aſperſorium cum aqua benedicta cur Epiſcopo, & non aliis porrigatur. I. 41.
Aſperſorium porrigendum Epiſcopo per digniorem illius Eccleſiæ, ad quam accedit. I. 41.
Aſperſorium porrigere cum aqua benedicta Epiſcopo accedenti ad Cathedralem Eccleſiam privative in omnibus functionibus ſpectat ad primam Dignitatem, vel Canonicum digniorem ipſius Eccleſiæ. I. 41.
Aſſiſtens Presbyter Epiſcopo, debet eſſe dignor ex Dignitatibus. I. 105.
Aſſiſtens Presbyter Epiſcopo quibus veſtibus induatur. I. 105.
Aſſiſtens Presbyter tenet ſupra caput Librum cum Epiſcopus aliquid ex eo cantat, non quando legit. I. 118.
Aſſiſtens Presbyter ut tenere Librum ſupra caput debet, cum ex eo aliquid eſt cantaturus Epiſcopus. I. 106.
Aſſiſtens Presbyter, licet non ſit prima Dignitas, thurificandus eſt ante Archidiaconum paratum loco Diaconi Epiſcopo aſſiſtentem. I. 109.
Aſſiſtens Presbyter ex Craſſo debet cum barba raſa aſſiſtere, quia daturus eſt oſculum Pacis Magiſtratibus, & aliis. I. 110.
Aſſiſtentis Presbyteri Pluviale debet eſſe ſine formalio. V. 105.
Aſſiſtentis Presbyteri munus, ut cum Epiſcopus paratus erit ſacris paramentis, ei anulum imponat. I. 106.
Aſſiſtentis Presbyteri locus. I. 107.
Aſſiſtentis Presbyteri Officium quodnam in Veſperis. I. 108. & ſeq.
Aſſiſtentis Presbyteri munus ſuſtinere ſupra caput Librum cum Epiſcopus primam Antiphonam eſt intonaturus. I. 106.
Aſſiſtentis Presbyteri munia varia. I. 105. & ſeqq.
Aſſiſtenti Presbytero ſermonem coram Epiſcopo celebrante habituro, qui ritus ſervandi. I. 116.
Aſſiſtentes Diaconi Epiſcopo celebranti quibus veſtibus induti eſſe debent. I. 121.
Aſſiſtentes Diaconi duo, eorumque munia, Epiſcopo ſolemniter celebrante. I. 120. & ſeqq.
Aſſiſtentes duo Diaconi Epiſcopo licet minus digni ſint, ratione aſſiſtentiæ thurificari debent ante Dignitates, & ceteros Canonicos. I. 123.
Aſſiſtentes duo Diaconi Epiſcopo, eidem reſpondent cum aſſiſtente Presbytero, in recitatione Pſalmorum ad præparationem Miſſæ. I. 124.
Aſſiſtentes duo Diaconi Epiſcopo non celebranti, ſed Officio divino præſenti, in habitu Canonicali inſervient. I. 125.
Aſſiſtentium duorum Diaconorum Epiſcopo celebranti munia. I. 121. & ſeqq.
Aſſiſtentia cum Pluviali facienda eſt Epiſcopo celebranti a prima Dignitate, vel a primo Canonico in Ordine Presbyterali conſtituto, quocumque nomine appelletur. I. 105.
S. Athanaſio redeunti Alexandriam, ut occurrerint Alexandrini Cives. I. 30.
Auguſtalis nummus quis, I. 1. 89.
S. Auguſtinus nullum teſtamentum fecit, quia unde faceret, pauper Dei non habuit. II. 402.
Aulæa, & vela in parietibus Templorum feſtis diebus appenſa. I. 172. & ſeq.
S. Aurea Stolam a Diacono eripiens, ſuoque collo imponens, Euangelium cantavit in Miſſa, ſed deinde correcta ab Angelo. II. 93.
Aurelianenſis Epiſcopus Cathedræ innixus Epiſcopali nobilium humeris defertur ad Eccleſiam in die ſuæ ordinationis. I. 34.
Ave Maria. Vide. Salutatio Angelica.
Ave Regina Cælorum &c. Antiphona in fine Officii, & ejus Auctor quis. II. 34.

B

BAculus paſtoralis ut tenendus a Miniſtro de illo. I. 273.
Baculus paſtoralis quid olim fuerit. I. 169.
Baculus paſtoralis initio IV. Seculi inſigne juriſdictionis Epiſcopalis. I. 269. & ſeq.

Digitized by Google

Baculus paſtoralis non adhibendus ab Epiſcopo in Officiis, & Miſſis Defunctorum. I. 274. & ſeq.
Baculus, & Mitra in Epiſcopis ſunt correlativa, non tamen in Officiis, & Miſsis Defunctorum, in quibus uſus Baculi ceſſat. I. 274.
Baculus ab Epiſcopo deponendus dum orat. I. 277.
Baculus paſtoralis quando adhibendus ab Epiſcopo in Veſperis, & in Miſſis ſolemnibus. I. 273. & ſeq.
Baculus paſtoralis ut, & per quem geſtandus in Proceſsione Feſti Corporis Chriſti. II. 377. & ſeq.
Baculus paſtoralis apud defunctum Epiſcopum poſitus. II. 405.
Baculi paſtoralis myſticæ ſignificationes. I. 270.
Baculo paſtorali uti nequit Epiſcopus in Diœceſi aliena ſine Ordinarii licentia. I. 270. & ſeq.
Baculo paſtorali in quibus functionibus utendum Epiſcopo. I. 272. & ſeq.
Baculo, & Mitra in Proceſsionibus extra Monaſterium Abbates uti non poſſunt. I. 273.
Baculo Abbatiali cur ad ejus nodum appenſum velum, ſeu ſudarium. I. 36.
Baculum ante Epiſcopum geſtare, ſi adſit conſuetudo, Canonicus, ſeu Dignitas tenetur. I. 273.
Baldachinum. Vide. Umbraculum.
Baldachinum deferendum ſuper caput Epiſcopi cum facit ſuum primum ingreſſum in Civitatem ſuam Epiſcopalem. I. 36. & ſeqq.
Baldachinum, ſeu Umbraculum Altaris, & ejus forma, & quando ſuper illo appendendum. I. 186.
Baldachini, & Umbellæ forma. I. 226.
Baldachini uſus in Eccleſia Baronibus vetitus. I. XVII. & ſeq. & I. 224. & ſeq.
Baldachini honore donati ſummi Pontifices, dum per loca tranſirent. I. 225.
Baldachini haſtæ per quos deferendæ in Epiſcopi ſolemni ad Civitatem ſuam ingreſſu. I. 37. & ſeq.
Baldachini haſtæ a quibus deferendæ. I. 226. & ſeq.
Baldachini haſtæ in Proceſsione Feſti Corporis Chiſti quot, & per quos deferendæ. II. 377.
Baldachini haſtæ in Proceſsione Feſti Corporis per quos deferendæ per viam. II. 381.
Baldachini haſtas deferunt Nobiles Caſtri maris in Feſto Corporis Chriſti, Feria V. in Cœna Domini, & Paraſceve. I. 37.
Baldachino exceptus Neapoli a Rege S. Franciſcus de Paula. I. 225.
Baldachino exceptus a Bononienſibus Joannes Vincentius Dominicanus. I. 225.
Baldachina, & Umbellæ Euchariſtiæ proceſsioni deſtinata cujus coloris. I. 226.
Baptiſmalis Fontis benedictio, & ad eum Epiſcopi acceſſus. II. 325. & ſeqq.
Baptiſmus olim a ſolis Epiſcopis conferri ſolitus. II. 325. & ſeq.
Barbam raſam habere debet Presbyter aſsiſtens Epiſcopo, & cur. I. 110.
Barchinonenſis Synodi Canon II. explicatus. I. 363.
Barnius Georgius Epiſcopus Placentinus ſacrorum Rituum tenax. II. 117.
Baronius Cardinalis ab Antonio Caracciolo notatus. I. 11. & ſeq.
Baronibus Baldachini uſus in Eccleſia vetitus. I. XVII. & ſeq. & 224.
Bartholomæus de Martyribus Dominicanus declamat coram Pio IV. quod Epiſcopi nudo capite ſtarent ante ipſum, Cardinalibus ſedentibus, tectis capitibus. I. 62.
Baſilicæ Vaticanæ ritus defenditur excipientis Proceſſionem S. Marci. II. 366.
Baſilicarum S. Mariæ Majoris, & S. Mariæ Tranſtyberim Canonici laudantur. II. 306.
S. Baſilii magnanimam in dicendo libertatem admiratur Imperatoris Præfectus, & cedit. I. 68.
Bellarmini Cardinalis querela, quod mundior eſſet ſupellex menſæ Epiſcopi, quem ejus Eccleſiæ. I. 89.
Benedictio Epiſcopalis profecta a veteri Teſtamento. I. 361.
Benedicamus Domino, quando in Miſſis dicendum. I. 141. & ſeq.
Benedici ab Epiſcopis olim Reges avebant. I. 38.
Benedictio Epiſcopalis genibus flexis accipienda. I. 23.
Benedictio Epiſcopalis peccata venialia dimittit. I. 24.
Benedictio Epiſcopalis manu dextera aperta, & extenſa, ac ſignum Crucis faciente. I. 38.
Benedictio ſolemnis ab Epiſcopo, ubi primum ad Eccleſiam ſuam acceſſit. I. 45.
Benedictio ſolemnis quo ritu ab Epiſcopo danda. I. 301. & ſeq.
Benedictio Epiſcopalis qua prece præmiſſa, & quo ritu impertienda. I. 353. & ſeq.
Benedictio Epiſcopalis quo ritu apud Græcos impertiatur. I. 355. & ſeq.
Benedictio Epiſcopalis impertienda ab Epiſcopo cum Baculo, & Mitra ſtante, niſi in Altari expoſitum ſit Sanctiſſimum Sacramentum, tunc enim nudo capite ſtabit. I. 356. & ſeq.
Benedictio Epiſcopalis ab Archiepiſcopo, & ab eo qui ex privilegio utitur Cruce, nudo capite danda. I. 356. & ſeq.
Benedictio Epiſcopalis dari olim ſolita in Miſſa poſt Dominicam Orationem. I. 358.
Benedictio Epiſcopalis pro varia Eccleſiarum diſciplina, in aliis poſt Orationem Dominicam, in aliis in fine Miſſæ data. I. 359. & ſeq.
Benedictio Epiſcopalis ut impertiri debeat, obſervandus eſt Altaris ſitus. I. 361.
Benedictio Epiſcopalis ut danda in fine Veſperarum, & Matutini. I. 362. & ſeqq.
Benedictio Epiſcopalis in defunctorum Miſſis non danda, alicubi tamen interdum data. I. 362.
Benedictio ut ab Epiſcopo danda, ubi divino Officio aſſiſtit cum Cappa. I. 364.
Benedictio Epiſcopalis a quo impertienda, ubi una cum Epiſcopo adſunt Legatus, aut Cardinalis non Legatus, Metropolitanus, Nuntius Apoſtolicus vel alii ipſo dignitate ſuperiores. I. 365. & II. 130.
Benedictio petenda per Concionatorem ab Epiſcopo, & quo ritu. I. 302. & 304.
Benedictio in fine Miſſæ apud Græcos, & apud Latinos. II. 130.
Benedictio, & Abſolutio, quæ in divino Officio lectiones præcedunt, olim non dictæ. II. 44.

Be-

Digitized by Google

Benedictio Candelarum ut peragenda in Festo Purificationis Deiparæ, absente Episcopo, & in Collegiatis. II. 202. & seq.
Benedictio Cinerum in Feria quarta initio Quadragesimæ. II. 209. seqq.
Benedictio Palmarum. Vide. Palmarum Benedictio.
Benedictio cum Sanctissimo Sacramento quo ritu ab Episcopo largienda. II. 386.
Benedictio cum Sanctissimo Sacramento dari debet per Sacerdotem Pluviali indutum, non vero Cotta, & Stola tantum, ut est quorundam abusus. II. 389.
Benedictionis formula ante concionem dari solita antiqua. I. 305.
Benedictionis Episcopalis variæ formulæ pro varietate functionum Ecclesiasticarum. I. 358.
Benedictionis Episcopalis effectus qui. I. 361.
Benedictio petendæ ritus in divino Officio ante lectionem ritus antiquus. II. 45.
Benedictionem Episcopus recens ordinatus apud Græcos etiam extra Diœcesim suam populo ad ipsum confluenti largitur. I. 45.
Benedictionem cum manus impositione, & signaculo Crucis super capita virorum dantes Abbatissæ reprehensæ. I. 360.
Benedictionem Episcopalem dari in fine Missæ, antiquus Ecclesiæ Romanæ ritus. I. 360.
Benedictionem cur Concionator petat. I. 305.
Benedictionem petere non debet ab Episcopo Ordinario licet Cardinali Episcopus in Diœcesi aliena concionaturus, & cur. I. 305.
Benedictionem Episcopo impertiente, genuflectendum. I. 361.
Benedictiones Episcopales varia olim capita continebant, & ad singula dicebatur *Amen*. I. 358.
Benedictus XIII. Cæremoniarum sacrarum peritissimus, ad eumque missi Beneventum a regionibus longinquis Presbyteri, ut easdem Cæremonias ab ipso addiscerent. I. XIII.
Benedictus XIII. Cæremonialis Episcoporum corrector. I. XII. Ejusdem Constitutio. I. XV.
Benedictus XIII. ritum genuflectendi renovavit ad recitationem trium Angelicarum salutationum mane, meridie, & sero. I. 99. Idem signum audiens salutationis Angelicæ, e curru descendens flectebat humi genua tempore etiam pluvio, & preces nudo capite recitabat. *ibid.*
Benedictus XIII. in Processione SS. Sacramenti fieri solita a Capitulo S. Petri in octava Corporis Christi cereum accensum gestavit. II. 389.
Benedictus XIII. laudatus. I. 226. & alibi passim.
BENEDICTUS XIV. multis nominibus celebrandus, & quo potissimum. II. IV. Mœcenatum omnium Princeps. *ibid.* Pietate, & omnigena eruditione nulli secundus. *ibid.* De Christiana, & Literaria Republica optime meritus. *ibid.* Disciplinæ Ecclesiasticæ vindex. *ibid.* Bonis studiis addictorum amator egregius non verbo, sed opere, & veritate. *ibid.* Rebus feliciter gestis, Libris editis, ac legibus promulgatis, celebrandus multis nominibus. *ibid.*
Benedictus XIV. Auctor novi Cæremonialis pro Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus Prælatis &c. I. XII. Ejusdem super ipso Cæremoniali Constitutio. I. XXII.
Benedictus XIV. Congregationis ab Innocentio Papa XI. institutæ pro electione promovendorum ad Episcopatus restaurator. I. 8.
Benedictus XIV. confirmat Indulgentias concessas a Benedicto XIII. iis, qui genuflectunt ad signum Angelicæ salutationis, & Virginem salutant, cum limitatione temporis, in quo non est genuflectendum. I. 99.
Benedicti XIV. novum Cæremoniale laudatum. I. 66. 67. & alibi frequenter.
Benedicti XIV. zelus, pietas, & disciplina I. 393.
Benedicti XIV. laus summa, quod inter Præsules, quos sponte ipse sua elegit, plures, vel constantissime renuentes, vel summe reluctantes invenerit. I. IV.
Benedicti XIV. Constitutio pro exequiis Cardinalium mane celebrandis. II. 411.
Benedicti Canonici ordo Romanus XI. laudatus. II. 275. ubi tamen numerus X. ex errore omissus.
Beneficia Ecclesiastica, quando sibi Apostolica Sedes reservavit. I. 2.
Beneficia Ecclesiastica, ceteris paribus, conferenda indigenis. I. 77.
Beneficiarii sunt bonorum Ecclesiasticorum simplices administratores, non Domini. II. 402.
Beneficiati, & ceteri de Clero genuflectere debent transeuntes ante Altare, & ante Episcopum. I. 278.
Beneficiati, vel alii de Clero supervenientes in Chorum inchoato Officio, ut se gerere debeant, & a quibus tunc ipsi salutandi. I. 280.
Beneficiati non bene habiti a Canonicis. I. 281.
Bennonis Cardinalis calumnia contra S. Gregorium VII. Papam. II. 104.
Biretum rubrum concessum Cardinalibus a Paulo Papa II. II. 33.
S. Bonaventura primus Auctor, ut signo Campanæ post Completorium, excitarentur fideles ad salutandam Deiparam. I. 98.
Bonifacius VIII. cum thuribulis deductus ad Lateranum. I. 42. Ejusdem solemnis pompa in sua inauguratione. I. 29.
Bonæ Cardinalis lapsus. I. 359.
Brachiata sedes pro Celebrante Missam solemnem vetita. I. 200. & seq.
Brunduſii Epistola, & Euangelium semel in anno Dominica Palmarum Latine, & Græce recitatum. I. 147.
Bugia instrumentum argenteum cum candela desuper accensa. I. 292.

C

CAcciaguerra Bonsignorius laudatus. I. 343. & seq.
Cælestis Dea Carthagine adorata, & ejus inscriptio. I. 226. & seq.
Cæremoniale Episcoporum ex Romanis Ordinibus, præsertim ex Cæremoniali Augustini Patricii compactum. I. XI. & seq. & alibi.

Digitized by Google

Cæremoniale Epiſcoporum a tribus ſummis Pontificibus approbatum habet vim Legis. I. XI.
Cæremoniale Benedicti XIV. pro Provinciarum Præſidibus, Gubernatoribus Prælatis &c. initio hujus Operis deſcriptum. I. XIV. & ſeqq.
Cæremoniale novum Benedicti XIV. pro Provinciarum Præſidibus &c. laudatur 66. & 67. & alibi frequenter.
Cæremoniale Paridis Craſſi habendum præ manibus a Cæremoniarum Magiſtris. I. 72.
Cæremonialis locus explicatus circa mutationem Capparum. I. 57.
Cæremonialis Typographi error notabilis correctus. II. 202.
Cæremonialis Epiſcoporum enarrandi difficultates. I. IX.
Cæremoniæ Eccleſiaſticæ ab Apoſtolis introductæ, & cur. I. XII. & 71.
Cæremoniæ Eccleſiaſticæ vel minutiſsime ſervandæ. I. XII.
Cæremoniæ Eccleſiaſticæ quæ annuatim occurrunt, populo explicandæ. II. 208.
Cæremoniarum ſacrarum definitio. I. XII.
Cæremoniarum Magiſtri antiquitas in Eccleſia. I. 71.
Cæremoniarum Magiſter variis nominibus appellatus, & quæ ea ſint. I. 72.
Cæremoniarum Magiſtri electio pertinet ad Epiſcopum. I. 73.
Cæremoniarum Magiſter in unaquaque Eccleſia conſtituendus. I. 72.
Cæremoniarum Magiſtros duos eſſe conſtituendos unum ab Epiſcopo, alterum a Capitulo edixit Synodus XII. Beneventana. I. 72.
Cæremoniarum Apoſtolicarum, ſive Capellæ Papalis Magiſtrorum munia. I. 72. & ſeq.
Cæremoniarum Magiſtri habere debent præ manibus Cæremoniale Paridis Craſſi. I. 72.
Cæremoniarum Magiſter in functionibus tantum Epiſcopalibus uti veſte violacea poteſt. I. 73.
Cæremoniarum Magiſtri quales eſſe debeant. I. 73.
Cæremoniarum Magiſter a Capitulo electus munus ſuum exercere nequit ſine approbatione Epiſcopi. I. 73.
Cæremoniarum Magiſtris in his quæ ſpectant ad cultum divinum, parere omnes debent. I. 73.
Cæremoniarum Magiſter primus cur ſaltem attingere debet XXV. annum. I. 73. & ſeq.
Cæremoniarum Magiſtri quos libros legere debent ad aſſequendam notitiam Rituum. I. 74.
Cæremoniarum Magiſtri cura præcipua eſſe debet circa perſonam Epiſcopi. I. 74.
Cæremoniarum Magiſtri verſati eſſe deberent in ſtudio Canonum, Patrum, & Theologiæ ſancti Thomæ. I. 74.
Cæremoniarum Magiſtri quanta præditi eſſe debent doctrina. I. 74.
Cæremoniarum Magiſtri prævidere prius debent quæ agenda ſunt in ſacris functionibus obeundis. I. 75. & ſeq.
Cæremoniarum Magiſter debet eſſe in Sacerdotio conſtitutus. I. 75.
Cæremoniarum Magiſtri quanta debet eſſe circumſpectio. I. 75.
Cæremoniarum Magiſtri duo conſtituendi, ſi fieri poſsit, de gremio Eccleſiæ. I. 77.
Cæremoniarum Magiſtrorum habitus qualis. I. 78.
Cæremoniarum Magiſtrorum ſumma in divinorum Officiorum celebratione auctoritas. I. 79.
Cæremoniarum Magiſtris ferula conceſſa, & quæ ejus forma. I. 81.
Cæremoniarum Magiſtris præter extraordinaria emolumenta certum, & commodum ſtipendium aſsignandum. I. 82.
Cæremoniarum Magiſtri, ubi non adſint Magiſtri Chori curare debent, ut in Choro divina Officia recte celebrentur. I. 78.
Cæremoniarum Magiſtri etiam laicos monere debent, ut rite in Eccleſia verſentur. I. 81.
Cæremoniarum Magiſter in Eccleſia Modiolanenſi quis conſtituendus. I. 82.
Cæremonias novas inducere nemini licet. I. 76.
Cæremoniis dirigendis qui olim præfecti. I. 71.
Cæremoniis addiſcendis inſtituendæ Congregationes, & qui intereſſe illis debent. I. 74.
Cajetani Cardinalis ſententia ajentis, ex jure ſociari nun poſſe Cardinalatum Epiſcopatui. I. 65.
Calaber ſapientiſſimus dictus Gulielmus Cardinalis Sirletus. I. 46.
Calabri multi a regnante Pontifice Benedicto XIV. ad Epiſcopatus evecti. II. 324.
Calabria Viris ſemper doctrina, dignitate, & ſanctitate conſpicuis abundavit. II. 324.
Calabria celebri S. Hieronymi elogio laudata. *ibid.*
Caligæ, & Sandalia quid. I. 144. & ſeq.
Caligæ, Sandalia, Gremiale pro Miſſa Pontificali ponenda ſuper abacum. I. 197.
Caligarum forma quæ. I. 144.
Caligis, & Sandaliis uſi olim non modo Epiſcopi, ſed & alii ſacri Miniſtri. I. 144.
Calix in Miſſa inſtruendus a Celebrante. I. 395.
Calix cum Patena, & Hoſtiis deferendus a Subdiacono de abaco ad Altare, & quo ritu. II. 102.
Calix quo ritu offeratur in Miſſa a Celebrante, & a Diacono. II. 106. & ſeq.
Calix in Miſſa quando amovendus ab Altari. I. 154.
Calix amplior, pulchriorque ubi reponatur Euchariſtia Feria v. Cœna Domini. II. 252.
Calicis natalis appellata Feria v. in Cœna Domini. I. 378.
Calicem cur una cum Celebrante offerat Diaco- II. 106. & ſeq.
Calicem manu tenente Sacerdote inceptæ Veſpere Feria v. in Cœna Domini. II. 263.
Calicem manu tenens Epiſcopus, vel Sacerdos Veſperas olim alicubi incipiebat Feria VI. in Paraſceve. II. 298.
Calice cum Patena accepto Sacerdos celebrans Miſſam facta Confeſsione ter alta voce dicebat olim, *Chriſtus Dominus reſurrexit &c.* II. 332.
Callixtus III. inſtituit ut in meridie pulſaretur Campana ad ſalutandam Virginem. I. 99.
Camiſialis veſtis quæ. I. 97.
Campana pulſanda ubi ad ægrotum deferenda Euchariſtia. I. 98.
Campana pulſanda pro elevatione Euchariſtiæ in Miſſa majori. I. 97.

Cam-

Digitized by Google

Campana ut pulſaretur pro ſalutatione Angelica recitanda quis primus Auctor. I. 98.
Campana pulſanda Matutino, Meridiano, ac Veſpertino tempore pro ſalutatione Angelica recitanda. I. 98.
Campanæ originem ducunt a tubis veteris Teſtamenti. I. 97.
Campanam pulſandam qualibet ſexta Feria hora vigeſima prima in memoriam mortis Chriſti ſtatuit Benedictus XIV. & Indulgentias conceſsit, qui tunc genibus flexis ter Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam dicerent. I. 99.
Campanæ pulſandæ cum Epiſcopus per ſuam Diœceſim incedit. I. 38.
Campanæ pulſandæ ab Eccleſiaſticis Viris non vero a laicis. I. 97.
Campanæ pulſandæ pridie ejus diei qua Synodus erit inchoanda. I. 413.
Campanæ olim a Sacerdote erant pulſandæ. I. 97.
Campanæ Sabbato Sancto quando pulſandæ in Miſſa, & in qua primum Eccleſia. II. 331. & ſeq.
Campanas pulſantes congruit Superpelliceis eſſe indutos. I. 97.
Campanis pulſandis pro temporum ratione certa hora ab Epiſcopo aſſignanda. I. 97.
Campanula præire ſolita Epiſcopo per Diœceſim ſuam procedenti, ut omnes ſcilicet genuflecterent. I. 23.
Campanula pulſanda per viam, cum Euchariſtia defertur ad infirmos. I. 98.
Cancellariæ Regulæ commentariis illuſtratæ a Viro Cl. Joanne-Baptiſta Rigantio. I. IX.
Candelabrum triangulare pro Matutino Officio Tenebrarum cum quindecim candelis ceræ communis. II. 241.
Candelabra antiquiſsima in Eccleſia. I. 182. & ſeq.
Candelabra quot in Altaribus. I. 191.
Candelabra ſeptem in Altari celebrante Epiſcopo. I. 184. & ſeq.
Candelabra ſeptem adhibenda in Altari cum proprius Epiſcopus celebrat Miſſam Pontificalem, non vero ſi Suffraganeis, vel Adminiſtrator. Epiſcopus celebret. I. 185.
Candelabra ſeptem in Sacris ſolemnibus celebranti Abati vetita. I. 185.
Candelabra quid. II. 189.
Candelæ delatæ in Proceſſione Feſti Purificationis Deiparæ ad Euangelium Miſſæ accendendæ, II. 201. & ſeq.
Candelæ quando diſtribuendæ, & accendendæ in ſolemni Miſſa defunctorum. II. 152. & ſeq.
Candelarum benedictarum in Feſto Purificationis Deiparæ utilitas. II. 208.
Candelarum diſpenſatio in Feſto Purificationis Deiparæ, quo ritu. II. 195. & ſeqq.
Candelarum benedicendarum ritus in Feſto Purificationis Deiparæ. II. 192. & ſeq.
Candelas quatuor accenſas habere in Miſſis privatis nec Vicariis Generalibus convenit, quamvis ſint Protonotarii. I. 191.
Canon Miſſæ variis nominibus appellatus. II. 114.
Canon Miſſæ quo ritu dicendus. II. 115. Alicubi alta voce, alicubi tacite dictus. II. 105. & ſeq.
Canonis Miſſæ Auctor quis. II. 115.
Canonum, ac Patrum ſtudium confert multum ad explicandos Eccleſiaſticos ritus. I. 74.
Canones ignorare nulli Sacerdotum licet. I. 74.
Canes arcendi ab Eccleſia. I. 202. & ſeq.
Canonicus non eſt cogendus ad exercendum munus Magiſtri cæremoniarum. I 75.
Canonicus Sacriſta abſens a Choro pro Eccleſiæ vel Sacriſtiæ ſervitio habendus pro præſente. I. 102.
Canonicus ſuperveniens in Chorum incepto Officio, vel Miſſa, ut ſe gerere debet. I. 178.
Canonicus licet Epiſcopus Titularis facere debet cum aliis circulum ſuo Epiſcopo. I. 294.
Canonico ſolemniter celebranti, ubi adſit conſuetudo, permittitur, ut ei aſſiſtat aliquis Capellanus Pluviali indutus. I. 105.
Canonici Regulares ad Epiſcopatum promoti veſtibus utuntur, quibus alii Clerici ſeculares creati Epiſcopi. I. 16.
Canonici Regulares creati Epiſcopi jam ante Leonem X. Rocchetto uſi, & colore veſtium Prælatorum ſecularium. I. 17.
Canonici vel trium Patriarchalium an vere, & proprie Canonici. I. XI.
Canonici Romæ vel trium Patriarchalium Baſilicarum Cottas ſolas ſuper Rocchettis in Proceſſione geſtant. II. 377.
Canonici quando debent aſſociare Epiſcopum venientem ad Eccleſiam, & redeuntem domum. I. 111.
Canonici aſſiſtentes Epiſcopo non tenentur caput illi tegere, & detegere, quando aſſiſtit Divinis cum Cappa, & bireto. I. 58.
Canonici ut ſalutent Altare. I. 278.
Canonici in Eccleſiis Collegiatis quomodo procedere debeant cum Celebrante a Sacriſtia diebus ſolemnibus. I. 238.
Canonici ut debent excipere Epiſcopum quando venit ad Eccleſiam inchoato Officio. I. 111. & ſeq.
Canonici duo, vel unus, præficiendi Sacriſtis in Eccleſia Cathedrali. I. 102.
Canonicos omnes indui Pluvialibus, celebrante Epiſcopo, & in Proceſſionibus, vetitum. I. 235.
Canonici ut excipere debent Epiſcopum Suffraganeum venientem ad Eccleſiam. I. 112.
Canonici non debent genuflectere cum thurificant Epiſcopum. I. 43.
Canonici quando Epiſcopum antecedant, & quando ſequantur. I. 136. & ſeq.
Canonici debent comitari Epiſcopum ab Eccleſia uſque ad domum etiamſi diſtet per centum ſexaginta paſſuum ſpatium. I. 47.
Canonici duo primi Diaconi, quando præbendæ ſunt diſtinctæ, aſſiſtere debent hinc inde Epiſcopo ſolemniter celebranti. I. 120.
Canonici notantur qui Feria VI. in Paraſceve non explicant Cappam, nec incedunt diſcalceati ad adorandam Crucem. II. 306.
Canonici ut ſalutent Epiſcopum. I. 277. & ſeq.
Canonici vel abſente Epiſcopo celebrantes non poſſunt uti peculiari ſede cum poſtergali, ſed ſedere debent in ſcamno oblongo. I. 200.
Canonici non poſſunt uti pulvinari, neque retinere

Digitized by Google

tinere in loco ſuarum ſedium ſtratum, ſeu tapete, licet ſint Dignitates. I. 205.
Canonici vel Collegiatarum Urbis an præcedant Canonicis quarumcumque Eccleſiarum Cathedralium Orbis. I. XI.
Canonici, ac alii in celebratione divinorum Officiorum parere debent Cæremoniarum Magiſtro. I. 79.
Canonici, & Dignitates non tenentur ad benedictionem Epiſcopi genuflectere. I. 109.
Canonici, & Beneficiati addiſcere debent cantum Gregorianum. II. 12. Oportet, ut & cantum ipſum calleant, & bene cantent cum gravitate, & decore. *ibid.* & 13.
Canonici Capuani in quibuſdam ſolemnitatibus Cappas rubras geſtant. I. 19.
Canonici Mediolanenſes Cardinales appellati, & eodem gaudent privilegio, quo Piſani Canonici, & quodnam illud. I. 19.
Canonici Piſani ex privilegio Cappam rubeam tempore hyberno, & Mozzettam ejuſdem coloris in æſtate deferunt. I. 19.
Canonicorum Turonenſium privilegium, ut ſolum Papam, Regem Galliæ, & Archiepiſcopum ſuum proceſſionaliter reciperent. I. 31.
Canonici. Vide. Epiſcopus.
Cantor corde magis canere, quam ore debet. I. 389.
Cantores quid cantent in primo ſolemni Epiſcopi ingreſſu ad ſuam Civitatem. I. 36.
Cantores quanta diligentia olim Romæ inſtituerentur. I. 389. & ſeq.
Cantus in divinis Officiis a tempore Apoſtolorum. I. 387. & ſeq.
Cantus figuratus non adhibendus in Miſſis, & Officiis defunctorum. I. 391.
Cantus qui olim in Eccleſia uſitatus. I. 38. & ſeq.
Cantum Eccleſiaſticum a Romana Eccleſia aliæ ſolitæ olim addiſcere. I. 390. & ſeq.
Cantum Eccleſiaſticum S. Gregorius Papa non eſt dedignatus pueros docere. I. 389.
Cantum Gregorianum addiſcere, & callere debent Canonici, & Beneficiati. II. 12. & ſeq.
Capitulum in divino Officio quid. II. 15.
Capitulum in Veſperis a quo cantandum, & quo ritu. II. 14. & ſeqq.
Capitulum Cathedralis Eccleſiæ, ejuſque Canonici præcipuam Cleri partem conſtituunt, & quodammodo totius Dioeceſis Clerum repræſentant. I. 277.
Capituli Crux deferenda ante Clerum per Clericum Cotta indutum. II. 72.
Capitula Baſilicarum Urbis non conſtituunt Capitulum Cathedralis Urbis, utpote conſtitutum a Collegio Cardinalium. I. XI.
Cappa quid. I. 18.
Cappa ex camelotto. I. 56.
Cappa Epiſcopalis varia. I. 55.
Cappa, qua regulariter Epiſcopus in ſua Dioeceſi utitur, debet eſſe lanea, & violacea, non alterius coloris. I. 56.
Cappa, ſeu veſtis S. Martini quæ. I. 56.
Cappæ mutatio facienda Sabbato Sancto ad primum *Alleluja*. I. 57. & ſeq.
Cappam ſuo arbitrio ſumere poteſt Epiſcopus pergens ad Cathedralem, vel in ædibus ſuperioribus, vel in ingreſſu Eccleſiæ, vel Presbyterii. I. 59.
Capparum mutationem faciendam Sabbato Sancto egregie demonſtrat Petrus Morettus. I. 57. & ſeq.
Capparum mutatio Sabbato Sancto plena myſteriis. I. 57.
Capparum privilegio Canonici multi gaudent pluribus ab hinc ſeculis. I. 19.
Capuani Canonici in quibuſdam ſolemnitatibus Cappas rubras geſtant. I. 19.
Capſula, in qua ſervatur Euchariſtia Feria V. in Cœna Domini, prius benedicenda. II. 251.
Capſula, in qua ſervatur Chriſti corpus Feria V. in Cœna Domini, clave obſeranda. II. 251. & ſeq.
Caraccioli Antonii Clerici Regularis Notæ laudantur in Conſtitutiones ſui Ordinis. I. 95.
Cardinalatus, & Epiſcopatus officia ſunt incompatibilia. I. 64.
Cardinalatui olim prælatus Epiſcopatus. I. 62.
Cardinalatum Epiſcopatui ex jure ſociari non poſſe, docet etiam Cardinalis Cajetanus. I. 65.
Cardinalis Legatus veniens ad Eccleſiam, ut excipiendus ab Epiſcopo Cardinali. I. 233.
Cardinalis Epiſcopus præſente uno, vel pluribus Cardinalibus, ubi ſedet. I. 110. & ſeq.
Cardinalis Archiepiſcopus abſtinere debet a delatione Crucis, præſente Cardinale Legato a latere. I. 60.
Cardinalis Epiſcopus concedit Indulgentiam centum dierum. I. 45.
Cardinale celebrnte, vel Archiepiſcopo, aut Epiſcopo valde inſigni, qui adhibendi ad lotionem manuum, & quo ritu aquam deferant, & tradant. I. 167. & ſeq.
Cardinalis Legatus, vel non Legatus, veniens ad Eccleſiam, ut excipiendus ab Epiſcopo. I. 233.
Cardinales promovendi in Epiſcopos cur non ſoleant prius examinari. I. 5.
Cardinales ex Concilio Tridentino non poſſunt habere niſi unum Epiſcopatum. I. 65.
Cardinales Epiſcopi quando primum cœperint ceteris Epiſcopis anteire. I. 209. & ſeq.
Cardinales Sacerdotia ambientes a Regibus, & Principibus reprehenſi. I. 64.
Cardinales vigintiſex uno die ab Urbano VI. Papa creati. I. 64.
Cardinales Legati quod perſonam Papæ repræſentent, vel olim ſupra Patriarchas ſedebant. I. 210.
Cardinales olim ratione Cardinalatus nec ſedebant, nec ſubſcribebant ante Epiſcopos. I. 209.
Cardinales quot Indulgentiæ dies largiantur. I. 352.
Cardinales olim qui erant Romæ. I. 63.
Cardinales olim non poterant in Epiſcopos poſtulari, & cur. I. 64.
Cardinales etiam non Epiſcopi Mitram olim geſtare ſoliti. I. 260.
Cardinales olim utebantur ornamentis albi coloris ſuper equis. I. 33. & ſeq.
Cardinales olim ſinebant Epiſcopos ante ſe loqui genuflexos, & in menſa, dum manus lavarent, mantile ſibi ab eiſdem miniſtrari. I. 62.

Car-

Digitized by Google

Cardinales juſſi a Leone X. ut honorifice, & uti Fratres Epiſcopos tractent. I. 62.
Cardinales plures ſi Miſſæ Pontificali præſentes ſint una cum Legato, ut agendæ cæremoniæ. I. 61. & ſeq.
Cardinales partem ſui corporis appellant ſummi Pontifices. I. 62.
Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, ob eamque prærogativam, Epiſcoporum, & Patriarcharum jura tranſcendunt. I. 62.
Cardinales quo ritu Feria VI. in Paraſceve accedunt ad adorandam Crucem. II. 306.
Cardinalium dignitas quanta. I. 62.
Cardinalium Collegium conſtituunt Capitulum Cathedralis Urbis. I. XI.
Cardinalium veſtitus in Adventu, Quadrageſima, quatuor Temporibus, Vigiliis, & ſextis Feriis violaceus. I. 55.
Cardinalium Collegium eſt Capitulum Papæ. I. X.
Cardinalibus biretum rubrum conceſſum a Paulo Papa II. & rubra ſtratoria ſuper equis, ſeu mulis. I. 33.
Cardinalibus quod Epiſcopatus conferantur, ſeu commendentur, abuſus inter alios propoſitus a quadam Congregatione Cardinalium, & Prælatorum Paulo III. Papæ. I. 64.
S. Caroli magnificus ingreſſus Mediolanum. I. 28.
S. Carolus Epiſcopali veſte linea, & Mozzetta etiam domi ſemper indutus. I. 53.
Carthuſiani tenaces veterum rituum Corporale longius latiuſque hodieque adhibent. I. 138.
Caſtaldus, & Bauldryus notati. I. 115.
Caſtrum doloris quid. II. 149. & ejus ſynonyma. *ibid.*
Caſtri maris nobiles in Feſto Corporis Chriſti Feria V. in Cœna Domini Domini, & Paraſceve Baldachini haſtas deferunt. I. 37.
Caſuiſtæ laxi notati in materia jejunii. II. 391.
Caſuiſtarum propoſitio damnata ajentium, mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate confitendi quamprimum, eſſe conſilium, non præceptum. I. 394.
Catellos ad Eccleſiam deferentes notati. I. 204.
Cathedra S. Jacobi Apoſtoli Jeroſolymis. I. 205.
Cathedra Epiſcopalis noſtræ Chriſtianæ Religioni coæva. I. 205. Cujus olim materiæ. I. 108.
Cathedra Epiſcopalis conſtituta olim in abſide Eccleſiæ, & variis nominibus appellata. I. 205. & ſeq. quot gradibus olim conſtaret. I. 207.
Cathedra Epiſcopalis conſtare hodie tribus gradibus præter ſuppedaneum debet. I. 207.
Cathedræ Epiſcopalis forma, baldachinum, veſtitus, ejuſque color. I. 208.
Cathedræ S. Petri Feſtum cur inſtitutum. I. 377.
Cathedram Epiſcopalem parari ſibi facere poteſt Epiſcopus ubi vult. I. 207.
Cathedram fixam habere nequeunt Abbates in ſuis Eccleſiis. I. 208.
Caudatarius Epiſcopi quis. I. 230.
Caudatæ veſtes Clericis vetitæ. I. 230.
Cereus Paſchalis columnæ marmoreæ olim ſolitus affigi, ejuſque myſtica ſignificatio. II. 311. & ſeq.
Cereus Paſchalis una cum duobus aliis cereis paravis olim Sabbato Sancto benedictus. II. 312.
Cereus Paſchalis cur a Diacono, & non a Sacerdote benedici ſolitus. II. 319.
Cereus Paſchalis ſemel benedictus an poſſit iterum benedici anno ſequenti. II. 337. & ſeq.
Cereus Paſchalis quando accendendus in Officiis, & qua die tandem amovendus. II. 337.
Cerei Paſchalis utilitates variæ. II. 338.
Cereo Paſchali anni Dominicæ Incarnationis aliquando inſcripti. II. 312.
Cereo Paſchali infigendi quinque grana incenſi antiquus eſt Eccleſiæ ritus. II. 320.
Cerei olim variis coloribus pingi ſoliti. I. 198.
Cerei, ac thuribula præcedebant olim Romæ ordinatos recens Presbyteros, dum ad Eccleſias ſuas deducebantur. I. 29.
Cerei quindecim ſuper candelabro triangulari, & ſex ſuper Altari pro Matutino Officii Tenebrarum. II. 241. Quot olim accenſi. II. 242. Quiſque laicus pro ſuo arbitrio cereum aliquando apponebat. *ibid.*
Cerei in dicto Officio ut extinguendi. II. 244.
Cerei deferendi ab omnibus qui proceſſioni Sanctiſſimi Sacramenti interſunt. II. 375. Octo a lateribus deferentis Sacramentum hinc inde, & per quos deferendi. II. 377. Delati in ipſa proceſſione quando extinguendi. II. 387.
Cereorum uſus ad Euangelium cantandum. II. 89.
Cereorum, & lampadum uſus in Eccleſia a Patribus defenſus, & miraculis comprobatus. I. 193.
Cereos, & lampades accendi ad honorem Dei, & Sanctorum, perperam hæretici arguunt. I. 193.
Ceroferariorum qualitates, & munia. I. 163.
Charitativum ſubſidium ſponte oblatum accipere recuſat variis rationibus ab Epiſcopis ſcitu dignis Cardinalis Sirletus. I. 46.
Charitativi ſubſidii prætextu Epiſcopi non ſemel ſubditos duris exactionibus vexant. I. 46.
Chlappinus Alexander-Joſephus Abbas S. Mariæ de Pace Urbis, & Procurator Generalis Cong. Can. Regul. Lateranenſium laudatus. II. 117.
Chori varii, ſeu corpora diverſa miniſtrantium in divinis Officiis, & ritus ab iis ſervandi circa ſeſſionem, & aſſurrectionem. I. 281. & ſeq.
Chriſma, & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia conſervanda. I. 90.
Ciborium in Feſtivitatibus ut ornandum. I. 187.
Ciborium eſt turrita ædicula quatuor columnis innixa Altari impoſita. I. 187.
Cilicium, & cinis morituris olim impoſitum, & quo ritu. II. 403.
Cimeliarcha idem ac Sacriſta. I. 85.
Cimiliarcha Dignitas antiqua in Eccleſia Neapolitana. I. 86.
Cinis, & cilicium benedictum morituris ſternendum. II. 403.
Cineres quo ritu recipiendi. II. 214. & ſeq.
Cineres benedicendi debent eſſe aridi non madefacti in modum luti. II. 210.
Cineres diſtribuendi, in vaſe argenteo ponendi. II. 210.
Cineres imponendi ſuper caput Epiſcopi ſedentis a Canonico Miſſam celebraturo. II. 214.

Digitized by Google

Cineres benedicendi initio Quadrageſimæ alicubi *de cremiis Sacramentorum* ſtudioſe mundatis, & cribratis fiebant. II. 210.
Cineres imponendi ritus initio Quadrageſimæ ſuper fidelium capita, unde originem trahant, II. 210. & ſeq.
Cineres diſtribuendi poſiti alicubi in patina terrea, & cur. II. 210.
Cineres quo ritu olim benedicti Romæ. II. 210.
Cineres benedicendi initio Quadrageſimæ ex ramis olivarum benedictis anni præteriti conficiendi. II. 209. & ſeq.
Cineres imponendi formula. II. 210. & 213. & ſeq.
Cineres Prælati, & Canonici parati, inclinati capiunt, reliqui Clerici, & laici, exceptis nonnullis, genuflexi. II. 215. & ſeq.
Cinerum benedictio initio Quadrageſimæ. II. 209. & ſeqq.
Cingulum aliis etiam nominibus appellatum. I. 128.
Cingulum ut aptandum. I. 128.
Cingulum poteſt eſſe coloris ceterorum paramentorum. I. 128.
Circuli quo ritu fiant Papæ a Cardinalibus. I. 294.
Circuli a quibus, & quoties faciendi Epiſcopo Sacra peragenti. I. 293. & ſeqq.
Circuli Epiſcopo quo ritu a Canonicis peragendi. I. 294. & ſeqq.
Circuli Canonicorum faciendi in Miſſis tantum, non vero in Veſperis, & tam celebranti Epiſcopo, quam idem Miſſæ per alium cantatæ aſſiſtenti. 2. 297. & ſeq.
Circuli fiunt a Dignitatibus, & Canonicis Epiſcopo ad denotandum membrorum unionem cum ſuo capite. I. 294.
Circuli non debentur Epiſcopo præſente Legato. & aliis Epiſcopo ipſo ſuperioribus. I. 62.
Circuli nec in Miſſis Defunctorum, nec Feria ſexta in Paraſceve faciendi Epiſcopo. I. 297. & ſeq.
Circulum facere tenetur Epiſcopo una cum aliis Canonicus etiamſi Epiſcopus Titularis ſit. I. 294.
Circumciſionis Domini Feſto Epiſcopus debet Miſſæ intereſſe cum Pluviali. II. 185.
Clappinus Alexander &c. Vide. Chlappinus Alexander &c.
Clavis cuſtodiæ, ſeu capſulæ Sacramenti Feria v. in Cœna Domini a perſonis laicis non tenenda. II. 262.
Clavis ſepulcri, ubi Euchariſtia ſervatur Feria v. in Cœna Domini nequaquam laicis tradenda. I. 90.
Clavis cuſtodiæ Sacratiſſimæ Euchariſtiæ non monialibus committenda, ſed penes eum eſſe debet, qui illam adminiſtrat. I. 90.
Claues Tabernaculi Euchariſtici, Fontis Baptiſmalis, & hujuſmodi penes quem eſſe debent. I. 90.
Claves argenteæ traditæ olim novo Epiſcopo in primo ejus ad Eccleſiam ingreſſu. I. 43.
Claves armarii, in quo ſervantur Reliquiæ Sanctorum, penes quem eſſe debent. I. 94.
Clemens VIII. primus inſtitutor examinis promovendorum in Epiſcopos. I. 5.
Clemens VIII. primus omnium dici poteſt, qui Cæremoniale Epiſcoporum pro univerſa Eccleſia ordinavit. I. XIII. Ejuſdem conſtitutio. *ibi*, XV.
Clemens XII. munificentiſſimus Reipublicæ literariæ Patronus. I. XIII.
Clerus Romanus erat olim Senatus Papæ ſicut nunc ſunt Cardinales, I. 63.
Clerus Romanus a S. Cypriano dicitur præſidere una cum Pontifice. I. 63.
Clerus totus aſſiſtebat olim Epiſcopo Sacra peragenti, I. 155.
Clerus Secularis, & Regularis notatur, qui in Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti cereos accenſos non geſtant. II. 375.
Clerus ſecularis, & Regularis, & Magiſtratus occurrere debet Epiſcopo primum Civitatem Epiſcopalem ingredienti cum Proceſſione extra portam. I. 32.
Cleri occurſus cum Proceſſione S. Epiphanio Cypri Epiſcopo. I. 31.
Clerici a laicis in Eccleſia diviſi, I. 188.
Clerici honorati qui olim appellati. I. 48.
Clerici de gremio Eccleſiæ, ſi idonei ſint, extraneis anteponendi. I. 78.
Clerici ex Parochiis, & Eccleſiis juſſu Epiſcopi quando convocari poſſunt ad inſerviendum Miſſæ Pontificali. I. 158.
Clerici lugubres veſtes in morte propinquorum induere vetiti. I. 55. & ſeq.
Clerici olim ut honorandi a ſecularibus. I. 48.
Clerici olim ſugillati, quod ditarentur oblationibus matronarum, & procederent vehiculis inſidentes circumſpecte veſtiti. I. 70.
Clerici Regulares ſingulis hebdomadis pro inſtituto pavimentum Eccleſiæ verrunt. I. 95. & 202.
Clericis caudatæ veſtes vetitæ, I. 230.
Clericis in Proceſſionibus Eccleſiaſticis miſtim cum Regularibus incedere vetitum. I. 35.
Collectæ quid. II. 33. & ſeq.
Collegiata Eccleſia feſtis diebus ut ornanda. I. 199.
Communio, ſive Poſtcommunio quid. II. 128.
Communio ſumenda a Diacono, & Subdiacono Dominicis, & Feſtis diebus ſolemni Miſſæ inſervientibus. II. 361.
Communio quo ritu a Cardinali, Rege, & Imperatore ſumenda. II. 353. & ſeq.
Communio dum fit, præter communicandos, ceteri ſtare debent in Choro. II. 350.
Communio generalis in Miſſa Feriæ v. in Cœna Domini, & quo ritu. II. 256. & ſeq.
Communio Paſchalis annua in Concilio IV. Lateranenſi præcepta. II. 349.
Communionis ordo antiquus. II. 352.
Communionis varii ritus. II. 349. & ſeqq.
Communioni præmittendum *Confiteor*, ritus non adeo recens. II. 357.
Communicantis Sacerdotis Celebrantis formula in Miſſa. II. 126.
Communicaturi quo olim ritu ad ſumendam Euchariſtiam accederent. II. 350.
Communicaturi quomodo apud Græcos olim ad communionem invitati. II. 128.
Completorium quo ritu in Collegiatis Eccleſiis, & abſente Epiſcopo celebrandum. II. 38.
Completorii in divino Officio origo. II. 36.
Completorio quo ritu aſſiſtat Epiſcopus. II. 36.

Con-

Digitized by Google

Concio quo ritu ab Epiſcopo habenda. I. 299. & ſeq.
Concio extraordinaria, vel in laudem Defunctorum, non intra Miſſam, ſed ea finita habenda. I. 312.
Concio in Miſſa ſolemni Epiſcopi habenda vel ab ipſo Epiſcopo, vel a Presbytero aſſiſtente. I. 289. & ſeq.
Concio a ſummo Pontifice quo ritu habita. I. 300.
Concio olim fieri ſolita Dominica Palmarum ad Stationem in Proceſſione. II. 229.
Concio regulariter intra Miſſam poſt Euangelium de Euangelio currenti. I. 303. & ſeq.
Concionem habere nemini licet ſine Epiſcopi licentia. I. 402. & ſeq.
Conciones quibus in Eccleſia locis habitæ. I. 307.
Conciones in quadrageſima poſt Euangelium. II. 223
Concionanti Epiſcopo cur ſeptem Diaconi olim aſſiſterent. I. 300. & ſeq.
Concionante Epiſcopo, illa ipſa hora, ubi ille prædicat, nullus alius concionari debet. I. 302.
Concionantes Regulares ſine licentia Epiſcopi quas pœnas incurrant. I. 304. & ſeq.
Concionantes mendici per vias ſugillati. I. 305.
Concionari in aliena Diœceſi non debet Epiſcopus. I. 302.
Concinator præſente Epiſcopo quos ritus ſervabit. I. 204.
Concionator cur benedictionem petat. I. 305.
Concionator quo ritu benedictionem ab Epiſcopo petet. I. 304.
Concionator intio concionis recitare debet *Ave Maria* etiam tempore Paſchali, nunquam autem *Regina Cæli lætare &c.* I. 308.
Concionator genuflexus debet ſalutationem Angelicam recitare. I. 308.
Concionator initio concionis ſalutare debet Epiſcopum, Clerum, ac populum. I. 307.
Concionator, ubi prima concionis ſuæ verba protulit, debet ſoli Epiſcopo Diœceſano, vel Cardinali Legato profunde inclinare caput, non alii. I. 307. & 310. & ſeq.
Concionatoris reverentia Altari initio concionis. I. 307.
Concionatoris cæremoniæ initio ſermonis. I. 307.
Concionatoris ſimplicis Sacerdotis ſive ex Clericis ſecularibus, ſive Regularibus habitus. I. 303.
Concionatoris Canonici habitus. I. 303.
Concionatori quando mutandum caput. I. 310.
Concionatori qui ritus ſervandi in fine concionis. I. 311.
Concionaturus accepta benedictione ab Epiſcopo, ab eodem mox Indulgentias petit. I. 306. & ſeq.
Concionaturus ſive Canonicus, ſive alius oſculari debet manum Epiſcopi. I. 304.
Confanoneria familia juramentum fidelitatis præſtat Archiepiſcopo Mediolanenſi. I. 50.
Confanoneriæ familiæ nobiles Baldachini haſtas deferunt in novi Epiſcopi ingreſſu Mediolanum. I. 37.
Confanoneriæ familiæ prærogativa in deducendo novo Archiepiſcopo Mediolanenſi. I. 38.
Confanonerii, ſive Confalonerii cur ita dicti. I. 38.
Confeſſio peccatorum Sacramentalis præmittenda a celebraturo Miſſam, ſi ſe læthalis culpæ conſcium noverit. I. 394. Vide. Caſuiſtæ.
Confeſſio ab Epiſcopo ut facienda in infimo Altaris gradu, & a Canonicis binis in locis ſuis. II. 75. & ſeq.
Confeſſio, ideſt, locus, ubi Sanctorum corpora quieſcunt in celebritatibus, ut exornanda. I. 190.
Confeſſionis feneſtella quid, & quotuplex. I. 194.
Confeſſionis Principis Apoſtolorum deſcriptio per S. Gregorium Turonenſem. I. 191.
Confeſſionis formulæ variæ olim in Eccleſiis ad introitum Miſſæ. II. 76.
Confiteor præmittendum ſacræ Communioni, ritus non ita recens. II. 357.
Confraternitates Laicorum ſacris Proceſſionibus Romæ olim intererant. II. 363.
Congregationum Cardinalium Decreta, & eorum vis. I. IX.
Congregationis Sacræ Rituum Decreta quædam generalia. I. XV. & ſeqq.
Conſiſtorium Papæ quid, & quotuplex. I. 8.
Conſtantinus Imperator ut Epiſcopos coleret. I. 48.
Corporale ex antiquo inſtituto debet eſſe lineum. I. 133.
Corporale debet poni intra burſam, non ſuper illa, ut eſt abuſus multorum. I. 133.
Corporale exponendum in Miſſa ſolemni poſt dictum Symbolum ex II. Romano Ordine. I. 134.
Corporale olim apud Latinos longius, & latius, totumque Altare tegebat. I. 134.
Corporale longius latiuſque adhibent hodieque Carthuſiani. I. 138.
Corporalis uſus antiquiſſimus in Eccleſia. I. 133.
Craſſus notatus I. 119. 151. 157. 164. & alibi.
Credentia pro Miſſa Pontificali in feſtivitatibus ut inſtruenda. I 196. & ſeq.
Credentia in Eccleſiis collegiatis ut inſtruenda. I. 200.
Crucifixus alicubi lotus Feria VI. in Paraſceve, & quo ritu. II. 299.
Crucifixi imago in Miſſali depicta incenſata olim poſt Oblatorum incenſationem. I. 319.
Crucifixi imago in arcu majori Eccleſiæ velata Paulæ in Dominica Paſſionis ad finem Euangelii. II. 227.
Crux Archiepiſcopalis defertur cum imagine Crucifixi verſa ad Archiepiſcopum, quia eſt ejus inſigne. I. 36.
Crux Archiepiſcopalis deferenda immediate ante Canonicos. I. 36.
Crux Archiepiſcopalis geſtanda per Miniſtrum Tunicella paratum. II. 72.
Crux pectoralis ab Epiſcopo tenenda in Miſſa, & ejus ritus antiquitas. I. 396.
Crux pectoralis ornamentum ſacrum, non vero civile, ut perperam ajebat quidam Advocatus Romanæ Curiæ. I. 396. & ſeq.
Crux Capituli deferenda per Clericum Cotta indutum. II. 72.
Crux a Regularibus debet deferri in Proceſſionibus cum velo, ſeu pallio appenſo. I. 36.
Crux in medio Altaris inter candelabra collocanda antiquus ritus. I. 183. & ſeq.

Digitized by Google

Crux Feria VI. in Paraſceve poſt factam ejus adorationem alicubi per quos delata ad Altare. II. 291
Crux quo ritu deferenda per Diaconum ad Altare poſt factam adorationem. II. 290.
Crux adoranda in Paraſceve cujus materiæ eſſe debet. II. 273.
Crux, ipſa in qua Chriſtus pependit, adorata quotannis dumtaxat in Paraſceve. II. 237.
Crucis denudatio, & adoratio Feria VI. in Paraſceve, & ejus ritus. II. 284. & ſeqq.
Crucis adoratio Feria VI. in Paraſceve, ritus antiquus. II. 273.
Crucis adoratio in Paraſceve quo ritu olim facta in Capella Pontificia. II. 287.
Crucis præferendæ in Proceſſionibus antiquiſſimus ritus. I. 36.
Crucis ſignum initio Veſperarum cum dicitur *Deus in adjutorium meum intende*. II. 8.
Crucis ſignum per Concionatorem faciendum initio concionis. I. 307.
Cruci oblatio pecuniæ quo ritu facta Feria VI. in Paraſceve. II. 286.
Crucem adoraturus Feria VI. in Paraſceve nemo accedere debet, niſi immunis a peccato. II. 289.
Crucem adoraturi Feria VI. in Paraſceve non modo Epiſcopus, ſed & Canonici, & alii de Clero prius deponere calceos debent. II. 290.
Crucem præferri ſibi nequeunt Archiepiſcopi, & Patriarchæ, præſentibus Legatis a latere ſummi Pontificis. I. 60.
Crucem in Proceſſione deferre debent Regulares cum velo, ſeu pallio appenſo. II. 379.
Cruces jam olim ex auro, & argento confectæ, gemmiſque ornatæ. I. 184.
Cruces uti faciendæ ſuper Hoſtiam. II. 103. & ſeq.
Curia Romana cur ita dicta, & quando. I. 9.
Curru, equis, ſellis &c. quod Epiſcopi Provinciarum Gubernatores ſuperare niterentur, a ſancto Gregorio Nazianzeno reprehenſi. I. 70.
S. Cyprianus vocat Clerum Romanum florentiſſimum cum Pontifice præſidentem. I. 63.
S. Cyrillus Alexandrinus ad diverſorium deductus cum facibus accenſis, mulieribus eum præcedentibus cum thuribulis. I. 42.

D

DAlmatica cur præfefert Crucis formam. I. 129.
Dalmatica Diaconorum veſtis in Dalmatia primum inventa. I. 129.
Dalmaticæ a Romanis Pontificibus ad Epiſcopos miſſæ. I. 129.
Decreta quædam generalia Sacræ Rituum Congregationis. I. XVI. & ſeqq.
Defunctorum Omnium Commemorationem quis primus inſtituerit certo ac ſtato die celebrandam. II. 139. & ſeq.
Defunctorum omnium commemorationi celebrandæ ſtatuta quidem dies II. Novembris, non tamen in omnibus Eccleſiis, in quibus Seculo XIV. die alia celebrabatur. II. 140.
Defunctorum commemoratio die tertio, ſeptimo, nono, trigeſimo, quadrageſimo, atque anniverſario, antiqua in Eccleſia. II. 393.
Defunctorum Officii Invitatorium, Pſalmi, & Antiphonæ. II. 144. & ſeq.
Defunctorum Officii Matutinum in eorum generali commemoratione ut celebrandum ab Epiſcopo. II. 143. & ſeq.
Defunctorum Officii celebrando uſa Eccleſia colore nigro. II. 141.
Defunctorum Officii Lectiones, quæ, & quo ritu terminatæ. II. 145.
Defunctorum Miſſæ, & Officia ſine organo, & cantu figurato celebrandæ. I. 391.
Defunctorum Miſſa quo ritu celebranda. II. 148. & ſeqq.
Defunctorum Miſſa ut terminanda. II. 154.
Defunctorum Miſſæ aſſiſtere poteſt Epiſcopus cum Cappa, vel Pluviali nigro, ſeu violaceo, & qui in ea ſervandi ritus. II. 165. & ſeqq.
Defunctorum abſolutio quo ritu peragenda. II. 156. & ſeq.
Defunctis Euchariſtia aliquando conſepulta. II. 405.
Defunctis juvandis duplex olim precationum, & ſacrorum genus in uſu, primum pro ſingulis, alterum pro omnibus ſimul. II. 139.
Deus in adjutorium meum intinde jam olim initio Veſperarum, & aliarum Canonicarum horarum dici ſolitum. II. 8.
Dignitas prima debet porrigere aſperſorium Epiſcopo in ſuo primo ad Civitatem ingreſſu. I. 33.
Dignitas prima Capituli Cathedralis ſub cenſuris cogi poteſt ad aſſiſtendum Epiſcopo pro Presbytero aſſiſtente. I. 105.
Dignitates, & Canonici aſsiſtentes Epiſcopo non tenentur illi caput tegere, & detegere, quando aſsiſtit Divinis cum Cappa, & bireto. I. 58.
Dignitates, & Canonici non tenentur ad benedictionem Epiſcopi genuflectere. I. 109.
Dignitates, & Canonici ad denotandum membrorum unionem cum ſuo capite, ideſt Epiſcopo, ideo ante ipſum circulos faciunt. I. 294.
Diaconiſſa olim in Eccleſia præerat portæ, per quam intrabant mulieres. I. 81.
Diaconi ſeptem, totidemque Subdiaconi, atque multi Acolythi Epiſcopo celebranti miniſtrare ſoliti. I. 156.
Diaconi ſeptem adſtabant olim concionanti Epiſcopo, & cur. I. 300. & ſeq.
Diaconi Regibus a S. Chryſoſtomo antepoſiti. I. 47.
Diaconi Euangelii in Miſſa ſolemni, quæ ab Epiſcopo celebratur, munia. I. 126. & ſeqq.
Diaconi, ſive Archidiaconi dirigebant olim cæremonias Eccleſiaſticas. I. 71.
Diaconi duo, & duo Subdiaconi, Latinus, & Græcus in Miſſa Romani Pontificis. I. 147.
Diaconi duo aſsiſtentes Epiſcopo celebranti quibus induti eſſe veſtibus debent. I. 121.
Diaconi duo aſsiſtentes, ſi Epiſcopus non celebret, ſed Officio divino interſit, Canonicali habitu induti erunt. I. 125.
Diaconi duo aſsiſtentes Epiſcopo licet minus digni ſint, ratione aſsiſtentiæ thurificari debent ante Dignitates, & ceteros Canonicos. I. 123.

Dia-

Digitized by Google

Diaconorum duorum celebranti Epiſcopo aſſiſtentium munia. I. 21. & ſeqq.
Diaconus, & Subdiaconus, celebrante Epiſcopo, quando paramenta ſua capiunt. I. 145.
Diaconus Euangelii in ſolemni Epiſcopi Miſſa debet eſſe unus ex Canonicis. I. 127.
Diaconus Euangelii quas veſtes induat. I. 127. & ſeq.
Diaconus quibus cæremoniis Euangelium cantet. I. 131. & ſeq.
Diaconus quo ritu incipiat decantare Euangelium. II.
Diaconus cantaturus Euangelium cur benedictionem petat. II. 89.
Diaconus Euangelii, ſi Epiſcopus ſcilicet cum Faldiſtorio celebret, Euangelio finito, illum thurificat. I. 132. & ſeq.
Diaconus Euangelii thurificato Epiſcopo poſt Offertorium incenſat Presbyterum aſſiſtentem, tum duos aſſiſtentes Diaconos, deinde Dignitates, & Canonicos, Subdiaconum, & alios de more. I. 138.
Diaconus Euangelii ut, & ubi thurificandus. I. 138.
Diaconus cur concurrat cum Celebrante in offerendo Calicem dicens, *Offerimus tibi Domine &c.* non vero in offerenda Hoſtia, ubi illam cum Patena celebranti porrigit. I. 137.
Diaconus cur una cum celebrante offerat Calicem in Miſſa. II. 106. & ſeq.
Diaconus, & Subdiaconus licet Sacerdotes, in ſolemni Miſſa communicant in Baſilica Vaticana, abſtinentes eo die a Sacrificio. I. 141.
Diaconus, & Subdiaconus quando capiunt Pacem a Celebrante. I. 140.
Dimiſſio in fine Miſſæ quibus verbis apud Latinos, & apud Græcos fieri ſolita. I. 141. & ſeq.
Domine non ſum dignus &c. ritus antiquus in Miſſa, ſicut & tunſio pectoris. II. 125.
Dominica Oratio in Miſſa, & ejus antiquitas. II. 119. & ſeq.
Dominica oratio, & ſalutatio Angelica initio Veſperarum, & aliarum Horarum Canonicarum, & quo ritu pronuncianda. II. 6. & ſeq.
Dominica Oratio quo ritu dicenda in Miſſa. II. 119. & ſeq.
Dominicæ Adventus quo ritu celebrandæ. I. 168.
Dominica III. Adventus quo ritu celebranda. II. 173. & ſeq.
Dominica IV. Quadrageſimæ ritus benedicendi Romæ Roſam auream. I. 375. & ſeq.
Dominicæ Paſſionis ritus. II. 225. & ſeq.
Dominica Palmarum Brunduſii Epiſtola, & Euangelium Latine, & Græce lectum. I. 147.
Dominica Palmarum fieri ſolita olim concio ad ſtationem in Proceſſione. II. 229.
Dominicæ Palmarum Proceſſio, & ejus varii ritus. II. 233. & ſeq. Vide. Proceſſio Dominicæ Palmarum.
Dominica Palmarum Paſsio ut cantanda, & a quibus. II. 236.
Dominicæ Palmarum ritus, & Ordo Officii. II. 227. & ſeqq.
Dominicæ Palmarum ſolemnis Miſſæ ritus. II. 235. & ſeq.
Dominicis diebus, & toto tempore Paſchali genua non flectenda. I. 99.
Dominicis diebus qui eſſe debet ornatus Eccleſiæ, & Miniſtrorum. I. 202.
Dominicani in ſolemni Pontificum deductione ad Lateranum ſolemniter induti occurrebant illis olim cum Cruce, incenſo, & aqua benedicta. I. 42.
Dominicani Pontifices ipſos proceſsionaliter, *Te Deum laudamus* decantando, in ſuam Eccleſiam recipiebant. I. 42.
Dominicani Paulæ in Calabria minime interſunt Proceſsionibus, & cur. I. 36.
Dominus vobiſcum ante Orationem dicendum ab Epiſcopo in Adventu, non autem *Pax vobis*. II. 171.
Dominus vobiſcum ſalutandi formula in Miſſa. II. 84.
Draco delatus olim in Proceſsione Rogationum, & cur. II. 365.
Draconarii quid. II. 365.
Durandus notatus. I. 137. & alibi.
Durandi ſententia circa poteſtatem concedendi Indulgentias. I. 45.
Dux Venetus quo ritu ſibi quotannis primo die Maji, Abbatiſſam Monaſterii Virginum ſibi deſponſet. I. 49.

E

Eccleſia, & Altaria pro temporum, feſtorumque qualitate per Sacriſtam ornanda. I. 96.
Eccleſiæ ornatus in diebus Feſtis, & ſolemnioribus qualis. I. 196. & ſeqq.
Eccleſiæ ornatus conſiſtebat vel olim in cortinis, aulæis, palliis ſericis, & purpureis, ac ſimilibus. I. 181. & ſeq.
Eccleſia Collegiata feſtis diebus ut ornanda. I. 199.
Eccleſiæ ornatus antiquus. I. 169. & ſeq.
Eccleſiæ ornatus, & Miniſtrorum Dominicis diebus. I. 202.
Eccleſiæ pavimentum verrere pro ſummo honore habendum. I. 202.
Eccleſiæ S. Felicis Martyris pavimentum everrere exoptabat S. Paulinus Epiſcopus Nolanus. I. 95.
Eccleſiæ pavimentum Serena Honorii Auguſti filia verrere ſolita. I. 202.
Eccleſiæ pavimentum pro ſuo laudabili inſtituto Clerici Regulares ſingulis hebdomadis verrunt. I. 95. & 202.
Eccleſiæ res, quæ uſui amplius eſſe non poſſunt, igne abſumendæ. I. 90.
Eccleſiam ornare more aulæ Principum abuſus. I. 170.
Eccleſiis majoribus Miniſter conſtituendus, qui curet, ut Eccleſia in omni ejus parte ſit munda, & non permittat mendicos, canes, & alia animalia per illam diſcurrere. I. 202. & ſeq.
Electio Epiſcoporum olim ſuffragio Cleri, ac bono populi teſtimonio facta. I. 1.
Electores Imperii Archiepiſcopi, aliique Germaniæ Epiſcopi ab Urbano VI. Cardinales creati, cur illam dignitatem recuſarint. I. 64.
Epiphaniæ Feſtum perquam ſolemne, & antiquum quomodo ab Epiſcopo celebrandum. II. 186.

Digitized by Google

Epiphaniæ Feſtum multis olim ſacris functionibus celebre. II. 187.
S. Epiphanius Salaminæ Epiſcopus, quod Jeroſolymitano populo benedixerit, non evalit illius Epiſcopi invidiam. I. 45.
S. Epiphanio Cypri Epiſcopi occurſus cum proceſsione Cleri. I. 31.
Epiſcopalis Cathedræ gradus pannis, aut tapetibus tegendi. I. 207. & ſeq.
Epiſcopalis ſedes ut ornanda feſtis diebus. I. 174.
Epiſcopatus non conſtat in fumantibus, ac ſpumantia fræna mandantibus equis, ſed in honeſtate morum, & exercitatione ſanctarum virtutum. I. 70.
Epiſcopatus, & Cardinalatus officia ſunt incompatibilia. I. 64.
Epiſcopatu initiandorum ætas, & qualitates quæ. I. 6. & ſeq.
Epiſcopatus ſex Romæ circumjacentes non tam ut Epiſcopatus ſpectantur, quam ut Cardinalium Tituli, ideoque uni ex ipſis alius Epiſcopatus poteſt concedi. I. 65.
Epiſcopatuum proviſiones quando, & cur ad Papam devolutæ. I. 2.
Epiſcopatuum nominatio Regia vi Concordatorum. I. 4.
Epiſcopatuum proviſio quo ritu fiat. I. 4.
Epiſcopus tanto eſt major Rege, quanto ſpiritus carne, Cælum terra, aurum plumbo. I. 47.
Epiſcopus olim, ubi Carinalitia dignitate inſigniebatur, illico Epiſcopatu exuebatur. I 64.
Epiſcopus recens ordinatus apud Græcos etiam extra Diœceſim ſuam populo ad ipſum confluenti benedictionem largitur. I. 45.
Epiſcopus in Romana Curia electus non debet ſine literis Apoſtolicis proficiſci. I. 24.
Epiſcopus novus ex Sveſsinenſi Rituali ut olim exciperetur. I. 49.
Epiſcopus novus antequam ſolemni cum Proceſſione in ſua Eccleſia Cathedrali ſuſcipiatur, non debet ſolemniter ingredi alia loca ſuæ Diœceſis, ſi per illa tranſiret. I. 51.
Epiſcopus novus antequam Eccleſiam Cathedralem ingrediatur, ut excipiendus in aliquibus locis ſuæ Diœceſis, ſi per illa tranſit. I. 51.
Eiſcopus novus ut ſolemni cum Proceſsione recipiatur in ſuam Civitatem, Prioribus, Antianis, & Conſulibus mulæ eordulas ducentibus conſuetudo ſervanda. I. 34.
Epiſcopus novus ut cum olivarum palmis, aliiſque id genus in ſuo primo ad Civitatem Epiſcopalem ingreſſu excipiatur, poſſeſſorio agere poteſt. I. 28.
Epiſcopus in ſuo primo ingreſſu frequenter populo benedicere debet, & quo ritu. I. 38.
Epiſcopus populo manu dextera aperta, & extenſa ſigno Crucis faciente benedicit. I. 38.
Epiſcopus Indulgentias concedere poteſt, etiamſi nondum ſit ſacris Ordinibus initiatus. I. 45.
Epiſcopus in acceſſu ad Eccleſiam quo ritu genuflectere, orare, & reverentias facere debeat. I. 275. & ſeqq.
Epiſcopus excipiendus ad portam Eccleſiæ. I. 232.
Epiſcopus Suffraganeus ut excipiendus a Canonicis. I. 112.
Epiſcopus ut a Canonicis excipiendus, quando venit poſt inchoatum Officium. I. 111. & ſeq.
Epiſcopus pergens ad Cathedralem ſumere poteſt ſuo arbitrio Cappam vel in ædibus ſuperioribus, vel in ingreſſu Eccleſiæ, vel Presbyterii. I. 59.
Epiſcopus etiam non celebraturus decet ut in ſolemnibus Feſtivitatibus procedat ad Eccleſiam, Miſſæque, & Veſperis interſit cum Pluviali, & Mitra. I. 237.
Epiſcopus Miſſam ſolemnem celebraturus quas veſtes induat. I. 113. & ſeq.
Epiſcopus quando aſsiſtet Miſſæ ſolemni cum Pluviali, & quando cum Cappa. II. 133.
Epiſcopus in ſede ſua celebrans finito Euangelio thurificatur a Presbytero aſſiſtente, ſi in Faldiſtorio a Diacono Euangelii. I. 132. & ſeq.
Epiſcopus cum thurificatur, nullatenus thurificanti caput inclinat, ſed manu dextera ſuper eum ſignum Crucis facit. I. 330.
Epiſcopus non debet thurificari a Canonico genuflexo. I. 43.
Epiſcopus regulariter ter in Miſſa thurificatur. I. 324.
Epiſcopus Cardinalis celebrans coram alio Cardinale non Legato omnes actus ipſe Celebrans exercet, & ſi eſt Archiepiſcopus, in danda benedictione utetur Cruce. I. 66.
Epiſcopus etiamſi ſit Cardinalis, & non celebraret, præſente alio Cardinali, debet illum rogare, ut omnes honorificos actus ipſe exerceat, eoque recuſante, Cardinalis Epiſcopus, vel ipſe eoſdem peragit, vel ad Celebrantem remittit. I. 65.
Epiſcopus, præſente Legato, vel alio Cardinali, celebrans, ubi ſedet. I. 110.
Epiſcopus cogere Regulares nequit, ut ei in ſolemni Miſſa inſerviant. I. 158.
Epiſcopus quo ritu audiat Evangelium quod a Diacono cantatur in Miſſa. II. 91. & ſeq.
Epiſcopus cum ſurgit, omnes ſurgere debent Chori miniſtrantium. I. 283.
Epiſcopus ut ſalutet Canonicos. I. 276. & ſeq.
Epiſcopus quo ritu ad Matutinum accedat, & illud incipiat. II. 28. & ſeq.
Epiſcopus quo ritu aſsiſtat Completorio. II. 36. & ſeq.
Epiſcopus Miſſam privatam celebrans convenit ut paramenta de ipſo Altari ſumat. I. 393.
Epiſcopus quo ritu Miſſam privatam celebrare debeat. I. 391. & ſeq.
Epiſcopus in locis ſuæ juriſdictionis quo ritu audiat Miſſam ab alio celebratam. I. 402. & ſeq.
Epiſcopus in ſua Diœceſi uti poteſt veſtibus violaceis ſuperinduta ſuper Rocchettum diſcoopertum Mozzetta violacea. I. 53.
Epiſcopus in aliena Eccleſia non poteſt ſibi pulvinar, & pannum coloris violacei ſternere. I. 43.
Epiſcopus adminiſtrator alienæ Diœceſis non poteſt uti Cathedra elevata tribus gradibus, & ſuppedaneo, & Baculo paſtorali. I. 271.
Epiſcopus licet nigro colore utatur in Quadrageſima,

Digitized by Google

ma, in feſto tamen Annunciationis Deiparæ Virginis ſi in Quadrageſima occurrat, uti debet colore violaceo. I. 55.
Epiſcopus in die Paſchæ niſi legitime impeditus ſit ſolemnem Miſſam celebrare debet, & communionem generalem facere, & quo ritu. II. 343. & ſeq.
Epiſcopus in aliena Dioeceſi concinaturus benedictionem petere non debet ab Epiſcopo etiamſi ſit S. R. E. Cardinalis. I. 305.
Epiſcopus quo ritu concionetur, & quibus ornatus veſtibus. I. 299. & 301.
Epiſcopus ſeptem ſtipatus Diaconis ſolitus olim concionari. I. 300. & ſeq.
Epiſcopus ut aſsiſtat concioni per alium habitæ. I. 302. & ſeq.
Epiſcopus viſitatus a Præſide, ſeu Gubernatore Prælato eum domi ad dexteram collocabit, ſecus tamen extra domum. I. 66.
Epiſcopus ægrotans ut præparandus ad mortem. II. 397. & ſeq.
Epiſcopus graviter ægrotans per quem accipere debet Sacrum Viaticum, & quo ritu. II. 398. & ſeq.
Epiſcopus ægrotans accepturus ſacram communionem quibus veſtibus indutus eſſe debet. II. 398. & 400.
Epiſcopus moriturus quo ritu Fidei profeſsionem emittat. II. 399. & ſeq.
Epiſcopi zelus qualis eſſe debet. I. 69.
Epiſcopi ſedes ita locanda, ut cunctos ipſe reſpiciat, & omnium oculi in illum reſpiciant. I. 179.
Epiſcopi habitus acceſſuri ad Eccleſiam pro re divina. I. 227. & ſeq.
Epiſcopi celebrantis Miſſam privatam quæ paramenta. I. 396. & ſeq.
Epiſcopi proceſsio e Secretario ad Altare. II. 72. & ſeq.
Epiſcopi celebrantis Manipulus incluſus Libro Miſſali per Subdiaconum delato. I. 146.
Epiſcopi, ac Parochi modi varii concionandi I. 301. & ſeq.
Epiſcopi ægrotantis quæ cura, & ſtudia eſſe debeant. II. 397. & ſeq.
Epiſcopi morientis verba ad Canonicos, & Curatos ſuæ Eccleſiæ. II. 401.
Epiſcopi defuncti corpus ſequeſtro poſitum, donec æs alienum ab eo contractum ſolveretur. I. 25.
Epiſcopo in primo ad Civitatem ingreſſu porrigendum Aſperſorium a prima Dignitate. I. 33.
Epiſcopo novo claves argenteæ in ejus primo ingreſſu tradi olim ſolitæ. I. 43.
Epiſcopo olim Sacra peragenti totus aſsiſtebat Clerus. I. 153.
Epiſcopo aſsiſtenti Divinis cum Cappa non tenentur Dignitates, & Canonici eidem aſsiſtentes caput illi tegere, & detegere. I. 58.
Epiſcopo celebranti quando imponendus Manipulus. I. 147.
Epiſcopo aſſiſtenti Miſſæ quid ſervandum ſi Miſſa celebretur per alium Epiſcopum, ſeu ſuffraganeum. II. 133. & ſeqq.
Epiſcopo cum Pluviali, ſeu cum Cappa aſſiſtenti Miſſæ ſolemni aſſiſtere debent duo Diaconi in bitu Canonicali, II. 132.
Epiſcopo extra ſuam Dioeceſim non competunt ea, quæ ipſi in ſua Eccleſia, & Dioeceſi debentur. I. 43.
Epiſcopo celebranti paramenta quo ritu deferenda. II. 64. & ſeqq.
Epiſcopo Miſſam privatam celebranti duo, treſve Capellani inſervire debent, & de eorum muniis. I. 397. & ſeq.
Epiſcopo licet deferre inſignia ſuæ dignitatis in locis exemtis ſuæ Dioeceſis. I. 53.
Epiſcopo competit electio Magiſtri Cœremoniarum. I. 73.
Epiſcopo Suffraganeo Coadiutori, & Adminiſtratori, quæ obſequia exhibenda a Canonicis. I. 228. & ſeq.
Epiſcopo in aliena Dioeceſi concionari vetitum. I. 302.
Epiſcopo morienti extremam Vnctionem quis præbeat. II. 400. & ſeq.
Epiſcopum quando debent Canonici aſſociare venientem ad Eccleſiam, & redeuntem ad Domum. I. 111.
Epiſcopum venientem ad Eccleſiam Pluviali indutum ut Canonici comitentur. I. 231.
Epiſcopum novum in primo ejus ingreſſu dignior de Capitulo triplici ductu incenſat. I. 42.
Epiſcopum excipiendi ritus cum aqua benedicta, & codice ſancti Euangelii. I. 40. & ſeq.
Epiſcopum Regularem in excommunicationem incidere, ſi habitu ſuæ Religionis dimiſſo Rochettum induat, quidam docent. I. 16.
Epiſcopum non decet, neglecto grege, amenarum Villarum ſeceſſui bonam anni partem impendere. I. 53.
Epiſcopum venientem ad Eccleſiam Cappa indutum tenentur Canonici in habitu Canonicali a Cubiculo ad ipſam Eccleſiam aſſociare, etiam ſi domus diſtet. I. 227. & ſeq.
Epiſcopo celebrante, ſeptem candelabra adhibenda in Altari. I. 184. & ſeq.
Epiſcopo celebrante Pontificalia indumenta in medio Altaris ponenda. I. 188. & ſeq. & quo ordine.
Epiſcopo valde inſigni Celebrante, qui adhibendi ad lotionem manuum. I. 167. & ſeq.
Epiſcopo aſſiſtente in diverſis Eccleſiis ſuæ Dioeceſis ad Miſſas ſolemnes ſive parato, ſive non parato, qui ſervandi tunc ritus. II. 135.
Epiſcopo celebrante Miſſam privatam ſi adſit Cardinalis, ſeu Princeps, ut peragendæ cæremoniæ circa ritum dandæ pacis, & deoſculandi Euangelii librum. I. 398. & ſeq.
Epiſcopi olim rogati a Regibus, ut illis benedicerent. I. 38.
Epiſcopi Magiſtratibus ſe ſubmittentes a Concilio Tridentino reprehenſi. I. 68.
Epiſcopi noviter electi uti ex novo ritu Epiſtolam Paſtoralem ad gregem ſuum ſcribunt. I. 25.
Epiſcopi novi poſt ſuam promotionem tenentur S. R. E. Cardinales præſentes in Curia viſitare. I. 14. quid eiſdem dicent. *ibid.*

Epi-

Digitized by Google

Episcopi olim Cardinalibus prælati. 1. 62.
Episcopi tempore Bonifacii VIII. nolebant ad Cardinalatum promoveri, quod putarent descendere a majori dignitate ad minorem. 1. 63.
Episcopi olim esse desistebant qui ad Cardinalatum promovebantur. 1. 64.
Episcopi aliquando genuflexi ante Cardinales loquebantur, eisque dum in mensa manus lavarent, mantile ministrabant. 1. 62.
Episcopi aliquando indigne tractati a Cardinalibus. 1. 62.
Episcopi jam a multis seculis sunt Cardinalibus dignitate inferiores. 1. 65.
Episcopi vi juramenti, quod in sua ordinatione præstant, honorare Legatos debent. 1. 61.
Episcopi aliquando in die ordinationis suæ Cathedræ Episcopali innixi nobilium humeris ad Ecclesiam delati, vigetque hodie is ritus in Aurelianensi Ecclesia. 1. 34.
Episcopi novi de manu Papæ Rocchettum accipiunt. 1. 13.
Episcopi extra Curiam promoti se ipsos Rocchetto, & aliis vestibus induunt, & quas litteras ad Summum Pontificem, & ad Cardinales mittent. 1. 14.
Episcopi quod in cœnarum sumtu, in veste, in equis, curribus, & aliis Gubernatores superare Provinciarum niterentur, a S. Gregorio Nazianzeno sugillati. 1. 70.
Episcopi reprehensione digni, qui exeunt domo vestibus communibus induti, nam debent deferre vestes Episcopales. 1. 53.
Episcopi Cardinali Legato, vel non Legato præsente in eorum Diœcesi, & Civitate Episcopali ab usu Mozzettæ abstinere non tenentur. 1. 66.
Episcopi ne domi quidem in ullius conspectu se exponere debent, nisi Episcopali vestitu induti. 1. 53.
Episcopi ex Monachis assumti non possunt habitum suæ Religionis deponere. 1. 15.
Episcopi Regulares notati, quod habitum suæ Religionis non deferrent. 1. 16.
Episcopi debent animi magnitudine resistere Principibus, eorumque Ministris in re gravi, non autem levis momenti. 1. 68.
Episcopi ne præter necessitatem versentur in Aulis Principum vetiti in Concilio Romano Benedicti XIII. Papæ. 1. 68.
Episcopi olim ad Regis dexteram assidebant 1. 38.
Episcopi inter alios titulos appellati olim Patres. 1. 68.
Episcopi antiquitus excepti aliquando cum facibus accensis. 1. 42.
Episcopi thuris suffitu excepti, mulieribus aliquando thuribula gestantibus. 1. 42.
Episcopi quod starent nudo capite coram Pontifice, Cardinalibus sedentibus, & capitibus tectis, in eum abusum declamavit Bartholomæus de Martyribus. 1. 62.
Episcopi honore eis exhibito aliquando male abuti solent. 1. 48.
Episcopi in Canone Missæ indignos, & peccatores se jam olim nominabant. II. 116.
Episcopi electi, confirmative, licet hodie pro veris Pastoribus habeantur, olim tamen ante consecrationem tales non reputati. 1. 26.
Episcopi deferre nequeunt Mozzettam, & benedicere populo, ubi præsentes sunt Cardinales Legati. 1. 60.
Episcopi etiam in exemtis suæ Diœcesis locis possunt populo benedicere. 1. 23.
Episcopi, & Archiepiscopi, quid possint, & quid non possint in locis suæ Diœcesis exemtis facere. 1. 23.
Episcopi per Diœcesim suam procedentes populum benedicunt. 1. 23.
Episcopi nonnulli etiam extra suam Diœcesim poterant in quibusdam locis populum benedicere. 1. 23.
Episcopi nonnisi in propria Diœcesi possunt populo benedicere. 1. 23.
Episcopi cur non possint extra Diœcesim suam populo benedicere. 1. 23.
Episcopi in locis exemtis suæ Diœcesis possunt Pontificales functiones peragere. 1. 54.
Episcopi debent curare, ut qui ex adverso est, nihil habeat dicere de ipsis. 1. 69.
Episcopi frequenter charitativi subsidii prætextu subditos vexant durioribus exactionibus. 1. 46.
Episcopi quot Indulgentias concedant. 1. 364.
Episcopi antequam discedant processuri ad suam Episcopalem Civitatem, debent Itinerarium recitare. 1. 22.
Episcopi Regulares in Gallia quando veste violacea utantur. 1. 16.
Episcopi, & Clerici olim nigra veste induti. 1. 11. & seq.
Episcopi quando nigri coloris vestitum deferre debent. 1. 55.
Episcopi ob mortem Papæ colore nigro uti debent usque ad electionem Successoris. 1. 55.
Episcopi nigro colore in vestibus uti non debent occasione luctus propinquorum. 1. 55.
Episcopi, si non Mitra, aliquo capitis tegumento usi ante annum Christi millesimum. 1. 259.
Episcopi quot dies Indulgentiæ concedant. 1. 18.
Episcopi olim soli conferebant Baptismum. II. 325.
Episcopi olim assidui in Chorum ad recitandum divinum Officium. 1. 362. & seq.
Episcopi olim quotidie Missam celebrabant, & aliquando etiam plures. 1. 392.
Episcopi olim nihil summissa voce legebant de iis quæ in Missa ab aliis decantabantur. II. 87.
Episcopi constituere debent Vicarios generales. 1. 26.
Episcopi non concionantes sugillati, & quid soleant multi obtendere. 1. 299.
Episcopi jure divino obligati ad concionandum. 1. 298. & seq.
Episcopi defuncti quibus vestibus sunt induendi, II. 414. & seq.
Episcoporum electio uti olim facta. 1. 1.
Episcoporum electionis nova delineatio ab Innocentio III. Papa. 1. 1.
Episcoporum primus ingressus ad suam Civitatem aliquando pedibus nudis. 1. 22.

Epi-

Digitized by Google

Episcoporum primus ingressus ad suam Civitatem. I. 17. & seqq.
Episcoporum tonsura debet esse ampla, I. 9.
Episcoporum vestes civiles quæ. I. 10.
Episcoporum vestes civiles debent esse laneæ coloris violacei, & nullo modo sericæ. I. 11. & 11.
Episcoporum vestes quæ. I. 53.
Episcoporum Rocchettum. I. 10.
Episcoporum, & Clericorum tonsura qualis. I. 9.
Episcoporum Pileus Pontificalis duplicis formæ, & qualis. I. 58. & 59.
Episcoporum iter agentium habitus. I. 59.
Episcoporum humilitas semper commendanda. I. 70
Episcoporum prætentio, ut occurratur ipsis cum Processione in signum subjectionis. I. 31.
Dpiscoporum negligentia in conferendo baptismo notata. II. 326.
Episceporum benedictio peccata venialia dimittit. I. 24.
Episcoporum benedictio duplex. I. 60.
Episcoporum Vicarii nati erant olim Archidiaconi. I. 27.
Episcoporum præcedentia in Synodis juxta ordinem eorum promotionis. I. 415.
Episcoporum pius secessus in Quadragesima. II. 225.
Episcopos Regibus anteferunt Sancti Patres. I. 47.
Episcopos in primo eorum ad Civitates ingressu excipiendi ritus cum Processione, & honore antiquissimus exemplo Christi, & Apostolorum. I. 28.
Episcopis exhibenda reverentia a Principibus. I. 47.
Episcopis nihil est honorabilius in Ecclesia. I. 47.
Episcopis in equitando potius mula, quam equo utendum. I. 20.
Episcopis in primo ad Civitatem suam ingressu exhibendi a populo honores. I. 27. & seqq.
Episcopis primum Civitatem suam Episcopalem ingredientibus tenetur Clerus secularis, & Regularis cum Processione occurrere. I. 32.
Episcopis Christus exemplum dedit, ne aut equis, aut mulis junctis sublimes ferantur, sed asino, quando res cogit insidere ex sancto Chrysostomo. I. 70.
Episcopis olim etiam Sanctimoniales occurrentes, & cantantium greges. I. 30.
Episcopis exterior ornatus, & pompa permittitur, ne in contemtum veniant plebis. I. 69.
Episcopis per Diœcesim suam incedentibus campanula præire solita, ut omnes ad ejus benedictionem genuflecterent. I. 23.
Episcopis abstinendum a dandis benedictionibus præsente Cardinale Legato a latere. I. 60.
Episcopis Altaris portatilis usus concessus. I. 393.
Epistola ut, & ubi cantata. I. 149.
Epistola quo ritu in quibusdam Ecclesiis cantata. II. 85.
Epistola, deficiente Subdiacono, permitti potest, ut in Missa solemni cantetur a Clerico minoribus Ordinibus initiato absque Manipulo. I. 149.
Epistola a Subdiacono cantanda in Missa non permissa ab aliquibus ut a Clericis caneretur. II. 85.
Epistola, ubi cantatur a Sacerdote sine Ministris, canenda in loco consueto ab aliquo Acolytho Superpelliceo induto. I. 149.
Epistola pastoralis, quam solent hodie novi Episcopi ad gregem mittere, unde originem ducat. I. 25.
Epistola pastoralis scribenda ad gregem suum ab Episcopo noviter consecrato. I. 25.
Epistolæ pastorali vestigium missæ a novo Episcopo ad gregem suum. I. 25.
Epistolæ cantandæ varii ritus. I. 149.
Epistolam cantandi munus olim ad Clericos Lectores pertinuit. II. 85.
Equus, quo vehebatur Episcopus in suo primo ad Civitatem ingressu, cujus fieret. I. 21. & 22.
Equi seu mulæ Pontificalis ornamenta. I. 20.
Equi rapiendi abusus quo vehebantur Episcopi in solemni primo ad suam Civitatem ingressu. I. 21.
Equorum ornamenta, quibus Cardinales utebantur, olim coloris albi. I. 33. & 34.
Eremitani Fratres Augustiniani Paulæ in Calabria cur nolint cedere locum Dominicanis in Processionibus. I. 36.
Et incarnatus est &c. dum dicitur ut, & ubi genuflectendum. II. 98.
Eucharistia. Vide. Communio.
Eucharistia diligentissime custodienda, & fidis clavibus obseranda. I. 90.
Eucharistia cur appelletur Viaticum. II. 399.
Eucharistia aliquando nomine Reliquiarum sanctarum, & divinarum appellata. II. 379.
Eucharistia renovanda semel saltem in hebdomada. I. 91.
Eucharistia a Græcis renovanda saltem quolibet die decimoquinto ex Decretis Innocentii IV. & Clementis VIII. I. 91.
Eucharistia apud Græcos nonnisi semel in anno renovata. I. 91.
Eucharistia apud Græcos in Ecclesiis haud ita conspicuis sine lampade accensa. I. 91.
Eucharistia in Lemovicensi Ecclesia, ejusque Diœcesi duodecics in anno renovata. I. 91.
Eucharistia in Provincia Turonensi de tertio in tertium diem renovata. I. 91.
Eucharistiæ renovationem faciendam diebus Dominicis quæ Synodi statuere. I. 91.
Eucharistia deferenda manibus Episcopi in Processione. II. 379. & seq.
Eucharistia ex peculiari quarundam Ecclesiarum consuetudine super machina delata, sed non trahendum hoc in exemplum. II. 379. & seq.
Eucharistia an olim gestata aperta in Processione ante Festum Corporis Christi. II. 378. & seq.
Eucharistia ubi elevatur in Missa, ab omnibus genuflectendum. I. 403.
Eucharistia ubi elevatur in Missa Pontificali, quatuor, sex, aut ad summum octo funalia afferenda, & quo ritu. II. 116. & seq.
Eucharistiæ elevatio Feria VI. in Parasceve quo ritu peragenda. II. 295. & seq.
Eucharistia ut ad infirmos deferenda. I. 93. Campana pulsanda. I. 98.
Eucharistia ut delata in Processione Dominicæ Palmarum. II. 233.
Eucharistia delata in Processione, cum exceptus

Digitized by Google

ptus fuit Martinus V. Papa a Florentinis. I.35.
Eucharistia aliquando mortuis consepulta. II.404.
Eucharistiæ elevandæ in Missa ritus. II.117. & seq.
Eucharistiæ delatio in Processione Festi Corporis Christi, impedito Episcopo, ad quem spectat. II. 382.
Eucharistiæ percipiendæ ritus, & locus. II. 357.
Eucharistiæ renovationem faciendam *die Jovis in memoriam illius institutionis*, Beneventana II. Synodus Provincialis statuit. I. 91. & 92.
Eucharistiæ Sacramento palam exposito, thus sine benedictione imponendum, & cur. II. 383.
Eucharistiam deferri in solemni Processione a Synodis probatum. II. 373.
Euangelium in Processionibus delatum. I. 146.
Euangelium Græce, & Latine, aliquando etiam Hebraice cantatum. II. 93.
Euangelium quo ritu a Diacono cantandum. II.87.
Euangelium cantaturus Diaconus cur benedictionem petat, non vero Subdiaconus Epistolam cantaturus. II. 89.
Euangelium quo ritu auscultandum in Missa. II.92.
Euangelium dum dicitur in Missa, stare omnes debent, & cur. I. 403. & seq.
Euangelium deosculaturus Episcopus initio Missæ quid diceret. I. 115. & 148.
Euangelium alicubi deosculatum ab Episcopo celebrante post Missæ Introitum. I. 114. & seq.
Euangelium clausum a Subdiacono delatum in Missa. I. 146.
Euangelium in Missa cantatum aliquando a femina, & de ejus correctione ab Angelo. II. 93.
Euangelium S. Joannis in fine Missæ dicendum quis instituit, & quo ritu dicet illud Episcopus Celebrans. II. 131.
Euangelium cantatum ad lotionem pedum Feria v. in Cœna Domini. II. 262. & seq.
Euangelium, seu instrumentum Pacis deferens deosculandum, cur nullam deosculaturo reverentiam faciat. I. 404.
Euangelii Codex delatus in Processione ad excipiendum Episcopum. I. 40. & seq.
Euangelii Codice excepti Episcopi a Monachis, & thuris suffitu. I. 42.
Euangelii cantandi gratia Processio solemnis in Missa. II. 89. & seq.
Euangelii osculandi ritus initio Missæ. I. 114.
Euangelii deosculatio initio Missæ antiqua. II. 77.
Euangelii osculandi ritus. I. 151.
Euangelii liber finito Euangelio deferendus Episcopo ad osculandum. II. 94.
Euangelii liber cui deferatur deosculandus si cum Episcopo in sua Diœcesi adessent alii Prælati ipso majores, vel ei æquales. I. 404. & seq.
Euangelii liber, cum quo Episcopus celebrat Missam privatam, finito Euangelio, ab Episcopo deosculandus, non autem Cardinali, vel magno Principi præsenti tradendus ad osculandum. I. 399. & seq.
Euangelii Codex, in quo cantata est Passio Feria VI. in Paraseeve, olim thurificatus, & deinde delatus Papæ ad osculandum. II. 282.
Euangelii textus cum cantatur in divino Officio pro septima lectione, qui ritus servandi. II.47.
Examen promovendorum in Episcopos a Clemente VIII. primum institutum. I. 5.
Examinatoribus promovendorum in Episcopo quæ leges datæ. I. 5. & seq.
Extrema unctio per quem administranda Episcopo graviter ægrotanti. II. 400. & seq.

F

Faldistorium unde dictum, cujus formæ, & varia ejus nomina. I. 179.
Faldistorium cooperiri debet veste coloris paramentorum Festo, quod celebratur, convenientis. I. 179.
Faldistorium, celebrante Episcopo, ubi locandum. I. 179. & seq.
Faldistoria duo, sive genuflexoria præparanda in Ecclesia pro Episcopo ad eam veniente. I. 175.
Familiares ministri quatuor Episcopi inservientes eidem ad lotionem manuum. I. 166. & seq.
Fenestella Confessionis quid, & quotuplex. I. 194.
Feria v. in Cœna Domini plena sacris Mysteriis, & variis nominibus dicta. I. 378.
Feria v. in Cœna Domini appellata *Natalis Calicis*. II. 251.
Feria v. in Cœna Domini, ut accedit Episcopus ad Ecclesiam. II. 253. & seq.
Feria v. in Cœna Domini jam vel olim perquam solemnis antequam Urbanus IV. instituerat Festum Sanctissimi Sacramenti. I. 377. & seq.
Feria v. in Cœna Domini quæ præparanda pro Missa. II. 250. & seqq.
Feria v. in Cœna Domini Missa. II. 250. & seq.
Feria v. in Cœna Domini Missa persolemnis, & ejus ritus. II. 254. & seq.
Feria v. in Cœna Domini novus ignis alicubi olim benedictus, & quo ritu. II. 251.
Feria v. in Cœna Domini quo ritu Hora Nona cantanda. II. 253.
Feria v. in Cœna Domini Calix cum Hostia deferendus ad Sacellum, ut instruendus. II. 256.
Feria v. in Cœna Domini sepulcrum pro asservando ibi Christi Corpore, parandum, & quo ritu. II. 251. & seq.
Feria v. in Cœna Domini post Euangelium alicubi sermo habitus. II. 255.
Feria v. in Cœna Domini communio generalis in Missa, & quo ritu. II. 256. & seq.
Feria v. in Cœna Domini tres olim Hostiæ alicubi consecratæ, & cui usui. II. 253.
Feria v. in Cœna Domini Crux deferenda in Processione ad sacellum velata violaceo velo. II.459.
Feria v. in Cœna Domini baldachini hastæ a quibus deferendæ in processione ad Sacellum. II. 259. & 60.
Feria v. in Cœna Domini quo ritu delata Eucharistia ad Sacellum. II. 259. & seq.
Feria v. in Cœna Domini Sacramentum ad Sacellum ab Episcopo deferendum, licet ipse ea die non celebrarit. II. 264.
Feria v. in Cœna Domini cur solum Christi Corpus

Digitized by Google

pus reſervandum in craſtinum, non autem Sanguis. II. 262.
Feria V. in Cœna Domini alicubi una cum Chriſti Corpore, reſervatus etiam ſacer Euangelii Codex. II. 262. & ſeq.
Feria V. in Cœna Domini Veſperæ quo ritu celebratæ. II. 263.
Feria V. in Cœna Domini Altarium denudatio ex antiquo ritu. II. 263.
Feria V. in Cœna Domini reconciliandi Pœnitentes. II. 254.
Feria V. in Cœna Domini Altarium, & pavimenti Eccleſiæ lotio. II. 264.
Feria V. in CœnaDomini Mandatum, ſive lotio pedum Pauperum quo ritu ab Epiſcopo celebrata. Vide. Mandatum &c. & Lotio pedum &c.
Feria VI. majoris Hebdomadæ, Officium, & ejus uarii ritus. II. 272. & ſeq.
Feria VI. majoris Hebdomadæ dicta *Paraſceve*, ideſt, *Præparatio*. II. 273.
Feria VI. in Paraſceve quomodo Epiſcopus veniet ad Eccleſiam. II. 274. & ſeq.
Feria VI. in Paraſceve Canonicæ Horæ diurnæ alicubi ut dictæ. II. 275.
Feria VI. in Paraſceve dies luctus, atque triſtitiæ. II. 273.
Feria VI. in Paraſceve Sacerdos, & Miniſtri alicubi *diſcalceati* ſoliti procedere ad Altare. II. 277
Feria VI. majoris Hebdomadæ Paſſio lecta ſuper nudum pulpitum, & *nudis pedibus*. II. 281.
Feria VI. in Paraſceve Paſſio cantanda cum veſtibus nigri coloris, & quo ritu. II. 280. & ſeq.
Feria VI. majoris Hebdomadæ ad verba illa Paſſionis, *clamans voce magna expiravit*, duo Subdiaconi Altare denudabant, duoque Acolythi omnia luminaria extinguebant. II. 281.
Feria VI. in Paraſceve Miniſtri ad Altare pervenientes proſtrati olim ante illud ſeptem Pſalmos Pœnitentiales dicebant. II. 277.
Feria VI. in Paraſceve Sermocinator quo ritu ſermonem faciet finita Paſſione in Miſſa Præſanctificatorum. II. 283. & ſeq.
Feria VI. in Paraſceve celebris vel olim ob celebritatem Myſterii Crucis. II. 274.
Feria VI. in Paraſceve Crux, in qua Chriſtus pependit, quotannis ab omnibus olim Jeroſolymis adorata. II. 273.
Feria VI. in Paraſceve orationes quo ritu alicubi dictæ. II. 283. & ſeq.
Feria VI. in Paraſceve aliquæ Eccleſiæ circa Horam Nonam ignem novum, & aquam benedicebant. II. 279.
Feria VI. in Paraſceve Epiſcopus aſſiſtens cum Cappa quo ritu ad Crucem adorandam accedit. II. 305. & ſeq.
Feria VI. in Paraſceve Crux quo ordine a Canonicis, Clero, & laicis Magiſtratibus, & Nobilibus adoranda. II. 289.
Feria VI. in Paraſceve elevatio Hoſtiæ quo ritu peragenda. II. 295. & ſeq.
Feria VI. in Paraſceve per quem Sacramentum a Sacello, in quo fuerat ſervatum, delatum ad Altare. II. 291. & ſeq.
Feria VI. in Paraſceve licet Epiſcopus non celebret, ipſe tamen defert Sacramentum a Sacello ad Altare, & quo ritu. II. 307. & ſeq.
Feria VI. in Paraſceve non omittenda incenſatio Calicis, & poſt Oblatorum incenſationem, non eſt iterum incenſandum Sacramentum. II. 295.
Feria VI. in Paraſceve communio generalis. II. 298.
Feria VI. in Paraſceve Sacramentum a Sacello, in quo fuerat aſſervatum, quo ritu deferendum ad Altare per Epiſcopum. II. 292. & ſeqq.
Feria VI. in Paraſceve an vinum immiſſum in Calicem, per contactum particulæ Hoſtiæ conſecratæ, fiat & ipſum conſecratum. II. 296.
Feria VI. in Paraſceve poſt delatum Sacramentum ad Altare, quo ritu peragenda Altaris, & Oblatorum thurificatio. II. 294. & ſeq.
Feria VI. in Paraſceve quo ritu cantata impropria. II. 287. & ſeq.
Feria VI. in Paraſceve Veſperæ quo ritu olim alicubi dictæ. II. 289.
Feria VI. in Paraſceve Veſperæ alicubi dictæ in Miſſa *ſuaviter*, ideſt, *voce ſummiſſa*, & quo ritu. II. 298. ſeq.
Feria VI. in Paraſceve Calicem manu tenens Veſperas alicubi Epiſcopus, vel Sacerdos incipiebat. II. 298.
Feria VI. in Paraſceve alicubi denudatæ poſt Veſperas Cruces, & poſt Completorium abluta Altaria per Epiſcopum, vel per alium, eo deficiente. II. 299.
Feria VI. in Paraſceve, finita olim Nona, ad Altare procedebatur, & cur. II. 277.
Feria VI. in Paraſceve lotus alicubi Crucifixus, & quo ritu. II. 299.
Feria VI. in Paraſceve. Vide. *Crux*, & *Crucis adoratio*.
Feria VI. in Paraſceve Romæ in Baſilica Vaticana oſtenſio Vultus Sancti. II. 300.
Feria VI. in Paraſceve alicubi oſtenſæ ſpinæ coronæ Chriſti, ampullæ cum ejus Sanguine, atque alia quæ ad Paſſionem Chriſti ſpectant. II. 300.
Feria VI in Paraſceve jejunium in pane, & aqua. II. 299.
Feria VI. in Paraſceve, Epiſcopo non celebrante, ſed tantum præſente, ſeu abſente, & in Collegiatis, ut peragendi ritus. II. 301. & ſeqq.
Feria VI. in Paraſceve Officium cur lugubre. II. 300. Confutatur Eraſmus.
Feria qualibet VI. in multis religioſis domibus voluntariæ flagellationes. II. 300.
Feria VI. in Paraſceve ſolitus Romanus Pontifex diſcalceatus pergere cum Proceſſione. II. 275.
Feriam VI. in Paraſceve, & ſequentem diem Græci omnino jejuni tranſigebant. II. 199.
Ferula ab Archidiacono Proceſſiones dirigente delata olim Romæ in muneris ſui ſignum. I. 71.
Ferula Magiſtrorum Cæremoniarum qualis. I. 81.
Ferula olim tradita Romanis Pontificibus poſſeſſionem Lateranenſis Eccleſiæ capientibus. I. 43.
Feſta celebriora cur in propria Eccleſia peragenda. I. 202.
Feſta regulariter a primis Veſperis initium ſumunt. II. 1. & ſeqq.

Digitized by Google

Festa celebriora Paschatis, Natalis Domini &c. in villa celebrare vetitum. I. 202.
Festa, in quibus Episcopum celebrare Vesperas, & Missam solemni ritu celebrare convenit, quænam sint. II. 390. & seq.
Festa multa in Quadragesimam Monachi invexerunt, & cur. I. 376. & seq.
Festa nulla celebrandi in Quadragesima antiquus ritus. I. 376.
Festa, & Officia Sanctorum Josephi, & Joachimi mense Martio, recentis instituti. I. 378.
Festorum duplicium alia primæ classis, alia secundæ, & alia majora, alia minora. I. 56.
Festis diebus ornandæ etiam Portæ Templorum. I. 171.
Festis diebus, & solemnioribus ornatus Ecclesiæ qualis. I. 169. & seqq.
Festis solemnioribus Paschæ, Pentecostes &c. uti ornanda Ecclesia. I. 201
Festivitatum habenda ratio in ornandis Templis. I. 169. & seq.
Filioque additio in Symbolo. II. 97.
Fidei professio ab Episcopo morituro emittenda, & quo ritu. II. 399. & seq.
Florentini ut receperint Martinum V. Papam. I. 35.
Flores si nimio odere caput offendant, amovendi ab Altari. I. 186.
Florum vas apponi vetitum ante ostiolum Tabernaculi Sanctissimi Sacramenti, in quo depicta esse solet Christi imago. I. 186.
Floribus ornari Sanctorum sepulcra antiquus ritus. I. 190.
Formalium quid. I. 105.
Fragor in fine Officii Matutini. II. 249.
S. Franciscus de Paula cum baldachini honore exceptus a Rege Neapolis. I. 224.
S. Fulgentium Episcopum Ruspensem Carthaginensis populus rogavit, ut ei benedictionem solemnem impertiret. I 45.
Funalia ad minus quatuor, ad summum octo pro elevatione Sanctissimi Sacramenti in Missa Pontificali super abacum ponenda. I. 199. & seq.
Funalia quo ritu aliquando adhibita in Ecclesia Placentina celebrante Episcopo ad Eucharistiæ elevationem. II. 117.
Funalia quandiu tenenda in elevatione Eucharistiæ. II. 118. & seq.
Funebres Orationes in laudem Defunctorum quo ritu habendæ. I. 312. & seq.

G

Galeri seu Pilei Pontificalis descriptio. I. 59.
Gallarum mulierum abusus in deferendis catulis ad Ecclesiam. I. 204.
Gavantus notatus. II. 294, & alibi
Geniculatio antiquus in Ecclesia ritus. I. 402.
Genua minime flectenda diebus Dominicis, & toto tempore Paschali. I. 99.
Georgii Alexandrini Episcopi avaritia in locandis feretris ad deferenda corpora mortuorum. II. 149.
Genuflectendum non est Canonico Episcopum thurificanti. I. 43.
Genuflectere ad benedictionem Episcopi non tenentur Dignitates, & Canonici. I. 109. & alibi
Genuflexorium qualificatum in quo consistat. I. 49.
Genuflexorium qualificatum est jus honorificum, quod proprio Episcopo competit in sua Diœcesi. I. 43.
Genuflexorium qualificatum denegatum Episcopo Titulari Suffraganeo Cardinalis Episcopi Veliterni. I. 43.
Genuflexoria duo qualificata pro Episcopo veniente ad Ecclesiam præparanda. I. 175. & seq.
Germanus Episcopus Antissiodorensis ad Ecclesiam delatus humeris Religiosorum. I. 34.
Gloria in excelsis Deo, quando cœptum dici in Missa, & quis ejus author. I. 289.
Gloria in excelsis Deo &c. in Missa, & multa de eo ritu. II. 82. & seq.
Gloria in excelsis Deo, quo ritu intonandum ab Episcopo. II. 83.
Gloria, laus, & honor &c. versus cantari soliti in ingressu Processionis ad Ecclesiam Dominica Palmarum a quo compositi. II. 234.
Gloria Patri &c. dum dicitur, caput inclinantibus Indulgentiæ concessæ. II. 9.
Gnesnensis Archiepiscopus Poloniæ Primas purpureo in vestibus colore instar Cardinalium utitur. I. 13.
Gregorianus cantus a Clericis addiscendus. I. 373.
S. Gregorius Papa non dedignatus cantum Ecclesiasticum pueros docere. I. 89.
S. Gregorii Magni literæ de onere pastorali sibi impolito. I. 25.
S. Gregorio VII. calumnia appicta a Cardinali Bennone, quod intra tredecim annos suffocasset veneno sex Romanos Pontifices. II. 104.
Gregorius Papa XI. Constitutiones Basilicæ Lateranensis approbavit. I. 57.
Gremiale ejusdem coloris ceterorum paramentorum adhibendum. I. 164.
Gremialis forma. I. 164.
Gremiale tradendum a Ministro, minime ab ipso osculandum. I. 164.
Gremiali quando utendum est Episcopo. I. 165.
Gulielmus Cardinalis Sirletus dictus *sapientissimus Calaber*, & varia de eodem. I. 46.

H

Hebdomada major, & sancta, & ejus ritus. II. 240. & seq.
Hebdomada sancta occupanda a fidelibus in peccatorum confessione, & operibus pietatis. II. 240.
Hebdomada sancta, & hebdomada Paschatis olim festiva. II. 240.
Hæretici se invisibiliter missos a Deo ad prædicandum jectant. I. 305.
Hæretici perperam perstrepunt, cereos, & lampades accendi pro honore Sanctorum. I. 193.
Hæretici perperam thuris usum in Ecclesia reiiciunt. I. 315. & seq.

Hæ-

Digitized by Google

Hæretici contemtores conſtructionis, & ornatus Templorum. I. 169.
Heribertus Epiſcopus in die ordinationis ſuæ Cathedræ innixus Epiſcopali ad Eccleſiam nobilium humeris delatus. I. 34.
S. Hieronymi Charitatis Oratorii Domus laudata. II. 300.
Honorati Cleri qui dicti. I. 48.
Hora Tertia quo ritu ante Miſſam Pontificalem in Secretario canenda. II. 59. & ſeq.
Hoſtia quo ritu offerenda ab Epiſcopo ad Offertorium. II. 102. & ſeq.
Hoſtia cur dicitur immaculata ante conſecrationem. II. 103.
Hoſtiæ conſecratæ contactu an vinum in Calicem immiſſum Feria VI. in Paraſceve conſecratum. II. 296.
Hoſtiæ fractio in Miſſa, & varius ejus ritus. II. 122. & ſeqq.
Hoſtiæ confici deberent a Sacerdotibus, vel ſaltem a Clericis. I. 93.
Hoſtiæ pro Sacrificio Miſſæ quonam ritu a Monachis olim confectæ. I. 92.
Hypolitus a Portu notatus. I. 201.
Hymni Breviarii ab Vrbano VIII. emendati quorum opera. II. 16. Cenſura Valeſii in ipſam emendationem. *ibid.*
Hymnorum uſus in Officio divino. II. 15.

I

IDolorum Fana feminæ gentiles *paſſo capillo ſuo* verrere ſolitæ. I. 202.
Ignis novus olim alicubi benedictus, & quo ritu Feria V. in Cœna Domini. II. 251.
Ignis novus benedictus alicubi Feria VI. in Paraſceve. II. 279.
Ignis excuſſus e ſilice Sabbato Sancto, & benedictus quo ritu. II. 312. & ſeqq.
Ignis novus benedicendus Sabbato Sancto excuſſus alicubi e ſilice Jeroſolymis allato. II. 315.
Ignis novi benedictio Sabbato Sancto facienda potius per Epiſcopum, quam per alium. II. 316.
Ignis novi benedictio quo ritu olim peracta. Ex eo accenſæ non modo lampades Eccleſiæ, ſed & incolarum foci. II. 315.
Igni novo benedicendo Sabbato Sancto, qui locus in quibuſdam Eccleſiis deſtinatus. II. 315.
Imagines profanæ non apponendæ in Templorum porticibus maxime diebus feſtis. I. 172.
Imaginum velatio in Eccleſia ad primas Veſperas Dominicæ Paſſionis, alicubi quando. II. 226.
Improperia quo ritu cantata Feria VI. in Paraſceve. II. 287. & ſeq.
Incenſationis Altaris ordo cum ſua Figura. Vide. Thus, &, Thurificatio. II. 78.
Incenſatio Sanctiſſimi Sacramenti in quo Altaris gradu facienda. II. 385. & ſeq.
Indulgentia Epiſcopi eſt quadraginta dierum. I. 45. & 352.
Indulgentia prædicante Epiſcopo a Presbytero aſſiſtente publicanda. I. 353.
Indulgentia poſt datam benedictionem impertienda in primo novi Epiſcopi ingreſſu. I. 45.
Indulgentia petenda per Concionantem ab Epiſcopo. I. 306. & ſeq.
Indulgentia non publicata poſt ſermonem ad Euangelium, quando, & a quo publicanda in Miſſa Pontificali. II. 131.
Indulgentiæ concedendæ formula. I. 352.
Indulgentiæ quot dies concedere Epiſcopi poſſint. I. 364. & ſeq.
Indulgentiæ in Proceſſione Feſti Corporis Chriſti quando publicandæ. II. 386. & ſeq.
Indulgentiæ non publicandæ in ſolemni Pontificali Miſſa Defunctorum. II. 154.
Indulgentiæ plenariæ a ſolo Papa ob plenitudinem poteſtatis, qua pollet, conceduntur. I. 353.
Indulgentiæ olim cum ſumma moderatione a Romanis Pontificibus conceſſæ. I. 352.
Indulgentiarum conferendi poteſtas penes ſummum Pontificem, ac reliquos omnes Epiſcopos juriſdictionem ordinariam habentes. I. 353.
Indulgentiarum portenta falſo appicta Romanis Pontificibus. I. 353.
Indulgentias concedendi poteſtas penes quos. I. 45.
Indulgentias concedere poteſt Epiſcopus etiamſi nondum ſit ſacris Ordinibus initiatus. I. 45.
Innocentium SS. Feſtum alicubi lugubri ritu celebratum, in aliis vero locis cum Hymno *Te Deum*, & *Gloria in excelſis &c.* I. 168.
Innocentius III. a Clero cum thuribulis, a populo vero cum palmis, & floribus deductus ad Lateranum. I. 42.
Innocentius IV. & Clemens VIII. ſtatuerunt, ut Euchariſtia apud Græcos per ſolos quindecim dies ſervetur. I. 91.
Innocentio Papæ IV. ſummi honores exhibiti dum per varias Civitates, & loca tranſiret. I. 28.
Innocentio Papæ IV. occurſus ſolemnis Romanorum. I. 32.
Innocentio Papæ IV. Mediolanum advenienti occurſus cum ſolemni Proceſſione non modo Cleri, ſed & laicorum, etiam parvulorum, & mulierum. I. 32.
Innocentius X. Cæremoniale Epiſcoporum a Clemente VIII. editum in aliquibus correxit, & & Conſtitutionem edidit. I. XIII. & XV.
Innocentius XI. Congregationem inſtituit pro electione promovendorum ad Epiſcopatus. I. 7.
Inſtrumenta muſicalia præter Organum in Eccleſia non adhibenda. I. 383. & ſeq.
Inſtrumentorum muſicalium abuſus, & deſcriptio. I. 384. & ſeq.
Invitatorium ad Matutinum quo ritu cantandum. II. 39. & ſeq.
Ite Miſſa eſt, antiquiſſimus ritus. I. 141.
Ite Miſſa eſt, quo ritu a Diacono pronunciandum in Miſſa. II. 129. & ſeq.
Ite in pace, dimiſſio apud Græcos in fine Liturgiæ. I. 141.
Itinerarius habitus Epiſcopalis quis. I. 59. & ſeq.
Itinerarium quid. I. 22.
Itinerarium ab Epiſcopo recitandum ad ſuam Epiſcopalem Civitatem proceſſuro. I. 22.

Digitized by Google

Jacobi Ægidii de Malavoltis Epiſcopi Senenſis Epiſtola. I. 25.
Jeſus dum nominatur in divinorum Officiorum functione, ut facienda eſt reverentia. I. 289.
Jejunium ſenſim laxatum, & quanto abuſu hac tempeſtate a quibuſdam ſervetur. II. 391. & ſeq.
Jejunium in pane, & aqua Feria VI. in Paraſceve. II. 299.
Jejunium olim incompatibile cum Feſto. I. 477.
Jejunio prævenire Feſtivitates Sanctorum, ritus antiquus. II. 74.
S. Joachimi Feſtum celebrandum in Dominica infra octavam Aſſumtionis Deiparæ ſtatuit Clemens Papa XII. I. 378.
S. Joannis Chryſoſtomi occurſus cum Proceſſione Cleri S. Epiphanio Cypri Epiſcopo. I. 31.
S. Joannes Chryſoſtomus jumento vehi ſolitus. I. 70.
Joannes XXII. Indulgentiam decem dierum iis conceſſit, qui pie ſalutationem Angelicam ter flexis genibus dicerent de mane, & de ſero. I. 78. & 99.
Joannis XXII. Conſtitutio contra muſicæ abuſum. I. 384. & ſeq.
Judæi olim, cum ſummi Pontifices recens ordinati pergerent ad Eccleſiam Lateranenſem, obviam eis facti cum repræſentatione Legis. I. 29.
Julius III. amenitate Villæ ſuæ captus. I. 53.
Juramentum fidelitatis præſtat Confanoneria familia Archiepiſcopo Mediolanenſi. I. 50.

K

Kyrie eleiſon in Miſſa ritus. II. 80. & ſeq.
Kyrie eleiſon cur aliquando non diceretur in Miſſa cantata. II. 221.

L

Lactis, & mellis ritus poſt Communionem Neophytorum in Miſſa Sabbati ſancti. II. 335.
Laici omnes extra Presbyterium, & Altarium ſepta. I. 119. & ſeq.
Lamina Pontificalis S. Jacobi Apoſtoli Hieroſolymitani Epiſcopi. I. 258.
Lampas ſemper accenſa eſſe debet prope Tabernaculum ubi aſſervatur ſacra Euchariſtia. I. 90.
Lampadarius, ſeu Lampadarium quid. I. 194.
Lampades quot ante Tabernaculum Sanctiſſimi ardere debeant, cum ſolemniter Feſtum celebratur. I. 194. & ſeq.
Lampades numero impari ſint. I. 194.
Lampades ardentes in Eccleſiis impari numero ponendæ, & cur. 192.
Lampades, & cereos accendi pro honore Sanctorum, perperam hæretici perſtrepunt. I. 193.
Lampadum uſus antiquiſſimus in Eccleſia. I. 192.
Lanx, in qua ponuntur offerentium pecuniæ Feria VI. in Paraſceve. II. 288. & ſeq.
Lateranenſis Eccleſiæ Conſtitutiones a Petro Cardinale S. Mariæ novæ Archipresbytero ejuſdem Baſilicæ confectæ, a Gregorio Papa XI. approbatæ. I. 57.
Lateranenſes Canonici Regulares S. Mariæ de Pace laudati. II. 390.
Lateranenſium Canonicorum Regularium Congregatio Religioſorum omnium Ordinum Princeps. II. 117.
Laudes ab Epiſcopo inchoandæ, quando in Matutuno ſolemniter Officium facit, & quomodo inchoandæ. II. 53. & ſeqq.
Laudes ſintne diſtincta hora a Matutino, ſeu Nocturnis, controverſia eſt apud Scriptores. II. 54.
Lavatorium in Sacriſtia habendum. I. 102.
Lectica mortuorum pro abſolutione, ubi locanda. II. 155. & ſeq.
Lectio nona in divino Officio ab Epiſcopo cantanda, & quo ritu. II. 47. & ſeq.
Lectiones ac Matutinum ut cantandæ. II. 43. & ſeqq.
Lectiones in Matutino Officio Tenebrarum ut cantandæ. II. 255. & ſeq.
Legatus. Vide. Cardinalis.
Legati a letere cur ita dicti. I. 60.
Legati honorandi ab Epiſcopis vi juramenti, quod hi in ſua ſua ordinatione præſtant. I. 61.
Legati præſentes Miſſæ Pontificali omnes præeminentias habere debent, & quæ eæ ſint. I. 61.
Legatorum a latere ſummi Pontificis tanta eſt dignitas, ut coram eis nec Archiepiſcopi, nec Patriarchæ poſſint Crucis vexillum ſibi præferri. I. 60.
Legatorum Cardinalium Sedes ubi locanda. I. 210.
Legatis a latere præſentibus ceſſat aliorum Legatorum auctoritas. I. 61.
Leo X. Cardinalibus mandat, ut tractent honorifice Epiſcopos veluti Fratres. I. 62.
Leonis X. Conſtitutio circa habitum, & colorem deferendum a Canonicis Regularibus creatis Epiſcopis. I. 17.
Litania triplex cantata olim Sabbato ſancto, ſeptena, quina, & terna, & cur ita dicta. II. 329.
Litaniæ majoris quis inſtitutor. II. 361.
Litaniæ majores ſi occurrant in Paſchate, transferendæ in aliam diem, & quam. II. 369.
Litaniæ cantandæ per viam in Proceſſionibus ſancti Marci, & Rogationum. II. 366.
Litaniæ ad quem verſum terminandæ. II. 330.
Litaniarum majorum, & minorum antiquus Eccleſiæ ritus. II. 361.
Litaniarum minorum, quæ Rogationes vocantur, S. Mamertus inſtitutor. II. 370.
Litaniæ Sabbato Sancto poſt benedictionem Fontis, & collatum baptiſmum cantatæ. II. 329.
Lotio manuum in Miſſa. I. 393.
Lotio manuum Epiſcopi facienda per Familiares, ſeu Nobiles genuflexos, niſi adſint Cardinales, vel Metropolitanus. I. 265. & ſeq.
Lotio pedum pauperum Feria V. in Cœna Domini antiquiſſima. II. 265.
Lotio pedum Feria V. in Cœna Domini qua hora celebranda. II. 266.
Lotio pedum Feria V. in Cœna Domini quantum ad horam ipſam celebrandi, arbitrio Epiſcopi relicta. II. 268.
Lotio pedum Feria V. in Cœna Domini ubi ab Epiſcopo facienda. II. 267. & ſeq.

Lo-

Digitized by Google

Lotio pedum Feria v. in Cœna Domini duodecim pauperibus olim facta, & quando cœperit fieri tredecim. II. 267.
Lotio pedum quo ritu olim Romæ a Papa celebrata. II. 266. & seq.
Lotio pedum Feria v. in Cœna Domini jam olim a Monachis, & a Monialibus servata. II. 265.
Lotionis pedum varii ritus. II. 266. & seq.
Lotionem pedum Feria v. in Cœna Domini fieri posse ab Episcopo Canonicis, vel pauperibus, quomodo intelligendum. II. 272.
Lucæ Consentini Episcopi Ordinarium. II. 255. 241. 263. 270. & alibi frequenter.
Lucernarium cur appellatæ Vesperæ. II. 1. & seq.
Lumen Christi, ut dicendum a Diacono in Processione Sabbati Sancti. II. 317.

M

MAgister Cæremoniarum. Vide. Cæremoniarum Magister.
Magistri Cæremoniarum officia in Ecclesia Mediolanensi. I. 82. & seq.
Magistratus tenetur associare Episcopum ad Ecclesiam pergentem, si ea adsit alicubi consuetudo. I. 230. & seq.
Magistratus cogendus ad præstanda obsequia Episcopo in lotione manuum illius, dum Sacra peraguntur. I. 286.
Magistratus honorandi ab Episcopis sine suæ tamen dignitatis depressione. I. 68.
Magistratus laici a Presbyterio amovendi consuetudine non obstante. I. 221. & seq.
Magistratum Civitatis præferendum esse in deferendo Baldachino nobilibus in solemni primo novi Episcopi ingressu decisum in Sacro Neapolitano Consilio. I. 37.
Magnificat &c. cum inchoatur, qui ritus servandi ab Episcopo, & a Choro. II. 17. & seq.
S. Mamertus Litaniarum minorum, quæ Rogationes vocantur, institutor. II. 370.
Mandatum quid, & cur ita appellatum. II. 265.
Mandatum Feria v. in Cœna Domini quo ritu celebratum. II. 265. & seq. Vide Lotio pedum.
Manipulus quando ad ornatum suffectus est. I. 130.
Manipulus quando a Diacono, & Subdiacono induendus. I. 130.
Manipulus in brachio sinistro ferendus. I. 130.
Manipulus cur a Subdiacono immissus Pontifici. I. 147.
Manipulus Episcopi inclusus libro Missali per Subdiaconum delato. I. 146.
Manipulus ultima vestis Episcopi. I. 147.
Manipulus olim linea sindon, seu mappula brachio alligata ad abstergendum sudorem, & sordes. I. 129. & seq.
Manipulum accipit Diaconus Euangelii, & quidem cum osculo Crucis, Episcopo jam ad Missam parato. I. 129.
Mantellettum Episcoporum. I. 10.
Manus non osculandæ Celebrantis, etiam Episcopi, in tota Missa Defunctorum. II. 151.
Manus jungendi, disjungendi, tenendique ritus, & modus per Episcopum, vel alium celebrantem. I. 287. & seq.
Manuum lotio Episcopi, & præparatio ad Missam Pontificalem in Secretario. II. 60. & seq.
Manuum lotio Episcopi post Missam supervacanea. II. 64.
Mappularii dicti Baldachinum gestantes. I. 225.
Mappulis olim soli Clerici Romani utebantur. I. 129. & seq.
Marangonus Joannes Author Vitæ P. Bonsignorii Cacciaguerræ. I. 59.
S. Marci Evangelistæ Litaniæ antiquæ, & quomodo ordinandæ. II. 361. & seqq.
Marinonii Joannis Clerici Regularis insigne factum. I. 95.
Martinus Papa V. ut a Florentinis exceptus. I. 35.
S. Martini Cappa. I. 56. & seq.
Martyria dicebantur Martyrum sepulcra, Memoriæ, Confessiones. I. 190.
Martyrium Græce idem ac Latine confessio. I. 190.
Matisconensis Synodi Canon. I. explicatus. II. 2.
Matronarum pulvinaria in Ecclesia. I. 176.
Matutinum ut ab Episcopo est incipiendum. II. 38. & seq.
Matutinum in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, absente Episcopo, ut cantandum. II. 48. & seq.
Matutinum Officii Tenebrarum cum strepitu, & quo ritu. II. 249.
Medici notati qui pro suo arbitrio comedendi carnes, aliosque vetitos cibos in Quadragesima facultatem concedunt. II. 392.
Medici obligatio in admonendo ægroto circa initium morbi, ut Sacramentalem confessionem faciat. II. 398.
Mediolanensis Archiepiscopi primus solemnis ingressus in suam Civitatem. I. 32. & seq.
Mediolanensi Archiepiscopo Confanoneria familia juramentum fidelitatis præstat. I. 50.
Mediolanenses quanto honore susceperint S. Carolum in suo primo ingressu. I. 28.
Mediolani Confanoneriæ familiæ nobiles Baldachini hastas deferunt in novi Episcopi ingressu. I. 37.
Memorialis idem, ac Cæremoniarius. I. 72.
Metropolitani partes quænam in electione Episcoporum. I. 1.
Mendici discurrentes, & perturbantes divina Officia arcendi ab Ecclesia. I. 93.
Minister de Libro, & ejus munia quæ. I. 158. & seq.
Minister de candela, & ejus munia. I. 159.
Minister de Mitra, & jus munia. I. 160. & seq.
Minister de Baculo, & ejus munia. I. 160.
Minister de Gremiali, ejusque munia. I. 164.
Minister, seu Acolythus de navicula, & thuribulo, & ejus munia. 162. & seq.
Ministri inferiores inservientes Episcopo ad Vesperas solemnes qui, & quot. I. 157.
Ministri inferiores inservientes Episcopo Sacra peragenti uti Pluvialibus possunt, si adsit consuetudo. I. 157.

Mi-

Digitized by Google

Miniſtrorum inferiorum inſervientium Epiſcopo Sacra peragenti qualitates, & habitus. I. 157.
Miniſtrantium in divinis Officiis varii Chori, ſeu corpora diverſa. I. 281. & ſeqq.
Miniſtrorum numerus pro opportunitate Feſtorum in Sacris peragendis auctus. I. 156.
Miſſa jejuna. I. 44.
Miſſa ſicca quæ. I. 44.
Miſſa ab Epiſcopo dicta in ſuo primo ad Civitatem ingreſſu. I. 44.
Miſſa quo ritu olim dicta a Papa initio Quadrageſimæ in Eccleſia S. Sabinæ. II. 221.
Miſſa Feria v. in Cœna Domini. II. 250. & ſeq.
Miſſa ubi celebranda in Proceſſione S. Marci. II. 368. & ſeqq.
Miſſa ſolemnis ab Epiſcopo non celebranda in Feſto Corporis Chriſti, & cur. II. 387.
Miſſa ſolemnis in die electionis, & conſecrationis Epiſcopi a quo celebranda, & quid, ſi dies ſit impedita. II. 392.
Miſſa privata quomodo celebranda ab Epiſcopo. I. 391.
Miſſa pro Defunctis antiquiſſimus Eccleſiæ uſus. II. 139.
Miſſa celebrari olim ſolita præſente Cadavere. I. 400.
Miſſæ olim an Fideles genibus flexis intereſſent. I. 403.
Miſſæ inſervientes qui eſſe debeant. I. 395.
Miſſæ inſerviendæ non ſine abuſu adhibentur pueri petulantes, & immorigeri. *ibid.*
Miſſæ celebrationem an nocturna illuſio ſine culpa impediat. I. 384.
Miſſæ Introitus, ideſt Pſalmus, *Judica me Deus &c.* dictus olim ab Epiſcopo, dum procederet e Secretario ad Altare. II. 75.
Miſſæ Pontificalis ritus fuſe explicatus. II. 56.
Miſſæ Sabbati Sancti ritus. II. 331. & ſeq.
Miſſæ ſolemni quomodo Epiſcopus in ſua Eccleſia aſſiſtat. II. 132. & ſeq.
Miſſam quo ritu audiat Epiſcopus in locis ſuæ jurisdictionis. I. 402. & ſeq.
Miſſam celebrans coram proprio Epiſcopo in ejus Diœceſi, antequam in fine Miſſæ benedicat, facere debet profundam Epiſcopo reverentiam. I. 404. & ſeq.
Miſſam coram Papa celebrans quos ritus ſervabit. I. 405.
Miſſam coram Cardinali celebrans ut ſe gerere debet. I. 405. & ſeq.
Miſſam quæſtus gratia quotidie aliqui Sacerdotes celebrant, alii raro, qui ſcilicet pinguibus Beneficiis, Penſionibuſve abundant. I. 393.
Miſſarum onera, & Anniverſaria deſcribenda in tabella. I. 101.
Miſſale plenarium. I. 189.
Miſſale a quo tenendum, dum Epiſcopus celebrans Altare thurificat. I. 118.
Miſſalis Liber tenendus a Miniſtro Cotta induto præſente alio de candela Miniſtro, Celebrante Epiſcopo Miſſam, vel eidem Aſſiſtente. I. 292.
Miſſalis Liber in ſolemnitatibus tegendus panno ſerico coloris ceterorum paramentorum. I. 189.
Miſſali Libro tenendo a Miniſtro quando abſtinendum Epiſcopo, ſi ſcilicet aſſiſtat, & non celebrat ipſe. I. 292. & ſeq.
Miſſali olim Crucifixi imago depicta. I. 319.
Miſſali Libro incluſus Manipulus Epiſcopi Celebrantis delato per Subdiaconum. I. 146.
Mitra apud gentiles profanum capitis ornamentum. I. 259. & ſeq.
Mitra turbinata quæ. I. 264.
Mitræ Pontificalis origo. 258.
Mitræ uſus, & ejus ſpecies triplex. I. 258.
Mitra pretioſa quando utatur Epiſcopus. I. 263.
Mitræ Pontificalis diſtinctio in pretioſam, auriphrygiatam, & ſimplicem. I. 262. & ſeq.
Mitra pretioſa non uti debent Prælati Epiſcopis inferiores, niſi id eis fuerit ab Apoſtolica Sede conceſſum. I. 267.
Mitra auriphrygiata quando Epiſcopus uti debeat. I. 267. & ſeq.
Mitra ſimplici quando Epiſcopo utendum. I. 168.
Mitra deponenda ab Epiſcopo ubi ingreſſus ad Eccleſiam orat, reſumenda vero poſt orationem. I. 276. & ſeq.
Mitræ uſum qui nam putent fluxiſſe ab Apoſtolis. I. 259.
Mitræ uſum quando obtinuerint Abbates a Sede Apoſtolica. I. 261.
Mitræ uſus conceſſus aliquando a Papa Principibus ſecularibus. I. 261. & ſeq.
Mitræ variæ Summi Pontificis. I. 264.
Mitra uſi olim Epiſcopi, quibus Romani Pontifices illam concedebant. I. 260.
Mitram qui putent minime fuiſſe in uſu ante annum Chriſti milleſimum. I. 259.
Mitram olim geſtabant Cardinales etiam non Epiſcopi. I. 260.
Mitris pretioſis, & gemmatis jam etiam Abbates olim uſi. I. 267.
Monachi multa Feſta in Eccleſiam invexerunt, & cur. I. 376. & ſeq.
Monachi olim veſtes ex aſperis camelorum ſetis confectas deferebant. I. 56.
Monachorum veterum pietas in tollenda vel unica feſtuca de pavimento Oratorii. I. 202.
Monacelli lapſus. I. 231.
Morettus Petrus laudatus, & ejus Opera. I. x. 28. 56. 71. 243. & II. 300. 366. & alibi.
Morituri olim ad terram cinere, & cilicio ſtratam depoſiti, & varia de eo ritu. II. 403.
Mozzetta violacea ſuperinduta Rocchetto diſcooperto uti poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi. I. 53.
Mozzetta non deponenda ab Epiſcopis præſente Cardinali Legato, vel non Legato in eorum Diœceſi, & Civitate Epiſcopali. I. 66.
Mozzetta ab Epiſcopo deponenda, ubi obviam it Cardinali Legato, vel ſi cum ipſo per ſuam Civitatem incederet, non autem ſi ille in eadem Civitate moram faceret. I. 67.
Mozzettæ delatione abſtinere debet Epiſcopus, Legato præſente. I. 61.
Mulæ Pontificalis ornamenta. I. 20.
Mulæ Reliquiæ Sanctorum, dum transferrentur, impoſitæ. I. 20.

Digitized by Google

Mula potius Episcopis, & Cardinalibus utendum, quam equo dum equitant. I. 20.
Mulieres olim in Ecclesiis separatæ a Viris. I. 80.
Mulieres Italæ notatæ deferentes inter brachia catellos ad Ecclesiam. I. 204.
Mulieres debent deferre velamen super caput in signum subjectionis. I. 36.
Musica qualis a Joanne XXII. damnata. I. 384.
Musica ad pietatem ordinata, a quibusdam corrupta. I. 387. & seq.
Musicalia instrumenta præter Organum in Ecclesiis non adhibenda. I. 383. & seq.
Musicalium instrumentorum in Ecclesia abusus, & descriptio. I. 384.
Musico cantui regulæ præscriptæ a Sacra Visitatione Apostolica, Alexandro VII. Pontifice Maximo. I. 386.
Musicorum cantus, eorumque motus, dum canunt, egregie a S. Aelredo Abbate descripti, atque improbati. I. 384

N

NAtalis Calicis appellata Feria v. in Cœna Domini. I. 378.
Nativitatis Domini vigilia jam olim celebrata cum jejunio. II. 174.
Nativitatis Domini vigiliæ Missa. II. 175.
Nativitatis Domini Vesperæ solemnes. II. 176.
Nativitatis Domini Officium nocturnum, & ejus ritus. II. 177. & seq.
Nativitatis Domini Officii ultima Lectio uti cantanda. II. 181. & seq.
Nativitatis Domini Officii Laudes quando cantandæ, & quo alicubi ritu. II. 184. & seq.
Nativitatis Domini tres Missæ ex ritu antiquo, & qui ritus in ipsis servati. II. 183. & seq.
Nativitatis Domini jam olim in Ecclesia Festum solemne, II. 176. & seq.
Nativitatis Dominis Festum quo die, & mense apud Latinos, & Græcos celebratum. II. 177.
Nazareni Episcopi in Regno Neapolitano insigne privilegium. I. 271.
Nepotianus Presbyter a S. Hieronymo laudatus, quod cerneretur ejus in omnes cæremonias solicitudo dispolita. I. 71.
Nepotiani diligentia circa munditiem Ecclesiæ, ejusque ornatum. I. 95.
Neritinæ Ecclesiæ ritus. II. 93.
Nocturnum Officium cur ita dictum. II. 44.
Nocturni tres Officii divini diversis horis olim cantati. II. 43.
Nomen Papæ in Canone Missæ jam olim recitatum. II. 115.
Nomen Episcopi in Canone Missæ, proprii scilicet, non autem Administratoris. II. 116.
Nomen Abbatis post nomen Papæ in Canone Missæ aliquando pronunciatum. II. 116.
Nomen Regis recitari alicubi solitum in Canone Missæ. II. 116.
Nuntiorum, & Visitatorum Apostolicorum Sedes. I. 113. & seq.

O

OBlatio pecuniæ fieri solita Cruci Feria VI. in Parasceve. II. 288. & seqq.
Oblatio pecuniæ facta Cruci Feria VI. in Parasceve ad quem pertinet. II. 289.
Oblatorum thurificatio ritus antiquus, & ut peragenda. I. 320. & seq.
Oblatorum thurificationis formula, *Per intercessionem B. Michaelis &c.* ut explicanda. I. 321.
S. Odilo institutor dicitur celebrandæ certo die Commemorationis omnium Defunctorum, & quomodo intelligendum. II. 139. & seq.
O felix culpa, & *O necessarium Adæ peccatum*, in multis antiquis Ritualibus desiderantur. II. 320.
Offertorium in Missa, & ejus ritus. II. 100.
Officiales, & *Missi* dicti Vicarii Episcoporum. I. 27.
Officium divinum a Clericis olim, & a laicis stantibus decantatum. II. 11. & seq.
Officium divinum cantandum in Choro a Canonicis, Beneficiatis, aliisque de Capitulo in tono, & cantu Gregoriano. II. 11. & seqq.
Officium divinum in tres Nocturnos divisum. II. 42.
Officium divinum cantandum distincte, & intelligenter, & cum pausa. II. 42.
Officii divini Horæ singulæ a primo olim Psalmo inceptæ. II. 60.
Officia divina, rituque Ecclesiastici aliquando turbantur ob interventum Cardinalis in Ecclesiam ubi proprius Episcopus celebrat. I. 67.
Orate Fratres &c. & variæ ejus formulæ. II. 110.
Olivarum palmis excepti Episcopi in suo primo ad Civitatem Episcopalem ingressu. I. 28.
Olivarum rami in solemni Pontificum ingressu ad aliquam Civitatem adhibiti. I. 35.
Olivarum rami. Vide. Palma, &, Dominica palmarum.
Opobalsamum, aut nardinum oleum in Ecclesiis incendi olim solitum. I. 193.
Oratio Dominica post Nocturnum olim minime recitata. II. 44.
Orationes cur dirigantur ad Deum Patrem. II. 110.
Orationes cum plures dicuntur, prima tantum, & ultima cum sua conclusione terminatur, & ante primam, & secundam tantum dicitur *Oremus*. II. 33. & seq.
Orationes secretæ in Missa, & cur ita dictæ. II. 111.
Orationes Feria VI. in Parasceve quo ritu alicubi dictæ. II. 283. & seq.
Orationum, seu Collectarum toni diversi. I. 370.
Oratorii S. Hieronymi Charitatis domus laudata. II. 300.
Ordinatorum Communio in Missa Sabbati Sancti. II. 335.
Organum pulsandum in ingressu Legati, Cardinalis, Archiepiscopi, & aliorum quos voluerit Episcopus honorare, & donec oraverint, & res divina sit inchoanda. I. 379. & seq.
Organum pulsandum quum re divina peracta Episcopus discedit ab Ecclesia. I. 379. & seq.
Organum non adhibendum in Missis, & Officiis Defunctorum. I. 391.

Or-

Digitized by Google

Organum non intermiſcendum, cum dicitur Symbolum alternatim in Miſſa. 382. & ſeq.
Organi pulſandi regula in primo verſu Canticorum, & Hymnorum, & in iis, in quibus genuflectitur. I. 380. & ſeq.
Organi ſonus ne ſit laſcivus, aut impurus, cavendum. I. 383. & ſeq.
Organo excepto, aiia inſtrumenta muſicalia in Eccleſiis non adhibenda. I. 383. & ſeq.
Organa quando in Eccleſiam introducta. I. 373.
Organa quando in Divinis Officiis intermittenda. I. 374. & ſeq.
Organorum in Eccleſia uſus defenditur. I. 173.
Organorum uſus jam olim penes Monachos. I. 374.
Oſcula rerum, & manus Epiſcopi, cum aliquid ab eodem recipitur, vel ei offertur. I. 287.
Oſtenſoria pro deferenda Euchariſtia in Proceſſione, vel exponenda ſuper Altari, quando introducta. II. 379.
Oſtiarius in Eccleſia qui portæ, per quam intrabant Viri, præerat. I. 81.

P

PAllium, *Rationale*, & *Superhumerale* appellatum. I. 249.
Pallium ad quos primum a Pontificibus Romanis miſſum. I. 240. & ſeq.
Pallium proprium Archiepiſcopi indumentum. II. 69. & ſeq.
Pallium ſemper ſuper Planeta imponendum, & quo ritu. I. 250. & ſeq. & II. 70.
Pallium decurtari ceptum tempore Xiſti IV. Papæ. I. 251. & ſeq.
Pallium digne, & honorifice aſſervandum, & juxta ritum præſcriptum. I. 255. & ſeq.
Pallium petitutur hodie per Procuratorem, & quo nam ritu. I. 242.
Pallium qua reverentia olim ſuſceptum. I. 243.
Pallium ſuum alteri relinquere Archiepiſcopus nequit. I. 253.
Pallium novum neceſſarium Archiepiſcopo ad aliam Eccleſia translato. I. 254.
Pallii forma antiquitus varia, & quæ juxta hodiernum morem. I. 251.
Pallii imponendi ritus. I. 243. & ſeq.
Pallii variæ myſticæ ſignificationes. I. 256. & ſeq.
Pallii imponendi formula. I. 246.
Pallii Archiepiſcopalis dignitas. I. 255. & ſeq.
Pallii accipiendi cauſa Seculo XI. obligati jam vel remotiſſimi Metropolitæ Romam venire, ejuſque diſciplinæ varia exempla. I. 241.
Pallii ante ſuſceptionem Patriarchæ, & Metropolitæ appellari nequeunt ad illas Eccleſias ordinati. I. 252.
Pallii uſus aliquando conceſſus ſine dierum limitatione. I. 250.
Pallii cauſa quid exigeretur a Subdiaconis Apoſtolicis Pallia tenentibus. I. 243.
Pallio ſemper utitur in Miſſarum ſolemniis, & ubique Romanus Pontifex, & cur. I. 247.
Pallio quando, & ubi utatur Archiepiſcopus. I. 147.
Pallio ſuper Planetam indutus ſepeliendus Archiepiſcopus, ſi intra Provinciam ſepeliatur; ſi extra, ponendum illi Pallium ſub capite. I. 255.
Pallio utendo præſcripti dies, & qui. I. 248.
Pallio non ſuſcepto ſi Archiepiſcopus faciat ea, quæ ſunt poteſtatis ordinis, quid. I. 255.
Pallio Prædeceſſoriis non poteſt uti Archiepiſcopus. I. 253.
Pallio & Pluviali, vel Pallio & habitu monaſtico ſanctos Archiepiſcopos pingere, error Pictorum. I. 252.
Pallio ad inanem gloriam uti nefas. I. 257.
Pallia ut olim vigilarentur ad Confeſſionem S. Petri. I. 243.
Pallia vigilantibus vinum optimum Romæ olim præſtitum. I. 243.
Palliorum benedictio ex antiquo Codice. I. 244.
Pallia Altaris veſtimenta erant ante Altare ſuſpenſa, alio nomine dicta *pallea*. I. 181.
Palma ceteris pulcrior pro Epiſcopo, & quo ritu ei tradita. II. 231.
Palmarum Dominica. Vide. Dominica Palmarum.
Palmarum benedictio, & varii ejuſdem ritus. II. 229. & ſeqq.
Palmarum benedictio quando inceperit in Eccleſia. II. 230.
Palmarum benedictioni præmiſſum Euangelium, & alicubi etiam olim concio. II. 227.
Palmarum diſtributio quo ritu facta ab Epiſcopo. II. 231. & ſeq.
Palmarum Dominica Epiſtola, & Euangelium Latine, & Græce recitatum. I. 147.
Pannus niger pro Abſolutione Defunctorum ubi locandus. II. 155.
Papæ nomen in Canone Miſſæ recitandi antiquus ritus. II. 115.
Papienſis Cardinalis lapſus. I. 266.
Papienſes quo honoris ſigno B. Alexandrum Saulium Epiſcopum ſuum exceperint in primo ingreſſu. I. 28.
Paraſceve, ideſt, *Præparatio* dicta Feria VI. majoris Hebdomadæ. II. 273.
Paris de Craſſis notatus, I. 105.
Paridis de Craſſis Cæremoniale habendum præ manibus a Cæremoniarum Magiſtris. I. 72.
Parochus S. Mariæ de Pace Canonicus Regularis Lateranenſis laudatus. II. 389.
Parochi negligentes in exponendis populo Cæremoniis Eccleſiaſticis, quæ annuatim occurrunt. II. 208.
Parochi litigantes pro funeribus, & juribus Parochialibus. II. 208.
Parochi Romæ ex Indulto Benedicti XIV. edito XXV. Auguſti anni 1742. Stolam in Proceſſione deferunt. II. 377.
Parochorum avaritia olim enormis in miniſtranda Infirmis extrema Unctione. II. 401.
Parochorum importunæ exactiones anſam dant Hæreticis calumniandi Religionem Catholicam. II. 401.
Parochorum avaritia in exequiis mortuorum a pluribus Canonibus notata. II. 149.
Parochis abeſſe in quibuſdam ſolemnitatibus vetitum. I. 201. & ſeq.

Pa-

Digitized by Google

Patena a Subdiacono ſuſtinenda in Miſſa. I. 153.
Patena ut a Diacono tradenda Epiſcopo ad Offertorium. I. 135.
Patena olim delata ab Acolythis, & a Subdiaconis ſuſtentata in Miſsa. I. 153.
Patenam per manus in manum Celebrantis dari, antiquus ritus. I. 140,
Patriarchæ Crucem præferri ſibi nequeunt, ubi ſunt præſentes Legati Summi Pontificis. I. 60.
Patricius Auguſtinus Cæremoniale Pontificiæ Capellæ concinnavit. I. 73.
Paſcha cur ita dictum. II. 343.
Paſcha variis elogiis a Sanctis Patribus inſignitum. II. 343.
Paſcha ſolemnitas ſolemnitatum dicta. I. 201.
Paſchale Præconium a quo compoſitum. II. 319.
Paſchalis Miſsæ Proſa. II. 348.
Paſchalis annua communio in Concilio Lateranenſi IV. præcepta. II. 349.
Paſchalis Miſsa ſolemnis, abſente Epiſcopo, in Cathedrali, & in Collegiatis Eccleſiis ut celebranda. II. 355. & ſeq.
Paſchales quædam Proceſſiones curioſæ olim uſitatæ. II. 347. & ſeq.
Paſchatis Officium matutinum, & ejus ritus. II. 345. & ſeq.
Paſchatis Miſsa, & ejus ritus, celebrante Epiſcopo. II. 344. & ſeqq.
Paſchatis hebdomada tota olim feſtiva. II. 344.
Paſchate abeſſe ab Eccleſia Epiſcopus non debet. II. 344.
Paſchate matutina luce rumpente tenebras Majores noſtri olim ad Eccleſiam ibant. II. 345.
Paſchate ante nocturnum Officium adoratio olim alicubi Sanctiſſimi Sacramenti, & quo ritu. II. 344.
Paſchate olim Proceſſio celebrata cum Sanctiſſimo Sacramento, & quo ritu. II. 346. itemque aliæ Proceſſiones eodem die habitæ. *ibid.* & 347. & ſeq.
Paſcuccius notatus. II. 361.
Paſſio olim ab uno, ideſt, a Diacono cantata in Miſsa, quando cœperit a tribus cantari. II. 237.
Paſſio, ubi eſt conſuetudo, cantanda a Canonicis Dominica Palmarum, & Feria VI. in Paraſceve. II. 238.
Paſſio Feria VI. in Paraſceve cantanda cum veſtibus nigri coloris, & quo ritu. II. 280. & ſeq.
Paſſio Feria VI. majoris Hebdomadæ lecta ſuper nudum pulpitum, *& nudis pedibus*. II. 281.
Paſſio olim a Monachis in privatis Miſſis non recitata in Dominica Palmarum, ſed ejus loco dici ſolitum Euangelium de ingreſsu Chriſti Jeroſolymam. II. 236.
Paſſionem Feria VI. in Paraſceve cantandi praxis. II. 281. & ſeq.
Pax vobis, vel *Pax omnibus*, antiqua ſalutandi formula in Miſsa, & plura de eo ritu. II. 83.
Pax vobis in Miſsa Sabbati Sancti cur alicubi non diceretur. II. 332.
Pax vobis quando dicendum in Miſsa. II. 331. & ſeq.
Pax danda primo cujuſque ordinis. I. 347.
Pax diſtribuenda locorum etiam conſuetudine ſervata. I. 351.
Pax non danda Monachis in Miſſa ex variis Scriptoribus, & cur. I. 348.
Pax an mulieribus danda in Miſſa, quomodo, & a quo. I. 348.
Pacis oſculum celebrante Epiſcopo quo ritu præbendum. I. 344.
Pacis oſculum, abſente Epiſcopo, & in Collegiatis Eccleſiis, dandum juxta regulas a Rubricis Miſſalis præſcriptas. I. 350.
Pacis verum oſculum quod. I. 343.
Pacis oſculum nulli Eccleſiaſtico dandum niſi ſtanti. I. 348.
Pacis oſculum dandi in Miſſa varii olim ſervati ritus. I. 345.
Pacis oſculum in Miſſa antiquiſſimus Eccleſiæ ritus, & Apoſtolicum Inſtitutum. I. 342.
Pacis oſculum, ſi is, qui celebrat ſit Prælatus, quando tradendum. I. 348. & ſeq.
Pacis oſculum non celebrante Epiſcopo per quem ei dandum, & quo ritu. I. 348. & ſeq.
Pacis oſculum deferens, nulli quantumvis magno Principi facere reverentiam debet, antequam Pacem ei det. I. 346.
Pacis oſculum poſt ſacra confecta in Miſſa Myſteria jam olim tradi ſolitum. I. 342. & ſeq.
Pacis oſculum daturus Sacerdos alicubi oſculatus Hoſtiam dicebat, *Pax tua ſit mihi Chriſte*; deinde ad Diaconum converſus, oſculum illi præbebat, dicens, *Et tibi frater &c.* I. 345.
Pacis oſculum olim a Viris traditum Viris, a feminis vero feminis. I. 345.
Pacis oſculi vice introducta Sacra Imago, quæ ad oſculandum porrigi ſolet, & vulgo dicitur Pax. I. 343.
Pacis inſtrumentum variis nominibus appellatum, & quæ ea ſint. I. 343.
Pacis inſtrumentum adhibendum in Miſſis planis, quæ coram Epiſcopo dicuntur. I. 351.
Pacis inſtrumentum cui deferendum deoſculandum, ſi cum Epiſcopo in ſua Dioceſi adeſſent alii Prælati eo majores. I. 404. & ſeq.
Pacem a celebrante Epiſcopo quando capiunt Diaconus, & Subdiaconus. I. 140.
Paulæ in Calabria Dominicani Proceſſionibus minime interſunt, & cur. I. 36.
Paulæ ritus peculiaris in velando Crucifixo in arcu majori Eccleſiæ extante, Dominica Paſſionis. II. 227.
S. Paulinus Epiſcopus Nolanus exoptabat everrere pavimentum Ædis Sacræ S. Felicis Martyris. I. 95.
S. Paulinus Nolanus Epiſcopus pro ſummo honore habebat limen Eccleſiæ verrere. I. 202.
Paulus Papa II. inſtituit, quod Cardinales bireto rubro uterentur, & ſuper equis, ſive mulis, rubris ſtratoriis. I. 33.
Pauperes non per Eccleſiam, ſed ad ejus fores petere olim eleemoſynam ſoliti. I. 202.
Pauperes perturbantes divina Officia per Eccleſiam diſcurrentes ab illa arcendi. I. 202.
Pauperum abuſus concionantium per vias. I. 305.

Digitized by Google

Pausarii qui. II. 42.
Pectorale quid. I. 105.
Pecuniæ oblatio facta Cruci Feria VI. in Parasceve, ad quem pertinet, II. 289.
Pedilavium quid. II. 267.
S. Petrus Cælestinus Papa V. asello usus, dum equitaret. I. 21.
Petrus Cardinalis S. Mariæ novæ Archipresbyter, & Commendatarius Basilicæ Lateranensis, Constitutiones ejusdem Basilicæ edidit. I. 57.
Per intercessionem Beati Michaelis Archangeli &c. formula in thurificatione Oblatorum, ut explicanda, I. 321. & seq.
Per omnia secula seculorum post ultimam orationem secretam, an initium Præfationis, vel finis orationis prædictæ. II. 111.
Phrygium quid? I. 258.
Phrygium a S. Cœlestino I. Papa S. Cyrillo Alexandrino concessum. *ibid.*
Pieragostini Dionysius Episcopus Septempedanus laudatus, I. 207. 223. 311. & II. 267.
Piersanctes Philippus Apostolicarum Cæremoniarum Magister, Sacrorum Rituum, & Ecclesiasticæ antiquitatis, ac disciplinæ studiosissimus indagator. I. 42.
Piersanctis Philippi Codex ms. membranaceus laudatus. I. 42.
Pilei, seu Galeri Pontificalis descriptio. I. 19.
Pileum ut deferrent olim Presbyteri. I. 59.
Pisanorum Canonicorum privilegium in deferenda cappa rubea tempore hyberno, & Mozzetta ejusdem coloris in æstate. I. 19.
Pistorienses novi Episcopi solemnis, & curiosus ingressus in suam Civitatem. I. 48.
Pistorienses novus Episcopus desponsantis instar in digitum Abbatissæ S. Petri majoris annulum immittebat. I. 48.
Pius II. in suo primo solemni ad Basilicam Lateranensem processu divina ope servatus ob eorum tumultu, qui propter equum, cui insederat, gladiis decertabant. I. 21.
Pius IV. abusum sustulit, declamante Bartholomæo de Martyribus, quod Episcopi in Conventu coram Papa starent nudo capite, sedentibus Cardinalibus. I. 62.
Pizzius Dominicus Vaticanæ Basilicæ Beneficiatus laudatus. II. 351.
Planeta antiqua cujus olim formæ. II. 68.
Planeta olim totum involvebat Sacerdotem a collo usque ad pedes. I. 139.
Planeta cur elevetur a Ministro ad elevationem Sacræ Hostiæ, & Calicis. I. I. 139.
Planeta nigra adhibita a Papa Feria VI. in Parasceve. II. 289.
Planetæ nimis curtæ abusus. II. 68.
Planetæ plicatæ in Adventu. II. 170.
Planetarum plicatarum usus. II. 69.
Pluviale Episcopi formalio, seu pectorali debet esse ornatum. I. 105.
Pluvialibus uti possunt Ministri inferiores inservientes Episcopo, si adsit consuetudo. I. 157.
Pœnitentiæ Sacramentum non decet administrari in Ecclesia sine Cotta, & Stola. I. 102.
Pœnitentium reconciliatio Feria V. in Cœna Domini. II. 254.
Pontificalium usus Abbatibus, & aliis Prælatis Episcopo inferioribus, ut concessus. I. XVI. & seq.
Pontifices Romani, ubi primum inaugurati erant summo Pontificatu, solemni cum pompa, & magno equitatu ire soliti ad Basilicam Lateranensem. I. 21.
Pontifices Romani, quo ritu olim concionarentur. I. 300.
Pontifices Romani dum coronantur, Cæremoniarius stupam arundini impositam conburens dicere solet: *Pater Sancte, sic transit gloria mundi*. I. 28.
Pontifices Romani cur cum pompa procedant. I. 70. Eorum exemplum non debet patrocinari aliis Episcopis, & cur. *ibid.*
Pontifices soli Romani, quod uti possint Insignibus Imperialibus, Canon est S. Gregorii VII. in suo Dictatu. I. 70.
Pontifices Romani ad quos primum Pallium mitterent. I. 240. & seq.
Pontifices Romani semper in Missarum Solemniis, & ubique Pallio utuntur, & cur. I. 247.
Pontifices Romani soliti olim facere Sermonem dum ipsi celebrabant, non vero Missæ Assistentes per alium celebratæ. I. 229.
Pontifices Romani quando, & cur Episcopatus, & alia Beneficia sibi reservarunt. I. 2.
Pontifices Romani thuribulorum suffitu, aliisque honorum signis honorati, dum post odinationem a Basilica Vaticana ad Lateranensem pergerent. I. 29.
Pontifices Romani in solemni possessione Ecclesiæ Lateranensis, data benedictione, & Indulgentia, pecuniam Cardinalibus, & Prælatis largiebantur. I. 46.
Pontificum Romanorum cautio quanta olim in Episcopatibus, & Beneficiis conferendis. I. 3.
Pontificum Romanorum Regnum quid. I. 264.
Pontificum Romanorum Sacra Celebrantium manibus lavandis qui adhibiti, & quo ritu. I. 168.
Pontificum Romanorum largitiones summæ in sua Coronatione variis factæ. I. 29.
Pontificum Romanorum antiquæ Imagines sepulcrales cum Pallio super Planetam. I. 252.
Pontificum Romanorum Mitræ variæ. I. 264.
Pontificum Romanorum veterum in concedendis Indulgentiis moderatio. I. 352. & seq.
Pontificum Romanorum liberalitas circa luminaria adhibenda in Ecclesia. I. 193.
Pontificum Romanorum sepulcrales imagines cum Pluviali ritus recens. I. 252.
Pontificum Romanorum cur vita brevis, interrogatus aliquando S. Petrus Damiani ab Alexandro II. Papa. II. 104.
Pontificibus Romanis summi honores exhibiti, dum per varias Civitates, & alia loca transirent. I. 28.
Pontificibus Romanis præparati Arcus per vias, cum post ordinationem a Vaticana Basilica irent ad Lateranensem. I. 29.

Pon-

Digitized by Google

Pontificibus Romanis ad Lateranum pergentibus poſt ſuam inaugurationem quælibet Eccleſia obviam ibant cum thuribulis. I. 42.
Pontificibus Romanis poſſeſſionem Lateranenſis Baſilicæ capientibus tradita olim ferula. I. 43.
Pontificibus Romanis ut fiunt Circuli a Cardinalibus in Miſſa. I. 296.
Præcedentia in Proceſſione ut regulanda. II. 376.
Præcedentiæ regula in Proceſſionibus quæ. I. 35.
Præcedentiarum controverſiæ in Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti ut ab Epiſcopo ſunt componendæ. II. 375.
Præconium Paſchale quo ritu cantandum a Diacono. II. 318. & ſeq.
Præconii Paſchalis quædam loca explicantur. II. 320.
Præfatio in Miſſis Quadrageſimæ quæ olim alicubi diceretur. II. 219.
Præfatio propria olim in ſingulis Miſſis apud Latinos. II. 112. & ſeq.
Præfationes in Miſſa antiquæ. II. 112.
Præfationes decem ſtatutæ in Miſſis, & quæ illæ. II. 113.
Præfationum in Miſſa qui Authores. II. 112.
Præguſtatio aquæ, qua Epiſcopus manus in Secretario lavat, quo ritu. II. 63. & ſeq.
Præguſtatio Hoſtiæ, & vini in Miſſa Epiſcopi, & cur introducta. II. 104.
Præguſtatio aquæ adhibendæ lavandis manibus Epiſcopi celebrantis a quo, & ut facienda. I. 168.
Præguſtatio Hoſtiæ, vini, & aquæ, celebrante Epiſcopo, a Sacriſtą facienda, & cur. I. 96.
Prælati ut incedant in Proceſſionibus. II. 367.
Prælati Epiſcopis inferiores Pontificalium uſum habentes ſi Pontificaliter celebrent, poſſunt paramenta ſumere de Altari. I. 188.
Prælatis Epiſcopo inferioribus Pontificalium uſus ut conceſſus. I. XVI. & ſeq.
Præſens eſſe dicitur, qui in loco præſens eſt, licet ejus præſentia non exhibeatur ſenſibus. I. 61.
Præſes, ſeu Gubernator Prælatus viſitans Epiſcopum ad dexteram ejus domi ſedet, extra domum tamen ſe ad ejus ſiniſtram ponet. I. 66.
Preces pro Officio Defunctorum quo ritu dictæ. II. 146.
Presbyterium dicitur pecuniæ largitio, quæ præſertim fiebat in coronatione ſummorum Pontificum. I. 29.
Presbyterium quid, & cur Romæ in Proceſſione ſancti Marci in Baſilica Vaticana diſtribuatur. II. 368. & ſeq.
Presbyter aſſiſtens Epiſcopo debet eſſe dignior ex Dignitatibus. I. 105.
Presbyter aſſiſtens Epiſcopo quibus veſtibus induatur. I. 105.
Presbyter aſſiſtens, Epiſcopo, & alii Epiſcopalibus inſignis utenti adhibendus, alii præterea nemini ex S. Carolo. I. 105.
Presbyteri aſſiſtentis munia varia. I. 105. & ſeqq.
Presbyteri aſſiſtentis Pluviale debet eſſe ſine formalio. I. 105.
Presbyteri olim una cum ſuo Epiſcopo celebrabant. I. 155.
Presbyteri olim Romæ recens ordinati magna cum pompa ad Titulos, ſeu ad Eccleſias, quibus fuerant affixi, deducti. I. 29.
Presbyteri olim ut pileum deferrent. I. 59.
Principum liberalitas circa luminaria adhibenda in Eccleſia. I. 193.
Proceſſio Epiſcopi e Secretario ad Altare. II. 72.
Proceſſio ſolemnis ad Euangelium cantandum in Miſſa. II. 89. & ſeqq.
Proceſſio ad cantandum Præconium Paſchale Sabbato Sancto quo ritu. II. 317.
Proceſſio cum candelis accenſis in Feſto Purificationis Deiparæ Virginis quo ritu peragenda. II. 189. & 199.
Proceſſio Dominicæ Palmarum, & ejus varii ritus. II. 233. & ſeq.
Proceſſio Dominicæ Palmarum in reditu ad Eccleſiam quo ritu illam ingrederetur. II. 234.
Proceſſio Dominicæ Palmarum cum Euchariſtia ſuper feretro ornato. II. 233.
Proceſſio Dominicæ Palmarum ad aliquam Eccleſiam, ſeu locum olim directa, ubi quidam peragebantur ritus, & qui. II. 233.
Proceſſio S. Marci, & Rogationum ad quam Eccleſiam dirigenda. II. 365. & ſeq.
Proceſſio ut excipienda a Clero Eccleſiæ, ad quam pergit. II. 366.
Proceſſio in Feſto ſanctiſſimi Corporis Chriſti, & ejus ritus. II. 372. & ſeqq.
Proceſsio in Feſto Corporis Chriſti quando cœpta in Eccleſia. II. 373.
Proceſsio cum Sanctiſſimo Sacramento a Synodo Tridentina, & ab aliis probata. II. 373.
Proceſsio Sanctiſſimi Sacramenti in ejus Feſto olim Romæ a Baſilica Vaticana uſque ad molem Hadriani extendebatur. II. 381.
Proceſsio Feſti Corporis Chriſti devote peragenda, & cum gravitate, ludique ſcenici, vel ludicri, indecorique ab ea omnino amovendi. II. 381.
Proceſsio cum Sanctiſſimo Sacramento in Feſto, & octava Corporis Chriſti a qua Eccleſia inchoanda, & in quam terminanda. II. 389.
Proceſsionis ordo in recipiendo novo Archiepiſcopo Mediolanenſi ex Cæremoniali Ambroſiano. I. 33. & ſeq.
Proceſsionis habendæ ritus in Synodis. I. 414.
Proceſsionis ritus deſcribitur in Feſto S. Marci fieri ſolitus Romæ. II. 368.
Proceſsionis ordo in Solemnitate Corporis Chriſti. II. 376. & ſeqq.
Proceſsioni Dominicæ Palmarum ut olim intereſſet apud Græcos Imperator. II. 233.
Proceſsioni in qua defertur Sanctiſsimum Sacramentum in ejus Feſto qui intereſſe debent, & renuentes ut puniendi. II. 374.
Proceſsione ſolemni occurſum olim Epiſcopo. I. 31.
Proceſsione ſolemni honorati Romani Pontifices cum thuribulis, & aliis honoris ſignis. I. 29.
Proceſsiones Eccleſiaſticæ perperam ab Hæreticis improbatæ. II. 371.
Proceſsiones quædam curioſæ die Paſchatis olim celebratæ. II. 347. & ſeq.
Proceſsiones extraordinariæ ex cauſa lætitiæ, &

Digitized by Google

pro gratiarum actione, &c. quo ritu peragendæ. II. 371. & seq.
Processiónes pœnitentiæ celebratæ jam olim nudis pedibus. II. 364.
Processiones in Litania majori, & minori. II. 361.
Processiones extraordinariæ ad placandam iram Dei ut celebrandæ. II. 371.
Processiones olim directæ ab Archidiacono, Subdiacono Basilicæ, & Priore Subdiaconorum deferentibus in manibus ferulas. I. 72.
Processiones Ecclesiasticæ coetvæ Christianæ Religioni, & quotuplex earum genus. I. 272.
Processionibus Ecclesiasticis S. Marci olim Romæ Confraternitates laicorum intererant. II. 363.
Processionibus Litaniæ majoris qui interesse debent. II. 361. & seqq.
Processionibus insolitis, & extraordinarie ab Episcopo indictis an teneantur Regulares interesse. I. 51.
Protonotariorum Participantium vestes, & sedes. I. 216. & seq.
Psalmi septem Pœnitentiales cum aliis precibus dicti olim coram Altari a Sacerdote genuflexo, Missam celebraturo. I. 112.
Psalmi quot olim in Nocturnis recitarentur. II. 43. Canon de ea re S. Gregorii VII. Papæ. II. 44.
Psalmorum recitatio pro præparatione ad Missam ritus antiquus. I. 112.
Psalmorum canendorum usus in Ecclesia antiquus. II. 43.
Psalmodia potissimam divini Officii partem constituit. II. 43.
Pulpitum, seu ambo, ubi habenda est concio, quomodo ornandum. I. 307.
Pulvinar non possunt retinere Canonici in loco suarum sedium, nec stratum. I. 201.
Pulvinaria holoserica supponenda genibus Matronarum in Ecclesia, abusus. 176.
Purificatio cum vino in Missa quando incepta. II. 127
Purificatio in Missis Nativitatis Domini non sumenda nisi ad tertiam Missam. II. 127.
Purificationis Deiparæ festum candelarum benedictione celebre. II. 192. & seqq.
Purificationis Deiparæ Festum, origo, & ritus in eo servandi. II. 187. & seqq.
Purificationis Deiparæ Virginis Festum cur institutum. II. 189.
Purificationis Deiparæ Festi Processio cum cereis. II. 189. & seqq.
Purificationis Deiparæ Festum variis nominibus dictum, & quæ sint. II. 189.
Purificationis Festum si incidat in Dominicam Septuagesimæ &c. non mutanda paramenta violacea, & Diaconus, ac Subdiaconus utentur Tunicella, & Dalmatica. II. 201.
Purpura Imperatores non Sacerdotes facit. I. 118.
Pyxidis sacræ velum. II. 356.

Q

Quadragesimæ initio benedictio Cinerum, & ejus ritus. II. 209. & seq.
Quadragesimæ Dominicis quæ observanda circa Ecclesiarum, & Ministrorum ornatum, Cæremonias Missæ, & cantum. II. 225.
Quadragesimæ Dominica IV. celebrior Romæ propter benedictionem rosæ aureæ. II. 225.

R

Radulphus Tungrensis notatus. I. 137.
Reconciliatio Pœnitentium Feria V. in Cœna Domini. II. 254.
Regina Cæli lætare &c. tempore Paschali initio concionis dici non debet, sed *Ave Maria &c.* I. 308.
Regina Cæli lætare &c. Antiphona in fine Officii. II. 34.
Regis nomen jam olim recitari solitum in Canone Missæ. II. 116.
Reges olim ab Episcopis benedici avebant. I. 38.
Regibus Episcopos præponunt sancti Patres. I. 47.
Regibus anteponit Diaconos S. Joannes Chrysostomus. I. 47.
Regnum Romanorum Pontificum quid. I. 264.
Regulæ Cancellariæ promulgantur a Pontificibus Romanis post suam Ordinationem. I. 3.
Regularum Cancellariæ rudimenta. I. 3.
Regulares ad Episcopatum promoti non modo colorem suæ Religionis, sed & habitum ipsum gestare debent. I. 58.
Regulares non tenentur interesse Processionibus insolitis, & extraordinarie ab Episcopo indictis. I. 51.
Regulares Cruces suas deferre debent cum velo, seu pallio appenso. I. 36. & II. 375.
Regulares in Processionibus mistim incedere cum Clericis vetiti. I. 35.
Regulares cogi ab Episcopo nequeunt ad inserviendum illi in Missa solemni. I. 158.
Regulares concionantes sine Episcopi licentia quas pœnas incurrant. I. 304. & seq.
Religiosorum humeris delatus ad Ecclesiam Germanus Episcopus Antissiodorensis. I. 34.
Reliquia alicujus Sancti in medio Altaris posita incensanda post Crucem duplici ductu. I. 319.
Reliquiæ, sanctæ Reliquiæ, divinæ Reliquiæ, & Sacrificiorum ad significandum Eucharistiam appellatæ antiquitus. II. 379.
Reliquiæ Sanctorum ut incensandæ. I. 317.
Reliquiæ Sanctorum capsis inclusæ, in Altari jam olim positæ. I. 318.
Reliquiæ Sanctorum in Processionibus delatæ præsertim Litaniæ majoris, & minoris. II. 364.
Reliquiarum Sanctorum thecas floribus ornare antiquus ritus. I. 170. & seq.
Reliquias Sanctorum thuris suffitu honorari, ritus est Ecclesiæ antiquus. I. 117. & seq.
Remomeratorius idem ac Cæremoniarius. I. 72.
Requiescant in pace in Missa Defunctorum. I. 142.
Reverentia ut facienda. I. 278. Per pedis retro projecti extensionem muliebris affectatio. *ibid.*
Reverentia facienda Altari prius, vel Episcopo, seu contra pro commoditate gradientis. I. 184.

Re-

Digitized by Google

Reverentia uni tantum facienda, majori ſcilicet, ſi plures in eodem loco ſint Prælati, ac etiam Legatus, & Cardinales. I. 184.
Richerii hallucinatio exploſa. I. 252. & ſeq.
Rigantii Joannis-Baptiſtæ in Regulas Cancellariæ Opus poſthumum laudatum. I. IX. Per errorem impreſſus Nicolaus. I. 3.
Rigantius Joannes-Baptiſta magni habitus a Cardinalibus, & a Papis ob ſuam probitatem æque atque doctrinam. I. IX. Ejuſdem ex fratre nepotes Nicolaus, & Joannes-Baptiſta Opus ipſum poſthumum edendum curarunt. *ibid.*
Ritus antiqui ubi regnant, conſtanter retinendi, ubi novi præ antiquis prævaluerint, antiquos laudare decet, novos non rejicere. I. 57. Vide. Cæremoniæ.
Rocchettum, & Mozzetta deferenda ab Epiſcopo cum per Dioeceſim ſuam iter facit, licet tunicam breviorem, ac mantellum viatorium adhibeat. I. 53.
Rocchettum ſemper ab Epiſcopis ut geſtandum. I. 10. & ſeq.
Rocchetto uti non poſſunt Epiſcopi ex Ordine non Clericali promoti. I. 15. & ſeq.
Rocchetto diſcooperto ſuperinduta Mozzeta violacea uti poteſt Epiſcopus in ſua Dioeceſi. I. 53.
Rogationes olim feſtivæ. II. 371.
Rogationes olim cum jejunio. II. 371.
Rogationum inſtitutor quis, & quo ritu illæ olim celebratæ. II. 370. & ſeq.
Rogationum tres dies expiationi, & pœnitentiæ deſtinatæ. II. 371.
Rogationum Proceſſio antiqua. II. 361. & ſeq.
Romanæ Eccleſiæ ſoli Clerici tempore S. Gregorii mappulis utebantur. I. 129. & ſeq.
Roſa Perſianus piarum exercitationum in Domo S. Hieronymi Charitatis inſtitutor. I. 143.
Roſæ aureæ benedictio. I. 375. & ſeq.
Roſam auream quis primus Romanorum Pontificum benedixerit. I. 375. & ſeq.
Roye Franciſcus temere Epiſcopos arguit, quod velint cum Proceſſione recipi. I. 31.
Ruperti Abbatis Tuitienſis quidam locus explicatus. II. 311. & ſeq.

S

SAbbatum Sanctum *Confinium ſepulturæ, & Reſurrectionis Chriſti* dictum. II. 310.
Sabbatum Sanctum. Vide. Litania.
Sabati Sancti Officium antiquitus nocte peragi ſolitum. II. 310. & ſeq.
Sabbati Sancti nox variis olim ritibus in Eccleſia celebris, & qui illi. II. 331.
Sabbati Sancti ſummo mane, ut ornata Eccleſia, & Altaria. II. 311.
Sabbati Sancti Miſſæ ritus. II. 331. & ſeq.
Sabbati Sancti Officium, & ritus, Epiſcopo celebrante. II. 310. & ſeqq.
Sabbati Sancti Veſperæ in Miſſa, & earum ritus. II. 331.
Sabbato Sancto Officium olim ad multam noctem protractum, & cur. II. 331.
Sabbato Sancto quanta olim abſtentia. II. 311.
Sabbato Sancto Hora Nona quando cantanda, & quo ritu. II. 321, & ſeq.
Sabbato Sancto ignis excuſsus e ſilice, & quo ritu benedictus. II. 312. & ſeq.
Sabbato Sancto Lectiones olim ante Cerei benedictionem cantatæ. II. 323.
Sabbato Sancto Lectiones alicubi Græce, & Latine cantatæ. II. 324.
Sabbato Sancto Lectiones a Cardinalibus ex ordinatione Sixti IV. in Pontificia Capella cantandæ. II. 324.
Sabbato Sancto Lectiones cur ſine titulo vel olim cantatæ. II. 324.
Sabbato Sancto Litaniarum dicendarum ritus. II. 328. & ſeq.
Sabbato Sancto, non celebrante, ſed aſſiſtente Epiſcopo, vel abſente, ut peragendi ritus. II. 338. & ſeq.
Sabbato Sancto quando in Miſsa conferendi Ordines Minores, & Majores ab Epiſcopo celerante. II. 333. & ſeqq.
Sabbato Sancto cur non dictum in Miſsa Graduale, ſed *Alleluja*. II. 333.
Sabbato Sancto Celebrans Miſsam poſt factam confeſſionem, accepto in manu Calice cum Patena, quid olim diceret. II. 332.
Sabbato Sancto quando Campanæ pulſandæ, & in qua primum Eccleſia. II. 331. & ſeq.
Sabbato Sancto ad primum *Alleluja* facienda Capparum mutatio. I. 57.
Sabbato Sancto in Miſsa cur ad Euangelium luminaria non delata. II. 334.
Sabbato Sancto in Miſsa lac, & mel Neophytis datum poſt communionem, & quo ritu. II. 335.
Sacerdos celebraturus Miſsam quas olim preces ante Miſſam coram Altari recitaret. I. 112.
Sacerdotis communicantis in Miſſa formula quæ. II. 126.
Sacerdotes olim debebant pulſare Campanas. I. 97.
Sacerdotum nulli licet Canones ignorare. I. 74.
Sacerdotalis dignitas a S. Martino præhabita Imperatori. I. 400. & ſeqq.
Sacramentum removendum ab Altari Majori non modo in celebratione Pontificalis Miſsæ, ſed & aliarum ſolemnium. I. 177.
Sacramentum exponendi ſuper Altari omnium oculis pia praxis antiquitus ignota. I. 177.
Sacramentum Feria V. in Cœna Domini geſtandum ab Epiſcopo ad Sacellum, licet ipſe ea die non celebravit. II. 264.
Sacramenti expoſitio ſuper Altari ſuam ab ejuſdem proceſſione trahit originem. I. 177.
Sacramenti expoſitio pro oratione quadraginta horarum a S. Carolo inventa. I. 178.
Sacramenti incenſatio in quo Altaris gradu facienda. II. 385. & ſeq.
Sacramento expoſito ſuper Altari, ſi coram Epiſcopo celebrari contingat, ut obſervandi ritus. II. 177. & ſeq.
Sacramento expoſito in Altari ut facienda genuflexio. I. 178.
Sacramento Euchariſtiæ expoſito ſuper Altari in octa-

Digitized by Google

octava Corporis Christi quo ritu canendæ in Choro Vesperæ, & divina Officia. II. 388. & seq.
Sacrarium, ideſt, locus in quo ſacra vaſa, veſtes ſacræ, & ſimilia miniſteria Eccleſiaſtica ſervantur. I. 85.
Sacriſta variis olim nominibus appellatus, & quæ ejus nomina. I. 85.
Sacriſta eligendus de gremio Eccleſiæ. I. 87.
Sacriſta ſaltem debet eſſe Clericus. I. 87.
Sacriſta major in multis Eccleſiis etiam Regularium. I. 102.
Sacriſta eligendus in ſacro Ordine conſtitutus. I. 86.
Sacriſta alicubi eligitur Sacerdos, & ad ſacras Confeſſiones audiendas approbatus. I. 86.
Sacriſta Canonicus abſens a Choro pro ſervitio Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ habendus pro præſente. I. 102.
Sacriſta facere debet prægustationem vini, & Hoſtiæ celebrante Epiſcopo. I. 96.
Sacriſtæ munus conferendum Clericis, qui meliores, & ſanctiores ſunt. I. 87.
Sacriſtæ eligendi dotes. I. 86.
Sacriſtæ munia quæ. I. 86. & ſeq.
Sacriſtæ munus nemo poteſt ſuſcipere ſine Epiſcopi facultate. I. 86.
Sacriſtæ munus non eſt minimum inter alia Eccleſiaſtica miniſteria. I. 85.
Sacriſtæ curandum, ut Euchariſtia diligentiſſime cuſtodiatur, & fidis clavibus obſeretur. I. 90.
Sacriſtæ officium renovatio aquæ benedictæ ſingulis hebdomadis. I. 94.
Sacriſtæ cura, ut tum Baptiſteria, tum ſacra Olea ſub ſera clauſa cuſtodiantur. I. 93.
Sacriſtæ officium, conficere Hoſtias pro Sacrificio Miſſæ. I. 92.
Sacriſtæ officium, ut Eccleſia, & ſingula illius Sacella, & Altaria ſint munda. I. 94. & 95.
Sacriſtæ officium, ut per Campanarum ſonum indicentur Miſſæ, & Horæ Canonicæ. I. 96.
Sacriſtæ officium, ut mantilia pro abſtergendis manibus Sacerdotum celebraturis ſint munda, & nitida. I. 102.
Sacriſtæ officium eleemoſynas quæ pro Miſſis celebrandis dantur, cuſtodire, notare in libris, & inter eos ad quos ſpectant diſtribuere. I. 101.
Sacriſtæ officium, ut Matutino, Meridiano, ac Veſpertino tempore ſalutationis Angelicæ ſignum detur. I. 98.
Sacriſtæ officium, ut Eccleſiæ, & Altaria ornentur pro temporum, feſtorumque qualitate. I. 96.
Sacriſtæ munus, ut Sacerdotes Miſſas celebrent opportuno tempore pro populi, perſonarumque concurſu. I. 100.
Sacriſtæ officium cuſtodia ſacrarum Reliquiarum Sanctorum. I. 94.
Sacriſtæ cavendum, ne Sacerdotes ſine habitu decenti, & notabili corona celebrent. I. 102.
Sacriſtæ cavendum, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti, vel ei qui licentiam in ſcriptis non habuerit, celebrare Miſſam permittat. I. 100.
Sacriſtæ præcipua quæ eſſe debet cura. I. 88.
Sacriſtæ munus, ut a Sacriſtia laicorum nimia frequentia, indecentes ſemones, jurgia, rixæ, actuſque profani removeantur. I. 100.
Sacriſtæ adjungendi alii coadjutores pro Eccleſiæ neceſſitate, & facultatibus. I. 87.
Sacriſtæ olim ex Presbyteris eligebantur. I. 86.
Sacriſtæ majores ſingulis annis mutandi, & cur. I. 102.
Sacriſtarum Papæ quis primus Epiſcopus. I. 217.
Saguntinæ Diœceſis abuſus. 220. & ſeq.
Salutatio Angelica a primis Veſperis Sabbati uſque ad totam Dominicam, dum auditur conſuetus Campanæ ſonus, ſtando dicenda. I. 99.
Salutatio Angelica a quibus compoſita. I. 309.
Salutatio Angelica initio concionis dicenda, & cur. I. 308. & ſeq.
Salutatio Angelica non ſemper in concionibus recitanda. I. 308. & ſeq.
Salutationis Angelicæ loco durante tempore Paſchali dicenda ſtando Antiphona, *Ave Regina Cælorum &c.* cum ſuo Verſiculo, & Oratione ad conſuetum Campanæ ſonum. I. 99.
Salutationi Angelicæ quando factum illud additamentum, *Sancta Maria Mater Dei &c.* I. 309.
Salve Regina &c. Antiphona, ab hæreticis perperam ſugillata, & quis ejus Auctor. II. 34.
Sandalia a credentia ut deferenda ad Epiſcopum celebraturum. I. 145.
Sandalia, & caligæ quid. I. 144. & ſeq.
Sandaliorum forma quæ. I. 144.
Sandaliorum forma hodie vitiata, non enim a parte ſuperiori feneſtrata ſunt, ſed ſunt inſtar calceorum. I. 145.
Sandaliis, & Caligis uſi olim non modo Epiſcopi, ſed & alii ſacri Miniſtri. I. 144.
Sanctiſſimum Sacramentum in Proceſſione Feſti, & Octavæ Corporis Chriſti deferendum ab eo qui Miſſam cantavit, vel Veſperas. II. 389. Excipitur Epiſcopus. *ibid.*
Sancti plures nominati aliquando ad illam Orationem in Miſſa, *Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis &c.* II. 121.
Sanctorum Reliquiæ dum transferrentur, mulis impoſitæ. I. 20.
Sanctorum Feſtivitates cum jejunio antecedenti. II. 174. & ſeq.
Sanctorum Imagines adoleri thure antiquus ritus Eccleſiæ. I. 318.
Sanctorum argenteis Imaginibus, & Reliquiarum thecis ornanda Altaria in Feſtivitatibus. I. 185.
Sanctorum Imagines ornari floribus antiquus ritus. I. 170. & ſeq.
Sanctus Sanctus Sanctus &c. in fine Præfationis quo ritu dicendum, & quis ejus Hymni auctor. II. 113. & ſeq.
Scamnum oblongum in cornu Epiſtolæ prope Altare coopertum aliquo tapete pro Celebrante, ejuſque Miniſtris in Eccleſiis Collegiatis ponendum. I. 200.
Scevophylax, idem ac vaſorum ſacrorum cuſtos, ideſt, Sacriſta. I. 85.
Scripturas a ſuggeſtu recitare nemini licitum, niſi Tonſura initiato Sacerdotali, & benedictione a ſuo Paſtore ſuſcepta. I. 148.

Se-

Digitized by Google

Secretarium quibus nominibus appellatum. II. 58.
Secretarium in qua Ecclesiæ parte extrueretur, & cui usui. II. 57.
Secretarium qui locus in Ecclesia. II. 57.
Secretarii Altare, & sedilia, II. 58. & seq.
Secretarii nomen quid in jure civili. II. 57.
Secretaria olim constructa in Ecclesiis præsertim Cathedralibus, & cui usui. I. 113.
Secretaria olim Romæ etiam cum Oratorio extructa. II. 58.
Secretaria cum Altari. I. 188.
Sedes, seu Cathedra Episcopi, in qua Ecclesiæ parte locanda. I. 204. & seq.
Sedes Episcopalis. Vide. Cathedra Episcopalis.
Sedes in Presbyterio olim solius Episcopi, & Presbyterorum. I. 118.
Sedes Cardinalis Episcopi, præsente uno, vel pluribus Cardinalibus. I. 110. & seq.
Sedes Cardinalium in Ecclesia celebrante Episcopo. I. 209. & seq.
Sedes Legatorum Cardinalium ubi locanda. I. 110.
Sedes Nuntiorum, & Visitatorum Apostolicorum. I. 113. & seq.
Sedes Metropolitani, celebrante Episcopo, ubi, I. 112. & seq.
Sedes variorum Prælatorum. I. 209. & seqq.
Sedes Vicariorum Generalium, Protonotariorum, Generalium Ordinum, & aliorum Prælatorum. I. 215. & seqq.
Sedes Nobilium in Ecclesia, Principum, & Magistratuum. I. 217. & seq.
Sedes pro laicis in Ecclesia cur introducta. I. 118.
Sede Camerali uti non possunt Canonici vel absente Episcopo celebrantes, sed debent sedere in scamno oblongo. I. 200.
Sedendi & assurgendi ritus in variis Choris Ministrantium. I. 281. & seqq.
Sella plicatilis quid. I. 179.
Sella Pontificis in Secretario parata, II. 58.
Sella gestatoria post Episcopum delata in Processione Festi Corporis Christi in aliqua Ecclesia Hispaniæ. II. 380. & seq.
Sessiones, & surrectiones, dum res divina agitur, qualiter, & quo ordine. I. 281. & seq.
Serena Honorii Augusti filia *supplice crine pavimentum Ecclesiæ verrebat*. I. 202.
Sermo habitus in novi Episcopi receptione. I. 44.
Sermo in laudem defuncti post Missam, II. 155.
Sirletus Gulielmus Cardinalis dictus sapientissimus Calaber. I. 46. Charitativum subsidium a subditis suis oblatum recusat, & scribit ad ipsos Epistolam lectu dignam. *ibid.* Ejus Epitaphio a nonnullis corruptum affertur. *ibid.*
Solombrinii Philippi liber adversus extorsiones in exequiis Defunctorum laudatus. II. 149.
Stantes cur olim dicti Christiani. I. 218. & 403.
Stola, idest Orarium, ut induenda. I. 128.
Strepitus in fine Matutini Tenebrarum. II. 249.
Subdiaconus quibus vestibus induendus. I. 143.
Subdiaconus, Episcopo celebrante, quando paramenta sua capiat. I. 145. Quando imponat Manipulum Celebranti. 147. Cantaturus Epistolam cur non petat benedictionem. II. 89.
Subdiaconus in Missa Pontificali debet esse unus ex Canonicis dignioribus. I. 143. Ut assistat Diacono cantanti Euangelium. 150. Ut deferat ipsum deosculandum ad Episcopum, & Calicem cum Patena ad Altare. 151. Ut aquam ponat in Calice. 152. Finita Communione in Missa ut Calicem amovebit ab Altari. 154.
Subdiaconi in Missa Pontificali munia. I. 143. & seqq. Ejus munus in thurificando Sacramento ad elevationem in Missis defunctorum. II. 154.
Subdiaconi munus intonare primam Antiphonam Episcopo in Vesperis. II. 9. & seq.
Subdiacono deficiente, an permitti possit, ut Clericus cantet Epistolam absque Manipulo. I. 149.
Subdiaconi duo Latinus, & Græcus in Missa Papali. I. 147. Septem olim cum totidem Diaconis ministrare soliti celebranti Episcopo. 156.
Subdiaconorum Prior Processionum olim Romæ director ferulam tenens. I. 72.
Suggestor idem ac cæremoniarum Magister. I. 72.
Suffitorium quid. I. 313.
Surgente uno, surgere debent & ii, qui sunt ex ejus choro. I. 282. & seqq.
Suscipe sancta Trinitas &c. II. 109. & seq.
Symbolum quando cani cœptum in Missa. II. 96. Quo tempore Romana Ecclesia cœpit illud canere. 97. Ab Episcopo quo ritu intonandum in Missa. *ibid.*
Synodi habitæ olim bis in anno, & quibus mensibus. I. 408. Provinciales celebrandæ singulis trienniis, & quis eis præsit. *ibid.* & 409.
Synodorum celebratio antiquissima in Ecclesia, & ab ipsis Apostolis. I. 407. & seq. Provincialium, & Diœcesanarum ordo. *ibid.* Ipsarum celebratio ut prius intimanda, 410. & seq.
Synodis Provincialibus, & Diœcesanis qui interesse debent. I. 409. & seq. Eorum sedes ut disponendæ. 412. & seq.

T

TAbernaculum SS. Sacramenti festis diebus cur in alio Altari locandum. I. 176.
Tantum ergo &c. ut cantandum. II. 385. & seq.
S. Telesphorus Papa Hymni *Gloria in excelsis Deo &c.* in Missa institutor. II. 82.
Templum ornari floribus antiquus ritus. I. 170. Ejus porticus, & portæ ut ornandæ, & quæ imagines ibidem apponi possint. I. 71. Tribuna, & parietes ut ornandi diebus festis. 72. & 73.
Tenebrarum Officii Matutinum quo hodieque utimur antiquissimum in Ecclesia. II. 244. Celebratum alicubi voce suppressa duobus in Cappis nigris Chorum regentibus. *ibid.* Ut inchoandum, & quo ritu candelæ extinguendæ. *ibid.*
Tenebrarum Officii Matutinum Feriæ V. in Cœna Domini præveniri solitum hora XXI. Feriæ IV. II. 241. Cerei quot olim in ipso Officio adhibiti in variis Ecclesiis. 242. Episcopus cum Cappa capite caputio tecto assistit, 243.
Tertia Hora ut in Secretario ante Missam Pontificalem canenda. I. 236. & II. 59. & seq.

The-

Digitized by Google

Thesaurarius idem olim ac Sacrista. I. 85.
Thomasius Josephus Cardinalis laudatus, I. 81. & II. 15. & alibi.
Thomacelli Didacus Episcopus Marsicanus. II. 324.
S. Thomæ Theologia laudata. I. 74.
Thuribulum quibus aliis nominibus dictum. I. 313.
Thus adoleri ante Sanctorum Reliquias antiquus Ecclesiæ ritus. I. 317. & seq.
Thus purum adhibendum, vel si aliqua addantur, thuris quantitas superare debet. I. 314. Quo ordine, & modo imponendum, & benedicendum. 313. & seqq. Ab Episcopo celebrante, vel non celebrante ut benedicendum. 325. Non benedicendum, cum thurificandum est Sacramentum. 327. & alibi. Cum datur, alter alterum immediate sequentem invitare prius debet capitis nutu. 329. & seq.
Thuris usus in Missa ab initio Ecclesiæ. I. 137. & 313. Ejusdem usus, & cereorum ad cantandum Euangelium. II. 89. & seq.
Thuris benedictio Sabbato Sancto. II. 315.
Thuris suffitu excepti aliquando Episcopi, mulieribus cum thuribulis præcedentibus. I. 42.
Thuris usum in Ecclesia perperam hæretici impugnant. I. 315. & seq.
Thuriferarii duo in Processione Festi Corporis Christi, & quo loco incedant. II. 378.
Thurificatio Crucis, & Altaris ut facienda. I. 314. & 316. Reliquiarum, & Imaginum Sanctorum super Altari existentium ut peragenda. I. 317. & seq.
Thurificatio Oblatorum quando incœpta. I. 337. Quo ritu peragenda. II. 107. & seq.
Thurificatio in Vesperis, & Missa ut peragenda. I. 324. & seq. In Vesperis pro defunctis nulla. 325. & seq. In Missis tantum ad Oblata. 326.
Thurificatio ad *Magnificat &c.* explenda antequam dicat Celebrans *Dominus vobiscum*. II. 32.
Thurificandi varias personas ordo. I. 333. & seq.
Thurificandum Sacramentum quo ritu. I. 327.
Thurificans, & thurificatus ut sibi invicem reverentiam faciant ante & post. I. 329. & seq.
Thurificator observare debet numerum thurificationum pro qualitate rerum, & personarum. I. 339. & seqq.
Thurificatur Episcopus paratus, vel non paratus nunquam sedens, aliquando tamen nudo capite, aliquando cooperto. I. 326. & seq.
Tiara summi Pontificis. I. 265.
Toni diversi Orationum. I. 370.
Trisagium ut cantandum in Paraseeve. II. 288.
Trium puerorum &c. Canticum ex antiquo ritu dicendum a Sacerdote post Missam. I. 401.
Trombelli Chrysostomus laudatus ob celebre Opus *De cultu Sanctorum*. II. 364. & alibi.
Typographi Cæremonialis error notabilis. II. 202.
Umbellæ forma. 226. Serica adhibenda in Processione SS. Sacramenti. II. 381. & seq.
Umbraculum super Altare, & Sedem Episcopi, ejusque forma, & color. I. 224. & seqq. Super Episcopum, & res sacras gestari solitum quot hastis sublevatum. I. 225. Vide. Baldachinum.
Unctio extrema sumta olim ante Viaticum. II. 401.
Urbanus VI. uno die creavit XXVI. Cardinales. I. 64.
Vasa aurea antiqua in Ecclesia. I. 183. Varia eorum nomina, & genera ad lumina accendenda. 193. Magnifica ad ornatum abaci in Missa Pontificali. 198.
Velum super caput ferre debent feminæ cur. I. 36.
Veneno in Calicem infuso necati Pontifices quidam. II. 104.
Vertendi, & convertendi se varii modi secundum diversas positiones Altaris. I. 290. & seq.
Veseræ sicut & aliæ divini Officii Horæ antiquæ in Ecclesia, & plura de ipsis. II. 1. & seqq. In Quadragesima anticipantur. 391. Primæ digniores secundis. *ibid.* Alicubi Feria VI. in Paraseeve dictæ in Missa, & quo ritu. 298. & seq.
Vestes Episcoporum. I. 53.
Viæ mundandæ per quas incedit Processio. II. 367. Abusus ea in re quorundam locorum. *ibid.* Ut ornandæ in Processione cum Sacramento. 373.
Viaticum quid & cur eo etiam nomine Eucharistia appelletur. II. 399. Deferrri debet ad Episcopum moriturum per primam Dignitatem. II. 400. Alicubi tamen per Episcopum viciniorem. *ibidem*.
Viatico olim præmissa Extrema Unctio, & quid mutationi hujus disciplinæ occasionem dederit. II. 401.
Vicarii nati Episcoporum erant olim Archiaconi. I. 27.
Vicarii generales constituendi ab Episcopo. I. 26.
Vicarii Episcoporum dicti *Officiales*, & *Missi*. I. 27.
Vicariis generalibus, licet sint Protonotarii Apostolicis, non convenit celebrare Missas privatas cum quatuor candelis accensis. I. 191.
Vices in divinis Officiis qui suppleant, si Dignitates, & Canonici pro gradu quem obtinent in Ecclesiis legitime fuerint impediti. I. 366. & seq.
Vigilia Nativitatis Domini antiqua. II. 174.
Vigiliæ Nativitatis Domini Officium Missæ. II. 175.
Vigiliæ in Festivitatibus Sanctorum. II. 174.
Vinum quo ritu immittendum in Calicem a Diacono. II. 104.
Viri olim in Ecclesiis separati a feminis. I. 80. & seq.
Visitatore Apostolico præsente in locis demandatæ Visitationis, Archiepiscopi possunt ante se Crucem deferre. I. 66.
Wormaciensis Episcopus creatus Cardinalis a Gregorio XII. eam dignitatem recusat, timens Episcopatum amittere. I. 64.

V

Ulyssiponensis Patriarchæ privilegium in concedendis Indulgentiis. I. 352.

X

Xerophagia in hebdomada sancta a Majoribus nostris religiose servata. II. 240.

FINIS.

VAI 15230 72
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google